Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

+ *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
+ *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
+ *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
+ *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página `http://books.google.com`

C649.75

Harvard College
Library

VE RI TAS

FROM THE BEQUEST OF
JOHN HARVEY TREAT
OF LAWRENCE, MASS.
CLASS OF 1862

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

P 6

DOCTORIS ECSTATICI

D. DIONYSII

CARTUSIANI

OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS DIGESTA

AD FIDEM EDITIONUM COLONIENSIUM

CURA ET LABORE

MONACHORUM SACRI ORDINIS CARTUSIENSIS

FAVENTE PONT. MAX. LEONE XIII

TOMUS V

IN JOB (XXXVIII-XLII), TOBIAM, JUDITH, ESTHER, I-II ESDRÆ, I-II MACHABÆORUM, PSALMOS (I-XLIII)

MONSTROLII

TYPIS CARTUSIÆ SANCTÆ MARIÆ DE PRATIS

MDCCCXCVIII


Digitized by Google

Digitized by Google

DOCTORIS ECSTATICI
DIONYSII CARTUSIANI
OPERA OMNIA

Digitized by Google

Digitized by Google





DOCTORIS ECSTATICI

D. DIONYSII

CARTUSIANI

OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS DIGESTA

AD FIDEM EDITIONUM COLONIENSIUM

CURA ET LABORE

MONACHORUM SACRI ORDINIS CARTUSIENSIS

FAVENTE PONT. MAX. LEONE XIII

5

IN JOB (XXXVIII-XLII), TOBIAM, JUDITH, ESTHER,
I-II ESDRÆ, I-II MACHABÆORUM, PSALMOS (I-XLIII)

MONSTROLII

TYPIS CARTUSIÆ S. M. DE PRATIS

MDCCCXCVIII





Digitized by Google

C649.7.5

HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

Digitized by Google

ENARRATIO

IN LIBRUM JOB

ARTICULUS LXVI

ELUCIDATIO CAPITULI TRICESIMI OCTAVI : RESPONDENS AUTEM DOMINUS JOB.

QUONIAM in disputatione præhabita de A providentia Dei et modo regiminis actuum humanorum, varia fuit dissensio tam inter Job et ejus amicos, quam inter Eliu et Job et ejus amicos præfatos ; ipseque Eliu quæstionem determinare usurpavit, nec potuit : ideo Dominus eam determinat. *Respondens autem Dominus Job de turbine, dixit.* Circa hæc scribit Gregorius : Utrum per se ipsum, an per angelum ei sit locutus, ambigitur. Potuerunt quippe per angelum commotiones aeris fieri, et per eum verba sequentia pronuntiari. Rur- B susque potuit exterius angelus in turbine aerem excutere, et tamen per semetipsum Dominus vim suæ sententiæ cordi Job sine verbis insonare. Thomas quoque ait, quia ad litteram intelligi potest, vocem formatam fuisse miraculose in aere cum quadam aeris turbatione, sicut in monte Sinai legitur factum, vel sicut ad Christum vox facta est, quando nonnulli dixerunt tonitruum factum esse, ut Joannes scribit. Aliqui vero dicunt, quod vox ista processit divina virtute, seu angelico ministerio, C quasi de nubis densitate. Albertus vero se faciliter expediens, per turbinem intelligit disputationis hujus conflictum. Sicque de turbine, quasi de causa materiali, non quasi de loco, Dominus dicitur respondisse.

Exod. xix.
Joan. xii, 29.

Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis? Quibus verbis Dominus increpat ipsum Eliu, quod quamvis sententias, id est sensus sublimes et veraces, locutus sit, tamen per verba indiscreta, præsumptuosa et frivola fecit hoc, aliqua quoque falsa invective contra Job dixit. Unde Dominus quasi despective ac reprobative sic sciscitatur, Quis est iste? quasi dicat, Non decet eum sic loqui : quemadmodum per Jeremiam Dominus sciscitatur, Quis est iste pastor qui resistat vultui meo? Porro, secundum Thomam, ideo dicitur Eliu locutus sermonibus imperitis, quoniam omnis inordinatio ex defectu rationis procedere dicitur. Secundum Albertum vero, hoc dicitur, quia conjugatio inutilis est, dum probationes non tenent, nec ad formam syllogisticam reducuntur.

Jer. xlix, 19.

Accinge sicut vir lumbos tuos, id est, viriliter præpara te ad audiendum quæ dicam, et ad respondendum, si vales. Unde per hunc modum loquendi, Dominus quasi metaphorice admonet eum ad audiendum : quia qui corporaliter aliquid sunt acturi, lumbos solent præcingere, sicut et Christus in Cœna linteo se præcinxit. Specialiter vero exprimit lumbos, quia sunt loca delectationum carnalium, ad innuendum quod sensualitas necessario sit refrenanda volenti illuminationem sortiri divinam et

Joann. xiii, 4.

Digitized by Google

revelationem cœlestem. Ideo Ephesios hortatur Apostolus : *Ephes.* VI. 14. State succincti lumbos vestros in veritate. Et Christus in Evangelio ait : *Luc.* XII, 35. Sint lumbi vestri præcincti. Isaias quoque inducit : *Is.* XXVIII, 9. Quem docebit Dominus scientiam ? ablactatos a lacte, avulsos ab ubere.

Interrogabo te, et responde mihi. S. Thomas, et Albertus, ac alii eos sequentes, affirmant beatum Job de providentia Dei vere sensisse, tamen in modo loquendi excessisse, ita quod ex inordinato suo modo loquendi adsistentes fuerant scandalizati, quia secundum superficiem quorumdam verborum suorum videbatur eis de se ipso nimis alte sentire, atque divinæ excellentiæ ac justitiæ derogare. Unde infra Job *Job* XLII, 3. confitetur : Insipienter locutus sum, et quæ ultra modum excederent scientiam meam. Hinc, secundum doctores hos, Dominus in hac parte redarguit Job de inordinatione hac ipsa : et primo, quia Job *Ibid.* XIII, 3. supra dixit : Disputare cum Deo cupio. Et *Ibid.* 22. rursus : Voca me, et ego respondebo tibi ; aut certe loquar, et tu responde mihi. Quibus verbis dedit Deo quasi optionem duorum, ut scilicet teneret partem vel opponentis, vel respondentis : quæ verba prima facie videbantur male sonare, quamvis Job non male intenderet. Quia tamen alios scandalizavit et perturbavit, Dominus eum pie nunc increpat, partemque elegit opponentis, multa per modum interrogationis ac argumentationis proponens Job, ad ostendendam incomparabilem eminentiam sapientiæ suæ, propter quam Job debuit moderatius loqui, nec eatenus conqueri, quamvis in verbis suis mortaliter non excessit. Porro Gregorius omnino nititur approbare, beatum Job non excessisse in verbis, *Ibid.* I, 22; II, 10. præsertim quum supra scriptum sit : In omnibus his non peccavit Job labiis suis, nec stultum quid contra Deum locutus est. *Ibid.* XLII, 7. Et infra Dominus ait ad Eliphaz : Non estis rectum locuti coram me, sicut servus meus Job. Dominus quoque insultando Satanæ dixit, postquam Job in rebus et sobole fuit *Ibid.* II, 3. plagatus, quod adhuc innocentiam retine-

A ret. Vult ergo Gregorius, quod Deus non increpat sanctum Job propter excessum in verbis, sed ne de perfectionis atque victoriæ suæ magnitudine inaniter gloriaretur et superbiret. Verum, quid inter hæc magis tenendum sit, et quomodo prætactæ positiones valeant concordare, quantum Dominus dederit, infra dicetur.

Itaque Dominus excellentiam suam manifestare orditur ex productione, dispositione et proprietatibus terræ, quæ est infimum elementorum, et magis hominibus B cognitum. *Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ,* id est, elementum terræ et singulas ejus partes produxi et situavi in debito loco in medio universi ? quasi dicat : Tunc nondum eras ; quo constat, quod duratione et causalitate præcedo te, nec tuo consilio egui in creatione dispositioneque mundi. Hinc in Isaiæ libro habetur : Ego sum Dominus faciens omnia, *Is.* XLIV, 24. extendens cœlos solus, stabiliens terram, et nullus mecum. De quo Proverbiorum liber asserit : Appendebat fundamenta *Prov.* VIII, 29. C terræ. Porro quod ait, Fundamenta terræ, intransitive legendum est, ut sit sensus : Ponebam terram pro aliorum fundamento elementorum. Elementa namque quæ proprio non terminantur termino, ut aer et aqua, fundantur et terminantur ad eam. *Indica mihi,* non quasi ignoranti, sed, Indica mihi, id est, ostende te scire, si vales, *si habes intelligentiam* ejus quod quæro. *Quis posuit mensuras ejus, si nosti?* id est, quis dedit et determinavit ei certas has suas dimensiones quas habet ? quæ D non sunt ei determinatæ ex necessitate, vel ex sua natura, quoniam major quantitas non repugnaret ; sed ex ordinatione sapientiæ ac providentiæ Dei, quæ omnia *Sap.* XI, 21. in numero, mensura et pondere fecit. Potest et ita exponi : Quis posuit mensuras, id est proportiones ejus ad alia elementa in grossitudine seu densitate et subtilitate, secundum quod ex uno pugillo terræ fiunt decem pugilli aquæ ; ex uno quoque pugillo aquæ, decem aeris : ita quod locus aquæ, decuplus est ad locum terræ. *Vel*

Digitized by Google

quis tetendit super eam lineam, id est, A certum ei situm in universis partibus assignavit, ejusque partes distinxit? juxta
Act. XVII, 26. illud Actuum: Definiens terminos habitationis eorum. Dicit autem Albertus, quod terra est minimum corporum simplicium, præter lunam atque Mercurium.

Super quo bases illius solidatæ sunt? Basis dicitur fundamentum. Bases ergo terræ, sunt fundamenta ipsius: quæ aliquando nominantur interiores partes terræ, quibus aliæ videntur inniti. Vel basis terræ, est centrum mundi: sicque, Bases terræ, B possent dici partes centro viciniores. Quibus verbis Dominus insinuare videtur, quod nihil sit sub terra eam sustentans, quum tamen sit corpus gravissimum: sed divina virtute manet in medio fixa, Sapientia increata id ordinante, ut omnes partes terræ naturaliter inclinentur ad centrum. Hinc
Ps. CIII, 5. ait Psalmista: Qui fundasti terram super stabilitatem suam: non inclinabitur in sæculum sæculi. *Aut quis demisit lapidem angularem ejus?* id est, quis de alta potestate deorsum misit id terræ, quod in ea C se habet per modum lapidis angularis? quod est centrum terræ, secundum Thomam, vel pars centro propinquior, cui aliæ partes annectuntur et aggregantur, atque ibidem stabiliuntur, quemadmodum ad lapidem angularem alii lapides congregantur, et per eum sibi cohærent atque firmantur, ipseque lapis angularis ad se et ad parietes ædificium firmat ac tenet.

Præterea, circa hæc quæri potest, quod quæstiones istæ non videntur fuisse difficiles. Quis enim ignorat, quod Deus posuit D terræ mensuras, eique situm et distinctionem contribuit, et centrum in ipsa constituit? Et respondendum, quod Dominus non intendebat hoc solum inquirere, quis hæc fecit, sed originalem horum rationem, et cur per divinam providentiam ista sic instituta consistant, qualiterque peracta: quorum utique scientia, intellectum excedit humanum.

Quum me laudarent astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei: id est, quando terram ita constitui, tunc me astra matutina laudabant, mihique jubilabant omnes filii Dei. Ex quo loco quidam arguere sunt conati, quod spirituales creaturæ, videlicet angeli, ante mundum sensibilem sint creatæ. Sed hoc ex his verbis non sequitur. Quamvis enim simul tempore creata sint, cœlum et angeli ac terra, nihilo minus distinctio elementorum secuta est, secundum unam litteræ Genesis expositionem. Porro, si quis dicat, sicut et Thomas dicit, per astra matutina intelligi stellas cœli corporeas, quæ quarto die factæ leguntur: unde astra matutina vocantur, quasi de novo tunc facta, prout apud nos astra matutina dicuntur, quæ in principio diei apparent: nihilo minus astra ista dicuntur tunc Deum laudasse, quia circa hoc tempus Deum laudare cœperunt: vel quia simul cum cœlo stellato substantialiter facta sunt, quamvis dicantur quarta die producta, videlicet quoad distinctionem sive ornatum, ut quidam exponunt. Denique, si per astra intelligantur hæc sidera, tunc verbum hoc dupliciter accipi potest. Primo, quod astra ista laudant Deum occasionaliter et materialiter, quoniam suo decore, motu, influxu ac ceteris ad ea spectantibus præbent omni menti creatæ occasionem materiamque laudandi proprium Creatorem: juxta quem modum etiam inani- Dan. III, 59-81.
mata mixta et irrationalia Deum laudare, superexaltare et benedicere asseruntur. Secundo, quod laudant Deum formaliter, cognitive et proprie, secundum opinionem dicentium corpora cœlestia animata. Unde Rabbi Moyses in libro Ducis neutrorum affirmat, quod non sunt inanimata, ut insipientes putant, sed vivunt atque intelligunt, et Creatori suo sublimem laudem decantant. De qua re plura dici hic possent, quæ potius transilienda censentur, præsertim quum opinio illa displiceat multis: quæ tamen, secundum Thomam in Summa contra gentiles, fidei non repugnat. Aliqui vero per astra matutina intelligunt angelos sanctos ac splendidos, eos præsertim qui de inferioribus choris

Digitized by Google

sunt, et quorum est corpora movere cœlestia. Per filios autem Dei, intelligunt angelos ordinum superiorum, quorum est adsistere Deo : qui et excellentius laudant Deum ; idcirco ei jubilasse dicuntur. Quod autem angeli appellentur filii Dei, in
Job I, 6. exordio libri hujus scriptum est : Quum venissent filii Dei ut adsisterent coram Domino, etc.

Consequenter Deus eminentiam sapientiæ atque potentiæ suæ ostendit in dispositione maris, præsertim Oceani. *Quis conclusit ostiis,* id est certis terminis seu littoribus, *mare, quando erumpebat,* id est abundanter et fortiter exsurgebat, *quasi de vulva procedens,* id est sicut fetus qui de utero matris tempore suo quasi impetuose erumpit, ita quod retineri non valet? Vel, Quasi de vulva procedens, id est ex secreto providentiæ seu dispositionis divinæ, aut certe de loco in quo primum fuit creatum et situm, quando, secundum quosdam Sanctorum, totam terram operuit, et alte in aere erigebatur, deinde Deo jubente ad unum locum redactum est, prout
Gen. I, 9. in Genesi habetur : Dixit Deus, Congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt, in locum unum, et appareat arida. Et in Psalmo :
Ps. XXXII, 7. Congregans sicut in utre aquas maris, ponens in thesauris abyssos. In Prover-
Prov. VIII, 27. biis quoque : Certa lege et gyro vallabat abyssos. *Quum ponerem nubem vestimentum ejus,* id est, nubibus illud circumdarem, sicut homo circumdatur vestimento. Nubes enim ex vaporibus de mari elevatis maxime generantur. Ideo circa mare magis abundant : circa quod etiam nubilosus aer remansit, dum aquæ congregabantur ad locum unum. *Et caligine illud quasi pannis infantiæ obvolverem,* id est, operirem seu tegerem. Quum enim nubes ibi abundent, nebulosusque aer et quidam vapores nondum elevati in altum, constat quod frequenter sit ibi caligo : et videtur ei alludere, quod scriptum est in Genesi,
Gen. I, 2. Tenebræ erant super faciem abyssi.

Circumdedi illud terminis meis, id est littoribus, ripis seu finibus a sapientia

A mea præordinatis, videlicet quousque effluat et refluat ; *et posui vectem,* id est obstacula procedendi, *et ostia,* id est clausuras vel etiam aperturas, per quas de Oceano egrediuntur particularia maria et flumina. *Et dixi,* id est, præcepto meo institui : *Usque huc venies,* id est, usque ad terminos istos a me præstitutos extrema tua pertingent, et ex his locis te per maria et flumina præfata diffundes, *et non procedes amplius,* ne terram operias ; *et hic,* scilicet ad ripas has, *confringes tumen-*
B *tes fluctus tuos,* id est undas cum impetu abundanti fluentes, et ex fundo fortiter exsurgentes : quæ ad littora rejiciuntur.

Circa prædicta de dispositione maris, asserit Thomas : Videtur naturalis ordo elementorum requirere, ut aqua ex omni parte circumdaret terram, sicut aer ex omni parte circumdat aquam ; sed divina dispositione factum est, ad generationem hominum et animalium ac plantarum, ut aliqua pars terræ discooperta remaneret ab aquis, Deo sua virtute aquas maris sub certis li-
C mitibus retinente. Sed contra id quis potest objicere, quia secundum hoc dispositio ista mundi et elementorum, non est naturalis, sed miraculosa et supernaturalis, quum tamen Augustinus super Genesim dicat, quod in prima rerum institutione ac ordinatione non quæritur, quid Deus potuit, sed quid rerum conveniebat naturis. Et respondendum, quod terra et aqua dupliciter attenduntur. Primo, secundum proprias naturas quibus comparantur ad invicem : et sic naturaliter competeret ter-
D ræ, tanquam graviori, esse omnino sub aqua. Secundo, per comparationem ad ordinem universi, et quoad finem suæ creationis : sicque convenit eis naturaliter dispositio ista quam habent, quia ad hoc facta sunt, ut homini et ceteris animalis deserviant : quod esse non valet, nisi pars terræ sit sicca. Unde, secundum philosophos, in generatione mixtorum, ignis naturaliter descendit, non per respectum ad propriam naturam secundum se, sed per comparationem ejus ad ordinem universi,

Digitized by Google

qui exigit quamlibet naturam peragere id propter quod facta est. Hinc fertur in Psal- *Ps. CIII, 9.* mo : Terminum posuisti quem non transgredientur, scilicet aquæ ; neque convertentur operire terram. Et in Jeremiæ libro *Jer. V, 22.* Dominus contestatur : Posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum quod non præteribit ; intumescent fluctus ejus, et non transibunt illud.

Numquid post ortum tuum, id est postquam natus es, qui ante nativitatem tuam nil facere potuisti, *præcepisti diluculo*, ut tempore suo exsurgeret, et noctem diei continuaret, vel ut aliquid ageret ad tuam jussionem, *et ostendisti auroræ locum suum*, ubi primo lux solis incipit apparere? hoc est, ista in tua potestate non sunt, nec ordinare potuisti temporum varietates, cursum et ordinem, et ubi aurora inchoaretur. Præterea, secundum Thomam, claritas diluculi sive auroræ, diversificatur secundum diversas partes elevationis signorum quæ sol perambulat. Dum enim fuerit in signo velocis ascensionis, in quo cito oritur, parum durat aurora ; quando autem sol est in signo tardæ ascensionis, diutius durat : estque determinata mensura loci, ex quo ibi exsistente sole, incipit claritas diluculi.

Hæc omnia Deus commemorat ad declarandam excellentiam suam in omni perfectione, sapientia et virtute : ita ut si Job respondisset ad quæstiones prætactas, Tu, o Domine, mare ostiis conclusisti ; Dominus mox intulisset : Ergo tanta est eminentia mea, quod mecum disputare aut contendere nequis.

Numquid *tenuisti concutiens extrema terræ?* Hoc quidam exponunt de terræ motu, tanquam dicat : Numquid extrema terræ potes tua virtute seu manibus apprehendere et tenere atque concutere, ut terræ motus causetur? in quo non tota terra movetur, sed aliquæ ejus extremitates, exterioresve partes. Alii ita exponunt : Numquid tenuisti concutiens extrema terræ, id est homines ab extremo seu fine terræ usque ad extremum, concutiendo A eos per mutuam impugnationem? Hinc de Deo in Psalmo cantatur : Qui respicit ter- *Ps. CIII, 32.* ram, et facit eam tremere. Et rursus : In *Ps. XCIV, 4.* manu ejus sunt omnes fines terræ. Itemque Ecclesiasticus : Ecce cœlum et cœli *Eccli. XVI, 18, 19.* cœlorum, abyssus et universa terra, et omnia quæ in eis sunt, in conspectu Dei commovebuntur, montes simul et colles, et fundamenta terræ ; et quum conspexerit ea Deus, tremore concutientur. *Et excussisti impios ex ea?* id est, peccatores impœnitentes per terræ motum vel alias pla- B gas auferre a terra et vita præsenti, non tuæ sed meæ est potestatis.

Restituetur ut lutum signaculum : id est, impiis de terra ablatis, signaculum, id est homo ad Dei imaginem factus, reparabitur, ita quod loco interfectorum impiorum alii Deo disponente succedent, sicut lutum, id est copiose, quemadmodum lutum abundat, vel, sicut lutum divisum faciliter reintegratur. Hinc superius Eliu dixit de Deo : Conteret multos et innume- *Job XXXIV, 24.* rabiles, et stare faciet alios pro eis. *Et sta-* C *bit sicut vestimentum*, id est, ad tempus subsistet, et continuo atque paulatim consumetur, ut vestes paulatim a tinea. Unde supra Job dixit : Qui quasi putredo consu- *Ibid. XIII, 28.* mendus sum, et quasi vestimentum quod comeditur a tinea. *Auferetur ab impiis lux sua*, id est vita, prosperitas, gloria temporalis, per mortem in terræ motu, aut in alia Dei plaga ; *et brachium excelsum confringetur*, id est, tyrannica virtus seu robur violentorum et superborum, vel iniqua dominatio, divinitus destruetur atque dam- D nabitur, quemadmodum in Ecclesiastico Sapientia ait : Superborum et sublimium *Eccli. XXIV, 11.* colla propria virtute calcavi. Et in eodem volumine legitur : Sedes ducum superbo- *Ibid. X, 17.* rum destruxit Deus. Zacharias quoque de impio pastore asserit : Brachium ejus ari- *Zach. XI, 17.* ditate siccabitur. Sed et Isaias fert : Con- *Is. XIV, 5.* trivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium. Hinc primo Machabæorum habetur : A verbis peccatoris ne timueri- *I Mach. II, 62, 63.* tis, quia gloria ejus stercus et vermis ; hodie extollitur, et cras non invenitur, quia

Digitized by Google

conversus est in terram suam, et cogitatio ejus periit.

Numquid ingressus es profundum maris Oceani, ad videndum varias piscium species et cetera quæ latent ibidem? *et in novissimis*, id est extremis seu remotissimis et ultimis ac profundissimis locis, *abyssi*, id est maris jam dicti, *deambulasti*, videlicet super fundum ipsius, ubi nullus hominum unquam devenit, nec quomodo terra illa disposita sit, conspexit? *Numquid apertæ sunt tibi portæ mortis*, id est portæ inferni? Vel, Portæ mortis dicuntur causæ corruptionis mixtorum, potissime hominis, per quas est ad mortem ingressus : quas sigillatim, distincte, perfecte et plene homo non noscit : quia nonnunquam causa corruptionis ex supernorum influxu procedit, interdum est ex causa interiori valde occulta, aliquando ex causa supernaturali, dum homines pro suis peccatis divinitus occiduntur. *Et ostia tenebrosa vidisti?* Ostia tenebrosa idem dicuntur, quod portæ mortis. Vel ostia ista, sunt varii modi quibus homines vadunt et corruunt in infernum. Pluribus autem modis homines decipiuntur ac pereunt, quam aliquis valeat determinare.

Numquid considerasti latitudinem terræ? id est, latitudinem terræ certitudinaliter non agnoscis. Accipitur autem latitudo terræ, a parte australi seu meridiana, in aquilonem seu septentrionem : quæ latitudo (ut dicitur) tota pertransiri non potest, quoniam torrida zona intermedia, impertransibilis est, propter excessum caloris, ut dicunt. Circa hoc asserit Thomas : Longitudo terræ, secundum astrologos, sumitur secundum processum ab oriente in occidentem; latitudo autem, a meridie in aquilonem : quia in qualibet re major dimensio dicitur longitudo, et minor dimensio, latitudo. Est autem experimento probatum, quod dimensio terræ, a nobis habitatæ, major est ab oriente in occidentem, quam a meridie in aquilonem. Ideo latitudo terræ, a meridie ad aquilonem attenditur.

Indica mihi, si nosti omnia, ita ut cum A Deo valeas disputare, *in qua via habitet lux*. Lux corporum cœlestium in eis dicitur habitare, secundum quod manet in eis, hoc est in luminaribus cœli. Itaque, quærere in qua via habitet lux, est investigare per quæ itinera seu quibus modis atque processibus luminaria moveantur : quod hominibus est incertum, ut patet ex diversitate opinionum eorum, circa hoc ipsum quibusdam affirmantibus, ea moveri per epicyclos atque excentricos, aliis per diversarum motum sphærarum. Porro, se- B cundum Albertum, habitatio lucis, est relatio, id est iterata motio seu reditio, solis ad terram, videlicet nostri horizontis. Vias autem ascensionum descensionumque solis, explicare determinate quis poterit? *Et tenebrarum quis locus sit*. Quemadmodum lux terræ habitabilis ex luminarium motu causatur, prout in hemisphærio superiori moventur; sic tenebræ sunt ex recessu eorum, prout in inferiori moventur hemisphærio : quod eamdem habet difficultatem, quantum ad vias et modos motuum lumi- C narium cœli. Non autem perfecte mensurari potest locus alicujus corporis, nisi via per quam ambulat cognoscatur. Quoniam ergo via motus luminarium certitudinaliter a nobis cognosci non potest, nec viam tenebrarum cognoscere possumus, puta exordium loci in quo ex solis luminariumque recessu, caligo noctis incipit. *Ut ducas unumquodque*, id est tam lucem quam tenebras, *ad terminos suos*, id est usque ad ea ad quæ valent pertingere, deducendo lucem et caliginem usque ad extrema ad D quæ attingere queunt. Quasi dicat : Hoc nequaquam tuæ est potestatis, sed Dei, qui (ut in Genesi habetur) divisit lucem a tenebris. *Gen. I.* *Et intelligas semitas domus ejus*, videlicet lucis : cujus domus est luminare cœleste, quod est velut vas luminis, utpote sol, qui per varia incedit itinera, secundum quod motus habet diversos : quas semitas distincte et certe homo in hoc sæculo non agnoscit, ut dictum est.

Sciebas tunc, id est in exordio quando ego ista ita disposui, *quod nasciturus es-*

Digitized by Google

ses? et numerum dierum tuorum noveras, id est, quamdiu in vita subsisteres? Non utique, quoniam necdum eras : scire autem præsupponit esse. Sed ego ista præscivi : ideo meæ scientiæ comparari non vales. *Numquid ingressus es,* per considerationem acutam et claram, *thesauros nivis,* id est virtutem per quam, et materiam ex qua generatur? Divina enim potestate omnes hujusmodi impressiones principaliter fiunt, et ex vaporibus seu exhalationibus materialiter producuntur. *Aut thesauros grandinis adspexisti,* puta virtutem effectivam et materiam grandinis? Hæc autem perfecte ac particulariter scire, est super hominem, maxime dum supernaturaliter producuntur in ultionem iniquitatis pravorum, secundum quod subditur : *quæ præparavi in tempus hostis,* id est pro tempore quo hostes et adversarios decrevi affligere : sicut in Exodo legitur, quod grando horribilis cecidit in terra Ægypti. *In diem pugnæ et belli,* id est præliorum, sive intestinorum, sive extrinsecus inductorum.

Exod. ix. 23-25.

Insuper dic, *Per quam viam spargitur,* id est diffunditur, *lux* luminarium cœli, præcipue solis per terram? per quam etiam viam *dividitur æstus super terram,* id est calor qui in terra consequitur diffusionem lucis solaris? tanquam dicat : Modum causalitatis et diffusionis istorum perfecte non capis, quomodo scilicet lux, vel in instanti, vel in tempore imperceptibili, per totum hemisphærium diffundatur, et in diversis terris diversus calor diversimode generetur. Denique, notanter asserit lucem spargi, caloremque dividi, quoniam serenitate aeris exsistente, lux solis ad omnes æqualiter indifferenterque venit, ita quod sensibiliter claritatis intensio non diversificatur, sicut diversificatur caloris intensio seu augmentum. Præterea hæc duo conjungit, secundum Albertum, quoniam æstus sequitur lucem, et modus æstus modum lucis. Ubi enim lux spargitur ad angulum rectum, ibi reflectitur angulus in se ipsum, et fit intensior calor. Ubi vero

A ad angulum acutum, fit minor æstus : ubi autem ad angulum hebetem seu expansum, æstus fit minimus : sicque semper secundum modum anguli ad quem reflectitur lux, fit etiam modus caloris. Unde Ecclesiasticus dicit : In meridiano sol exurit terram, et in conspectu ardoris ejus quis poterit sustinere?

Eccli. xliii, 3.

Quis dedit vehementissimo imbri, id est pluviæ, quæ cum maxima vehementia cadit, *cursum,* id est tam impetuosum ac celerem motum? *et viam sonantis tonitrui?* id est, quis dedit tonitruo sonoro

B suum processum, ita quod sonat, non quasi res in uno permanens loco, sed quasi procedens de loco ad locum? quis, inquam, hæc dedit, nisi ego qui cuncta disposui, sicque institui, ut pluvia validis ventis impulsa et agitata, vel ex nube aquosissima decidens, cum tanta vehementia cadat, atque tonitruum taliter sonet? *Ut plueret super terram absque homine,* id est absque hominis cooperatione sive industria ; vel, Super terram absque homine, id est quæ

C ab hominibus non habitatur, videlicet *in deserto, ubi nullus mortalium commoratur* hominum, quamvis habitent ibi bruta, *ut* imber præfatus *impleret inviam et desolatam,* id est terram incultam, non deambulatam nec habitatam, *et produceret* terra hujusmodi sic irrigata, *herbas virentes.* Itaque sapienter Deus instituit, ut nubes per ventos impellantur ad talia loca, quæ aliter irrigari et fecundari non possunt : quum enim sint sicca, vapores pluviales ex eis non elevantur, sed aliunde adducun-

D tur. Spiritualiter, vehementissimus imber, est efficacissima et ardentissima evangelicæ legis doctrina : cui per Apostolos Deus contulit cursum, quorum prædicatio fuit sonans tonitruum. Nam et in Evangelio Christus Petrum, Jacobum et Joannem, Filios appellat tonitrui. Itaque per Apostolos Deus hunc imbrem diffudit in deserto et invia desolataque via, id est per gentilitatem olim a Deo relictam, nullaque Sancti Spiritus consolatione refectam, in qua nullus mortalium, id est hominum

Marc. iii, 16, 17.

Digitized by Google

vere rationaliter viventium, morabatur, ut gentiles conversi producerent herbas virentes, id est opera virtuosa.

Quis est pluviæ pater? vel quis genuit stillas roris? De cujus utero egressa est glacies? et gelu de cœlo quis genuit? Hæc omnia loquitur Deus ad insinuandum, quod ipse horum prima et principalis est causa, et quod hi ejus effectus perfecte investigari non valent, quoad omnes causas eorum, sicut lucidius dictum est. Porro variis modis dicitur Deus alicujus pater et genitor. Pluviæ vero et roris pater seu genitor vocatur, secundum latam patris acceptionem, prout omne principium productivum dicitur pater ejus quod causat. Per uterum vero de quo egreditur glacies, intelligi potest, vel causa glaciei materialis, vel locus quo generatur, vel virtus divina quæ est prima vis productiva. Gelu quoque de cœlo, id est cœlesti virtute, producitur. Dicit enim Albertus, quod lumen Saturni, causa sit gelicidii. Sunt tamen et aliæ causæ ipsius. Præterea, secundum Thomam, causa glaciei est frigus, quæ est qualitas feminina. Feminæ enim communiter sunt frigidiores viris. Pluviarum autem et roris causa, calor est, resolvens nec permittens congelari vaporem. Calor autem est qualitas masculina. Ideoque signanter circa generationem glaciei, utitur nomine uteri spectantis ad matrem; circa generationem vero roris et pluviæ, utitur nomine patris. Ex frigore demum duplex glacies generatur. Una in aere : quod pertinet ad pruinam de cœlo cadentem. Ad quod referri potest, quod dictum est, Gelu de cœlo quis genuit? Quod idcirco attribuit patri, quoniam non apparet tanta vis frigoris in pruina, sicut in glacie ulteriori ac grossiori. Mirum quoque apparet, quod in elemento raro, calido et humido, puta in aere, glacies sic formatur. Alia vero est glacies, quæ in inferioribus generatur aquis : in qua frigoris vis major apparet. Unde subjungitur :

In similitudinem lapidis aquæ durantur, id est, per intensum frigus sic con-

A stringuntur, ut instar saxi duræ reddantur : quod quidam de crystallo exponunt. Nam et Philosophus ait : Ex aqua generatur crystallus, remoto totaliter calido. Cui illud Ecclesiastici consonat : Frigidus ventus Aquilo flavit, et gelavit crystallus ab aqua. *Eccli.* XLIII. 22. Circa hæc scribit Lyra : Omnia ista hic posita sunt ad ostendendum, quod non sunt ad plenum naturali ratione investigabilia hæc opera Dei. Licet enim philosophi de causis istorum aliqua dixerunt in generali, hoc tamen fuit obscure et imper-

B fecte. Nec unquam fuit dictum ab aliquo perfecte in speciali et declaratum, quomodo res tam mollis et fluida possit in tantum solidari; et si aliquis esset qui non vidisset, nullo modo crederet dicenti, sicut de motu ferri a magnete. Et quoniam causa talium determinata ignoratur, dicitur quod habent hoc a tota specie, id est a proprietate speciem consequente; sed quæ sit illa proprietas determinata, nullus dicit. *Et superficies abyssi constringitur.* In frigidissimis enim terris, sicut in par-

C tibus aquilonaribus, interdum superficies Oceani congelatur, potissime circa ripas; non tamen irrumpere potest frigus aeris usque ad maris profundum.

Numquid conjungere valebis micantes stellas Pleiades? Stellæ Pleiades alio nomine dicuntur Septistellium; suntque stellæ pluviales, habentes dominium quoddam super aquas, sicut et luna. Unde, secundum Albertum, habent virtutem movendi, elevandique humidum, et ea quæ ex humido generantur vapore. Hæ stellæ dicuntur

D micantes, quia etsi parvæ videantur, tamen claræ ac splendentes apparent; una tamen non evidenter et clare apparet. Quæ conjungi non valent, quamvis propinquæ sibi invicem sint : semper enim in eodem permanent situ atque in eadem ad invicem vicinitate, ab invicemque distantia, sicut et ceteræ stellæ fixæ. Ex quo sumpserunt quidam philosophi occasionem dicendi, quod astra octavæ sphæræ sint fixa in ea velut clavus in navi, et quod sphæra illa movetur, stellæque ejus motu

Digitized by Google

ipsius. Plato tamen et Ptolemæus, his non obstantibus, posuerunt, stellas non esse sic fixas, sed proprio motu moveri, sphæra non mota. *Aut gyrum Arcturi poteris dissipare,* id est circuitum Ursæ majoris? in qua septem sunt stellæ, quæ nobis semper apparent, et moventur circa polum septentrionalem seu arcticum : quarum gyrum vel circumvolutionem homo dissipare aut impedire non valet, sed Deus qui omnium est creator. Denique septem sunt stellæ in Arcturo seu Ursa majori, quemadmodum in Ursa minori; sed in majori sunt stellæ majores et clariores. Quatuor quoque stellæ sunt in capite et tres in cauda. Quas Dominus nominat, quoniam sunt principium frigoris congelantis ea quæ ex humido fiunt vapore, secundum Albertum. De quibus plenius dictum est in expositione illius, Qui facit Arcturum, etc. (Job IX, 9.)

*Numquid produces** *Luciferum in tempore suo?* id est, tuæ potestatis non est, planetam illum tempore suo ortui deputato super horizontem tuum adducere, ejusque motum disponere. *Et Vesperum super filios terræ consurgere facis?* id est, planetam sic dictum non potes facere oriri terrigenis. Secundum Thomam, planeta Venus quandoque oritur ante solem, et tunc dicitur Lucifer; quandoque occidit post solem, et tunc Vesperus appellatur. Porro planetæ qui semper tardioris sunt motus quam sol, incipiunt mane apparere ante solis ortum, eo quod sol proprio motu quo movetur ab occidente in orientem, deserit eas, atque pertransit ad ortum, quemadmodum patet in Saturno, Jove et Marte. Luna autem quæ habet velociorem motum quam sol, incipit apparere in sero, quasi deserens solem, et præcedens ipsum versus orientem. Venus vero et Mercurius quandoque incipiunt apparere de mane, quandoque de sero; sed de Mercurio, quia raro videtur et parvæ est quantitatis, non est tam manifestum, sicut de Venere, de quo manifestum est quod aliquando habet velociorem motum quam sol, et aliquando tardiorem. Itaque, secundum Thomam, Lucifer et Vesperus sunt idem planeta, diversa sortitus vocabula, prout diversis temporibus oritur et apparet. Porro, secundum Albertum, Lucifer semper est Venus vel Mercurius, qui habent tempus suum indicandi lucem de mane, quando secundum ordinem singulorum sunt post solem duodecim gradibus vel amplius. Tunc enim de mane ante solem emergunt. Vesperus quoque, secundum Albertum, est stella vespertina, quæ est etiam semper Venus vel Mercurius, quoniam illæ duæ stellæ perfectam distantiam a sole non habent, et sole occidente, post eum emergunt de sub radiis ejus quandoque secundum ordinem singulorum.

* producis

Numquid nosti ordinem cœli, id est ordinem situs et motus cœlestium corporum, vel proportionem, habitudinem, influentiam eorum ad inferiora, vel cœlestium orbium mutuam coordinationem? *et pones rationem ejus in terra,* id est, rationem seu causam præfati ordinis cœlestium corporum expones hominibus, scilicet propter quas causas sic instituta et coordinata sint ista? quod humanum transcendit ingenium. Spiritualiter, per ordinem cœli, angelicorum spirituum hierarchica designatur distinctio : quæ ab hominibus determinate non scitur, quum divinus Dionysius angelicorum spirituum distinctiones assignet in generali, videlicet quantum ad distinctiones novem chororum. *Numquid elevabis in nebula vocem tuam?* id est, numquid nebulæ jubebis, ut ad tuum præceptum ascendat, vel tonitruum generetur in ea, et tibi ad nutum obediat? *et impetus aquarum operiet te?* id est, in tua virtute non est, ut aqua pluvialis copiose descendat, ita ut te valeat operire. *Numquid mittes fulgura, et ibunt; et revertentia dicent tibi, Adsumus?* id est, tuæ potentiæ non est emittere fulgura, ita quod ad tuam dispositionem discurrant, teque præcipiente revertantur, et dicant tibi verbo vel facto, Ecce adsumus, id est, reversa sumus secundum quod imperasti.

Digitized by Google

Quis posuit in visceribus hominis, id est intimis ac secretissimis animæ viribus, scilicet intellectu speculativo et practico, *sapientiam?* Multipliciter enim Deus intellectibus hominum sapientiam indidit, utpote habitus cognoscitivos principiorum, tam in agibilibus quam in practicis; naturaleque lumen rationis, per quod naturalem sapientiam invenit homo. Insuper, per se ipsum, per angelicas mentes, per homines sanctos ac eminentes ceteros illustravit. Ipsosque homines ceteris illuminatiores, videlicet Apostolos et Prophetas ac sanctos doctores Deus multipliciter atque multiplici sapientia et scientia decoravit. Eccli. xvii, 1, 6, 5. Hinc Ecclesiasticus scripsit : Deus de terra creavit hominem. Creavit eis scientiam spiritus, sensu implevit corda illorum; dedit illis cor. *Vel quis dedit gallo intelligentiam*, id est naturalem æstimationem, qua per modum intelligentis in aliquibus agit, determinatis horis die ac nocte cantando, quasi proportiones cœlestium cognosceret motuum, distinctionemque horarum noctis atque diei? Unde, secundum Albertum, intelligentiam vocat æstimationem, quam habet gallus de horis distinguendis ad immutationem solis ab angulis cœli in mane, meridie, vespere, media nocte. Et etiam ad immutationem auræ per dispositionem factam in aere cantat; et quædam alia animalia, quæ circa regimen suæ vitæ non sollicitantur, ideo facile deprehendunt impressiones factas in corporibus suis, vel a motu cœli, vel a dispositione aeris, et secundum illas moventur. Hinc, secundum Damascenum, aguntur magis quam agunt : quia non libere, sed secundum naturalem agunt instinctum.

Quis enarrabit cœlorum rationem, id est causam, proportionem et ordinem cœlestium corporum, et cur ita disposita sint in magnitudine, multitudine, propinquitate, distantia, motu et influentia, cur tot stellæ in firmamento, quæ ratio diversitatis earum in mole, situ, luce ac proprietatibus aliis? Hæc atque similia ab homine investigari non accidit. *Et concentum cœli quis dormire faciet?* Per concentum cœli, intelligit cœlorum atque cœlestium motuum proportionatam cohabitudinem, et velut harmonicam quamdam convenientiam, quam creatura eis auferre non potest. Præterea advertendum quod Pythagoras et ejus sequaces, prout secundo de Cœlis refert Philosophus, posuerunt ex contactu seu motu cœlestium corporum harmonicum sonum causari : quæ sonorum consonantia, secundum eos, concentus potest vocari, qui cœlestia corpora posuerunt animata. Quam dicebant a nobis sensibiliter non percipi, quoniam ab exordio nativitatis nostræ cœpimus eam percipere, et indesinenter quàsi connata est ejus perceptio ac continuata auribus nostris : sicque ex nimia assuefactione non discernimus eam, sicut qui diu sedet in fœtido loco, tandem fœtorem non percipit. Sed hanc opinionem Aristoteles reprobat. Idcirco concentus hic metaphorice dicitur convenientia præinducta.

Præfata autem positio sapientiæ in visceribus hominis, concentusque cœli, ab initio fundationis terræ fuit vel circiter. Hinc subditur : *Quando fundabatur pulvis in terra*, id est, pulveres terræ firmiter locabantur in infimo loco ubi est terra; *et glebæ compingebantur*, id est, partes terræ pariter jungebantur per humorem eas simul tenentem et continuantem, ne terra ob suam siccitatem in pulverem resolvatur. Denique, juxta Albertum, loquitur secundum dispositionem primi mixti atque confusi, in quo elementa commixta fuerunt, et in quo per modum pulveris terra vaporabiliter ferebatur in humido. Hinc dicitur, Et glebæ compingebantur, residente scilicet pulvere in fundo, juxta illud Genesis : Congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt, in locum unum, et appareat arida. Gen. i, 9. Istud procedit secundum unam expositionem litteræ Genesis. Glebæ autem compinguntur dupliciter. Uno modo ad locum : sicque distinguitur terra ab aliis elementis. Alio modo ad complexio-

Digitized by Google

nem : sicque complexio quæ magis appropinquat ad cœlum seu ad cœlestem æqualitatem, meliorem in apprehendendo et appetendo sortitur dispositionem et animam, ut sexto de Animalibus asserit Avicenna. Itaque bona complexio non parvum est Dei donum.

Numquid capies leænæ prædam, id est, sufficienter ei de alimento poteris providere, *et animam*, id est animalitatem seu animalem appetitum ac vitam, *catulorum ejus implebis* necessariis nutrimentis? quasi dicat, Non poteris. Divina tamen providentia sufficientiam sibi ac catulis suis procurant leænæ, quamvis sint multum voraces. Potius quoque leænam exprimit quam leonem, quoniam propter curam et educationem catulorum, ipsa avidior est ad prædam. *Quando cubant in antris*, id est, in speluncis manent nutritioni catulorum vacantes, *et in specubus*, id est cavernis, *insidiantur*, id est, animalia transeuntia observant ad rapiendum ac devorandum : Ps. IX, 30. secundum illud Psalmi, Insidiatur quasi leo in spelunca sua.

Quis præparat corvo escam suam, id est, de alimentis providet corvis, nisi principaliter Deus? *quando pulli ejus clamant ad Deum*, id est, naturali desiderio appetunt necessaria vitæ, quæ principaliter sortiuntur a Deo. Clamant quoque ad Deum, non quasi ejus habentes notitiam, sed quasi tristem sonitum emittentes, qui a Deo attenditur, ita quod providet eis. Quælibet etenim res naturalis per hoc ipsum quod naturali desiderio appetit aliquod bonum, quodammodo interpretative seu æquivalenter clamat ad Deum, velut ab ipso illud intendens accipere, qui omnium est actor Ps. CXLIV, 15. bonorum. Sicque fertur in Psalmo : Oculi omnium in te sperant, Domine, et tu das

A escam illorum in tempore opportuno. Et rursus : Omnia a te exspectant, ut des illis Ps. CIII, 27. escam in tempore. *Vagantes, eo quod non habeant cibos*. Pullis corvorum, pro tempore quo a matribus suis non aluntur, ut dicitur, scilicet infra septem primos dies, non competit vagari seu hinc inde volare. Ideo quidam legunt, Vagientes, scilicet suo modo quasi plorantes ex famis angustia. Vel, Vagantes, id est visu hinc inde distracti ac prospicientes, quia nutrimentum non habent. Dicitur enim (ut recitat et B Thomas), quod corvus pullos suos natos videns plumis albos, non pascit eos donec cernat eos nigrescere, ita quod septem diebus eos non alit, sed a Deo sustentantur per inditam eis naturalem virtutem. Alii autem affirmant, quod Deo ordinante, quidam vermiculi volitant circa ora eorum, quos attrahunt, sicque aluntur. Insuper, secundum Albertum, nominat corvum magis quam cetera bruta, quia voracior et cibi avidior est : cujus signum est, quia, ut in Genesi habetur, emissus ex arca, re- Gen. VIII, 6. C quievit in cadavere.

Postremo, ex his clare ostenditur falsitas opinantium, quod Deus irrationalium animalium providentiam et distinctam cognitionem non habeat. Nam et Psalmista testatur : Qui dat jumentis escam ipsorum, Ps. CXLVI, 9. et pullis corvorum invocantibus eum. Christus quoque in Evangelio errorem hunc destruens, ait : Nonne quinque passeres ve- Luc. XII, 6. neunt dipondio, et unus ex illis non est in oblivione coram Deo? Et iterum asserit : Pater vester cœlestis pascit ea, scilicet Matth. VI, 26. D volatilia cœli. Nec obstat illud Apostoli : Numquid de bobus cura est Deo? Hoc si- I Cor. IX, 9. quidem dicit ad innuendum, quod rationalium creaturarum cura et providentia, speciali altiorique modo convenit Deo.

Digitized by Google

ARTICULUS LXVII

EXPOSITIO CAPITULI TRICESIMI NONI : NUMQUID NOSTI TEMPUS PARTUS IBICUM ?

CONSEQUENTER Dominus ad incomparabilis sapientiæ suæ commendationem, tangit leges quibusdam animalibus inditas in generatione, in consuetudine et habitatione. *Numquid nosti tempus partus ibicum?* Ibices, secundum Thomam, sunt animalia corpore parva, in locis petrosis habitantia, et parientia ibi : ad quæ loca non patet hominibus de facili accessus. Idcirco tempus partus earum hominibus est incertum. His concordat Albertus dicendo : Ibex est animal in petris et montibus commorativum, tam ingentia habens B cornua, ut a capite exeuntia, usque ad clunes pertingant, intra quæ aliquando cadens totum corpus recipit, ne allidatur in casu. Alii dicunt, quod ibex sit avis aquatica serpentibus inimica. *In petris*, id est locis petrosis seu rupibus ubi pariunt. *Vel parturientes cervas observasti?* Cervæ quum parere debent, loca eligunt secreta, ubi lupi non solent accedere. Hinc partum earum Dominus dicit esse occultum, insinuans quod ipse omnium horum institutor et dispensator exsistat ac cogni- C tor. *Dinumerasti menses conceptus earum*, id est, quot menses fluxerint ab imprægnatione seu conceptu cervarum? quod licet quantum ad aliquas cervas quodammodo fieri possit, homo tamen hoc de omnibus nec certitudinaliter, nec distincte cognoscere potest. *Et scisti tempus partus earum?* id est, determinatum tempus quo parient, nescis. Secundum quosdam, loquitur de scientia activa, quæ facit quod scit, ut est providentia Dei. Vel, ut alii dicunt, quærit an dinumeraverit menses D præfatos, ut indicaret eos cervis. Et simili modo inquirit, an sciat tempus partus earum.

A *Incurvantur ad fetum*, id est, naturali industria sibi divinitus indita incurvant se ut fetum emittant ; *et pariunt*, facilius quam mulieres in specie humana ; non tamen penitus absque dolore : nam subditur, *et rugitum emittunt*. Ideo tamen incurvant se, ut facilius pariant : quoniam incurvatio membra generativa ampliat ad fetus emissionem ; non autem eatenus, quin propter arctitudinem membrorum illorum affligantur in fetus egressu. *Separantur filii earum*, id est, pulli cervarum atque similium bestiarum nati, mox a parentibus separantur sive recedunt, ita quod movent se, nec diu manent sub cura parentum, ut hominum fetus, [*et*] *pergunt ad pastum*, id est, primo incipiunt quærere escam eis a natura paratam. *Egrediuntur*, a matribus ad loca pascuarum, *et non revertuntur ad eas*. Primo dum nati sunt, et lacte matrum indigent pasci, quamvis egrediantur ad pastum, redeunt tamen ad matres suas. Postea vero, quum roborati fuerint in membris, nec lacte amplius indigent, sic recedunt a matribus, quod non revertuntur ad eas.

Quis dimisit onagrum liberum? id est, asinos silvestres quis fecit ab hominum obsequio liberos? *Et vincula ejus*, id est, quibus ligari poterat, *quis solvit?* id est, quis eum a talibus vinculis fecit immunem, ita quod tales asini non ligantur, nec domesticantur, sed libertatis amore hinc inde vagantur? Hæc atque similia Deus quærit, ad innuendum, quod ipse solus hæc fecit et facere potuit, qui singulis proprietates certas impressit. Et istud in onagris mirum videtur, quum alii asini domesticentur, qui cum illis ejusdem speciei feruntur. *Cui dedi in solitudine do-*

Digitized by Google

mum, id est antrum sive cavernam. In solitudine enim moratur, ne hominibus servire cogatur, quum tamen alii asini periclitentur, nisi in habitaculis per homines factis morentur. *Et tabernacula ejus*, id est loca in quibus pascitur et generat, dedi *in terra salsuginis*, hoc est in terra inhabitabili propter ejus siccitatem et solis exustionem, ex qua humor ejus quasi in salis amaritudinem vertitur. *Contemnit multitudinem civitatis*, id est, mansionem deserti præfert habitationi in urbe; *clamorem exactoris*, id est hominis qui ab onagro laborem pro victu sibi impenso exigeret, *non audit* : quia vocantem se hominem fugit, renuens domesticari, subdi et obsequi. *Circumspicit montes pascuæ suæ*, id est, loca montana in solitudinibus, in quibus invenit nutrimenta, quærit et adspicit; *et virentia quæque perquirit*, id est, loca in quibus sint recentia gramina, quibus vescatur, in his amplius delectatur, quam in frequentia hominum et pabulis urbium.

Consequenter loquitur de rhinocerote seu unicorni, qui est animal ferum, valdeque forte et indomesticabile. Unde ex confidentia propriæ fortitudinis et indignatione servitutis, domesticari non potest. *Numquid volet rhinoceros servire tibi?* id est, non acquiescet tibi subdi et obsequi, nec mansuetatur. *Aut morabitur ad præsepe tuum?* id est, ita eum compescere nequibis, ut ad præsepe acquiescat ligari, et a te cibum accipere; sed libere vult vagari et nutrimentum inquirere. *Numquid alligabis rhinocerota* seu rhinocerotem *ad arandum loro tuo?* id est, nequaquam poteris eum sic catenis seu vinculis ligare, ut instar bovis terram tuam aret. *Aut confringet glebas vallium* tuarum? id est, ad hoc eum inducere non poteris, ut trahat instrumentum, quo terra arata complanatur, glebis seu massis ejus vel partibus grossioribus fractis per superinductionem instrumenti illius per terram hujusmodi; *post te*, ut scilicet te præcedentem rhinoceros sequatur. *Numquid fiduciam habebis in magna fortitudine ejus*, quod scilicet illa tibi deserviat et subdatur, *et derelinques ei labores tuos?* id est, an committes ei fructuum tuorum custodiam, ut terræ nascentia tuis laboribus procurata in agro custodiat? sicut sæpe canes feroces et fortes dimittuntur cum servo in agris ad custodiam possessionum, contra animalia devorativa seu homines spoliantes. Tanquam dicat : Ad ista unicornem domesticare non poteris. *Numquid credes ei quoniam sementem reddat tibi*, id est, grana bladorum aliquo modo faciat egredi? secundum quod bos dicitur triturare, juxta illud Osee : Ephraim vitula docta diligere trituram. Osee x, 11. *Et aream tuam congreget*, id est, fructus areæ tuæ comportet? Per hæc omnia Deus intendit, quod ipse qui animal talium proprietatum produxit, quod ab homine compesci non valet, incomparabilem habeat excellentiam super hominem, ita quod homo ei in nullo resistere potest.

Porro de natura rhinocerotis multa leguntur. De quo refert Gregorius : Rhinoceros indomitæ omnino naturæ est, ita ut si quando captus fuerit, teneri nullatenus poterit. Impatiens quippe, ut fertur, illico moritur. Magister Sententiarum affirmat, quod sit superbissimum animal : hinc quando contra inclinationem suam tenetur, ex indignatione cadit et moritur. De quo refert Albertus : Cornu rhinocerotis ingens, longitudinis duodecim pedum, et amplius : ante acutum valde et plenum, non concavum sicut cornu cervi, et in base ubi conjungitur capiti, diameter ejus est plus quam palmi; egreditur quoque ad similitudinem gladii. Porro in Mammotractu Bibliæ continetur : In fronte media gerit cornu, ita acutum et validum, ut quidquid impetierit, aut ventilet aut perforet. Nam et cum elephantibus sæpe certamen habet, atque in ventre eos vulnerat et prosternit. Buxei esse coloris asseritur. Tantæ quoque est fortitudinis, ut nulla venantium capiatur virtute. Sed virgo puella proponitur, quæ venienti sinum ape-

Digitized by Google

rit, in quo ille, omni ferocitate deposita, caput ponit; sicque soporatus, velut inermis mox capitur, ut refert Gregorius. Hinc, ut aliqui dicunt, Deus comparatur rhinoceroti (juxta quod Balaam loquitur, Num. XXIII, 22; XXIV, 8. Dominus Deus eduxit eum, scilicet Israelem, de Ægypto, cujus fortitudo similis est rhinoceroti) : etenim purissima virgo Maria Unigenitum Dei, quem nullus unquam valuit superare, invitumve capere, in se traxit ita, quod in ejus utero, deinde in ejus gremio requievit.

Penna struthionis similis est pennis herodii et accipitris. Secundum Albertum, Dominus loquitur hic de animali composito ex volatili atque gressibili, quod struthio dicitur, in desertis Libyæ potissime habitans : carnosas cum quadrupedibus tibias habens, et tres digitos in pede angulatos ut quadrupes, rostrum autem et caput et collum ut cycnus, coxas magnas ad modum quadrupedis, pennas in primo anno cinereas, sicut anser, quæ in senectute deficiunt in nigram lanuginem in modum velleris nigræ avis. In alis non volat, sed saltat, saltum juvans motu alarum sicut locusta. Ita penna struthionis similis est pennis herodii et accipitris, similis quidem eis non in colore, sed in hoc quod est penna. Porro herodius, secundum Albertum, est aquila, quæ est heros seu domina avium. Alii dicunt, quod sit avis rapacissima, aquilam vincens. Thomas vero affirmat, quod sit nobilissimus falco, qui gryfalcus vocatur. Unde videtur nomen æquivocum. Per accipitrem quoque quidam intelligunt nisum, alii quamcumque avem rapacem. Itaque Deus insinuat, quod licet struthio cum præfatis avibus quæ celeriter volant, similes habeat pennas, non tamen similem usum pennarum, quia nec alte neque celeriter volat. Cujus causam assignat Gregorius : Accipitris, inquiens, et herodii parva sunt corpora, sed pennis densioribus fulta : idcirco cum celeritate transvolant, quia in eis parum inest quod aggravat, multum quod levat. At contra struthio raris pennis induitur, atque immani corpore gravatur, ut et si volare appetat, ipsa pennarum paucitas molem tanti corporis in aere non suspendat.

Quando derelinquit in terra ova sua. Non enim fovet ova sua incubando super ea, sed fodit hæc in arena, operiens sabulo. Nam, ut ait Albertus, si incubaret ovis, comprimeret ea : idcirco non incubat, sicut nec serpens, nec lacerta. *Tu forsitan in pulvere calefacies ea?* Hoc ironice dicitur, tanquam dicat, Nequaquam. Præterea, juxta Thomam, struthio hanc naturalem habet industriam, quod observat tempus calidum, quando incipiunt apparere stellæ quæ dicuntur Vergiliæ, in mense Julio, et tunc parit ova : sicque ex calore loci et temporis, quia videlicet non moratur nisi in locis calidis, ova vivificantur, et pulli ex eis nascuntur. Albertus autem circa hoc scribit : Calore solis excitatur intraneus calor ovi, qui intra testam ovi pullum format, et extra testam educit. Porro quod dicitur, quod visu foveat ea, falsum est; sed imperitis apparet, quia frequenter est circa ova, et respicit ea propter custodiam. *Obliviscitur quod pes conculcet ea, aut bestia agri conterat :* id est, non attendit, quod ova sua taliter situata, possint faciliter a transeuntibus conculcari, vel a bestiis frangi per conculcationem aut comestionem. Struthio namque naturaliter obliviosum est animal, et, ut Thomas affirmat, nullam adhibet curam de conservatione ovorum. Cui videtur obviare, quod secundum Albertum, frequenter adest ovis, et adspicit ea propter custodiam.

Duratur ad filios suos quasi non sint sui : quoniam pullis suis non providet, nec eos nutrit ut aliæ aves, sicque quodammodo in se fructum generationis pullorum suorum amittit. Ideo sequitur : *Frustra laboravit,* ad pullorum generationem cooperando : nam eos dimittit, *nullo timore cogente,* id est, ex propria stoliditate atque duritia, non aliquo eam compellente ad suorum derelictionem pullorum, quemadmodum aliæ aves interdum ova vel pullos ad horam relinquunt ex timore volen-

Digitized by Google

tium capere eas, vel nidum confringere. A *Privavit eam Deus sapientia, nec dedit illi intelligentiam.* Sapientiam et intelligentiam sumit extense pro naturalibus industriis, quas Deus aliis animalibus communiter indidit ad nidificandum, incubandum, nutriendum, et custodiendum proprios pullos : quas feminæ struthionis non indidit. *Quum tempus fuerit,* id est occasio se movendi occurrerit, *in altum alas erigit :* non quod corpus ejus elevetur in aere, sed alas pro posse extendit et levat, ut citius currat. *Deridet equum et ascensorem ejus.* Hoc dicitur, quia velocius currit, quam equus aut eques, ita quod ab eis comprehendi non valet, nec curat insecutionem eorum. B

Denique spiritualiter, struthio (secundum quod pennas habet, nec volat) designat hypocritas, qui foris apparent quasi sint contemplativi ac virtuosi, intus vero terrenis affectibus prægravantur, ita quod se ad cœlestia non attollunt. In quantum vero struthio duratur ad filios suos modo præfato, designat parentes carnales vel patres spirituales, qui filiorum suorum curam non habent, sed eos errare desinunt et perire. Propter quod Threnorum codice C
Thren. IV. 3. inducitur : Filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto. In quantum autem tam velociter currit, ut equum equitemque derideat, designat superbos, qui se ipsos sic erigunt, ut viros virtutum, qui suis corporibus velut equis frenatis utuntur, despiciant et illis se præferant.

Consequenter Deus sapientiam et eminentiam suam ostendit, describendo equi D proprietates, qui est animal multis proprietatibus ad nobilitatem spectantibus singulare ac decoratum. *Numquid præbebis equo fortitudinem?* quasi dicat : Hoc facere tuum non est, sed meæ virtutis. Est autem equus animal valde forte, tam ad onera deferenda, quam robore animi ad pericula aggrediendum. *Aut circumdabis collo ejus hinnitum?* id est, proprietatem ex qua hinnit per collum, ei ferre non poteris. Dicitur autem hinnitus collo equi circumdatus, secundum Albertum, quoniam ad rotunditatem colli vel cannæ, egreditur non distinctus motus linguæ, sicut vox litterata, nec in diversa formatur, ut vox dearticulata. Est autem equus animal hinnitivum, propter libidinem atque audaciam. Libidinosum vero est, secundum Philosophum, propter cibi, quem sumit, abundantiam : audax quoque, ex confidentia fortitudinis, et armorum in calcibus pedis. Hinc libidinosi equis comparantur per Jeremiam : Unusquisque ad Jer. V, 8.
uxorem proximi sui hinniebat. Insuper, juxta Thomam, equus exteriori suo ornatu ad libidinem provocatur, quia (ut dicitur) jubæ suæ decore ad coitum agitatur, jubaque tonsa, libido ejus exstinguitur sive minuitur, ut alii dicunt. Ad quod designandum Dominus ait : Aut circumdabis collo ejus hinnitum? qui ei in collo a Deo circumdatur, per hoc quod Deo ordinante, juba ei sic nascitur. *Numquid suscitabis eum quasi locustas?* Sibilo enim excitatur equus ad audaciam, ad cursum, et præsertim ad saltum : tuncque posterioribus pedibus accipit saltum sicut locustæ. Hanc autem proprietatem non habet nisi a Deo. Est etiam signum magni roboris, quod quamvis habeat corpus grande ac ponderosum, nihilo minus tam velociter currit, remoteque salit.

Deinde magna equi audacia aperitur. *Gloria narium ejus terror :* id est, bellum quo alii perterrentur, est gloria seu delectatio narium equi. Odoratu enim bellum percipit a remotis, atque in hoc delectatur. Vel, Gloria narium ejus est terror, quoniam delectationem atque audaciam, quas habet prælio imminente, ostendit quodam terribili narium sono, dilatatis naribus spiritum exsufflando : quod est signum magnæ audaciæ. Unde Philosophus in Ethicis, ex Homero inducit : Fortes spiritum efflabant per nares, et ebullivit sanguis. Et quoad hoc, equus comparatur viris audacibus et iracundis. *Terram ungula fodit,* quasi ad instans bellum se aptans : quod rursum grandis audaciæ signum est.

Digitized by Google

Nam ungulam quasi acuit ad percutiendum et conculcandum, quemadmodum aper dentes, quando vult pugnare. Majus quippe nocumentum quod equus infert in bello, secundum Albertum, est quod calcat, prioresque calces conculcando impingit, posterioribus vero percutit et repellit. *Exsultat audacter.* Gloriatur enim prælio imminente. *In occursum pergit armatis,* audacter et imperterrite properans contra hostes, quasi provocans eos ad pugnam. *Contemnit pavorem,* id est, in pugna exsistens, formidinem non admittit; *nec cedit gladio:* imo evaginatis obviat gladiis, vulnerari non metuens. *Super ipsum sonabit pharetra,* dum miles equo sedens, sagittam de arcu emittit; *vibrabit hasta et clypeus.* Milites enim equis sedentes, solent habere hastas clypeosque splendentes, qui super equum suo micant fulgore.

Fervens intus calore animositatis et ira, *et fremens* ore, *sorbet terram,* illam ungulis fodiendo, et naribus ad terram positis fortiter resonando. *Nec reputat tubæ sonare clangorem,* id est, clangorem tubarum ad bellum hortantium non ponderat quasi terribilem: imo audit eum libenter. Nam *ubi audierit buccinam,* quæ suo sonitu ad bellum hortatur, *dicit: Vah,* id est, signum exsultationis emittit, nec curat. Vah quippe est interjectio exsultationem
Is. XLIV, 16. designans, juxta illud Isaiæ: Vah, calefactus sum, vidi focum. *Procul odoratur bellum,* id est, a remotis percipit bellum instare odoratu, quo sentit equos venientes; *exhortationem ducum,* qui suos animant ad pugnandum, *et ululatum,* id est confusam vociferationem ac strepitum, *exercitus* venientis ad pugnam, odoratur, ut dictum est, et percipit quadam naturali industria sibi divinitus indita, quia a Deo factus est in adjutorium hominum, non tantum ad deportationem, sed etiam ad justitiæ atque rei publicæ tuitionem. Unde et in bellis unus equus dilaniat alium, quum tamen, si simul per campum sine sessoribus currant, unus currat ac saltet post alium in præceps et aquas.

Dicit autem Albertus: Expertum est, quod equus non castratus leonem adspiciens, etiam invito sessore accedit leonem. Si vero castratus est, quantumlibet urgeatur, retrocedit et fugit in tantum, quod præ timore visus est sanguinem mingere. Isidorus quoque dicit, quod equus ideo equus vocatur, quia dum vadunt duo et duo simul, ex æquo incedere solent.

Numquid per sapientiam tuam plumescit accipiter, expandens alas suas ad Austrum? Secundum Gregorium, singulis annis accipiter veteres pennas projicit, novasque accipit, et sine intermissione plumescit. Domestici autem accipitres, ut melius plumescant, loca requirunt tepentia et munita *. Agrestibus vero moris est, ut flante Austro, alas expandant, quatenus eorum membra ad emittendum veteres pennas venti concalescant tepore, poris scilicet corporis sui apertis, sicque novæ pennæ nascantur. Porro, quum ventus deest, alis contra solis radium expansis atque percussis, tepentem sibi faciunt auram, et ita, poris apertis, vel veteres pennæ exsiliunt, vel novæ succrescunt. Itaque non est nunc sermo de illa accipitris plumatione, qua primo plumis vestitur in nido, quia tunc nondum expandere valet alas ad Austrum. Accipiter autem fortes alas requirit, quibus aves alias insequatur. Unde, secundum Albertum, etiam ideo alas suas ad Austri expandit calorem, ut indurescant, ne fortiter concitatis alis ad aeris flectantur impulsum.

* humida

Numquid ad præceptum tuum elevabitur aquila, et in arduis ponet nidum suum, id est in locis altis difficilisque accessus? quasi dicat: Non ex tua ordinatione vel jussione, sed mea, volat tam alte et nidificat tam excelse. Omnis autem naturalis cursus rerum, est quædam motio creaturæ ad Dei præceptum, secundum Thomam, juxta illud Psalmi: Ignis, grando, nix, glacies, *Ps.* CXLVIII, 8.
spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus. *In petris manet, et in præruptis silicibus commoratur.* Purum etenim aerem amat, ideo in locis petrosis sublimibus

Digitized by Google

conquiescit, ubi vaporum minor fit resolutio. In præruptis autem silicibus nidum constituit, ut pulli ejus ibi securius conserventur, nec ab animalibus sibi nocivis lædantur. Ideo quoque, secundum Albertum, manet in petris, ut ad petram ungues rostrumque acuat, et sic semper ad prædam renovetur atque armetur. *Atque inaccessis rupibus.* Non enim vult quod quis ad nidum ejus ascendat. *Inde contemplatur escam,* id est animalia et cadavera quibus vescatur; *et oculi ejus de longe prospiciunt.* Ad quod confert, quod in altis moratur, ubi aer sincerior est. Ut autem refert Albertus, pullos suos aquila probare asseritur, si solem in sua rota queant adspicere irreverberato oculi radio : et eos qui possunt, suos cognoscit ac nutrit ; qui non possunt, hos abjicit. Dicitur etiam a quibusdam, quod visu per quingentas leucas cadavera percipit et accedit. Alii dicunt, quod odoratu id facit.

Quum ergo sit acutissimi visus, in altisque habitans, recte per eam contemplativi signantur ; et altissimus ille cœlestium contemplator Joannes evangelista rite per aquilam demonstratur. Contemplativorum etenim conversatio in cœlis est, quorum (Philipp. III, 20.) interior visus præacutus et clarus est ; manentque in petris, id est firmitate virtutum, et in præruptis silicibus, id est monasticis perfectionibus, quæ a mundana conversatione præcisæ sunt, atque inaccessis rupibus, id est secretissimis divinorum considerationibus, ad quas nullus carnalium valet pertingere. Inde contemplantur escam, id est cœlestis paradisi beatificam refectionem, ea quoque quæ in præsenti vita mentem consolentur ac roborent : quorum oculi de longe prospiciunt, quia ab isto exsilio usque ad supernæ altitudinem patriæ visum protendunt mentalem, quemadmodum de Sanctis veteris Testamenti ait ad Hebræos Apostolus, (Hebr. XI, 13.) quod de longe promissiones adspexerunt cœlestes.

Pulli ejus lambent sanguinem animalium quæ aquila deprædata defert viva ad nidum. Est enim aquila potens in deprædatione, quemadmodum inter quadrupedia leo. Spiritualiter, pulli aquilæ sunt imitatores et discipuli contemplativorum, qui adhuc divinorum contemplationi intendere stabiliter non valentes, interim dominicæ passionis memoria et Christi sanguine reficiuntur. *Et ubicumque cadaver fuerit, statim adest,* id est, velociter advolat, dum illud visu vel odoratu perceperit, et aliunde impedimentum non fuerit. Sic in Evangelio ait Salvator : Ubi fuerit corpus, illic (Matth. XXIV, 28.) congregabuntur et aquilæ.

Consequenter inducitur increpatio sancti Job, et ejusdem humilis consensus cum Deo. Auditis enim his magnificis Dei effectibus, siluit, quasi cum Deo disputare inefficax. Idcirco Dominus eum, modico silentio interjecto, rursum alloquitur. *Et adjecit Dominus,* id est, præinductis verbis addidit alia, *et locutus est ad Job : Numquid qui contendit cum Deo,* id est, de effectibus Dei argumentatur, volens ostendere quod non sint penitus justi, aut juste exhibiti, ut tu qui supra dixisti, Sal- (Job XIX, 6.) tem nunc intelligite, quia Deus non æquo judicio afflixerit me ; et item, Vivit Deus (Ibid. XXVII, 2.) qui abstulit judicium meum ; *tam facile conquiescit,* id est, faciliter dimittetur in pace, nec exigetur verborum suorum reddere rationem ? quasi dicat : Decet talem fortiter examinari et exerceri. *Utique, qui arguit Deum,* id est, contra eum disputare præsumit, ejusque opera immoderanter, an justa sint, perscrutari conatur, *debet et respondere illi :* id est, requiretur merito ab eo responsio, ut verba sua, si valet, defendat : alioqui puniatur, nisi pœnitendo veniam mereatur. Circa hæc scribit Gregorius : Sanctus Job sua percussione non putavit merita augeri, sed vitia resecari. Quæ quia in se nulla cognovit, percussum injuste se credidit : et percutientem Deum arguere, est de percussione murmurare, et an justa fuerat dubitare.

Respondens autem Job Domino, dixit, se humiliter culpabilem confitens, non pertinax manens : *Qui leviter locutus sum,* id

Digitized by Google

est, aliqua verba sine debita gravitate, consideratione, cautelaque protuli, admiratione et plagarum acerbitate inductus, *respondere quid possum?* id est, me excusare non volo, nec tecum amplius contendere queo. *Manum meam ponam super os meum :* id est, de cetero talia verba cavebo. Et quæ sint illa, subjungit : *Unum locutus sum, quod utinam non dixissem,* id est, de cujus prolatione pœniteo ; *et alterum,* id est, etiam aliud verbum dixi : *quibus* duobus *ultra non addam* aliquid inordinatæ locutionis aut simile quid in culpa. Primum horum duorum, secundum Thomam, fuit, quod dixit : Cum Deo disputare cupio. Secundum fuit, quod recitando suas justitias, videbatur æquitati derogare divinæ.

Job XIII, 3. — *Ibid.* XXIX, XXXI.

Porro, secundum Albertum, primum fuit, quod ait : Deus non æquo judicio afflixit me. Hoc enim incaute prolatum est : quoniam licet secundum unum modum sive respectum, puta secundum ordinem humanæ justitiæ, quæ reddit cuilibet secundum quod fecit, non juste percussus sit ; non tamen absolute dicendum est, quod injuste vel non juste fuerit cæsus. Juste enim percutitur homo a Deo, sive ad Dei gloriam, sive ad exercitium virtutum, sive ad culpæ purgationem hoc fiat. Secundum fuit, quod de flagello murmurans seu conquerens, dixit : Utinam appenderentur peccata mea quibus iram merui, et calamitas quam patior, in statera ; quasi arena maris hæc gravior appareret. Hoc etenim dixit, non considerans, quod secundum districtam justitiam, nemo justus est in conspectu Dei. Unde secundum hanc justitiæ districtionem, nec condigna recepit in flagellis, qui vel semel peccavit. Ista est Alberti sententia.

Ibid. XIX, 6. — *Ps.* XXVII, 4. — *Job* VI, 2, 3.

Gregorius vero circa hæc scribit : Si præinducta Job verba discutimus, nil eum nequiter dixisse invenimus. Si vero dicta ejus quæ vere et libere protulit, in aliquo de superbia notamus, non jam duo tantum erunt, sed plura. Hinc Gregorius, per primum istorum duorum intelligit, quod Job ante suam flagellationem aliqua egit digna flagellis, saltem venialiter peccans. Secundum fuit, quod de flagellis sibi illatis murmuravit.

Hinc advertendum, quod Job in modo loquendi peccavit, quo amicos suos et ipsum Eliu scandalizavit : non tamen ex superbia fecit hoc. Et quod ait se in duobus excessisse, potius ad sensum quam ad formam verborum referendum videtur. Eamdem quippe sententiam aliis verbis frequenter pronuntiavit. Secundum quoque, quod Thomas assignat, in quo Job excesserit, utpote suas justitias commemorando, multa verba, imo multa capitula continet. Denique Thomas ait, quod Job coram Deo et sua conscientia loquens, non de falsa locutione aut superba intentione se accusat, quia ex puritate animi fuit locutus. Verba tamen ejus arrogantiam sapere videbantur. Unde amici ejus occasionem scandali sumpserunt. Oportet autem non solum mala vitare, sed etiam ea quæ habent speciem mali, secundum illud Apostoli : Ab omni specie mala abstinete vos. Itaque verba Gregorii, quibus sæpe excusat beatum Job ab omni excessu in verbis et factis, intelligenda sunt de excessu culpæ mortalis. Venialiter autem in verbis et factis peccasse ostensus est. Nec hoc mirum de ipso, quum et de principe Apostolorum Paulus affirmet, quia reprehensibilis fuit : et loquitur de eo secundum ea quæ post susceptionem Spiritus Sancti commisit.

I *Thess.* V, 22. — *Galat.* II, 11.

ARTICULUS LXVIII

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI QUADRAGESIMI : RESPONDENS AUTEM DOMINUS JOB DE TURBINE, DIXIT.

PRÆSENTI capitulo Dominus increpat A Job, quod suam in tantum commendavit justitiam, quod divinæ videbatur derogare justitiæ. *Respondens autem Dominus Job de turbine, dixit : Accinge sicut vir lumbos tuos. Interrogabo te, et indica mihi,* id est, responde. Verba hæc in principio scripta sunt atque exposita : quæ Dominus hic resumit, quia jam rursus quasi de novo aggreditur eum. Unde primo animat eum, et exhortatur ad advertentiam dicendorum. *Numquid irritum facies,* id est, injustum et falsum esse ostendes, *judicium meum,* quo te tradidi Satanæ affligendum, *et condemnabis me,* id est, injustum probabis : si enim injustum est meum judicium, sequitur quod sim injustus ; *ut tu justificeris,* id est, justus appareas ? tanquam dicat : In tantum prosecutus es tuas virtutes, et conquestus quod sine culpa tua percussus sis, quasi probare intenderes, me meumque judicium esse injustum. Imo ita locutus es, quod præsentes judicaverunt te hoc prætendisse, et visus es te sic velle justificare, ut ex consequenti ego puter injustus, ita quod laus tua, qua te ipsum laudasti, videbatur in meum vituperium redundare. Et hoc, quantum ad modum loquendi, reprehensibile fuit, quamvis beatus Job nequaquam intenderit hoc.

Job XXXVIII, 1, 3.

Consequenter Dominus ex eminentia suæ perfectionis ostendit, quod homo cum omni humilitate loqui debet ad Deum et de Deo. *Et si habes brachium,* id est vim operativam seu potestatem, *sicut Deus :* hoc est, si instar Dei omnipotens es ; *et si simili voce tonas :* id est, tantæ efficaciæ es in loquendo ut Deus, utpote quod mentiri non possis, et solo verbo quidquid volueris, facere queas (sicut de Deo habetur, Ipse dixit, et facta sunt); itemque, tantæ excellentiæ es in docendo, ut Deus, ita ut vox doctrinæ tuæ, tonitruo comparetur, sicut vox Dei ; *circumda tibi decorem,* id est, ex omni parte te ipsum justifica, et ab omni macula culpæ te prorsus excusa, pulchritudinemque et sanctitatem deiformem tibi adscribe. Si vero mortalis et fragilis es naturæ, non ita te laudes, ut Deum vituperare videaris ; nec ab omni culpa te B putes immunem. *Et in sublimi erigere,* id est, te ipsum secure exalta, et Deo parifica ; *et esto gloriosus,* id est famosus, clarus et inclytus, seu excellens. Porro, secundum Ambrosium, gloria est clara cum laude notitia, ita quod importat notitiam de bonitate alicujus. Bonitas autem Dei est infinita : cujus perfecta notitia non est nisi in ipso. Idcirco gloria plenarie in solo Deo est, in quantum plene cognoscit se ipsum : ad quam homo non pertingit, nisi participando cognitionem divinam. Pro- C pter quod Jeremiæ Dominus loquitur : In hoc glorietur, qui gloriatur, scire et nosse me. *Et speciosis induere vestibus,* id est, omnium virtutum splendoribus appareas decoratus.

Ps. XXXII, 9; CXLVIII, 5.

Jer. IX, 24.

Disperge superbos in furore tuo, id est zelo ardenti justitiæ, vel districta ultione, ut ego, et confunde eos, si similis mihi es in potestate, æquitate et sapientia. *Et respiciens* oculo justitiæ super eos, *omnem arrogantem humilia,* eum debite dejiciendo et condemnando. *Respice cunctos superbos,* id est, elationem eorum considera D ad puniendum vel emendandum ; *et confunde eos,* vel confusione salubri ad pœ-

Digitized by Google

nitentiam, vel confusione pœnali ad condemnationem : id est, impietatem eorum omnibus manifesta, eosque vitupera, increpa et convince; *et contere impios in loco suo,* id est, destrue et condemna : juxta *Ps. IX, 36.* illud Psalmi, Contere brachium peccatoris et maligni. Est tamen et bona impiorum contritio, qua eorum perversitas frangitur, sicque salubriter convertuntur. *Absconde eos in pulvere simul, et facies eorum demerge in foveam :* id est, ad libitum tuum, et usque ad extremum dejice eos, et subjice tibi, ita ut sub pulveribus deprimas eos, et vultus eorum in lacum demergas. Vel, Absconde eos in pulvere, id est, occide, ita quod sepeliantur etiam in terra, operiantur; et facies eorum, id est aciem vultumque mentis seu vires cognitivas, in foveam infernalem demerge.

Et ego confitebor, id est, clare testabor, *quod salvare te possit dextera tua,* id est, propria potestate possis salvari, non indigens meo auxilio, eo quod præfata opera Deo propria, queas peragere. In dejectione etenim superborum, omnipotentia Dei potissime commendatur atque clarissime demonstratur : quibus dejectio competit, quia inordinate se erigunt. Unde de superbis facit Dominus specialiter mentio- *Eccli. X, 15.* nem, quia superbia initium est omnis peccati, et Deus superbiam potissime de- *Amos VI, 8.* testatur, quia superbi Deo rebelles sunt, et quod ejus est, sibi usurpant, videlicet gloriam et honorem. Nam et terreni principes ac prælati subditos rebelles maxime abominantur. Denique rationali creaturæ, eo ipso quo creatura est, superbia omnino disconvenit. Siquidem eo ipso quo creatura est, indiget et dependet, nihilque boni a se ipsa habet; et quidquid boni est et habet, Creatori suo tenetur ut ei illud adscribat, subjiciat, atque in ejus honorem et cultum convertat. Hinc competit Deo omnes superbos simul dejicere, comprimere, et in infimo loco damnatos concludere tanto amplius, quo se extulerunt sublimius.

Deinceps Dominus excellentiam suam demonstrat in quibusdam suis operibus, quantitate et aliis quibusdam proprietatibus valde præcipuis, non quidem loquendo de illis secundum se, sed ut per ea, alia quædam natura exprimitur. Imo, ad litteram non est proprie sermo de illis, sed de re metaphorice figurata per ea, puta de dæmone : qui hic per maxima quædam bruta insinuatur, eo quod ab angelica corruens dignitate, in belluinam versus est immanitatem, monstruositatem ac rabiem. Propter quod in formis brutorum frequenter apparet, et eis assimilatur, atque eorum nominibus nuncupatur, videlicet serpens, draco, et generaliter bestia. Itaque, sicut in Isaia sub persona regis Babylonis, pro- *Is. XIV, 4-24.* pter ejus superbiam, et in Ezechiele sub persona regis Tyri, ob ejus inanem de sua *Ezech. XXVIII, 2-19.* sapientia in se ipso complacentiam, sacra Scriptura de diabolo loquitur, sic tamen quod multa in præfatis Prophetis contenta, de prædictis regibus possint exponi : aliqua vero ibi intermiscentur, quæ non nisi de diabolo proprie intelliguntur. Propter quod ibi principaliter etiam ad litteram de casu diaboli mentio fieri fertur. Ita in isto ac sequenti capitulo, sub nomine quorumdam brutorum, de diabolo determinatur, sic quod multa de brutis ipsis valeant accipi : aliqua vero addun- tur, quæ ipsis nequaquam conveniunt. Propter quod concludatur, quod de ipsis non sit principaliter mentio, sed de diabolo, cui illa proprie competunt, sicut in processu patebit.

Primo ergo loquitur Deus de Behemoth. Quo nomine doctores catholici communiter intelligunt elephantem : qui recte Behemoth appellatur. Nam Behemoth animal interpretatur. Porro inter animalia terrestria, quæ communiter animalia nominantur, elephas magnitudine et virtute valde excedit, ut quasi per antonomasiam animal nuncupetur. Præterea, sicut refert Albertus, Judæi affirmant, quod Behemoth sit bos, cujus corpus septem milliaria contineat, collum unum, et caput unum; sicque novem milliaria in universo contineat :

Digitized by Google

cujus cauda sit quasi silva cedrina. Sed, ut ait Albertus, istud omnino fabulosum, Judaicisque mendaciis est confictum. Concordat huic recitationi et Lyra : Judæi, inquiens, dicunt hic, quod Behemoth sit animal incredibilis magnitudinis, in tantum, quod in una die mille montium herbas depascit, atque in crastino herba renascitur in tanta magnitudine, ut præcedenti fuerat die; et quod Deus in resurrectione futura animal istud occidet, ejusque carnibus justi vescentur. Sed hæc stulta assertio, tam theologicæ quam philosophicæ veritati repugnat. Catholice ergo exponenda est littera.

Ecce Behemoth quem feci tecum. Hoc multipliciter explanatur. Si enim quod Dominus ait, Tecum, referatur ad ipsum Job, sensus est : Ecce elephas quem feci tecum, id est, sicut et te, quia te et illum formavi. Si vero quod ait, Tecum, referatur ad hominem indeterminate, vel præsertim ad hominem protoplastum, qui hic per Job designetur, sensus unus, qui nunc tactus, est, quia illum sicut et elephantem condidit Deus. Alius quoque est sensus, Quem feci tecum, id est, eodem die quo hominem primo produxi : quia, ut legitur in Genesi, sexto die factæ sunt bestiæ terræ et homo. Insuper, si per Behemoth intelligatur non ipsa figura, videlicet elephas, sed res figurata, puta diabolus ; difficultas occurrit, quomodo cum illo factus sit homo, quum ille factus sit in principio, quando creavit Deus cœlum et terram, scilicet primo die ; homo autem, ut dictum est, sexto die. Sed difficultas hæc facile solvitur, si, juxta Augustini doctrinam, illa dierum in Genesi enumeratio, non temporis successionem designat, sed diversa productarum genera rerum, secundum repræsentationem factam in cognitione mentis angelicæ. Si vero enumeratio illa (ut alii dicunt) temporis successionem importat, ita quod prius tempore factus est angelus, quam sit homo ; tunc verbum istud dupliciter potest intelligi : Primo, ut tactum est, Tecum, id est sicut te. Secundo, Tecum, id est cum te, quantum ad hoc quod similitudinem tecum habet in intellectuali natura : cujus similitudinis etiam aliquod vestigium in elephante (secundum Thomam) apparet. Dicit enim Philosophus octavo de Animalibus, quod silvestrium animalium maxime domesticabile est elephas. Siquidem ad multa instruitur, atque intelligit, et regem adorare docetur : quod intelligendum non est, quasi veraciter habeat rationem seu intellectum, sed propter bonitatem et eminentiam suæ naturalis æstimativæ, ita quod multum participat de ratione.

Gen. I, 24. Ibid. I.

Fœnum quasi bos comedet. Elephas enim herbis, granis ac terræ nascentibus vescitur sicut bos, non carnibus sicut leo. Porro diabolus per hoc animal figuratus, comedit fœnum, id est, terrenorum dominio delectatur. Homines quoque terrenis vitiis implicatos, spiritualiter devorat ac sibi incorporat : de quibus loquitur Isaias, Vere fœnum est populus. Ut autem Gregorius ait : Equi fœnum quantumlibet sordidum comedunt ; aquam vero non nisi mundam bibunt. Boves vero aquam quantumlibet sordidam bibunt ; sed fœno non nisi mundo vescuntur. Hinc diabolus bovi, non equo, hic comparatur, quia de eo dicitur per Prophetam, Esca ejus electa : quia videlicet virtuosos potissime cupit conterere.

Is. XL, 7. Habac. I, 16.

Fortitudo ejus in lumbis ejus. Hoc ideo dicitur, quia ex lumbis seu renibus semen ad membra generationi deservientia derivatur. Hinc ait Albertus : Fortitudo ejus, quantum ad masculum, est in lumbis ejus : quia in lumbis nervi sunt sensitivi, per quos semen a cerebro et corpore descendens, intimaque nervorum tangens, titillando libidinem concitat, atque in delectationes mentem inclinat, subvertit et vincit, quemadmodum septimo Ethicorum Philosophus ex Homero allegat : Doli complicatrix Venus, furata est valde sapientium mentem. Avicenna quoque disseruit, quod causa perversitatis in homine, est, quia quum intellectus sit de se rectus, conjungitur tamen imaginativo ac sensitivo, quæ

Digitized by Google

multiplicitate ac strepitu sensibilium delectabilium, eligentiam intellectus subvertunt.

Et virtus illius in umbilico ventris ejus: id est, magnam habet firmitatem corporalem in umbilico, quem tempore coitus superponit dorso femellæ : qui umbilicus si fortis non esset, ex concussione seu collisione corporum tam ingentium frangeretur. Albertus autem exponit sic : Virtus, id est ultimum seu maximum potentiæ illius, in umbilico ventris illius, quantum ad feminam. Matrix enim, cujus nervos tangit semen viri susceptum in coitu, conum habet ad umbilicum; et dum ibi nervi tanguntur, femina intense delectatur. Hinc ait Gregorius, seminaria coitus et luxuriam viris esse in lumbis, feminis autem in umbilico. Istud autem ad litteram de diabolo exponi non valet, corporaliter saltem ; sed ei ratione corporis sui, quod est collectio carnalium hominum, ista conveniunt : et ob id dicta sunt, quia in immunditia luxuriæ plurimum delectantur, et per eam generi humano maxime prævalent dæmones, præsertim quia hoc vitio inquinatos, ceteris quoque involvunt peccatis. Quamvis autem quidam dæmones incubi aut succubi nominentur, ita quod quidam eorum sæpe mulieribus sint molesti, secundum Augustinum quintodecimo de Civitate Dei : non tamen coitus secundum se eos delectat, quia quum incorporeæ sint naturæ, carnali voluptate non afficiuntur; sed ipsa turpitudo eorum complacet animo. Denique, quoniam per luxuriam homines magis possunt dejicere, fortitudo diaboli in lumbis ejus, quantum ad viros, consistere dicitur; et virtus illius in umbilico ventris sui, quantum ad feminas.

Stringit caudam suam quasi cedrum, id est, tempore coitus caudam suam inter posteriores tibias stringit : quod mystice dicitur, quoniam quos diabolus hoc peccato devincit, ipsa voluptate ligatos tenet, et in consuetudinem ducit. Albertus per caudam intelligit membrum genitale, eo A quod cauda omnium sit nervorum et ab extremitatibus omnium nervorum compositum. Quod vi delectationis strictum, omnes stringit nervos : quorum constrictione per totum corpus per concavitatem spongiositatemque nervorum semen exprimitur, et ad locum generationis deducitur, ut asserit Avicenna, sicut serum exprimitur de caseo. Comparat autem hoc constrictioni cedri, quoniam cedrus forte est lignum ; et quum premitur, succum emittit sanguineum. Unde, ex fortitudine, fortitudini B libidinis ; et ex succo sanguineo, comparatur semini generationis : quia, secundum Avicennam, semen superfluum est quartæ digestionis. Humor autem quartæ digestionis, ex sanguine exprimitur. *Nervi testiculorum ejus perplexi sunt,* id est, quasdam revolutiones habent nervorum, ut quarto de Animalibus Philosophus scribit de gressibilium et generantium animalium nervis. Ubi Albertus ait : Testiculi, ut Aristoteles dicit, semen attrahunt ut ventosa calore choleræ, de qua facti sunt, C sicut ventosa calore ignis immissi. Suspensi sunt autem in caudis nervorum; et nervi collimitati caudis suis, per totum corpus plexi sunt reticulatim, ut undique semen trahant et exprimant. Per hoc designatur, quod diabolus vitio isto fœdatos, etsi cessare conentur, diversimode eos vitio huic denuo implicat.

Ossa ejus velut fistulæ æris, id est duræ inflexibilesque, consistunt. Elephas enim habet pedes et tibias inflexibiles, similiter crura inflexibilia, unde quum cadit, nequit D resurgere ; ossaque solida habet, sine juncturis sive flexuris, ut gravissimum corpus magis sustentent. *Cartilago illius quasi laminæ ferreæ,* id est dura, nec de facili flexibilis, quemadmodum lamina seu magnum frustum ferri non faciliter incurvatur neque extenditur. Cartilago autem est, naris vel aurium vel alterius rei ossea teneritudo, vel os molle sine medulla, ut sunt extremitates costarum atque opercula ossium quæ moventur. Albertus ait : Cartilago medium est inter duritiam ossis

Digitized by Google

et mollitiem carnis, et a natura interponitur in juncturis laxis, ubi duo ossa conveniunt, ne se invicem tangendo, se frangant aut lædant. Per hoc obstinatio diaboli et crudelitas designantur. Cujus etiam ossa intelligi possunt peccatores feroces, iracundi et rigidi : qui æreis fistulis comparantur, quia immansivi et pertinaces existunt ; sed in profundum peccatorum venientes, contemnunt, nec pœnitent. Cartilago autem illius, sunt homines molliores, qui vitiis in se delectabilibus prorsus inhærent, ut sunt peccata gustus et tactus, ludi, joci et similes vanitates : qui etiam suis voluptatibus sic ligantur ac detinentur in malis, ut ferreis laminis comparentur. (Prov. xviii, 3.)

Ipse est principium viarum Dei. Ex hoc verbo et quibusdam sequentibus constat, quod ista non de elephante secundum se, sed ut est figura diaboli, et de diabolo tanquam re figurata principaliter proferantur. Non enim bestia illa, sed diabolus principium viarum est Dei, id est quoddam principium atque præcipuum inter cetera Creatoris. Nam inter angelos et cum illis est conditus. Princepsque dæmonum summus fuisse creditur angelicorum spirituum. Qui etiam principium viarum Dei asseritur, quia primo exstitit causa, quod Deus circa intellectuales creaturas non solum via misericordiæ, quæ sibi proprie competit, usus est, sed et via ulciscentis justitiæ, quod ex creaturarum perversitate contingit. Ille enim diabolus primo peccavit, aliisque peccandi fuit occasio. *Qui fecit eum,* id est Deus creator diaboli, quantum ad bonam ejus naturam : quo verbo vilissima Manichæi destruitur hæresis, duo principia effectiva ponentis ; *applicabit gladium ejus :* id est, secundum sapientiæ suæ censuram justitiæque dictamen determinabit et ordinabit, quantum diabolus sua potestate, crudelitate seu tentatione homines impugnet, ne scilicet ultra vires tententur. Nam et per angelos sanctos dæmonum potestatem coercet, ne pro suo libito nos impugnent. Propter quod ait Apostolus : Fidelis Deus, qui non patietur (I Cor. x, 13.)

A vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere. Deus enim tanquam sapientissimus ac fidelissimus omnium moderator, humanam fragilitatem cognoscit, et uniuscujusque dispositiones ac vires attendit, quantumque invisibilis ille hostis homine fortior, industriosior, infatigabilior sit, perpendit. Ideo applicat gladium ejus modo prætacto.

Huic montes herbas ferunt. Si ad elephantem referatur, sensus est, quod in B montibus nascuntur gramina quibus nutritur. Quantum vero ad diabolum, sensus est, quod montes, id est superbi et magni in sæculo isto, pariunt ei delectationis seu refectionis materiam, complendo ipsius voluntatem. Præsertim quoque id agunt prælati et principes negligentes seu impii, qui subditos suos diabolo escam ac prædam efficiunt, dum eos in peccatis enutriunt, aut certe non corrigunt, juxta illud Jeremiæ : Quia stulte egerunt pastores, et (Jer. x, 21.) Dominum non exquisierunt, ideo dissipa- C tus est omnis grex eorum. Unde in Joanne loquitur Christus : Mercenarius fugit, quia (Joann. x, 13, 12.) mercenarius est ; et lupus rapit et dispergit oves.

*Omnes bestiæ agri ludunt * ibi,* scilicet (* ludent) in montibus coram elephante. Nam bestia illa, animalia alia non manducat. Ideo cum ipso morantur, quia non nocet eis, ut dicitur. Porro, quantum ad dæmonem, sensus est, quod bestiæ agri, id est homines bestialiter conversantes ibi, videlicet sub potestate et protectione montium jam di- D ctorum seu dominorum pravorum, ludunt et inaniter gloriantur : quemadmodum Daniel habet, quod sub arbore, per quam (Dan. iv, 9, 18.) rex Babylonis exprimitur, omnes bestiæ habitabant. Iterum, bestiæ sunt dæmones, de quibus cantamus : Ne tradas bestiis (Ps. lxxiii, 19.) animam confitentem tibi. Ager vero mundum significat, ut Matthæus asserit. Be- (Matth. xiii, 38.) stiæ ergo agri, sunt dæmones hominum tentatores : quos etiam Apostolus mundi (Ephes. vi, 12.) rectores appellat, hoc est hominum mundanorum. Hæ bestiæ in montibus, id est

Digitized by Google

præfatis impiis hominibus, ludunt : quia A de eorum pessima vita lætantur, et ad omnem eos insaniam trahunt, vanissimisque occupationibus mancipant. Ideo Psalmista
Ps. xxiv, 3. oravit : Neque irrideant me inimici mei.
Eccli. xxiii, 1, 3. Et in Ecclesiastico scriptum est : Domine pater, ne derelinquas me, ne gaudeat inimicus meus.

Sub umbra dormit in secreto calami in locis humentibus. Hoc de elephante Thomas pulchre exponit, dicendo secundum Aristotelem, libro de Animalibus : Elephantes in solitudine manent, potissime B circa fluvios, quoniam ibi sunt arundineta et salices, ac loca umbrosa. Sicque dormit ibidem sub talium umbris, inter secreta loca calamorum sive cannarum, in locis humidis circa fluenta, quum sit animal naturaliter siccum et calidum : propter quod talia refrigeria quærit. *Protegunt umbræ umbram ejus :* id est, condensam umbram exquirit, ut scilicet diversarum rerum umbris contra æstum protegatur : quarum umbrarum una sit superior, tanquam ab altioribus causata arboribus. Ideo subdi- C tur : *Circumdabunt eum salices torrentis,* id est arbores sic vocatæ, quæ circa torrentes nascuntur : quarum umbras, quia densiores ac frigidiores sunt umbris calamorum sive arundinum, elephas quærit, et juxta arbores tales quiescit. Ad litteram quoque loca quærit umbrosa, quoniam melancholicum animal est et siccæ complexionis. Per quæ insinuatur, quod diabolus in hominibus otiosis et voluptuosis mansionem sibi constituit in secretis concupiscentiarum latibulis. Qui homines contra D labores pœnitentiales et æstus pugnarum, quibus adversus humanæ salutis hostes pugnatur, umbras carnalium deliciarum et refrigeria pausationis accediosæ optant et amplectuntur, ita quod umbra super umbram oritur eis. De quibus cantatur in
Ps. lxxii, 5, 7. Psalmo : In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur. Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum ; transierunt in affectum cordis. Denique, salices sunt arbores infructuosæ : per quas homines vitiosi, a bonis operibus steriles, designantur. Qui omnes diabolo se adjungunt, et illum quasi circumdant, quemadmodum justi Deum, secundum illud Psalmi : Sy- Ps. vii, 8.
nagoga populorum circumdabit te.

Absorbebit fluvium, et non mirabitur. Hoc dicitur ad innuendum quod animal istud singulariter multum bibit, quum sit siccum et calidum, et maximæ quantitatis. Ait namque Philosophus libro de Animalibus, quod elephas quidam potavit quatuordecim Macedonicas metretas pro semel, et iterum sero alias octo. Ideo per hyperbolen dicitur, Absorbebit fluvium, id est, insolite multum bibet : sicut de homine multum vorace asserimus, quod solus comedet totum ; quemadmodum etiam in Joanne de Christo aiunt Pharisæi, Ecce totus mun- Joann. xii, 19.
dus abiit post eum. Simili sensu subjungitur : *et habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus :* id est, multum poculum præstolatur et appetit, quasi confidat et cupiat se fluenta exhaurire. Fiducia itaque hic pro naturali seu animali exspectatione accipitur.

Mystice, diabolus absorbet fluvium, id est multitudinem hominum instar fluminis abundantium ac instabilium ; nec miratur, id est, pro magno non habet, quod tales spiritualiter devorat ad vitia inducendo ; sed habet fiduciam quod influat Jordanis, id est collectio hominum quibus inest Dei cognitio : qui per Jordanem fluvium terræ promissionis signantur, in qua Dei vigebat notitia ; in os ejus, quia et tales præsumit ac studet dejicere. Vel, per fluvium designantur increduli, in quibus nulla est virtutum stabilitas ; per Jordanem, in quo baptizatus est Christus, fide- Matth. iii, 13.
les : et utrosque invadit diabolus, illosque universos absorbet, et horum plurimos vincit. Rursus, per fluvium sæculares, per Jordanem religiosi intelliguntur. Diabolus itaque sæculares fallit et superat ; nec miratur, quia hoc magnum non arbitratur ; sed habet fiduciam, quod religiosos quoque valeat devorare : imo quo aliquem viderit virtutibus magis studere, eo invi-

Digitized by Google

diosius atque callidius nititur eum prosternere. Ad quantam vero ruinam plurimos religiosorum dejecerit, tam lamentabile quam clarum est intueri.

In oculis ejus, videlicet elephantis, *quasi hamo capiet eum* venator. Unus quippe modus capiendi hanc bestiam est, quod in via ejus fit fovea, cui aliquid superponitur, cui et cibus superponi solet. Itaque elephas super locum illum deveniens ruit in foveam, et capitur tali dolo, quemadmodum piscis hamo. Insuper, elephante sic lapso, unus venator accedens, pungit et percutit ipsum. Alter autem venator adveniens, volens bestiam sibi facere mansuetam ac subditam, percutit primum venatorem, et amovet ne percutiat elephantem, datque ei comedere hordeum. Quod quum ter vel quater peregerit, elephas diligit se juvantem, atque deinceps ei obediens mansuescit : sicque capitur per cibum sibi oblatum, sicut piscis per hamum, in quo esca ostenditur, et aculeus occultatur. Per quod mystice figuratur modus, quo per Christum superatus est dæmon. Christus enim corpus suum passibile objecit diabolo : quod ille occidi procurans, captus et victus est eo, quod velut escam invasit, videlicet corpore seu morte corporis Christi, quod Christus velut escam diabolo demonstravit : qui aculeo corporis hujus, hoc est virtute divinitatis Christi, seu merito obedientiæ ejus, transfixus est instar piscis hamo detenti.

Et in sudibus perforabit nares ejus. Hoc dupliciter explanatur. Primo, quod elephante præfato modo in foveam lapso, primus venator sudibus seu palis perforat nares ejus, quia sunt molliores, ideoque magis læsivæ. Secundo, ut his verbis tangatur alius modus capiendi elephantem. Nempe, ut libro de Animalibus Aristoteles refert, venatores equitant elephantes domesticos, sicque insequuntur elephantes silvestres, et instrumentis quibusdam acutis pungunt eosdem, naresque perforant. Sic Christus suis virtutibus prostravit diabolum.

A Quæ autem hic de diabolo sub figura elephantis exposita sunt, Albertus ad litteram exponit de natura animali et brutali exsistente in homine, puta de sensualitate. Quæ vero consequenter de diabolo dicuntur sub nomine Leviathan, vel sub figura ceti, ipse exponit de infectione sensitivæ partis in homine a dæmone seu serpente. Sed littera non videtur ad hoc consonare, nec congrue applicari, quemadmodum totum ejus processum consideranti patescit. Philosophantes autem Judæi, ut Moyses
B Ægyptius, Abraham Hispalensis, Isaac et Jacob Alkindi, per Leviathan intellexerunt malitiam privationis infusam in totam materiam, secundum eos : quod textui minus concordat.

Consequenter Dominus describit proprietates diaboli sub nomine et similitudine ceti, qui inter omnia animalia marina, quantitate ac potestate excedit, et alios devorat pisces : propter quod convenienter designat diabolum, qui naturali potestate homines superat universos, et devorat plu-
C rimos. Porro, quod ista non sint principaliter de ceto, sed de diabolo dicta, patebit ex subditis. Rursus, ut ait Albertus, fabulosum et stultum est dictum Judæorum, dicentium quod Leviathan sit serpens seu piscis, circulo sui corporis totum terræ cingens seu ambiens globum : qui solem et radios ejus apprehendere nititur atque vorare, sicque solem in circuitu suo semper exagitat fugientem.

An extrahere poteris Leviathan hamo? quasi dicat : Nequaquam valebis cetum de
D aquis per hamum extrahere, quum sit tantæ magnitudinis, ponderositatis ac roboris. Congrue quoque cetus vocatur Leviathan, quia Leviathan interpretatur, additamentum eorum. Cetus autem multo major est quantitate, quam aliquis piscis, aut etiam animal quodcumque terrestre : siquidem, Plinio testante, occupat spatium quatuor jugerum ; et juxta Isidorum, cetus habet corpus tam grande ut mons. *Et fune ligabis linguam ejus?* id est, non poteris eum capere per funem in lingua sua, quemad-

Digitized by Google

modum aliqui alii pisces capi solent per A funem hamo appensum, cujus aculeus intrat linguam piscis, qui capitur, sicque tentus extrahitur. Per quod mystice insinuatur, quod diabolus humana potestate sine Dei gratioso auxilio superari non valet, nec a suis suggestionibus impediri, neque ex hominum cordibus extrahi; sed Dei virtus et gratia exiguntur: cujus auxilio faciliter superatur, juxta illud ad Romanos, Deus conteret Satanam sub pedibus vestris velociter. Itaque Christus, ejusque virtute ministri ipsius, hamo extraxerunt B Leviathan, quia per Christi passionem prostraverunt diabolum, et de hominum cordibus ejecerunt, ejusque suggestiones et præsumptiones compescuerunt. Unde in Luca loquitur Christus discipulis: Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones, et supra omnem virtutem inimici. Insuper, passione instante, asseruit: Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras; et: Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum. Hoc est quod ad Colossenses ait Apostolus: Exspo- C lians principatus et potestates, traduxit confidenter. Itaque, fune, id est fide et merito dominicæ passionis, ligata est lingua diaboli, superaturque ipse a veris Christicolis.

Rom. XVI. 20.

Luc. X. 19.

Joann. XII, 31, 32.

Coloss. II. 15.

Numquid pones circulum in naribus ejus? id est, ferreum seu alium circulum in naribus ceti ponere nequis, ut sic eum cogas tibi servire et subdi: quemadmodum homo compellit bubalum sibi servire ac subjici, mittendo annulum ferreum in naribus ejus, quo facto, circumducit eum D quo vult. *Aut armilla perforabis maxillam ejus?* tanquam dicat: Non potes hoc. Et sumitur hic armilla pro hamo, seu freno vel camo, quo equus vel camelus dirigitur ad hominis voluntatem: quorum maxillæ quasi perforari videntur, dum in eorum ore frena vel cami mittuntur. Per quod figuraliter datur intelligi, quod homo diabolum nequeat ad libitum suum deducere, ad serviendumve cogere propria et humana virtute: sed Christus sua potestate hoc egit: qui circulum posuit in nare diaboli, id est, divinitatis suæ omnipotentia, imo et creatæ suæ sanctitatis efficacia, malignitatem astutiamque diaboli refrenavit. Armilla quoque, id est sanctissimæ conversationis ac amarissimæ passionis suæ dignitate, virtute ac merito, sic dejecit et vulneravit diabolum, ejusque perforavit maxillam, id est devorativam calliditatem, quod etiam eos quos dudum absorbuit, perdidit; et quos absorbet, frequenter amittit, dum peccatores veraciter pœnitent et salvantur: quemadmodum, perforatis maxillis, cibus ex ore dilabitur. Siquidem, per maxillam esca sub dentibus continetur, ne excidat, sed masticetur. Idcirco designat malignitatem et dolum diaboli, quibus peccatores sub suæ crudelitatis dentibus continet; sed virtute et merito Christi eripiuntur quamplures, ut David quum homicidium et adulterium commisisset. Nam et passio Christi fecit quodammodo adhuc futura et exspectata ac credita, quod fecit præsens atque præterita. Denique, juxta hunc modum loquendi, superbissimo regi Assyriorum Dominus loquitur per Isaiam: Ponam circulum in naribus tuis, et frenum in maxillis tuis.

II *Reg.* XI, 24. 4.

Is. XXXVII. 29.

Numquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur tibi mollia? Numquid feriet tecum pactum, et accipies eum servum sempiternum? Quantum ad cetum, sensus est facilis, quod scilicet tantæ est fortitudinis, ut nihil curet de homine, nec timeat eum. Idcirco non deprecatur eum, neque blanditur ei, ne capiatur ab eo; nec fœdus amicitiæ facit cum homine, nec promittit ei perpetuam servitutem. Et hæc quatuor interdum se per ordinem habent: ut dum quis ex timore vel necessitate victori porrigit preces, deinde blanditur, tertio ad pactum suscipitur, et postremo per pactum perpetuæ servituti subjicitur. Per quæ omnia, secundum Thomam, datur intelligi, quod diabolus hominem secundum se seu naturalia sua non metuit, ut ei quasi superiori aut fortiori preces vel blandimenta, pactum aut servitutem exhibeat:

et si tale quid fingat, facit hoc ad hominum deceptionem, ut ipsi potius sibi subdantur, quam eis ipse. Verumtamen diabolus homines quosdam timet propter dona supernaturalia eis divinitus data : propter quæ aliquando quosdam precatus est, et quibusdam obedire atque servire frequenter compulsus est. Unde et Christum in Evangelio scribitur deprecatus, dicendo : Si ejicis nos, mitte nos in porcos. Mollia quoque diabolus Christo dixit, juxta illud Marci, quo ait ad Christum : Scio quia sis Sanctus Dei. Et iterum : Jesu, Fili Dei summi, venisti ante tempus perdere nos? In hoc demum, secundum Gregorium, diabolus quodammodo ferit pactum cum Deo, quod ex ejus licentia homines tentat ; sed et divinæ justitiæ in punitione pravorum subservit. Christus vero omnem dæmonum turbam habet æternaliter subditam. Unde in Evangelio, pandens se diabolum superasse, testatur : Quum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet ; si autem fortior illo superveniens vicerit eum, universa ejus vasa diripiet, et spolia distribuet.

Matth. VIII, 31. *Marc.* I, 24. *Ibidem : Matth.* VIII, 29. *Luc.* XI, 21, 22 : *Matth.* XII, 29.

Numquid illudes ei quasi avi? id est, fraude eum non poteris in tuam redigere potestatem, quemadmodum homo avi illudit, dum eam per retia capit. Tale autem quid ceto inferre, non est unius hominis, quamvis interdum a pluribus per quasdam capiatur industrias. *Aut ligabis eum ancillis tuis?* id est, non poteris cetum ligare, ut ei ancillæ tuæ alimenta ministrent, vel secum exerceant ludum, sicut cum ave quæ capta ligatur ut cum ea ludatur. Quibus verbis subtilitas, experientia atque calliditas dæmonis designantur : quæ tantæ sunt, quod ipse humana industria circumveniri non potest aut vinci, nec aliis illudendus præberi. Sed Christus eum vere, virtuose ac sapienter, juste multipliciterque decepit, dum et Matrem Virginem habuit desponsatam, et in Ægyptum confugit, atque in trina tentatione ita respondit, quod diabolus recessit convictus, ambiguus seu deceptus : sed et tempore passionis maxime eum fefellit, in tantum, ut Judæos ad crucifigendum instigaret, et in ipsa passione formidans, uxorem Pilati, ad rogandum pro Christi ereptione, graviter hortaretur. Denique ancillis suis Christus illum ligavit, dum tot personis feminei sexus potestatem et gratiam prævalendi dæmonibus contulit. Nam et infirma et abjecta ac contemptibilia stultaque mundi elegit Deus, ut confundat sapientes, ut ait Apostolus.

Luc. I, 27. *Matth.* II, 14. *Luc.* IV, 13. *Matth.* XXVII, 23. *Ibid.* 19. I *Cor.* I, 27, 28.

Concident eum amici, divident illum negotiatores? Hoc uno modo interrogative et negative exponitur, ut sit sensus, quod tanta sit ceti magnitudo, ut aliquando captus, toti regioni sufficiat. Ideo nec particulariter inter amicos dividitur, nec a negotiatoribus carnes ejus venduntur. Per quod insinuatur, quod dæmonis malitia tam plena est terra, ut nequaquam oporteat unum hominem alteri dæmonis auxilium adipisci, præsertim quum ipse tam pronus sit omni malevolo cooperari. Secundo exponitur affirmative. Non enim ceto capto homines vesci possunt, nisi ejus corpus aliquo modo dividatur seu concidatur. Unde et negotiatores aliqua ejus frusta alicubi vendere possunt. Sic et dæmon conciditur, dum per prædicationes, preces et merita amicorum Dei, membra ipsius ab ipso tolluntur : dum scilicet impii convertuntur. A negotiatoribus quoque dividitur, quum per prædicatores et prælatos, quibus ait Salvator, Negotiamini dum venio, in diversis mundi partibus diversi peccatores ad justitiam reducuntur. Tales quippe negotiatores de talentis seu donis sibi concessis spirituale lucrum faciunt ac reportant, dum verbum et exemplum aliis exhibent ; atque ab eis spiritualem referunt fructum, dum et illi proficiunt, et isti participes fiunt profectus illorum. Hinc de Ecclesia Proverbiorum ultimo legitur : Facta est quasi navis institoris de longe portans panem suum.

Luc. XIX, 13. *Prov.* XXXI, 14.

Numquid implebis sagenas pelle ejus? quasi dicat : Non. Si enim capi a te non potest, consequens est, quod nec pelle

Digitized by Google

ejus retia tua implebis. *Aut gurgustium* A *piscium*, id est instrumentum piscatorum, virgis perplexum, in profundum gurgitis positum ad pisces capiendos, *capite illius?* id est, tam magnum est caput ceti, quod intrare non valet hujusmodi instrumentum, ideo capite ceti non potest impleri. Gurgustium autem est nomen fictum a sono, secundum Albertum, quoniam aqua currens inter capedines*, gurgur sonat. Vel, gurgustium a gurgite, in quo ponitur, nominatur. Præterea Thomas refert, quod maximi ceti, longissimis culmis quos B habent dum dormiunt in rupibus, pendent ad saxa, ut dicitur; tuncque appropinquans piscator, quantum potest de pelle ceti solvit, seu deponit, a lardo ejus circa caudam. Est enim animal valde pingue, ita quod propter pinguedinem incisuram talem non sentit. Sicque immissis funibus, quos ligat ad saxa vel arbores, excitat cetum lapidibus fundæ: qui cetus recedendo pellem dimittit.

*crepidines

Per quæ datur intelligi, secundum Thomam, quod diabolus virtute humana ne- C quit includi, sicut quidam necromantici se dæmonem posse includere opinantur; sed totum hoc, quod sic includi videtur, ex ejus venit astutia, qua utitur ad homines decipiendos. Imo, si recte pensetur, omnia præinducta pertinere videntur ad præsumptionem necromanticorum confutandam, qui nituntur cum dæmonibus pactum inire, vel eos sibi subjicere aut qualitercumque constringere. Rursus per ista innuitur, quod non humana, sed divina virtute ac gratia, sagena, id est Ecclesia, D ejusque gurgustium, id est occulta loca, claustra, collegia, pelle et capite ceti, id est simplicioribus, itemque prudentibus secundum carnem et sæculum peccatoribus, adimplentur, quando hujusmodi peccatores convertuntur, et Christo atque Ecclesiæ incorporantur.

Pone super eum manum tuam: id est, si potes, tua virtute vince et comprime cetum. Quo insinuatur, quod homo propria vi nequeat dæmonem conculcare. Itaque nemo præsumat, neque de propriis viribus stulte lætetur, putando se sine gratioso Dei subsidio posse reluctari aut prævalere diabolo. Unde Dei est ponere manum super illum, quia ad libitum reprimit ejus malitiam et virtutem. *Memento belli*, id est disputationis istius meæ adversum te de prædictis meis effectibus, in quibus tibi probavi quanta sit mea excellentia atque perfectio super te. Vel, Memento belli, id est, attende quomodo ego contra diabolum pugno atque prævaleo. Vel, Memento belli, id est impugnationis qua te diabolus impugnavit, omnia tua tibi tollendo, teque corporaliter vulnerando, ac per hoc contra tuam rationem bellando. *Nec ultra adjicias loqui*, id est, de cetero non loquaris incaute aliquid proferendo, quod videatur meæ sapientiæ aut justitiæ derogare, quum videas te, non solum me, sed et effectibus meis tam infirmiorem seu inferiorem.

Ecce spes ejus frustrabitur eum, id est, cetus effectu suæ exspectationis privabitur. Dum enim pisces insequitur, illis ad littora fugientibus, impingit ad terram seu littus, ubi aquis sibi deficientibus, redire non potest ad profunda aquarum neque recedere, unde nec pisces tales apprehendit; sed super aquam apparens, ab hominibus undique accurrentibus præcipitatur in mortem. Ideo subditur, *et videntibus cunctis* qui adsunt, *præcipitabitur:* quia ab eis occiditur. Sic diabolus spe sua frustratur, quia dum electos et virtuosos devorare conatur, ab eis magis prosternitur atque affligitur, dum ei efficaciter renituntur: qui in die judicii cum omnibus suis præcipitabitur in infernum in omnium conspectu Sanctorum.

Digitized by Google

ARTICULUS LXIX

ELUCIDATIO CAPITULI QUADRAGESIMI PRIMI : NON QUASI, ETC.

PROSEQUITUR Dominus isto capitulo A proprietates diaboli sub similitudine ceti. *Non quasi crudelis suscitabo eum.* Quamvis hoc de ceto aliqualiter possit intelligi, ut Dominus asserat se tantam belluam tot piscium devorativam, non ex crudelitate creasse, quasi in marinorum devoratione animalium glorietur, sed potius propter complendum ordinem rerum, et ad suæ potestatis ac sapientiæ ostensionem, honorem et gloriam, ut ex tam mirabilis belluæ consideratione sagaci, Creatoris eminentiam laudemus immensam; convenientius tamen istud de diabolo explanatur. De quo Dominus protestatur : Non quasi crudelis, id est non ex aversione, duritia vel crudelitate, suscitabo eum, id est, diabolum ad tentandum et affligendum homines in hoc sæculo licentiabo, et eum in illos debacchari permittam, nec ex crudelitate tantam diabolo contuli potestatem; sed ut pius et sapiens pater ac judex, sic ago et ita me habeo, ut homines per diaboli impugnationem probati exercitatique fiant, a suis quoque peccatis per ejus afflictionem purgentur, atque ad ampliorem gratiam præparentur, Deum invocare assuescant, timorati, solliciti, anxii consistant, a futuris pœnis eripiantur, et postremo ad gloriam celerius perducantur, præsertim quum pœnæ vitæ præsentis sint medicinales. Hinc
Sap. I, 13. Sapiens dicit : Deus non lætatur in perdi-
Tob. III, 22. tione viventium. Tobias quoque : Non delectaris in perditionibus nostris. Denique verbum istud respondet ad id quod Job
Job XXX, 21. dixit Deo : Mutatus es mihi in crudelem, et in duritia manus tuæ adversaris mihi.

Quis enim resistere potest vultui meo, id est præsentiæ seu providentiæ vel animadversioni meæ ? quasi dicat : Quum sciam me esse omnipotentem, cui nullus valet resistere, ideo pium me cunctis exhibeo, et infirmioribus clementem me præbeo : nec dæmonem pro suo libito desævire in homines sino ; sed potestatem et voluntatem ejus coerceo, prout homines posse ferre intueor. Ad majestatem equidem misericordia maxime pertinet. Hinc Jeremiæ Dominus loquitur : Quis similis Jer. XLIX, 19.
mei? et quis sustinebit me? et quis est iste pastor qui resistat vultui meo ? In Esther B quoque scribitur : Domine, rex omnipotens, Esther XIII, 9.
in ditione tua cuncta sunt posita, et non est qui tuæ possit resistere voluntati. Itaque, quo quis aliis major est atque potentior, tanto sit eis benignior : nihilo minus debito rigore ac ordine disciplinæ servato, quia et hoc ad verissimam pertinet pietatem.

Quis ante dedit mihi, ut reddam ei ? id est, primus sum omnium, independens, non indigens. Ideo nulli sum obligatus, sed quidquid bonitatis vel innocentiæ alicui C inest, meum est donum. Idcirco crudelitati adscribi non potest, quod innocentes et virtuosos tentari et flagellari permitto vel facio : imo quia omnia feci, omnia quantum ad id quod sunt amo. Hinc ad Romanos ait Apostolus : Quis prior dedit illi, et retri- Rom. XI, 35, 36.
buetur ei ? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia. Sapiens quoque dicit Deo : Diligis omnia quæ sunt, et nihil Sap. XI, 25.
odisti eorum quæ fecisti. *Omnia quæ sub cœlo sunt, mea sunt* jure creationis, conservationis et gubernationis. Ideo non cru- D delitatis, sed pietatis et caritatis animum ad meos gero effectus. Imo, hoc modo omne creatum est Dei ; sed de his quæ sub cœlo sunt ideo Dominus loquitur, quia de

Digitized by Google

Leviathan e cœlo in inferiora projecto, et de eis quos tentat in terra manentibus, sermocinatur.

Insuper pandit, quod non ex crudelitate sinit diabolum homines impugnare. *Non parcam ei verbis potentibus, et ad deprecandum compositis,* id est, propter nulla ipsius verba parcam diabolo, sive sint verba potestatem suam præferentia, sive humiliationem quamdam sonantia, quin ejus potestatem refrenem, impiamque ipsius puniam voluntatem. Interdum quippe ad deprecandum se convertit astute, ne a nocendo arceatur, vel ne gravius affligatur, (Luc. VIII, 28.) ut quum loquitur Christo : Obsecro te, ne me torqueas. Torqueri enim se insinuavit, si a nocendo cessaret. Inducta autem verba non sic intelligenda sunt, quod diabolus unquam veniam deprecetur peccatorum suorum a Deo, quum sit penitus induratus atque impœnitens. Ex hoc quoque verbo ostenditur, quod non sit jam de ceto principaliter mentio.

Quis revelabit faciem indumenti ejus? Hoc de ceto Thomas exponit sic : Super oculos ceti, ut dicitur, sunt quædam additamenta carnea seu plicæ in figura magnæ falcis ; suntque ducenta quinquaginta super oculum unum, et totidem super alterum : quibus utitur pro operculo oculorum suorum tempore magnæ tempestatis. Itaque, Quis revelabit, id est, a prædictis plicis deteget et detectam monstrabit, faciem indumenti ejus, id est faciem in qua habet has plicas velut quemdam vultus sui amictum ? quasi dicat : Nullus. Nemo enim tam prope audet accedere, quoniam devoraretur a ceto. Per quod innuitur, quod fraudulentias, duplicitates et callidas diaboli machinas nemo sufficit capere aut manifestare, nisi quantum revelaverit sibi (II Cor. II, 11.) Deus, quemadmodum ait Apostolus : Non ignoramus cogitationes ejus, puta diaboli, qui frequenter apparenti bonitate se vestit et palliat, ut sub specie boni decipiat, juxta id ad Corinthios : (Ibid XI, 14.) Ipse Satanas transfigurat se in angelum lucis. Hinc, secundum Gregorium, aliter religiosas, aliter sæcula-

A res tentat mentes. Malis enim hominibus prava quæ cupiunt, aperte objicit ; bonis vero latenter insinuans, sub specie sanctitatis illudit : illis tanquam familiaribus iniquum se manifeste insinuat; istis velut extraneis cujusdam quasi honestatis prætextu se palliat, ut mala quæ eis publice non valet, bonæ actionis tecta velamine, intromittat.

Et in medium oris ejus quis intrabit? Os namque ceti ita terribiliter dispositum, dentatum et magnum est, quod nullus au- B det accedere. Habet quoque (ut fertur) in gutture pellem, velut membranam multis meatibus perforatam, ne quid valde corpulentum possit ingredi ventrem ejus : quia per hoc impediretur ipsius digestio, si aliquid absorberet. Unde ad denotandum, quod nemo valeat os ceti intrare ad perscrutandum illos meatus, per quos parvi pisces in ejus ventrem descendunt, Dominus ait : In medium oris ejus quis intrabit ? Quo designatur, quod intentiones et verba diabolicæ suggestionis, quibus C homines absorbere molitur, homo nequeat penetrare, nisi sibi desuper reveletur : quales sunt viri exercitati, quibus data est gratia discretionis spirituum. (I Cor. XII, 10.)

Portas vultus ejus quis aperiet, id est duas mandibulas ceti, superiorem et inferiorem, quæ instar portarum aperiuntur et recluduntur? S. Thomas, per portas ceti, intelligit duos dentes extremos et maximos, quos habet ad modum dentium elephantis vel apri. Quo significatur, quod astutiam violentiamque diaboli, quibus velut duabus D portis peccatores intrahit sibi atque incorporat, nemo possit compescere aut scrutari, præsertim ad extrahendos peccatores ex eis, nisi quantum divina virtute fuerit ad hoc idoneus factus. *Per gyrum dentium ejus formido,* id est apparatus horribilis, quoniam ita dispositi sunt dentes ejus acuti, magni et solidi, ut adspicientibus horrorem incutiant. Pariformiter dentes, id est crudelissimi modi quibus dæmon nocet hominibus, exstant terribiles. Denique, dentes diaboli, sunt ejus ministri, vi-

Digitized by Google

delicet dæmones inferiores, hominesque A feroces, potissime impii doctores et prædicatores, prælati et principes, qui potestate aut calliditate alios ad peccata inducunt, sicque spiritualiter conterunt, et animarum strangulatores fiunt : propter quod fures et latrones vocantur. Joan. x, 8.

Corpus ejus quasi scuta fusilia, id est de ære fusa : quæ sunt fortissima. Sic corpus ceti robustum ac solidum perhibetur, propter squamas durissimas, quibus tegitur et quasi armatur. Hinc subditur : *et compactum,* id est connexum seu junctum, B *squamis se prementibus,* ita quod una venit super aliam ex aliqua parte. Etenim cetus, secundum magnitudinem sui corporis, maximas habet squamas sibi fortiter cohærentes, ut subditur. *Una uni conjungitur :* quia se invicem tangunt, et partim operiunt, scilicet circa extrema squamarum ; *et ne spiraculum quidem,* id est aer qui inspiratione attrahitur, *incedit per eas :* quia ob nimiam earum compressionem, non est ibi foramen per quod aer intret aut exeat. *Una alteri adhærebit* tenaciter, C potissime tempore sanitatis et roboris ceti ; *et tenentes se,* id est mutuo sustentantes ac confortantes, *nequaquam separabuntur,* durante vita sanitateque ceti.

Mystice, diabolus se habet ad homines malos et vitiosos, sicut caput ad corpus : nam influit eis motum ad vitia. Itaque homines mali, per cordis duritiam, et quia propriam ac aliorum culpam defendunt, palliant seu excusant, rite per scuta fusilia exprimuntur ; scutumque corporis diaboli asseruntur, qui jacula correptionis D se penetrare non sinunt, sed repellunt : et sicut corpus ceti compactum est squamis se prementibus, sic quilibet horum velut immunda et fœtida squama est, atque eorum multitudo ex multis qui in pravitate concordant, colligitur. Qui in tantum sibi in malis consentiunt, ut meliores concorditer persequantur, et bonis ordinationibus conformiter renitantur : ita ut ne spiraculum quidem incedat per eos, quoniam ita in vitiis indurantur, ut Spiritus Sancti instinctum non sumant, nec rationabilem admonitionem admittant ; sed unus alteri adhærebit, quia sibi invicem in pessimis favent et cooperantur ; et tenentes se, corroborando se mutuo in peccatis, nequaquam separabuntur, quousque impium affectum perducant ad opus. Sic Pharisæi et Sadducæi, quamvis inter se discordarent, in Christi persecutione concordabant. Et hæc est pessima atque damnanda concordia. Act. xxiii, 7, 8; Matth. ii, 7; xvi, 1.

Denique, S. Bernardus in quodam sermone, locum hunc convenienter et pulchre applicat religiosis, inter quos (ut adstruit) nonnunquam vitiosa reperitur quorumdam concordia : qui si forte viderint in fratre aliquo aliquid præcipuæ devotionis, singularisque gratiæ ac perfectionis in fervore, compunctione et lacrimis, interpretantur in malum, moleste ferunt, et fratrem hujusmodi persequuntur, singularitatisque arguunt. Hi tanquam perversi ac Deo ingrati, de pane vitæ faciunt sibi pabulum mortis ; et unde specialissime ædificari debuerant, inde deterius scandalizantur. Quod inde contingit, quoniam amore privato et passionibus ex eo nascentibus, præsertim spiritualibus vitiis, squalent, fœtent, putrescunt, alterius eminentiam ferre et adspicere non valentes. Ad veram ergo atque purissimam Dei ac proximi caritatem se dent, et de alterius profectu ac gratia velut de propria lætentur salute, attendentes quod ait Eusebius Emisenus, quia nisi claustrales proprias quotidie exstirpare studuerint passiones, et proprias rescindere voluntates, multo pejores fiunt in claustro, quam erant in sæculo.

Sternutatio ejus splendor ignis. Sternutatio est inflatio a pectore surgens, quæ ad exeundum apertos poros non inveniens, cerebrum ascendit ac tangit, et congesta per nares egrediens, totum caput protinus concutit, secundum Gregorium. Et, ut ait Albertus, sternutatio est purgamentum cerebri, quando fumositas ab infimis ad cerebrum elevata, panniculis cerebri in se collectis atque restrictis, ac subito dilata-

Digitized by Google

tis, per nares excutitur. Quum ergo caput ceti sit maximum, fortissimam habet sternutationem : ex qua fit aquarum commotio et elevatio, sicque apparet ibidem candor aquæ surgentis ad modum splendoris ignis. Rursus, sicut in hominis sternutatione magna ex concussione cerebri commoventur et oculi, ut quasi scintillent; ita ex sternutatione ceti fulgor quidam videtur micare ex oculis ejus : sicque sternutatio ejus dicitur splendor ignis, non per essentiam, sed per efficientiam seu effectum, quoniam causat splendorem. Per cujus sternutationem exprimitur mystice indignatio diaboli contra homines, quam in eos exsufflat : ex qua nonnunquam in hominibus ignis iræ, impatientiæ, concupiscentiæ generatur, dum ex diaboli tentamentis corda hominum taliter inflammantur, quemadmodum in libro Machabæorum
II *Mach.* IX, 7. de Antiocho scribitur, quia superbia repletus, ignem spirans animo, etc.

Refert hic Lyra, audisse se a quodam experto in mari homine veridico, quod in ripa maris juxta Portugaliam, fuit inventus cetus, de cujus lingua divisa onerati fuerunt viginti quatuor muli. Unde perpendi potest, quanta sit moles belluæ hujus.

Et oculi ejus ut palpebræ diluculi. Oculi namque sunt lucidi. Hinc ex oculis ceti, qui prægrandes sunt, claritas quædam diffunditur similis claritati auroræ, quæ tenebris permiscetur. Propterea oculi ceti apparent micantes. Palpebra vero est sinus oculorum, significatque locum lucis diluculi, qui oculis ceti propter claritatem hanc comparatur. Mystice, per claritatem oculorum ceti, naturalis perspicacitas intelligentiæ diaboli designatur. Naturalia enim, secundum divinum Dionysium, in dæmonibus integra ac splendida permanserunt. Verumtamen cognitio practica in diabolo penitus pervertitur et fuscatur per ejus malitiam, quam B. Dionysius nominat furorem amentem, phantasiam protervam, et concupiscentiam irrationalem. Idcirco lux intellectus diaboli, potius diluculo quam meridiei est comparanda. Lux autem mentis angelicæ, velut meridies perhibetur. Quidam quoque, per lucem oculorum ceti, intelligunt temporalem prosperitatem, quam homini promittit diabolus. Gregorius vero, per oculos diaboli, intelligit magistros consiliariosque erroris : qui aliquid veri dicere solent, cui falsa commiscent, quemadmodum lux auroræ mixta est tenebris noctis.

De ore ejus lampades procedunt, id est vapores copiosi et calidi : qui ex interiori ejus calore progrediuntur, atque ob suam caliditatem lampadi comparantur; *sicut tædæ ignis accensæ,* id est, vapores illi sunt odoriferi et suaves, quemadmodum tæda : quod est lignum quoddam, quod quum accensum fuerit, dulcem spargit odorem. Fertur namque de ceto, quia dum valde esurit, vaporem suavem instar odoris ambræ, ex suo ore emittit : quo odore pisces delectantur et attrahuntur; sicque os ceti introeunt, et devorantur ab ipso. Quo mystice denotatur, quod diabolus animarum damnationem esuriens, aliquid amœnitatis et delectabilitatis proponit eis in creaturis, quo alliciuntur, ac decipiuntur ab ipso, dum delectantur in creaturis non recte, secundum voluntatem et legem ac ordinem Creatoris. Hinc in Sapientiæ libro scriptum est : Creaturæ Dei factæ sunt in tentationem animæ hominum, et in muscipulam pedibus insipientium. *Sap.* XIV, 11.

De naribus ejus procedit fumus, id est vapor seu aer adustus ex abundanti calore ceti, quo indiget ut corpus suum tam grande queat movere. Habet namque pulmonem, atque respirat sicut delphinus. *Sicut est fumus ollæ succensæ atque ferventis,* id est rei contentæ in olla bulliente. Aer quippe qui per respirationem emittitur, in pulmone fuit, et calefiebat ibi per cordis calorem, qui pulmoni conjungitur : sicut aqua in olla calefit per hoc quod igni apponitur. *Halitus ejus,* id est exhalatio de ore ceti procedens, *prunas ardere facit,* id est, tam calidus est, quod ad prunas succendendas sufficeret : et loquitur ad similitudinem accendentium in sufflato-

Digitized by Google

rio prunas. *Et flamma de ore ejus egreditur,* id est tanti caloris fumositas, ut flammæ assimiletur. Per quæ omnia insinuatur, quod diabolus suis suggestionibus, tentamentis et machinis atque furoribus, hominum mentes velut prunas igne cupiditatis, flammaque vitiorum et fervore libidinis frequenter succendit. Unde per
Is. LIV, 16. Isaiam Dominus ait : Ecce ego creavi fabrum sufflantem in igne prunas.

In collo ejus morabitur fortitudo, id est, magnum et fixum robur habet in collo : aliter pondus tam magni capitis ferre non posset. Et, ut libro de Animalibus ait Philosophus, nullus piscis habet collum, nisi qui generat halitum, quales sunt delphinus et cetus ac alii quidam. Porro, per collum ceti, erectio diabolicæ pompæ exprimitur : cui conjuncta est magna naturalis fortitudo diaboli, de qua infra habetur, Non est potestas super terram quæ comparetur ei. Per collum quoque diaboli, intelliguntur aliorum subversores, qui communiter sunt potentes seu callidi : per quos diabolus suam exercet malitiam ac venena diffundit in alios, sicut per collum caput conjungitur corpori. *Et faciem ejus præcedet egestas :* id est, antequam cetus locum certum maris accedat, piscibus eum evacuabit. Quum enim sit corpulentissima et calidissima bestia, plurimo indiget alimento : ideo pisces sibi occurrentes absorbet, et inopiam quamdam facit in mari. Similiter faciem seu potentiam diabolicæ mansionis in anima, præcedit virtutum ablatio, et spiritualium bonorum carentia: quia mentem inhabitare non valet, nisi donis gratiæ antea spolietur. *Membra carnium ejus cohærentia sibi,* id est, membra corporis ceti fortiter sibi cohærent, quum sint spissa et grossa. Per carnes ceti, designantur carnales, qui facili inspiratione diaboli sensum ejus suscipiunt seu ei consentiunt, et molles sunt ad omnem impressionem ipsius : qui animales vocantur, quia, ut bruta, non sentiunt nisi quæ
I *Cor.* II, 14. carnis sunt, sicut ait Apostolus : Animalis homo non percipit quæ sunt spiritus Dei. Judas quoque in sua Canonica : Hi sunt *Judæ* 19.
qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes.

Mittet contra eum fulmina. Hoc Thomas exponit de ceto ita ad litteram, quod per fulgura divinitus missa, et in mare cadentia, sæpe naves periclitantur. Idcirco probabile est, quod et ceti quandoque per fulgura percutiantur. *Et ad alium locum non ferentur :* id est, fulgura ista a Deo emissa, certe et infallibiliter tangent cetum, contra quem destinantur, sicut sagitta a perito sagittatore ejecta, tangit id ad quod tangendum dirigitur. Sicque in Sapientiæ libro habetur : Ibunt directe *Sap.* V, 22.
emissiones fulgurum. Per quod mystice designatur, quod divinæ potestatis jaculis et flagellis seu ultionibus diabolus et ejus ministri dejiciuntur ac condemnantur, nec plagæ illæ alios tangunt. *Cor ejus,* scilicet ceti, *indurabitur quasi lapis,* id est, non facile cedet fulminibus, sed pro posse resistet ne corrumpatur, quemadmodum durum difficulter corrumpitur. Fortia etenim animalia, dum violenter tanguntur, vires suas quasi fortius colligunt et assumunt ad resistendum. Hinc subditur : *et stringetur quasi malleatoris,* id est percussoris vel fabri, *incus :* quod instrumentum ex ictibus malleorum non frangitur, sed consolidatur et strictius redditur. Sic cetus sentiens læsionem, totis viribus se opponit. Per quod, obstinatio, impœnitentia atque rebellio diaboli ac membrorum ipsius monstrantur : quia ex Dei percussione non corriguntur, sed indurantur, et reniti ac Deo prævalere, quantum in ipsis est, cupiunt.

Quum sublatus fuerit, timebunt angeli, et territi purgabuntur. Hoc verbo ostenditur, quod ista de ceto dicuntur, ut est figura diaboli, seu de diabolo sub nomine Leviathan pro ceto accepti. Quamvis etenim cetus sit magnum quid corporis mole, tamen respectu angelicæ dignitatis et perfectionis, quasi nullius reputatur momenti : imo homo, propter splendorem intellectus, omnibus brutis sublimiter præstat. Non ergo ob ceti sublationem seu

interfectionem, angeli sancti terrentur, A quum et cœlestes orbes, quorum comparatione non solum cetus, sed et tota terra ut punctum est, moveantur ab angelis. Unde unius belluæ occisionem pro nullo aut minimo reputant, sicut et nos unius occisionem parvipendimus pulicis. De diabolo ergo ista dicuntur, imo de principe dæmoniorum, de cujus sublatione seu expulsione a throno cœlesti, olim terrebantur angeli sancti, timore admirationis divinæ potentiæ et pavore reverentiali ipsius. Similiter omnes electi et Sancti, in die ju- B dicii de totali damnatione ac sublatione principis tenebrarum ministrorumque ejus admirabuntur atque timebunt, non pœnali, sed casto et sapientiali timore, infinitam Dei majestatem in suis effectibus non ignoranter, sed sapienter ac reverentialiter admirantes, eamque plene comprehendere non valentes. Unde et in Evangelio
Luc. xxi, 26. Christus Virtutes cœlorum dicit movendas; et in Præfatione cantamus, Majestatem tuam tremunt Potestates. Denique angeli taliter territi purgabuntur: et in casu C diaboli purgabantur, non ab immunditia culpæ, sed a minoratione perfectionis atque scientiæ, in quantum ex intuitione divinorum effectuum, aliquam sortiuntur illuminationem inferiores a superioribus, et superiores a Deo; vel omnes, quantum ad aliqua cognoscenda, immediate a Deo. Divinam autem excellentiam admirando, mox in ejus contemplatione refulgent, et quam jugiter in se ipsa conspiciunt, ex suis effectibus et in ipsa magis mirantur, quam in se sola. De hoc, sexto capitulo de D Divinis nominibus, D. Dionysius plenius loquitur.

Consequenter de ceto, ut est figura diaboli, loquitur. *Quum apprehenderit eum gladius,* id est, si quis gladio cœperit cædere cetum, *subsistere non poterit* ipse gladius, *neque hasta, neque thorax :* hoc est, sive gladio, sive lancea, aut thorace percutiatur, non ei nocebit: imo instrumenta ista frangentur propter duritiam corporis ceti, præsertim quum dictum sit, quod corpus ejus sit quasi scuta fusilia, et densissimas atque compactissimas habeat squamas. *Reputabit enim ut paleam* ferrum, et quasi lignum putridum* reputabit *æs :* id est, nec ferrea nec ænea instrumenta sibi ostensa timebit aut fugiet, quia his aut non, aut difficulter lædi valet. Per quæ insinuatur, quod nulla potestate humana dæmoni possit quis prævalere : et si orationibus et virtutibus Sanctorum superetur, hoc divina et increata virtute principaliter agitur; non ut talia ex humana potentia oriuntur, imo potius in quantum a Spiritu Sancto principiantur, qui in omni actu meritorio motor est principalis.

Vers. 6.

*quasi paleas

Non fugabit eum vir sagittarius : quia sagittas non timet, quasi ab eis lædi non valens. Verumtamen, ut narratur, quamvis talia non formidet, nihilo minus projectione spiculorum, quæ non avertit nec fugit, tandem vulneratur ac moritur, atque ad littus mortuus trahitur. *In stipulam ei versi sunt lapides fundæ :* id est, non plus curat aut metuit ictus lapidum fundæ, quam stipulam. Ictibus enim saxorum, quæ per fundam projici possunt, non læditur, quum tantæ sit duritiæ atque pinguedinis. Porro spiritualiter, viri sagittarii sunt prædicatores idonei, qui ex corde et ore velut ex arcu, verba acuta ac penetrativa audientium cordibus imprimunt et infigunt. Lapides vero fundæ, sunt exemplaria ac solida opera Sanctorum : et frequenter contingit, quod nec sanctis verbis, nec virtuosis operibus diabolus sic frenatur, quin tentet ac renitatur, saltem ad tempus; imo virtuosos sæpe gravius importuniusque infestat. Funda autem, intellectus constans ac eruditus et practicus est, qui opera virtuosa emittit. *Quasi stipulam æstimabit malleum :* id est, propter duritiam squamarum, quibus armatur, et spissitudinem atque pinguedinem cutis ac corporis sui, verbera malleorum non curat, nisi forte talia verbera diutius continuarentur, præsertim super eamdem corporis partem. *Et deridebit vibrantem hastam :* id est, si quis comminetur ei, quod hasta

Digitized by Google

eum velit invadere, non timebit, quia perforari ita non potest. Hæc quoque dicuntur, ad insinuandum audaciam ceti : secundum quod aliqua talia de equo superius (Job xxxix. 21. 22.) dicta sunt. Unde per ista innuitur, quod nullo hominis conatu aut comminatione diabolus superetur, nisi virtute Spiritus Sancti.

Sub ipso erunt radii solis, id est, eos non appretiabitur, nec eorum decore allicitur ut vincatur ; *et sternet sibi quasi lutum aurum,* id est, pro nihilo reputat aurum, sed spernit et subjicit illud suæ æstimationi, sicut parvi penditur lutum. Per quæ insinuatur, quod nullius rei corporalis pulchritudine aut pretiositate subdatur vel attrahatur, ita quod superetur : et hoc, in quantum res illæ sunt pulchræ et pretiosæ, non autem in quantum sunt ipsius nutritivæ. Insuper, per hæc signatur, quod corporalium rerum pretiositate et pretio diabolus non attrahatur, ut subdat se homini, quamvis interdum hoc fingat, ut hominem subjiciat sibi in errore et culpa. Possunt quoque per radios solis, homines verbo et vita aliis emicantes ; per aurum autem, caritate rubentes, intelligi : quos diabolus in hac vita aspernatur atque persequitur.

Fervescere faciet quasi ollam profundum maris. Ceti enim aliqui tantæ sunt magnitudinis, ut aquas maris vehementer commoveant, spumareque faciant, vel etiam tempestates in mari producant : sicque mare a fundo videtur fervere, sicut aqua in olla igni apposita. Hinc Thomas allegat Plinium, dicentem quod in mari orientali sunt quædam tantæ magnitudinis belluæ, ut ipsum mare ab imo vertant et concitent, ac tempestates efficiant. *Et ponet quasi quum unguenta bulliunt :* id est, tantum aquæ fervorem ac spumam in mari concitabit, sicut est fervor et spuma unguentorum in caldario bullientium : quæ propter aerem inclusum faciunt ampliorem spumam et commotionem in superficie, quam simplex aqua. Per quæ notatur turbulentia et inquietudo, quam diabolus concitat in hoc mundo, præsertim in cordibus vitiosorum : de quibus Isaias loquitur, Impii quasi mare fervens, (Is. lvii, 20.) quod quiescere non potest. Nam et diabolus ignita sua suggestione et impressione, ita sæpe incendit fomitem, quod totum cor intus incalescit ad malum. *Post eum lucebit semita :* id est, ceto se movente per aquam, apparet retro eum vestigium longum sui processus propter grandem sui corporis molem, qua magnam facit in aqua concussionem, quæ non protinus conquiescit. Quo mystice denotatur, quod post diabolicam tentationem, et conturbationem quam facit in anima, remanent et apparent reliquiæ, ita quod effectus perturbationis a diabolo concitatæ, non semper statim sedatur et aboletur : imo aliquando diu durat, et difficulter exstinguitur, præsertim quando malo non in principio rite resistitur, sed illud in consuetudinem transit.

Æstimabit abyssum quasi senescentem : id est, tam avide et abunde pisces maris vorabit, et aquam ipsius potabit, quasi putaret mare cito siccandum ac finiendum : quemadmodum esuriens qui opinatur sibi escam defecturam, comedit multum, contra futuram se præparans famem. Per quod insinuatur, quod diabolus velut insatiabilis homicida, tam affectuose, incessanter et indefesse decipit animas, quasi mundus esset mox terminandus. Quod enim senescit, prope interitum est, secundum Apostolum ad Hebræos. (Hebr. viii, 13.) Thomas autem exponit sic : Æstimabit abyssum quasi senescentem, id est quasi impotentem ad hoc, quod abyssus devoret seu superet ipsum cetum. Per quod mystice innuitur, quod diabolus non tantam, tamque perpetuam reputat pœnam inferni, ut ob eam desinat impie operari, et Deo reniti. Imo, sic prave agit, quasi putaret damnationem inferni aliquando terminandam : ad quod æstimandum etiam quosdam stultos inducit, quum tamen hoc Scripturis sanctis clarissime obviet.

Non est potestas super terram quæ comparetur ei : id est, nullum terrestrium ani-

Digitized by Google

malium tantæ est fortitudinis corporalis, ut cetus, qui sicut quantitate, ita et potestate vincit non solum aquatica, sed et terrestria animalia. Dicunt quoque magistri naturalis scientiæ, quod majora sint animalia in mari, quam super terram : cujus causa, est abundantia humiditatis in semine et in esca. Unde in terris humidis majores sunt homines, quam in regionibus siccis, ut dicunt. *Qui factus est ut nullum timeret.* Hoc doctores, non de ceto, sed de diabolo per ipsum figurato, exponunt : qui ad hoc factus est, id est, ex sua creatione et suæ naturæ proprietate hoc habet, ut nullam creaturam terrestrem corporalemve timeat, quantum ad naturalem ejus virtutem, tanquam fortior omni hujusmodi creatura. Nempe quod homines sanctos veretur, ex supernaturali illorum virtute contingit. Verumtamen istud de ceto accipi potest, qui, ut ex præhabitis innotescit, corporali robore vincit hominem, et omnem terrenam facturam : idcirco nec metuit aliquid horum. Et in hac locutione dictio, Ut, potius notat concomitantiam vel sequelam, quam causam,
Ps. L, 6. sicut quum dicitur, Tibi soli peccavi, ut justificeris in sermonibus tuis. Ad hoc enim, quod tantam vim corporalem ceto, tantamque vim spiritualem diabolo præstitit Deus, consequitur iste imperterritus animus.

Per prædicta ergo signatur, quod nulla terrena corporalis aut humana potestas, æqualis sit potestati diaboli, in quo naturalia integra permanserunt, juxta D. Dionysium quarto capitulo de Divinis nominibus. Unde, quo altioris est speciei sive naturæ, eo majoris est potestatis naturalis : ideo non potestate naturæ, sed gratiæ, homines prævalent ei. Hincque nullus de propriis viribus potest præsumere, aut de sua victoria vane gaudere. Imo timorati atque solliciti esse debemus, qui contra tam fortem hostem pugnam habemus, qui potestate atque industria, experientia et infatigabilitate nos superat : a quo videmur, et quem videre corporaliter prohibemur; imo nec spiritualiter ejus congressus semper advertimus. Præterea, secundum unam considerationem, diabolus factus est directe ut nullum timeret, id est, ut soli Creatori casto ac filiali timore subditus esset; sed contra illum se erigens, nullum ex præsumptione vult formidare, nisi in quantum a Deo compellitur et arctatur.

Omne sublime videt, id est, ad alta se erigit, et ad aggredienda majora vultum extollit : qui et in principio dixit, Ascendam super altitudinem nubium, similis Is. XIV, 14.
ero Altissimo. Hoc autem ceto non competit ; multoque minus quod subditur, convenit ei. *Ipse est rex super omnes filios superbiæ,* id est, in superbia eos excedit, tanquam primus apostata, qui ceteris formam recedendi a Deo, atque amandi propriam excellentiam primo ostendit. Cujus ducatum sequuntur omnes superbi : qui filii superbiæ appellantur, quia per illam quasi per matrem diabolo spiritualiter generantur, sicut per caritatem homines fiunt filii Dei, et quia superbiam velut matrem amant, sequuntur et amplectuntur, atque ab ea foventur ; qui etiam servi superbiæ dici possunt, quia vitio huic subjecti sunt. Propter quod secunda Petri inducitur : Iniqui servi sunt corruptionis ; a quo enim quis superatus est, II Petr. II, 19.
hujus et servus est. In Joanne quoque ait Salvator : Omnis qui facit peccatum, servus est peccati. Joann. VIII, 34.

Denique, juxta Thomam, Dominus operationem suam quam exercet in malis, terminat in superbis, ut ostendat beato Job, hoc sibi fuisse præcipue metuendum, ne a diabolo ad superbiam induceretur, sicque ad regnum diaboli transferretur : ideoque abjicere debeat affectum et verba quæ superbiam sapiunt sive sonant. Itaque et nos, si filii et ministri diaboli esse non volumus, si tam crudelissimi tyranni ac infelicissimi regis dominationem veremur, omnem prorsus abominemur superbiam : quæ sola omni virtuti insidiatur, et omnia gratiarum aufert charismata ; de

Digitized by Google

Eccli. x, 7. qua ait Scriptura, Odibilis coram Deo et hominibus est superbia ; quæ mentem summe excæcat atque turpissimam facit. Omnem quoque amplectamur humilitatem, quæ ad omne bonum disponit, pro- A tectionemque Dei et illuminationem Spiritus Sancti præcipue promeretur. Non simus filii superbiæ, et ministri diaboli regis ; sed filii simus humilitatis, et famuli Christi altissimi principis.

ARTICULUS LXX

EXPOSITIO CAPITULI QUADRAGESIMI SECUNDI ET ULTIMI : RESPONDENS AUTEM JOB.

AUDITA disputatione allocutioneque Dei, nunc ipse Job Deo, ut dignum est, cedit, honorem et gloriam tribuit, et se ipsum humiliat atque accusat, secun- Ibid. xx, 4. dum illud Ecclesiastici : Quam bonum est, correptum manifestare pœnitentiam ! *Respondens autem Job Domino, dixit : Scio quia omnia potes,* quum sis infinitæ potentiæ, cui omnia æque facilia sunt, et cui nihil difficile est. Deo siquidem idem est esse, et potentem esse, ita quod ejus essentia est sua potentia. Ideo, sicut divina essentia est penitus illimitata, ita et ejus potentia. Quo verbo Job profitetur, quod Deus possit Satanam superare, et adversitates seu tentationes ab illo inflictas au- Hebr. iv, 13 ferre. *Et nulla te latet cogitatio.* Omnia enim nuda et aperta sunt oculis ejus, secundum Apostolum. Deus quippe suam cognoscendo essentiam, omnia intuetur in ea, quæ illam quocumque modo imitantur sive participant, hoc est, quæcumque aliquid entitatis habent. Similiter cognoscendo suam potentiam, cognoscit distincte, perfecte et plene omnia ad quæ se illa extendit. Hinc primo Regum Deus testa- I Reg. xvi, 7. tur : Non juxta intuitum hominis ego judico : homo enim videt quæ parent, Dominus autem intuetur cor. Porro, secundum Thomam, hoc verbo sanctus Job fatetur se fuisse aliqua superba cogitatione pulsatum, videlicet recitando suas justitias : quod Deum non latuisse insinuat. Ideo, contra negantes Deum omnia intueri, subjungit :

B *Quis est iste qui celat consilium,* id est, cordis sui dispositionem, definitionem seu inquisitionem putat se Deo posse abscondere, *absque scientia,* id est ita quod Deus illud non sciat ? Vel, Absque scientia, id est, imperite et stulte hoc putat. Gregorius vero exponit sic : Job diabolo exprobrans, dixit : Quis est iste, etc. ? id est, diabolus consilia fraudium suarum adversum nos nobis occultat : et hoc absque scientia, id est, irrationabiliter et insipienter hoc agit, quoniam licet propria subtilitate occultas C illius machinationes adspicere non possimus, Deo tamen revelante nobis misericorditer deteguntur. Insuper, verbum istud generaliter accipi potest contra omnes qui sua prudentia aliis salubriter consulere possunt, et sana consilia mente concipiunt, nec tamen proximos suos dirigere, adjuvareque curant : quum tamen hoc agere, sit eleemosyna spiritualis ; et istud omittere, caritati et pietati repugnet.

Ideo, quia videlicet tanta est potentia ac sapientia tua, o Deus, *insipienter locu-* D *tus sum.* Ut enim ex dictis in expositione Job xxxix, 34, 35. habita superius patet, beatus Job aliqua dixit incaute, ita quod amici ejus et Eliu fuerant graviter scandalizati. Unde circa finem præallegati ait capituli : Qui leviter Ibidem. locutus sum, respondere ultra quid possum ? Unum locutus sum, quod utinam non dixissem, et alterum : quibus ultra non addam. Ea quoque locutus sum, *quæ ultra modum,* id est ineffabiliter et in-

Digitized by Google

comparabiliter, *excedunt scientiam meam :* id est, divina judicia et rationes eorum immoderate perscrutari conatus sum, a quorum plenaria comprehensione deficio infinite. Hinc in Ecclesiastico scriptum est : Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris; sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, et in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus. Non est enim tibi necessarium, ea quæ abscondita sunt, videre oculis tuis. Salomon quoque : Scrutator (inquit) majestatis opprimetur a gloria. Quibus verbis increpantur vani, intimorati ac scioli : qui in his quæ Deus non requirit ab eis, jugiter occupantur; quæ vero Deus exigit ab eis, et quæ ad eorum spectant salutem, omittunt.

Eccli. III, 22, 23.

Prov. XXV, 27.

Audi, id est, meam orationem, confessionem, interrogationem clementer audire, acceptare, informare digneris; *et ego loquar,* capta benevolentia tua, et spe audientiæ tuæ : loquar autem, te exorando, me accusando, veniam et informationem humiliter postulando. *Interrogabo te* sicut discipulus magistrum, et illuminationem tuam precabor, ut in dubiis me dirigas et informes. Sic enim Deum in agendis et cognoscendis interrogare debemus, orando pietatem ipsius pro instructione et directione salubri. Unde apud Isaiam Dominus ait quibusdam : Væ, filii desertores, ut faceretis consilium, et non ex me; et ordiremini telam, et non per spiritum meum; et os meum non interrogastis. Hinc in libris Regum legitur David toties consuluisse Dominum. Et Jacobus : Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo qui dat omnibus affluenter, et dabitur ei; postulet autem in fide nihil hæsitans. *Et responde mihi,* per illuminationem internam vel angelicam instructionem, intus vel foris exhibitam.

Is. XXX, 1, 2.

I *Reg.* XXIII, 2, 4; XXX, 8; II *Reg.* II, 1; V, 19, 23; XXI, 1. *Jacob.* I, 5, 6.

Auditu auris audivi te : id est, primo, scilicet ante hanc flagellationem, cognovi te ex aliorum relatu et fama communi, utpote imperfecte; *nunc autem oculus meus videt te,* id est, clarius te modo cognosco, quam ante : quemadmodum clarius scitur A quod cernitur, quam quod relatu aliorum cognoscitur. Ex percussione enim et allocutione, increpatione, instructioneque Dei, sanctus Job jam vehementer profecit. Vel sic : Auditu auris audivi te, id est, ante flagellationem meam cognovi te per revelationem factam ad aurem exteriorem vel interiorem : in qua tamen revelatione speciem nullam vidi, præsertim oculo exteriori; nunc autem cognosco te per revelationem clariorem ac eminentiorem, in qua forma seu species aliqua tui mihi apparet. B Certum tamen non est, an angelum vidit corporali specie, qui in persona Dei hæc dixerit, sicut Jacob, qui viso angelo, ait : Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea. Judicum quoque libro, Manue loquitur suæ uxori : Morte moriemur, quia vidimus Dominum, id est angelum Dei, qui visibiliter eis apparuit. Aliqui autem putant, quod Job imaginaria visione viderit Deum, seu angelum in Dei persona loquentem. Potest quoque intelligi, quod pro tempore quo C dixit hæc, habuit sublimem aliquam ac limpidam contemplationem de Deo, ut est illuminatio seu cognitio anagogica : ad quod innuendum fatetur, Nunc oculus meus, videlicet intellectualis, videt te contemplatione theorica. Postremo, putandum non est quod viderit Deum per speciem : nec de tali visione hic loquitur.

Gen. XXX 30.

Judic. XI 22.

Idcirco ipse me reprehendo : id est, quia nunc clarius te cognosco, sinceriusque contemplor, ideo imperfectum meum perfectius penso, et culpam meæ incautæ locutionis magis adverto, humiliusque confiteor. D Quo patet, quia quanto divinæ naturæ majestatem, sanctitatem et perfectionem limpidius contemplamur, eo propriam parvitatem, immunditiam, et defectuositatem plenius contuemur, et cordialius profitemur. Hinc ait Gregorius : Omnis humana sapientia quantolibet acumine polleat, divinæ sapientiæ comparata, insipientia est. Omnia enim humana, quæ justa et pulchra sunt, Dei justitiæ et pulchritudini comparata, nec pulchra, nec justa sunt, omnino

Digitized by Google

nec sunt. Hinc Abraham Deo colloquens : Loquar, inquit, ad Dominum meum, quum sim pulvis et cinis. (Gen. XVIII, 27.) Iterum ait Gregorius : Quanto quisque minus se videt, tanto minus sibimet displicet; et quanto majoris gratiæ lumen percipit, tanto amplius reprehensibilem se esse cognoscit. Quum enim intrinsecus sublevatur, et omne quod est, intuetur; ad eam, quam super se conspicit, regulam congruere nititur. Et quia adhuc humana infirmitas cernit, quod ei non ex minima parte dissentit; totum ex se illi onerosum est, quod internæ regulæ conveniens non est.

Verum, quoniam nulla est recognitio culpæ, nisi sequantur lamenta pœnitentiæ, sanctus Job subdit : *Et ago pœnitentiam in favilla et cinere.* Quod litteraliter accipi potest, ut in agnitionem et signum propriæ fragilitatis, se in terram prostraverit super favillam et cinerem, quemadmodum in Jona legitur, quod rex Ninive indutus est sacco, et sedit in cinere. (Jonæ III, 6.) Et in Psalmo : Humiliata est in pulvere anima nostra. (Ps. XLIII, 25.) Etenim cinis et cilicium, arma sunt pœnitentium. Vel, per favillam et cinerem, intelliguntur austeritas et humiliatio satisfactionis. Non enim sufficit culpæ confessio, nisi sequatur (si adsit facultas) satisfactio. Præterea, secundum Gregorium, in favilla et cinere pœnitentiam agere, est, contemplata summa essentia, nihil aliud se quam favillam cineremque cognoscere. Etenim, quum in peccato sit inordinata complacentia seu delectatio, et item quædam contra Deum rebellio, contra primum valet dolor internus, et austeritas in labore satisfactionis: contra secundum, humiliatio cordis et operis.

Postquam autem locutus est Dominus verba hæc ad Job, dixit ad Eliphaz Themanitem. Ad illum enim tanquam ad principaliorem, forte et ad meliorem ac seniorem, Dominus dirigit verbum, ut per ipsum proferatur ad alios. Nam et ipse primo orsus est disputare adversus Job. Videtur quoque quod Dominus dixerit ista beato Job jam sanato, et forsitan antequam amici ejus redierunt ad propria. Præterea, an per inspirationem solam internam Dominus ista protulerit, an per apparitionem angelicam, vel angeli allocutionem interiorem dumtaxat, quemadmodum asserit Zacharias, Angelus loquebatur in me, incertum habetur : (Zach. I; II; IV-VI.) quemadmodum et incertum est, an in somno vel vigilia facta sit allocutio ista. Si autem Deus ita apparuit atque locutus est huic Eliphaz, postquam dire peccavit, cur putandum est quod ficta sit ab ipso Eliphaz visio, quam in principio suæ disputationis se perhibet habuisse (Job IV, 12-21.) ante hanc culpam?

Iratus est furor meus, id est zelus justitiæ meæ, *in te et in duos amicos tuos,* scilicet contra Baldad et Sophar. Quum enim Deus sit veritas et æquitas, falsitati et injustitiæ indignatur tanto plus, quo ipse verior exstat et justior; et quo peccatum a veritate et æquitate magis recedit, eo plus displicet Deo. Amici autem Job non solum peccaverunt, ei contumelias irrogando, sed etiam de divina providentia erronee sentiendo, ut patuit sæpius. Hinc ad innuendum magnitudinem excessus eorum, Dominus loquitur : Iratus est furor meus. Unde et subditur : *quoniam non estis locuti coram me rectum,* id est verba vera ac justa : quia licet videbantur quasi divinam justitiam contra Job defensare, nihilo minus Deus vidit obliquitatem cordis eorum. *Sicut servus meus Job :* cujus verba vera et recta fuerunt, secundum intentionem ipsius, quamvis sæpe in modo loquendi deliquerit. Sed quare de Eliu Dominus mentionem non facit? Ad hoc Thomas respondet, quod Eliu ex imperitia peccavit, Job autem ex levitate, amici vero Job in falsa assertione, perversa dogmata affirmando, ut quod Deus non flagellat aliquem nisi pro culpa, et quod gravior pœna non est, nisi pro culpa majori. Aliam quoque causam Thomas tangit : quia videlicet jam supra Dominus redarguit ipsum Eliu, similiter sanctum Job. Albertus vero respondet, quod ideo, quoniam Eliu novi nil attulit, sed aliorum positiones

determinavit, eas planius et particularius A prosequendo.

Denique, quia amici Job non ex malitia peccaverunt, sed quasi ex zelo Dei, quamvis indiscreto, quia putabant ipsum Job suis verbis divinæ derogare justitiæ; ideo peccatum eorum remissibilius erat. Hinc Dominus ostendit eis remedium contra vulnus peccati quod incurrerunt. *Sumite ergo vobis septem tauros et septem arietes, et ite ad servum meum Job, et offeret* * *holocaustum pro vobis,* quia ejus patrocinio indigetis, nec digni estis per vos ipsos offerre, vel eo indigniores ad hoc. Septenarius autem est numerus perfectionis et totalitatis, idcirco ad expiationem gravium delictorum, et ad pœnitentiæ perfectionem hic numerus congruebat. Rursus, per septem tauros, signatur mactatio cervicosæ superbiæ in septem peccatis mortalibus; per arietes vero, qui cornibus impingunt, proterva et obstinata falsitatis defensio, veritatisque impugnatio, quas oportet mactare. Holocaustum præterea fuit sacrificium perfectissimum, quod ad divinæ reverentiam majestatis totum comburebatur, ad figurandum quod homo debet se totum Deo offerre, ejusque cultui mancipare. *Job autem servus meus* servitute filialis timoris, *orabit pro vobis.* Multum enim valet oratio justi assidua, ut dicit Jacobus. Et iterum scriptum est : Oratio justi penetrat cœlos. *Faciem ejus suscipiam,* id est, præsentiam ejus mihi ab ipso præsentatam, ejusque mentem ad me erectam, seu ejus personam mihi facialiter apparentem, gratam et acceptam habebo, ipsum pro vobis exaudiendo, *ut non imputetur vobis stultitia,* id est, peccatum quod stulte commisistis, seu dogma vestrum insipiens non imponatur vobis a me ad damnationem animarum vestrarum. Vel ideo ait, Stultitia, quia, secundum Albertum, ex ignorantia peccaverunt : propter quod facilius recipiuntur ad veniam. Illa tamen eorum ignorantia non fuit in toto excusanda. *Neque enim locuti estis coram me rectum, sicut servus meus Job,* qui vos juste increpavit, et a vobis injuste increpatus est et graviter inhonoratus, non tamen a vobis aversus est mente, sed diligit vos, quemadmodum ante : idcirco idoneus est exorare pro vobis, suæ merito perfectionis.

* alias *offerte*

Jacob. v, 16.

Eccli. xxxv, 21.

Abierunt ergo Eliphaz Themanites, et Baldad Suhites, et Sophar Naamathites, et fecerunt sicut locutus fuerat ad eos Dominus. Ita quod Eliphaz dixit aliis duobus verba Dei sibi injuncta : quo audito, assumptis præfatis animalibus, pariter venerunt ad Job, ab eo humiliter veniam B deprecantes, et ut pro eis offerret et exoraret, instanter poscentes. An vero quilibet eorum assumere jussus sit septem tauros, totidemque arietes, vel omnes tres simul tot animalia sumere et offerre præcipiebantur, non clare exprimitur. *Et suscepit Dominus faciem Job,* id est oblationem et precem ipsius pro suis amicis : ad quod etiam cooperabantur illorum obedientia, pœnitentia, humiliatio.

Dominus quoque conversus est ad pœnitentiam Job, quum oraret ille pro amicis C *suis.* Hoc dupliciter intelligi potest. Primo, quod Dominus ab ira ad propitiationem conversus est ad pœnitentiam Job, id est ad pœnitentiam quam pro amicis suis assumpsit, dolendo pro peccatis eorum, sicque merito hujus doloris Deus illis ignovit. Ita exponit Albertus. Secundo, quod conversus est ad pœnitentiam Job, qui orando pro amicis, simul pro se ipso pœnituit atque oravit : idcirco et ei magis benignus effectus est Deus. Nam et tanto citius exauditus est pro se ipso, quanto D devotius intercessit pro aliis. Propter quod ait Gregorius : Plus pro se valere preces suas efficit, qui has et aliis impendit. Libentius quippe sacrificium orationis suscipitur, quum in conspectu misericordis Judicis, proximi dilectione conditur : quod tunc veraciter quisque cumulat, si pro adversariis etiam hoc impendat. *Et addidit Dominus omnia quæ fuerunt Job, duplicia,* id est, bona ei ablata restituit ei in duplum, reddendo duplicia eadem in specie, sicut infra patebit. Per quod intelli-

Digitized by Google

gitur, quod pro temporali tribulatione et tentatione, quas patiuntur electi, multo majora bona divinitus sortiuntur, quam sint corporalia bona quæ perdunt : quia pro illis spiritualia dona adipiscuntur, et ipsa consolatio sequens, frequenter præcedentem afflictionem excedit etiam in præsenti. Hinc in Isaia Dominus ait : Ad punctum in modico dereliqui te, et in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis meæ abscondi parumper faciem meam a te, et in misericordia sempiterna misertus sum tui. In secunda quoque ad Corinthios habetur : Sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis.

Is. LIV, 7, 8. — II *Cor.* I, 7.

Venerunt autem ad eum omnes fratres sui et universæ sorores suæ, id est omnes cognati et consanguineæ, *et cuncti qui noverant eum prius* cognitione amicitiæ specialis, videlicet antequam taliter plagaretur, et in ipsa adversitate eum dereliquerunt, sicut superius dixit : Fratres mei elongaverunt a me, et noti mei quasi alieni recesserunt a me. *Et comederunt panem in domo ejus cum eo,* id est, pristinam amicitiam renovaverunt comedendo cum ipso, volentes ei congratulari, suamque ad eum amicitiam declarare. Per panem autem omnis cibus exprimitur.

Job VI, 15; XIX, 13.

Et moverunt super eum caput, non ex derisione, sed admiratione et compassione doloris præteriti, vel potius ex congratulatione. Unde superius Job dixit suis amicis : Utinam esset anima vestra pro anima mea ; consolarer et ego vos sermonibus, et moverem caput super vos. Hinc subditur : *et consolati sunt eum super omni malo* pœnali, id est de omni adversitate, *quod intulerat Dominus super eum* permissive, profitentes, quod non pro suis peccatis fuisset percussus, et quod amici ejus sibi contradicendo errassent, ipseque Dominus pro ampliori sua salute eum ita tentasset, atque ut ipse Job aliis in exemplum consisteret. Similis consolatio legitur facta Tobiæ in libro ipsius. De duplici autem malo Scriptura præcipue loquitur : scilicet

Ibid. XVI, 4, 5. — *Tob.* XI, 20, 21.

A de malo culpæ, quod non est a Deo nisi permissive, juxta illud Isaiæ, Indurasti corda nostra ne timeremus te : quod tamen quidam perversi imputant Deo, secundum illud Psalmi, Quoniam declinaverunt in te mala. Item, de malo pœnæ, quod est ipsa afflictio : quæ est directe a Deo, in quantum est aliquid positivum, et culpæ purgatio seu vindicta, aut præparamentum ad gratiam pleniorem, sicut in Job. De quo malo dicit Jonas : Misertus est Dominus super malitia, quam dixit ut faceret eis, B scilicet Ninivitis, et non fecit.

Is. LXIII, 17. — *Ps.* XX, 12. — *Jonæ* III, 10.

Et dederunt ei unusquisque ovem unam et inaurem auream unam. Ista munuscula sibi dederunt, vel in relevamen suæ inopiæ, quia nondum restituta fuerant ei a Deo bona amissa ; vel in signum sui favoris atque amoris ad ipsum ; vel etiam in protestationem atque indicium suæ ovinæ innocentiæ ac simplicitatis, itemque obedientiæ ac sapientiæ, quæ per inaurem signantur. Inauris enim auri appenditur. Obedientia vero est, verbis Dei auditis parere, et sapientia est, ea intelligere.

C *Dominus autem benedixit novissimis Job,* id est ultimæ ejus ætati, seu bonis quæ postremo possedit, *plus* quam principio ejus,* id est primæ ætati, aut prosperitati : quia in corporalibus ac spiritualibus donis amplius ditavit eum post suam afflictionem quam ante ; imo plus dedit ei quam ipsemet petiit. Superius etenim dixit : Quis mihi tribuat ut sim juxta menses pristinos ? Nunc autem concessit ei duplo plura quam ante. Nam subditur : *Et* D *facta sunt ei quatuordecim millia ovium :* qui ante habuit septem millia ovium ; *et sex millia camelorum :* ante habuerat tria millia camelorum ; *et mille juga boum :* ante habuit quingenta juga seu paria boum; *et mille asinæ :* ante habuit asinas quingentas. Quod totum in principio scriptum est.

* *magis* — *Job* XXIX, 2. — *Ibid.* I, 3.

Et fuerunt ei septem filii et tres filiæ : quos omnes post afflictionem hanc generavit. Circa hoc quæritur, quomodo omnia sint ei duplicia reddita, quum et ante per-

Digitized by Google

Job I, 2. cussionem suam totidem filios filiasque habuerit. Et respondendum, quod bona ejus quæ ei penitus perierunt, restituta sunt dupla. Filii autem et filiæ ejus, quantum ad animas, vixerunt, et suscitandi secum fuerunt. In statu quoque salutis obisse creduntur, ita quod æternaliter secum erant victuri. Idcirco non penitus mortui erant. Unde in Matthæo, Christus allegans *Matth.* XXII, 32 ; *Exod.* III, 6. Sadducæis illud Exodi, Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob, adjungit : Non est Deus mortuorum, sed vivorum.

Et vocavit nomen unius, forte primogenitæ inter tres, *Diem :* propter puellæ claritatem et gratiositatem ; *et nomen secundæ, Casiam :* propter ipsius suavitatem redolentiamque famosam. Casia enim est species aromatica. *Et nomen tertiæ, Cornustibii :* propter eminentem pulchritudinem ejus, præsertim in oculis, secundum Thomam. Stibium quippe unguentum est, seu herba, qua mulieres ad decorandam faciem suam utuntur, juxta illud Ezechi- *Ezech.* XXIII, 40. elis, Circumlinisti stibio oculos tuos. Et *IV Reg.* IX, 30. quarto Regum : Jezabel depinxit oculos suos stibio. Hoc autem stibium feminæ servant in cornu, ut habeant illud in promptu quum velint. Sic ergo appellata est ista puella, ad innuendum quod stibio non egebat, sed speciosior fuit dono naturæ, quam ceteræ fiant hac arte. Hinc sequitur: *Non sunt autem inventæ mulieres speciosæ, sicut filiæ Job in universa terra :* vel in universa terra habitabili hujus mundi : vel in universa terra habitationis Job, jux- *Josue* I, 13. ta quem modum in Josue legitur : Dominus dedit vobis requiem et omnem terram. Magis tamen intelligendum videtur primo modo. In hac autem speciositate, intelligenda est quoque condecentia morum, et venusta compositio in omni gressu ac motu membrorum. Nam et per hæc corporalis etiam pulchritudo perficitur. *Deditque eis pater suus hereditatem in medio fratrum* earum.* Hoc enim honore dignæ erant, propter speciositatem suam tam spiritualem et corporalem, et quia fratribus suis carissimæ fuerant, virtutibusque conformes.

* *inter fratres*

A *Vixit autem Job post hæc,* id est postquam ista ei acciderant, *centum quadraginta annis.* Quia enim in corpore gravissime fuerat vulneratus, additur ei pro cumulo prosperitatis, longitudo dierum in vita sana atque jucunda in Deo : quemadmodum legitur de Tobia, quod reliquum *Tob.* XIV, 4. temporis ejus, scilicet quod vixit post curationem suam ab angelo, fuit in gaudio. Præterea, quamvis Job corporaliter occisus non fuit, quia tamen letaliter fuit percussus, ita quod secundum naturam B obisset, nisi Deus supernaturaliter adfuisset ; hinc duplicata vitæ humanæ duratio ei concessa est, sicut et cetera ei sunt dupliciter restituta. Scriptum est enim : Dies annorum nostrorum in ipsis, septua- *Ps.* LXXXIX, 10. ginta anni. Centum autem et quadraginta faciunt bis septuaginta. *Et vidit filios suos et filios filiorum suorum,* forte et filiarum, *usque ad quartam generationem.* Idem legitur de Tobia : qui tamen post *Tob.* XIV, 1. suam curationem non vixit nisi quadraginta duobus annis; sed in sua curatione *Ibidem.* C filius suus jam exstitit uxoratus. Unde apparet, quod filii Job satis maturæ ætatis fuerunt antequam generaverunt. Alioqui poterat usque octavam generationem posteros suos vidisse. Credendum est equidem, quod filii et nepotes ipsius, virtutes beati Job sint secuti, nec voluptatis amore contrahere matrimonium acceleraverunt.

Porro, an filios istos septem et sorores eorum ex prima conjuge generaverit, an scilicet illa in vita tam diu permanserit, D non certum habetur. Forte enim ob sua peccata sublata est ; nec digna fuit particeps esse prosperitatis sui mariti tam sancti, ad quem in adversitate sua tam perverse se habuit. Conveniens demum fuit, pro tempore legis naturæ et scriptæ, ut beatus Job post suam percussionem tanta prosperitate donaretur. Nam et tunc bona temporalia Dei famulis promittebantur, ut homines rudes per talia ad Dei obsequium spiritualiumque amorem traherentur donorum, et ex consideratione prosperitatis

Digitized by Google

Job, perpenderent quam utile esset Deo A fideliter etiam in adversis omnibus adhærere.

Et post hæc mortuus est senex senectute mentis et corporis. Nescitur tamen quam senex, nisi legatur seu audiatur quot annorum fuit quando percussus est, et quam diu sua plaga duravit, quemadmodum de Tob. xiv, 3. Tobia habetur, quod quatuor annis exstitit cæcus. *Et plenus dierum,* id est repletus actibus virtuosis, quos diuturno quo vixit tempore fecit. In Scripturis enim per plenitudinem temporis, spiritualium bonorum abundantia exprimi solet. Unde de sanctis Patriarchis in Genesi similiter legitur, quod pleni dierum defuncti sunt. Hinc Gen. xxv, 8; xxxv, 29. dicit Ambrosius : Plenitudinem vita justa habet, inanes autem sunt dies malorum. Nihilo minus, hoc loco, per plenitudinem dierum, etiam temporalium abundantia et incolumitas corporis denotantur, videlicet affluentia bonorum fortunæ, quia propter illorum defectum superius dixit : Ego ha- Job vii, 3. bui menses vacuos : præsertim quia his corporalibus bonis ordinatissime usus est per relationem eorum ad spiritualia dona beatitudinemque æternam, imo ad sum- B mum, immensum et incommutabile bonum, quod est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

Sequitur tractatulus de causa diversitatis eventuum humanorum.

Digitized by Google

Digitized by Google

EPILOGATIO IN LIBRUM JOB

TRACTATULUS

DE CAUSA DIVERSITATIS EVENTUUM HUMANORUM

AD INSTANTIAM REVERENDISSIMI D. CARDINALIS DE CUSA EDITUS

QUÆSTIO parvitati meæ ab Excellentia vestra, o Reverende præceptor, prædilectissime Pater, ac litteratissime Doctor, proposita, hæc est : *Ecce quum videamus justos tormenta pati, et qui bene egerunt, finaliter deficere, malos autem sæpe optime mori, cui hæc varia terminatio causam dedit? Non Deus justus, a quo non nisi justum; nec fatalis influentia, quæ nostris actibus non dominatur. Ad hunc finem moveo quæstionem, ut intelligam librum Job, et ea quæ veteres de fortuna ab astris dependente tractarunt.*

Quanquam ad hujus quæstionis profundæ atque fecundæ solutionem magistralem et plenam, personam vestram eximiam ac famosam me ipso rite rear longe magis idoneam; verumtamen, ne Dominationi vestræ piissimæ videar non protinus, ut decet, obtemperasse, conabor pro viribus, quantum Deus scientiarum Dominus dederit, re- *I Reg.* II, 3.
spondere : præsertim quia (ut Petrus Alphonsi in Libro suo clericali testatur) dum persona multum excellens invitat, postulat, aut requirit, mox acquiescere par est. Et ponit exemplum de angelis, qui ab Abraham patriarcha invitati, statim acquieverunt. *Gen.* XVIII, 3-5.
Porro invitati a Lot, primo renuerunt, dicentes : Nequaquam, sed in platea manebimus. *Ibid.* XIX, 2.
Itaque de quæstione proposita, id in primis commemoro, quod quamvis, quantum ad formam verborum, clarissime mota sit; tamen, quoad significationem intelligentiamque inclusam, non mediocriter intricata consistit, eo quod clausulæ ejus multipliciter queant intelligi. Idcirco singulæ quæstionis hujus particulæ, singulatim sunt pertractandæ; et quemadmodum varium pariant intellectum quædam earum, est demonstrandum.

ARTICULUS PRIMUS

DE EXPOSITIONE PRIMÆ CLAUSULÆ QUÆSTIONIS INDUCTÆ.

PRÆTEREA prima particula, utpote, *Quum videamus justos tormenta pati,* planum et unicum continet sensum. Quocirca nihilo minus quæstio admiratioque consurgit, et oritur difficultas, si quis clau- A sulam istam ampliet ac dilatet. Etenim justorum diversi sunt gradus, juxta differentias meritorum. Nempe nonnulli sunt viri heroici et perfecti : quorum rursus distinctio conspicitur gradualis, quibus-

Digitized by Google

dam existentibus multum sanctis, quales **[A]** fuerunt Martinus, Bernardus, Franciscus : aliis vero non adeo sanctis : ceteris autem nondum perfectis, qui tamen justi vocantur, in quantum caritate et gratia, habituque justitiæ decorantur, divina observantes præcepta, quæ proprie de actibus dantur justitiæ. Conformiter, tormentorum vitæ præsentis diversa sunt genera, sed et gradus multiplices. Potestque tormentorum horum diversitas attendi, uno quidem modo ex parte causæ. Nam quædam inferuntur a Deo, qui quos amat, arguit et castigat **[B]** [*Apoc.* III, 19.]. Qui tamen per subjectam hoc solet agere creaturam : et interdum quidem per angelos bonos, quorum ministerio subvertit Pentapolim, occidit Ægyptios, percussit Assyrios [*Gen.* XIX, 13, 24, 25; *Exod.* XII, 29; XIV, 24; IV *Reg.* XIX, 35.]: interdum per angelos malos, per quorum unum percussus est sanctus Job [*Job* I, 12-19; II, 7.]. Iterum, tormenta nunc ab invisibilibus, nunc a visibilibus hostibus infliguntur; sæpe quoque ex naturalibus causis, sive intrinsecis, sive extrinsecis. Aliquando demum fortuito seu casualiter videntur contingere, quanquam per comparationem ad **[C]** certum et infallibilem providentiæ divinæ prospectum, certus sit ordo causarum, nilque casuale aut fortuitum censeatur, sicut catholice docet Boetius.

Itaque, quum culpæ debeatur pœna, non mirum est, si justi nondum perfecti mediocria nonnunquam patiantur tormenta : quippe qui quotidie in venialibus multipliciter corruentes, nec per caritatis ardorem ea sufficienter delentes, quotidianis egent remediis, scilicet increpationibus et tormentis, quibus purgentur. Quod si mediocriter sancti, mediocres sustineant cruciatus, non multum videbitur mirum : nam et ipsi in venialia sæpe labuntur. At vero nec hoc admirationem sortitur ingentem, si et multum sancti, parvis vel mediocribus afficiantur flagellis, quum (Salomone testante) non sit homo super terram, qui faciat bonum et non peccet, justusque in die septies cadat [*Eccle.* VII, 21; *Prov.* XXIV, 16.]. Sed dum eminenter justi et sancti diuturnis et maximis affliguntur adversis, atque ab impiis opprimuntur, tentationibusque vexantur, admiratio oritur major. Siquidem, quo in eis minorem obtinet culpa locum, eo et pœna, præcipue magna, eis minus videtur congruere. Unde in hoc casu, quæstionis propositæ clausula prima, a vestri profunditate ingenii studiosissime ac circumspectissime, domine Pater, intellecta videtur atque intenta. Ad quam, Deo agente, respondebitur infra.

ARTICULUS II

DE EXPOSITIONE SECUNDÆ CLAUSULÆ.

[D] ET eos *qui bene egerunt*, videamus *finaliter deficere*. Huic verbo obviare videtur illud Psalmographi : Non vidi justum derelictum [*Ps.* XXXVI, 25.]. Itemque : Justi autem hereditabunt terram, et inhabitabunt in sæculum sæculi super eam [*Ibid.* 29.]. Illud quoque in Job : Recordare, obsecro, quando recti deleti sunt [*Job* IV, 7.]? Denique ait et Salvator : Procedent, qui bona egerunt, in vitam æternam [*Joann.* V, 29; *Matth.* XXV, 46.]. Quomodo ergo qui bona egerunt, finaliter deficere asseruntur? potissimum protestante de bene agente Psalmista, Quum ceciderit, non collidetur [*Ps.* XXXVI, 24.]. Nihilo minus, præinducto verbo consonare videtur illud Isaiæ : Justus perit, et non est qui recogitet in corde suo : et viri misericordiæ tolluntur, et non est qui intelligat [*Is.* LVII, 1.]. Amplius, quosdam ad tempus bene ac meritorie agere, nec perseverare, sed miserabiliter finaliterque deficere, quis ignoret? De qui-

Digitized by Google

[*II Petr.* II, 21.] bus et Petrus ait : Melius illis erat non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum reverti.

Itaque clausula ista multipliciter potest intelligi. Primo sic : Eos qui bene egerunt ad tempus, videmus finaliter deficere, id est a cœpto salutis itinere deficiendo, perire et condemnari. Propter quod monet [*I Cor.* x, 12.] Apostolus : Qui stat, videat ne cadat. Hinc [*Eccli.* xviii, 27.] (teste Scriptura) Sapiens in omnibus metuit. [*Prov.* xxviii, 14.] Et : Beatus homo qui semper est pavidus. Secundo sic : Videmus eos qui bene egerunt perseveranter, finaliter deficere, id est in hac vita usque ad finem adversitatibus affici, ab impiis opprimi, et in per- [A] secutionibus mori, quemadmodum Christus suis prædixit discipulis : Trademini a parentibus et cognatis et amicis, et morte afficient ex vobis; et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. [*Luc.* xxi, 16, 17.] Tertio sic : Videmus eos qui bene egerunt, finaliter deficere, quia aliquando contingit persecutionem propter justitiam patientes, acerbitati pœnarum succumbere. Quocontra sanctus Job dixit : Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea. [*Job* xxvii, 5.] Hinc Paulus : Obsecro, inquit, ne deficiatis in tribulationibus istis*. [*Ephes.* iii, 13.] [B] Itaque, juxta hunc varium hujus particulæ sensum, diversæ et congruæ, Deo agente, infra dabuntur solutiones ad eam.

* meis

ARTICULUS III

DE SENSIBUS PARTICULÆ TERTIÆ.

MALOS *autem* videamus *sæpe optime mori*. Huic itidem verbo contrariari videtur illud Psalmi, [*Ps.* xxxiii, 22.] Mors peccatorum pessima ; et quod loquitur Christus, [*Matth.* xxv, 46 : *Joann.* v, 29.] Qui vero mala egerunt, procedent in ignem æternum. Unde in Job libro asseritur : Vidi iniquos Deo flante perisse. [*Job* iv, 8, 9.] Alibi quoque : Deus non porriget manum malignis. [*Ibid.* viii, 20.] Attamen, verbo prætacto consonare cernitur illud Apostoli : Ubi abundavit iniquitas, abundavit et gratia. [*Rom.* v, 20.] Talibus denuo scribens : Fuistis, ait, aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino. [*Ephes.* v, 8.]

Itaque verbum istud, sicut præcedens, varie accipi potest. Primo, de malis in malitia finaliter perseverantibus : qui optime aliquando mori dicuntur, quia in opulentia temporali, et consolatione amicorum [C] ac propinquorum multiplici, atque sæpissime levi quodammodo morte decedunt, quemadmodum in Job libro de impio legitur : Iste moritur robustus et sanus, dives et felix; viscera ejus plena sunt adipe. [*Job* xxi, 23, 24.] Secundo, accipi potest de malis conversis : qui licet ad tempus sint vitiosi, tamen conversi, dignos agunt pœnitentiæ fructus, [*Luc.* iii, 8.] et perseverantes in bonis, optime moriuntur. Juxta hanc sensus varietatem, ponetur infra proportionata clausulæ hujus solutio.

ARTICULUS IV

DE INTELLECTU CLAUSULÆ QUARTÆ.

CUI *hæc varia terminatio causam dedit ?* Hoc a contrario intelligendum arbitror sensu, quemadmodum illud Æso- [D] pi, Sufflavit fistula buccas ? Estque figurativa locutio, ut sit sensus : Quis dedit causam huic variæ terminationi ? id est,

Digitized by Google

quis est causa tam diversæ finitionis seu A finalis eventus, conclusionisque hominum? Deinde difficultando materiam, arguitis, *Ps. x, 8.* quod non Deus, qui quum sit justus, nil agit injustum ; nec fatalis influentia, quæ actibus non dominatur humanis, quos constat ex libero manare arbitrio. Postremo tangitis, atque tangendo supponitis, quod fortuna ab astris dependeat. Quod utrum et qualiter verum sit, et quomodo ab influxu cœlesti aut fatali varietas oriatur præfata, qualiter quoque a Deo causetur, infra, prout fons sapientiæ Verbum Dei in *Eccli. I, 5.* excelsis præstiterit, ostendetur.

ARTICULUS V

QUOD DE TEMPORALI PROSPERITATE PRAVORUM, ET MULTIPLICI TRIBULATIONE JUSTORUM, SANCTI IN SCRIPTURIS CANONICIS FREQUENTER PER MODUM VEHEMENTER MIRANTIUM SUNT LOCUTI.

JEREMIAS in libro visionum suarum B *Jer. XII, 1, 2.* ait : Justus quidem es tu, Domine, si disputem tecum ; verumtamen justa loquar ad te. Quare via impiorum prosperatur, et bene est omnibus qui prævaricantur ? Plantasti eos, et proficiunt. Sic *Habac. I, 3, 4.* et Habacuc loquitur Deo : Quare respicis contemptores, et taces, conculcante impio justiorem se ? Propter hoc lacerata est lex. Quia impius prævalet adversus justum, propterea egreditur judicium perversum. Denique, quasi quodammodo stomachans *Ibid. 13.* contra Deum : Mundi (inquit) sunt oculi C tui, ne videas malum, et respicere ad iniquitatem non potes. Quare non respicis super inique agentes, et taces devorante impio justiorem se ? Præterea, de hoc subtilissime atque pulcherrime concionatur, disputatque psalmus cujus exordium est, *Ps. LXXII, 1-3.* Quam bonus Israel Deus ! Mei autem, inquiens, pæne moti sunt pedes, pæne effusi sunt gressus mei : quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns. Et ite- *Ibid. 12, 13.* rum : Ecce ipsi peccatores et abundantes in sæculo obtinuerunt divitias. Et dixi : D Ergo sine causa justificavi cor meum, et lavi inter innocentes manus meas? Deinde *Ibid. 15.* ad oppositum arguens, addit : Si dicebam, Narrabo sic, ecce nationem filiorum tuorum reprobavi.

Mirabile namque videtur, quod omnipotens, justus ac sapientissimus Deus, ista in suo permittit fieri regno. Quum ipse sit incomparabiliter sapientior, justior atque potentior omni humano judice ac rectore, regimen ejus ordinatius perfectiusque consistere debet omni humano regimine. Propter quod fertur in libro de Causis, quod causa prima regit res per finem decoris, id est cum summo decore. Quum ergo in humano regimine valde sit indecens et injustum, si boni et simplices a pessimis opprimantur, si injusti et stolidi præesse sinantur, si pravissimis et rei publicæ hostibus prospera condonentur, virtuosis autem et optimis infligantur tormenta ; multo indecentius injustiusque est, si Deus in suo ista efficit regno, aut certe permittit in eo, præsertim quum solo imperio ea queat prohibere ac tollere. Insuper, duobus modis tollitur malum, videlicet per anticipationem, ne veniat, et per correctionem, postquam venit : estque perfectius, per anticipationem quam per correctionem tollere malum. Ergo Deo excellentissimo regi competit per anticipationem omne malum auferre de medio. Non igitur præinducta mala in suo (ut videtur) regno deberet permittere evenire.

Digitized by Google

Sed respondendum, quod gubernatio omnipotentis ac supersapientissimi Dei, qua mundum hominesque gubernat, utique ordinata, justa, pulcherrimaque est, nec regimen humanum illam potest imitari perfecte. Deo quippe competit quæ creavit sic regere, ut ea sinat proprios agere motus et prosequi actus. Unde unumquodque secundum ipsius naturam, qualitatem et capacitatem gubernat. Quapropter
Sap. VIII, 1. increata Sapientia dicitur attingere a fine usque ad finem fortiter, et disponere cuncta suaviter. Quum ergo sit homo arbitrii liberi, nequaquam congruit Deo, ut hominem ad bona necessitet seu compellat, sed dirigat et inclinet. Hinc non competit Creatori secundum extremum suæ omnipotentiæ gubernare creata. Sic enim nullum creatum ejus motioni et gubernationi resistere posset : unde nec aliquis mereretur.

Præterea, quum supergloriosissimus Deus sit omnium rerum ultimus finis, universalisque rector universorum, spectat ad eum res ita creare ac regere, ut in earum productione, consistentia atque regimine, sui ipsius perfectio, omnipotentia, libertas, sapientia, misericordia, justitiaque resplen-
Prov. XVI, 4. deant. Propter quod ait Scriptura : Omnia propter se ipsum operatus est Dominus.
Eccle. III, 14. Et : Fecit Deus opera sua ut timeatur. Ex creaturarum enim consideratione patescit, quam metuendus, quam diligendus, quam incomparabiliter gloriosus sit Deus. Ideo
Is. XL, 26. Isaias dicit : Levate in excelsum oculos vestros, et videte quis creavit hæc. Ob causam quoque prætactam, competit Deo intendere et procurare bonum universi et bonum commune, magis quam bonum unius aut bonum particulare. Porro, ex hoc quod Deus homines sic gubernat, quod nullum necessitat, omnesque taliter regit, quod quosdam misericorditer allicit, perducit et salvat, alios autem propter eorum demerita deserit et condemnat; divinæ majestatis pietas et justitia præcipue innotescunt, et in rebus relucent.

Rursus, in hoc quod Deus reprobis et
A perversis terrena et temporalia elargitur, electis vero et justis spiritualia ac æternalia impertitur, sapientia, benignitas atque justitia ejus sublimiter præsentantur, quemadmodum cernimus quod prudens paterfamilias filio dyscolo tribuit substantiam viliorem, obedienti præstantiorem. Adhuc autem, in hoc quod Deus permittit electos et justos a reprobis tribulari, et *Ps.* XXXIII, 20. virtuosis electis varias adversitates immittit, resplendet sapientia et misericordia ejus : quia tot bona scit ex malis elicere,
B et electos in vita hac purgat, eisque innumerabiles atque ineffabiles commoditates per adversa procurat. In hoc quoque quod Deus inter homines ita discernit, quosdam salvando, alios relinquendo, et inter electos uni præ alio tot gratiæ dona in præsenti, tantaque gloriæ bona in patria conferendo, similiter inter reprobos unum plus alio tam horribiliter deserendo; atque tam varie in hominibus operando, hunc in pueritia, illum in adolescentia, alium in juventute, quosdam in senectute
C convertendo, aliquos quoque dudum conversos tandem relinquendo, nonnullos nunquam ad fidem et gratiam perducendo : in his, inquam, atque similibus, relucet Omnipotentis libertas, et incomprehensibilitas judiciorum ipsius, terribilitas quoque *Rom.* XI, 33. divinæ justitiæ, et imperscrutabilitas sapientiæ Rectoris altissimi.

Denique sancti Prophetæ, quorum verba in principio hujus articuli sunt inducta, hæc omnia, Deo illustrante, noverunt : idcirco (ut sancti doctores fatentur) præallegata
D verba locuti sunt potius in persona infirmorum, imperfectis morem gerentes, quam propria in persona, nisi forsan ad insinuandum dispositionem animarum suarum, quantum ad partem earum inferiorem ac sensitivam sensibili et naturali quodam dolore repletam. Juxta quem modum (ut Thomas exponit) Job et Jeremias diei *Job* III, 1; suæ nativitatis maledixerunt ; juxta quem *Jer.* XX, 14. etiam modum Christus oravit calicem sibi *Matth.* XXVI, 39. auferri.

Digitized by Google

ARTICULUS VI

CUR DEUS JUSTOS IN HAC VITA TAM MULTIPLICITER TRIBULET ET FLAGELLET.

JAM prima propositæ quæstionis particula est solvenda, videlicet, quis causa sit, et quæ sit ratio, quod justi tot tormenta, tot adversitates, tentationes et persecutiones sustinent in hac vita. Ad quod ex Scriptura veritatis, copiosa et evidens elucescit responsio. Verumtamen intuendum, quod licet nonnulli multiplicem mali divisionem assignent, videlicet malum culpæ, malum pœnæ, malum naturæ, malum fortunæ; communiter tamen ponitur bimembris divisio mali, utpote malum culpæ, et malum pœnæ. Nam malum naturæ, ut monstruositas, malum quoque fortunæ, ut diffortunium, ad malum pœnæ reduci noscuntur. Dicunt ergo doctores, quod malum culpæ a Deo sit permissive, et Deo adscribitur, quia sine ejus gratia non vitatur, neque oppositum bonum peragitur. Juxta quem modum (juxta Philosophum) sol suo recessu est causa corruptionis et infrigidationis. Hinc in Exodo Deus toties
Exod. IV, VII, IX-XI, XIV. loquitur : Ego indurabo cor Pharaonis. In Deuteronomio quoque Moyses protestatur :
Deut. II, 30; *Num.* XXI, 23. Noluit Sehon rex Hesebon transitum dare filiis Israel, quia induraverat Dominus spiritum ejus, et obfirmaverat cor illius. Porro Isaias in libro suarum visionum apertis-
Is. LXIII, 17. sime loquitur Deo : Quare errare nos fecisti de viis tuis, indurasti corda nostra, ne ti-
Ps. XLIII, 19. meremus te? Atque Psalmista : Declinasti semitas nostras a via tua. Postremo ipsemet Deus horum se perhibet causam malorum. Ut enim secundo Regum libro scribitur, quum David cum uxore peccasset
II *Reg.* XII, 11, 12. Uriæ, Deus per Nathan ei prædixit : Ecce ego tollam uxores tuas, et dabo eas proximo tuo, et dormiet cum eis. Tu fecisti occulte; ego autem faciam verbum istud in conspectu populi hujus, et in conspectu

A solis. Hoc autem completum fuit, dum Absalon ad patris sui uxores manifeste ingressus est. II *Reg.* XVI, 22.

Sed forsan quis dicet : Quid ergo Absalon forefecit, quia quod Deus se facturum prædixit, implevit? Sed plana est solutio, si dicamus quod Deus malorum illorum non nisi permissive fuit causa. Justo enim judicio gratiam pravis aufert, et eos in diversa labi sinit facinora. Sed tunc fortius objici potest, probando quod malorum culpæ etiam effectiva Deus sit causa. Siqui-
B dem omne esse, a primo ente efficientialiter profluit. Omnis quoque actio a primo agente efficienter, principaliterque procedit: sicut et primum libri de Causis asserit theorema, Omnis causa prima plus agit et influit quam causa secunda. Quum ergo peccata commissionis sint actus reales, quia et realem sortiuntur effectum, videtur quod eorum effectiva Deus sit causa. Præterea, dans complementum operi, cooperatur agenti : sed illicitissimis carnalibus copulis complementum Deus largitur (videmus
C equidem quod ex adulterinis, fornicariis, et incestuosis complexibus fetus gignuntur, quorum animæ a Deo creantur). Ergo tam vitiose se commiscentibus Deus cooperatur, taliumque detestabilium actuum causa effectiva convincitur. Et respondendum, quod in peccato commissionis duo pensantur, substantia actus, et deformitas ejus. Dicunt ergo doctores, quod quantum ad substantiam actus, mala hujusmodi a Deo sunt effective; sed quoad deformitatem, ab ipso sunt permissive, atque a vo-
D luntate creata et defectiva, directe et proprie. Simili modo vitiosæ commixtiones prætactæ, in quantum sunt quædam naturales operationes partis vegetativæ, a Deo

Digitized by Google

sunt effective, et sic Deus eis tribuit complementum, formam substantialem inducens, videlicet animam creando infundens; in quantum vero sunt vitiosæ, sunt ab inordinata et impia hominis voluntate.

Ex his alterius quoque satis difficilis patet solutio quæstionis. Etenim per Isaiam Deus Pater ait de unigenito Filio suo, propter nos incarnato et passo : *Is.* LIII, 8. Propter scelus populi mei percussi eum. Et iterum ibidem habetur : *Ibid.* 10. Deus voluit eum conterere in infirmitate. Unde in Psalmo Patri loquitur Christus : *Ps.* LXVIII, 27. Quem tu percussisti, persecuti sunt. Et denuo : *Ps.* LXXXVII, 8. Super me (inquit) confirmatus est furor tuus, et omnes fluctus tuos induxisti super me. His concordat quod in Actis Petrus profatur apostolus : *Act.* III, 18. Deus qui prænuntiavit per os omnium Prophetarum pati Christum suum, implevit sic. Rursusque, apertius et mirabilius loquens, ait Judæis : *Ibid.* II, 23. Christum, definito consilio et præscientia Dei traditum, interemistis. Sed et Paulus disseruit : *Rom.* VIII, 32. Proprio Filio suo non pepercit Deus, sed pro omnibus nobis tradidit illum. Itaque, si Deus Pater definito consilio tradidit Christum ; si eum percussit, pati morique voluit, et quod de ejus passione prænuntiavit, implevit : quid peccavit Judas, qui tradidit illum? *Matth.* XXVI, 14-16, 47-49. quid Judæi, qui ejus mortem procuraverunt? *Ibid.* XXVII, 1, 2, 20, 23, 25. quid milites præsidis, qui eum tot affecerunt tormentis, tamque crudeliter peremerunt? *Ibid.* 27-30, 35. Nonne manum percutientis Dei adjuvisse videntur, ejusque voluntati subministrasse?

Sed ex dictis innotescit solutio, quoniam actuum illorum quibus formaliter sceleratissimi illi Christum tam impie tractaverunt et afflixerunt, passionum quoque Christo inde illatarum, Deus quantum ad actus et passionis substantiam, non quantum ad deformitatem culpabilem, fuit causa. Denique, quod Deus Pater Christum pati voluit piissima voluntate, paterna caritate et optimo fine, Judæi et ministri Pilati fecerunt voluntate pravissima, et ex rancore ac pessimo fine. Præterea, triplici ratione Pater Filium suum tradidisse percussisseque dicitur. Primo, quoniam hæc permisit. *Rom.* VIII, 32; *Is.* LIII, 4, 8. Secundo, quia animæ Christi voluntatem inspiravit, qua sponte pro hominibus Christus tradi voluit et occidi. *Ibid.* 7; *Joann.* X, 17. Tertio, quia per Christi traditionem et crucifixionem humanum liberare genus decrevit. *Rom.* VIII, 3, 4. Omnipotens namque et supersapientissimus Deus, impiissimis hominum voluntatibus scit uti ad optima, et ex pessimis optima multa elicere, ut in persecutoribus atque martyribus facile est pensare.

Insuper ex inductis, alterius quoque intricati patet solutio dubii. Ut enim secundo Regum libro legitur, quum fugeret David a facie Absalon filii sui, occurrens Semei maledixit regi David maledictione pessima, *II Reg.* XVI, 5-10. dicens : Egredere, vir sanguinum et vir Belial. Quumque injuriam regis ulcisci vellet Abisai, ait rex : Dimittite eum ut maledicat mihi. Dominus enim præcepit ei ut malediceret David. Et quis est qui audeat dicere, Quare sic fecerit? Quocirca inquiritur, an Semei, sic maledicendo regi, peccavit. Si sic, ergo Deus præcepit peccatum, et fuit directe causa peccati : quod implicat, quum Deus gloriosus et sanctus, sit prima rectitudinis regula, veritatis atque virtutis mensura. Si non, ergo David in extremis agens, injuste filio suo Salomoni præcepit occidere Semei istum, dicendo : Habes apud te Semei qui maledixit mihi maledictione pessima. *III Reg.* II, 8, 9. Tu ergo noli pati eum esse innoxium ; deducesque canos ejus cum sanguine ad inferos. Hoc tamen sanctus David, tanquam judex ipsius Semei, juste commisit filio suo, velut successori præsidentiæ suæ regalis (ut expositores fatentur).

Quanquam circa hujus solutionem quæsiti possent quamplura induci, virtualiter tamen solutum est. Nempe David tanquam vir perspicacissimus, cernens virum illum iniquum, inermem et solum, sibi tot strenuissimis pugnatoribus circumdato, *II Reg.* XVI, 6. ita intrepide et diutine maledicentem, consideravit quod non humano tantum instinctu id ipsum agebat, sed Deo (ut aliqui di-

Digitized by Google

cunt) specialiter ibi agente. Et hoc David A
II *Reg.* xvi, 11. vocavit Dei præceptum. Semei tamen pec-
cavit, quoniam voluntate hoc egit perver-
sa. Ad peccatum namque plura concur-
runt, videlicet liberum arbitrium, et motus
ipsius in consentiendo, usus quoque ipsius
in movendo potentias exsecutivas ad ac-
tum : et omnia ista a Deo sunt, qui est
auctor naturæ et operationum ejusdem.
Deformitas quoque ad rationem peccati
completive formaliterque concurrit : quæ
non ad Deum, sed in liberi defectibilita-
tem arbitrii sicut in causam reducitur, B
quemadmodum in claudicatione, progres-
sio et quidquid in ea est ambulationis, ad
vim motivam reducitur ut in causam; am-
bulationis autem defectus, in tibiæ redu-
citur curvitatem.

Abd. 1. Adhuc autem super illud Abdiæ, Lega-
tum ad gentes misit, aliqui per legatum
intelligunt divinum instinctum, qui ad-
versarios Idumæorum instigavit ad impu-
gnandum eos. Et hoc Deus recta intentione
et justa fecit ex causa, quamvis illi prava
intentione id fuerint exsecuti. Unde ad C
Ezech. xxix, 18. Ezechielem prophetam loquitur Deus : Fili
hominis, Nabuchodonosor laborare fecit
exercitum suum labore magno adversus
Tyrum, et merces non est reddita ei pro
servitute qua servivit mihi adversus eam.
Ibid. 19, 20. Et ibi deinceps prædicit, quod daturus sit
regem Ægypti in manus Nabuchodonosor
regis, pro præfatæ præmio servitutis. Si-
militer populum Judæorum dedit Deus ma- IV *Reg.* xxv, 1-21.
nibus Chaldæorum propter ipsorum pec-
cata : quoniam tamen Chaldæi per nimiam
crudelitatem et impiam intentionem ex-
cesserunt exsequendo quod voluit Deus,
ipsemet Deus per Jeremiam Chaldæos a *Jer.* ii.
Persis et Medis prædixit vastandos. Hinc
quoque de rege Assyriorum per Isaiam lo-
quitur Deus excelsus et justus : Væ As- *Is.* x, 5, 7.
sur; virga furoris mei et baculus ipse est.
Ipse autem non sic arbitrabitur, sed ad
conterendum erit cor ejus. Et in his pa-
tet subtilitas providentiæ Dei, profundi-
tas quoque et æquitas judiciorum Altis-
simi, unum per alium punientis. De qua
re super Danielem, aliosque Prophetas,
Hieronymus, Haymo, Beda et ceteri plura
conscribunt.

Postremo, super verbum Abdiæ præta- *Abd.* 1.
ctum, aliqui per legatum intelligunt ange-
lum : quod verum opinor, sive de angelo
bono, sive de malo dictum sit angelo. In
quantum enim Idumæi per sua facinora
meruerunt hostibus tradi, atque in quan-
tum Deus præordinavit eos per Chaldæos
punire, sic angelus bonus contra Idumæos
instigavit Chaldæos; sed in quantum Chal-
dæi crudeli perversoque animo id egerunt,
ab angelo malo incitabantur.

ARTICULUS VII

QUOD DEUS EST CAUSA MALORUM PŒNALIUM ET TORMENTORUM QUÆ ACCIDUNT JUSTIS.

HUCUSQUE ostensum est, quomodo D
mala culpæ a Deo sint. Jam de malis
pœnæ fari oportet. Talium autem malo-
rum, secundum doctores concorditer, Deus
est proprie causa, imo principalis prima-
que causa, saltem in quantum sunt pœnæ.
Is. xlv, 6, 7. Unde per Isaiam loquitur Deus : Ego Do-
minus, et non est alter, formans lucem et
creans tenebras, faciens pacem et creans
malum. Apud Jeremiam quoque : Si pœ- *Jer.* xviii, 8.
nitentiam egerit gens illa, agam et ego
pœnitentiam super malo quod cogitavi ut
facerem ei. In Jona quoque propheta scri-
ptum est : Misertus est Deus super malitia *Jonæ* iii, 10.

Digitized by Google

quam locutus fuerat ut faceret eis, et non A
Amos III, 6. fecit. Sed et Amos ait : Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecit?

Præterea contuendum, quod malorum pœnalium quædam sunt positiva, ut pœnæ sensibiles ; quædam privativa, ut cæcitas. Et utraque secundum Scripturas a Deo sunt, sed modo diverso : quoniam malorum positivorum causa effectiva, vel prima vel proxima, Deus asseritur ; malorum vero privativorum est causa, non influendo bona opposita. Unde damnatorum duplex ponitur pœna, videlicet damni et B
sensus. Et Christus testatur de cæco nato :
Joann. IX, 3. Neque hic peccavit, neque parentes ejus, ut cæcus nasceretur. Ubi insinuat, quod ex divina providentia contigit cæcitas cæco illi ad gloriam Dei, ut infra clarebit. Si autem objiciatur illud libri Sapientiæ,
Sap. I, 13. Deus mortem non fecit : dicendum, quod mors, ut est privatio quædam, causam effectivam directe non habet. Deus quoque prima et principali intentione mortem ho-
Ibid. 14. mini non inflixit (creavit enim ut essent
Gen. II, 17. omnia); sed propter hominis culpam mor- C
tem inflixit ut debitam pœnam, quasi aliunde inductus ad hoc, sicut et ceteras pœnalitates immittit. Quod (ut Isaias dis-
Is. XXVIII, 21. seruit) est opus alienum et peregrinum ab eo, cui proprium est misereri semper et parcere, quoniam ex propria ei id competit bonitate et pietate. Idcirco in libro Sa-
Sap. II, 24. pientiæ habetur : Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum. Itaque, malorum pœnalium positivorum Deus causa est effectiva, principalis, prima et summa. Dum tamen talia homini pro suis in- D
geruntur peccatis, voluntas humana est eorum meritoria causa. Diabolus vero causa est persuasiva, suis tentationibus inclinando ad vitia ; et nonnunquam est causa talium exsecutiva, tanquam divinæ instrumentum justitiæ, juxta illud Job :
Job XL, 14. Qui fecit illum, applicabit gladium ejus.

Quocirca pensandum, quia, ut super il-
Ibid. I, 3. lud Job, Fuit possessio ejus septem millia ovium, Thomas scribit : Ex prima Dei intentione justis semper bona tribuuntur a Deo, non solum spiritualia, sed temporalia quoque ; sed quod justi adversitatibus quandoque premuntur, ob aliquam specialem accidit causam. Unde et a principio sic institutus fuit homo, quod nullis adversitatibus subjaceret, si in innocentia permansisset : qua amissa, diversis ex causis inflicta sunt homini a Deo adversa.

Insuper, quomodo unus et idem effectus per comparationem ejus ad primam causam et infallibilem ac æternam providentiam ejus necessario fiat, utpote certa et infallibili causarum connexione ac ordine veniens, qui tamen per comparationem ad causas secundas et proximas, contingenter ac libere, seu etiam casualiter accidit, Boetius libro de Consolatione sapientissime docet : quod, brevitati studens, commemorare omitto. Quum ergo irrationalia, inanimata, et infima quoque providentiæ subsint divinæ, et in cunctis disponantur ab ea, quanto magis rationalis creatura, et universa quæ contingunt in ea? Propter quod ait Salvator : Nonne Luc. XII, 6.
quinque passeres veneunt dipondio, et unus ex illis non est in oblivione coram Deo? Ideo subdit ibidem : Vestri autem et Ibid. 7.
capilli capitis numerati sunt. Nolite ergo timere ; multis passeribus pluris estis.

Hinc constat, quod quidquid adversitatis acciderit homini, a quacumque etiam creatura seu causa creata, totum originaliter principaliterque ab illa altissima divinæ providentiæ (quæ causa est rerum) aula procedit, et ei provisum est, non utique nisi utiliter atque salubriter, dummodo bene utatur. Prædestinatis autem seu justis electis talia saluberrime accidunt, quippe quibus omnia cooperantur in bonum. Rom. VIII, 28.
Et ista est causa præcipua, cur cuncta adversa æquanimiter ferre debemus, atque in eis nostram conformare voluntatem voluntati et beneplacito ac providentiæ Dei, scientes quod ex præordinatione divina pro bono nostro hujusmodi accidunt nobis. Unde et inferentibus ea condolere, non indignari debemus : quia per eos

Digitized by Google

Deus salutem nobis procurat et operatur, quanquam ipsis id noceat quod persequuntur electos. Porro, dum a prælatis suis quis castigatur, patientissime atque hilariter pati debet, quum illi ipsius quærant salutem, et ex caritate id faciant. Si autem non meruit, aut durius disciplinatur, nihilo minus patiens sit, quoniam exercetur salubriter, et si patiens fuerit, multum meretur.

Quod itaque mala pœnalia et justorum tormenta a Deo potissime sint, Scriptura copiosissime docet. Nam sanctus Job a
Job I, 17; II, 7; I, 19. Chaldæis prædatus, a dæmone flagellatus, a tempestate sobole destitutus, perhibuit :
Ibid. 21. Dominus dedit, Dominus abstulit ; sicut Domino placuit, ita factum est. Non dixit, Diabolus abstulit ; vel, Chaldæi prædati sunt ; aut, Sicut diabolo placuit. Denique Satan non dixit ad Deum, Concede ut tan-
Ibid. II, 5. gam eum ; sed, Tange os ejus et carnem.
Tob. II, 11. Tobias quoque ex stercoribus hirundinum
Ibid. XI, 17. cæcus factus, loquitur Deo : Benedico te,
I Reg. IV, 2, 3. quia tu castigasti me. Sic et filii Israel a Philistæis cæsi, dixerunt : Quare percussit nos Dominus coram Philistiim ? Postremo, quum ex divina providentia justis adversa, et impiis accidunt prospera, de impiorum temporali prosperitate et potestate non debemus tristari, quum justo atque occulto id fiat judicio. Ideo ait Scriptura :
Ps. XXXVI, 1. Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem.

Quod si quis instet et dicat, quia secundum Aristotelem, de impiorum prosperitate dolendum est, respondet Thomas, quod Aristoteles non consideravit temporalia bona, nisi per comparationem ad vitam præsentem. Ex hac tamen solutione oritur difficultas, quum ex ea videatur posse inferri, quod secundum Aristotelem, Deus non haberet rerum et operationum providentiam humanarum. Sed hanc difficultatem, quæ paucis non valet expediri sermonibus, brevitati studens, dimitto. Si rursus dicatur, quod quum Deus sit justus, non nisi justum ab ipso procedit : sed justos pati tormenta, non jam justum videtur : dicendum, quod sive pro suis venialibus culpis, sive pro aliis causis sequenti articulo tangendis, justi patiantur tormenta, justum est per respectum ad Deum, qui non nisi ex rationabili causa hoc agit. Verumtamen (teste Anselmo) dupliciter dicitur aliquid justum secundum Deum. Primo et extense, quoniam decet Deum seu bonitatem aut sapientiam ejus. Secundo, quia ejus justitia id requirit, præsertim per comparationem ad merita sive demerita aliorum. Dum ergo dicitur a justo Deo non esse nisi justum, intelligendum est de justo communiter sumpto : alias falleret, quum Deus multis, reclamantibus eorum demeritis, misericordissime jam succurrat et gratiam præstet : quod tamen justum est primo modo, quia tam bonus et pius est Deus, ut deceat eum peccatoribus misereri. Unde et miseratio- Ps. CXLIV, 9.
nes ejus sunt super omnia opera ejus.

Postremo, sicut Gregorius Boetiusque fatentur, quamvis judicia Dei occulta et mira sint, dum electis et bonis proveniunt aspera et adversa, reprobis vero prospera et jucunda ; multo tamen secretiora et mirabiliora sunt Dei judicia, dum electis in hac vita accidunt prospera, reprobis vero adversa. Electi namque sunt in sæculo isto tanquam in exsilio, lacrimarum valle, ubi adversa expediunt eis magis quam prospera. Hinc viris illuminatis, virtuosis, perfectis, prosperitas valde suspecta est, et in ea plus metuunt, formidantes ne in præsenti pro suis remunerentur operibus, audiantque cum divite epulone : Recepisti Luc. XVI, 25.
bona in vita tua. Eapropter, dum honoribus extolluntur, dum ad sublimia promoventur, dum aliis præficiuntur, atque ab hominibus reputantur, non mediocriter expavescunt, sed interno concutiuntur timore, non ignorantes illud Gregorii : Hos eligit Deus, quos despicit mundus ; imo illud Apostoli : Abjecta et infirma ac stul- I Cor. I, 28, 27.
ta mundi elegit Deus, etc. ; illud etiam Psalmographi : Quoniam Deus dissipavit Ps. LII, 6.
ossa eorum qui hominibus placent ; confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos. Cui

Galat. I. 10. illud consonat Pauli : Si hominibus placerem, Christi servus non essem. Verum hæc omnia sane sunt intelligenda, quum idem I Cor. x, 33. dicat Apostolus : Ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est. Rom. xv, 2. Et denuo : Unusquisque proximo suo placeat in bonum ad ædificationem. Propter A quod monet Scriptura : Curam habe de bono nomine. Unde, qui negligit famam, crudelis est. Potissime si quis in materia fidei mendaciter diffametur, reniti debet secundum Deum pro posse, seque loco et tempore congruis expurgare secundum Sanctorum doctrinam. Eccli. XLI. 15.

ARTICULUS VIII

DE VARIIS CAUSIS TRIBULATIONUM HOMINUM IN HAC VITA ; DE MULTIPLICI QUOQUE UTILITATE ADVERSITATUM ET TRIBULATIONUM.

UT ab omnium capite electorum, justo justorum, et Sancto Sanctorum unico Dei Filio inchoetur, interdum tribulatio, tentatio, adversitas accidit justo nequaquam pro proprio ejus peccato, nec actuali nec originali, neque propter profectum ejus in gratia gratum faciente in via, neque ob gloriam præmii essentialis in patria, sed pro aliorum reconciliatione atque salute. Et hoc soli competit Christo, de Is. LIII. 6. 4. 5. quo scriptum est : Dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum. Vere dolores nostros ipse portavit. Cujus livore sanati sumus. De quo in Apocalypsi recoli- Apoc. I. 5. tur : Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. Christus autem a primo suæ incarnationis instanti perfectus fuit in omni charismate gratiæ gratum facientis, atque in donis gloriæ beatificæ fruitionis, neque in his unquam profecit : nec horum quidpiam meruit sibi (verumtamen accidentale præmium sibi ipsi promeruit) ; sed in universis quæ in mundo hoc egit, dixit et pertulit, promeruit nobis ; ejusque meritum per sacramenta Ecclesiæ, quæ sunt velut medicinalia vasa medicamenti cœlestis, applicatur hominibus.

Secundo, contingit tribulatio justo nequaquam pro aliquo ejus proprio actuali peccato, sed ad incrementum ipsius in B donis gratiæ in præsenti, in donisque gloriæ in futuro. Et ita sacratissima virgo Maria plures acerbissimas in hac vita passa est tribulationes, præsertim ex compassione Filii sui a die nativitatis ejus ex ea, usque ad horam suæ crucifixionis, et postea sæpe. Nempe (ut quidam Sanctorum scripserunt) tempore infantiæ Christi, benignissima Mater ejus infantilia membra ejus conspiciendo et contrectando, vehementissimo afficiebatur dolore, quia cognovit et ubertim consideravit, quam amaC rissima morte unicus et amantissimus Filius suus esset a crudelissimis occidendus, quomodo confodiendus. Unde nonnunquam ex mœroris magnitudine quasi defecit. Deinde usque ad tempus quo Christus orsus est prædicare, talibus sæpe afflicta est pœnis. Nec dubium, quin videns Filium suum a Judæis toties irrideri, blasphemari, ad mortemque impeti, cordialissime condolebat. Porro, tempore passionis adeo amaritudinibus est repleta, ut non immerito asserat Damascenus, doloD rem parturientium tunc duplicatum in ea. Sed et post Christi passionem, loca passionis ipsius, resurrectionis, ascensionisque visitando, variis affligebatur affectionum doloribus, jam Filii sui passionem ad memoriam revocando, jam ad ejus facialem in patria præsentiam suspirando.

Digitized by Google

Tertio, contingit tribulatio justis, ut citius et gloriosius coronentur, et sua patientia atque constantia alios in fide confirment, in caritate succendant, ad fortitudinem animi patientiamque conducant : quibus tamen tribulatio potest ad delenda si quæ habeant peccata, saltem venialia, esse accommoda, quemadmodum martyres sancti. Unde de B. Cypriano, qui ab hæreticis baptizatos, rebaptizandos putavit, asserit Augustinus, quod si quid in illo fuit purgandum, falce martyrii est deletum.

Præterea advertendum, quod tribulatio justorum, non eis dumtaxat, sed toti militanti Ecclesiæ prodest et subvenit : quoniam viatoribus merita communicantur Sanctorum per unionem caritatis ad illos, in concessionibus indulgentiarum, aut aliis modis, juxta illud Apostoli ad Colossenses (*Coloss.* I, 24.) : Gaudeo in passionibus pro vobis, et adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus quod est Ecclesia. Quocirca scribit Nicolaus de Gorra : Passiones quas pertulit Christus, et quas sustinent ejus fideles, sunt quasi quædam res publica, seu commune bonum, et thesaurus Ecclesiæ, in quo quilibet ponit partem suam : sicut in vase ad eleemosynam posito super mensam, omnes aliquid ponunt, donec adimpleatur. Qui thesaurus usque in finem sæculi plenus non erit : de quo tam liberales indulgentiæ fiunt. Itaque ait Apostolus : Adimpleo quæ desunt passionum Christi, id est, passiones, persecutiones seu pœnas quas pertulit Christus, et quas ipse pati me vult, quotidie tolero, Christi passionibus communicando in carne mea, in qua tanta sustineo pro corpore ejus quod est Ecclesia, scilicet ad commune bonum Ecclesiæ. Sed quæritur, quomodo ait, Quæ desunt passionum Christi, quum passio Christi fuerit prorsus sufficiens. Ad hoc datur duplex responsio : Una, dicentium quod in passione Christi nihil deest, quoad sufficientiam, sed quantum ad efficientiam. Alia, asserentium quod passiones Christi dicuntur dupliciter : uno modo, quas passus est in corpore proprio, et sic nihil fuit ibi implendum ; alio modo, secundum quod in suis patitur membris, puta fidelibus, (unde et Paulo dixit, Quid me persequeris ? (*Act.* IX, 4.)) et sic est ibi aliquid adimplendum.

Quarto, patiuntur electi et justi propter eorum peccata præterita, quemadmodum David propter excessum cum uxore Uriæ passus est multa (*II Reg.* XII, 9-12, 14, 18 ; XVI, 22.). Et filii Israel in libro Judicum ob hanc causam sæpe tribulati leguntur (*Judic.* II, 11-15 ; III, 6-8, 12-14 ; IV, 1, 2 ; VI, 1-6 ; X, 6-9 ; XIII, 1.). — Quinto, ut occulta eorum patientia atque perfectio, aliis in exemplum publice proponantur, sicut de sancto Job ait Gregorius. — Sexto, ut diversa æquanimiter sustinendo, probati, Deoque digni appareant. Unde Tobiæ Raphael dixit (*Tob.* XII, 13.) : Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te. Et sapiens quidam (*Sap.* III, 5, 6.) : Deus tentavit illos, et invenit illos dignos se ; tanquam aurum in fornace probavit electos. Ecclesiasticus quoque ait (*Eccli.* XXVII, 6.) : Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis. — Septimo, ut sustinendo adversa, capiti suo Christo plenius conformentur, dicente apostolo Petro (*I Petr.* II, 21.) : Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. Hinc Paulus ait (*II Tim.* II, 12.) : Si compatimur, et conregnabimus. — Octavo, ut per adversitatum tolerantiam in hac vita, a gravissimis et diuturnis purgatorii eruantur suppliciis, celeriusque pertingant ad gloriam. — Nono, ut tentationes et tribulationes ferendo, in spirituali militia fiant experti, sicque et aliis consulere queant, et compati proni sint. Hinc in Ecclesiastico habetur (*Eccli.* XXXIV, 9.) : Qui non est tentatus, quid scit ?

Decimo, ut ex afflictionibus et adversis ac tentationibus, propriam homo insufficientiam, infirmitatem, culpam et periclitationem advertat, sicque ad Deum confugiat, et erudiatur ab eo. Propter quod Isaias inducit (*Is.* XXVI, 16.) : Domine, in angustia requisierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis. Et denuo loquitur Isaias (*Ibid.* XXVIII, 19.) : Tantummodo sola vexatio dabit intellectum auditui. Hinc ad Jeremiam loquitur Deus (*Jer.* XXX, 11.) : Castigabo te in judicio, ne tibi videaris innoxius.

Digitized by Google

[*Osee* II, 6.] Et per Osee : Ecce ego sepiam viam tuam spinis. — Undecimo, ut homo ex adversis quæ patitur, sumat fiduciam divinæ dilectionis ad se, et gratias agat ; et patientiam servans, in gratia multa proficiat. Ideo secundo Machabæorum libro asseri- [II *Mach.* VI, 13.] tur : Etenim non diu sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficii est indicium. Siquidem nulla est gravior aut horribilior Dei vindicta, quam dum hominem ad libitum sine castigatione paterna peccare permittit. Idcirco per Ezechielem reprobo ait : [*Ezech.* XVI, 42.] Zelus meus recessit a te ; non irascar tibi [*Osee* IV, 14.] amplius. Et per Osee : Non visitabo super filias vestras quum fuerint fornicatæ. Atque [*Ps.* LXXX, 13.] in Psalmo : Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, etc. — Duodecimo, ne homo ex spiritualis profectus et gratiæ magnitudine extollatur. Propter quod Pau- [II *Cor.* XII, 7.] lus fatetur : Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi angelus Satanæ, etc. — Tertiodecimo, propter manifestationem potentiæ et misericordiæ Dei, et ob gloriam ejus : quemadmodum in Joanne loquitur Christus de cæco nato, [*Joann.* IX, 3.] quod cæcus sit natus ut manifestentur opera Dei in illo.

Quartodecimo, ut justitia Dei in afflictione pravorum appareat : quorum quidam per pœnas transitorias corriguntur ; aliorum, utpote impœnitentium, pœna hic inchoatur, et in alio sæculo perpetuatur, [*Act.* XII, 23. II *Mach.* IX, 7-10, 28.] ut Herodis, Antiochi atque similium. Sed contra hoc objici posset, quia, ut scribit [*Nahum* I, 9.] Nahum, Non consurget duplex tribulatio : ubi alia habet translatio, Non vindicabit Dominus bis in id ipsum. Quo in loco videtur sentire Hieronymus, quod Sodomitæ, et in diluvio pereuntes, ac similiter a Deo plagati in eremo, non sint damnati. Sed, ut in Decreto plene edocet Gratianus, videtur illud Hieronymi non posse intelligi, nisi de illis qui in ipsa Dei plagatione veraciter pœnituerunt. Verbum quoque Nahum prophetæ exponitur de tribulatione sufficienti, quia non ultra condignum, imo citra condignum punit Deus piissimus.

Dum ergo tot sint tribulationum saluberrimæ utilitates, clarum est quam prompte et gaudiose sint perferendæ. Propter quod Jacobus exhortatur : Omne gaudium [*Jacob.* I, 2.] existimate, fratres, quum in diversas tentationes incideritis. In Proverbiorum quoque libro legitur : Disciplinam Domini, fi- [*Prov.* III, 11, 12.] li mi, ne abjicias, et ne deficias quum ab eo corriperis. Quem enim diligit Dominus, corripit ; et quasi pater in filio complacet sibi. Hinc est illud in Job : Beatus homo [*Job* V, 17, 18.] qui corripitur a Domino. Increpationem ergo Domini ne reprobes, quoniam ipse vulnerat, et medetur ; percutit, et manus ejus sanabunt.

Ex quibus omnibus constat, quam sapienter Gregorius Boetiusque locuti sint, quod tunc judicia Dei sunt occultissima, dum electis in hoc sæculo proveniunt prospera, reprobis autem adversa : præsertim quum ad Hebræos scribat Apostolus, Quod [*Hebr.* XII, 8.] si extra disciplinam estis, ergo adulteri, et non filii estis.

ARTICULUS IX

CONFIRMATIO PRÆDICTORUM EX DICTIS SANCTORUM.

QUEMADMODUM illustrissimus pater noster Joannes Cassianus, religiosorum sapientissimus doctor, Collationum libro, collatione sexta, conscribit : In Palæstinæ partibus solitudo vastissima est, in qua summæ vitæ ac sanctitatis monachi diutissime commorantes, repente sunt a discurrentibus Sarracenorum latrunculis

Digitized by Google

interempti. Quorum corpora licet (inquit) A sciremus tam a pontificibus regionis, quam ab universa Arabum plebe, tanta veneratione prærepta, et inter reliquias martyrum condita, ut innumeri populi e duobus oppidis concurrentes, gravissimum sibi invicem certamen indixerint, et usque ad gladiorum conflictum pro sancta rapina sit eorum progressa contentio, dum pia inter se devotione decertant, quisnam justius illorum Sanctorum sepulturam atque reliquias possideret, aliis scilicet de vicinia commorationis ipsorum, aliis de origi- B nis propinquitate gloriantibus; nos tamen (ait Cassianus) vel nostra, vel quorumdam fratrum scandalizatorum offensione non mediocriter ex hac causa permoti, et inquirentes cur tantarum viros virtutum cunctis mirabiles, tradiderit Dominus manibus impiorum, mœsti ad S. Theodorum anachoretam perreximus.

Cui quum de prædictorum virorum nece querimoniam fudissemus, tantam Dei patientiam admirantes, beatus respondit Theodorus: Hæc quæstio illorum solet ani- C mos permovere, qui parum fidei vel scientiæ possidentes, merita Sanctorum quæ in futuro remunerantur, arbitrantur in hac
I *Cor.* xv, 19. vita restitui. Ceterum nos, qui non sumus in hac vita tantum sperantes in Christo, ne miserabiliores simus omnibus hominibus, nosse debemus quid sit vere bonum, quid malum. Etenim tria sunt omnia quæ in mundo hoc sunt, id est bonum, malum et medium. Nihil igitur in rebus humanis principale bonum credendum est, nisi sola animi virtus, quæ fide sincera nos ad D divina perducens, illi summo, infinito et incommutabili bono facit nos jugiter inhærere. Et econtrario, nihil malum esse dicendum est, nisi peccatum solum, quod a Deo nos separans, facit diabolo incorporari. Media autem sunt, quæ ad utramque partem possunt pro utentis affectu atque arbitrio derivari, utpote divitiæ, potestas, honor, robur et sanitas, corporis pulchritudo, vita ipsa et mors, paupertas, infirmitas atque similia, quæ bene utenti conferunt ad salutem, abutenti ad condemnationem. Porro, mala hæc, puta peccata, nulli inferri possunt invito, nec Deus id sinit. Hinc cor nostrum stabile esse debet, ut nec adversis frangatur, nec prosperis extollatur, quatenus omnia cooperen- *Rom.* VIII, 28.
tur ei in bonum. Unde mens justi similis esse non debet ceræ, quæ imprimentium semper cedit characteri, sed signatorio adamantino, ut inviolabilem sui characteris figuram jugiter tenens, universa quæ sibi incurrerint, ad qualitatem sui status transformet et signet, ipsa vero insigniri aut immutari nullis possit incursibus.

De hac ipsa materia in præallegata collatione multa continentur: quæ hic utiliter possent induci, nisi (cui studeo) brevitas prohiberet. Denique quibusdam Sanctis legitur Christus dixisse: Sicut annulus signum est desponsationis, sic tribulatio corporis et animæ verissimum signum est electionis divinæ, et quasi desponsatio animæ cum Deo, ut gravatus et tribulatus, confidenter dicere valeat Deo: Annulo suo subarrhavit me Dominus Jesus Christus.
Hinc ait Scriptura: Juxta est Dominus his *Ps.* XXXIII, 19.
qui tribulato sunt corde. De impiis autem: Non est virga Dei super illos. *Job* XXI, 9.

Digitized by Google

ARTICULUS X

RESPONSIO, CUR QUI BENE EGERUNT, FINALITER DEFICIUNT.

SOLVENDA jam est clausula propositæ quæstionis secunda. Quæ clausula (ut secundo tangebatur articulo) multipliciter potest intelligi, et juxta hoc multipliciter solvi. Si ergo sic intelligatur, Videmus eos qui bene egerunt, finaliter deficere, id est a cœpto salutis itinere cadere et cessare, non perseverando usque in finem: respondendum est ita, quod hujus ruinæ et inconstantiæ seu defectus causa immediata, directa et propria, est voluntas propria ejus qui deficit, cadit et peccat : quæ non obedit Apostolo edocenti, Nolite locum dare diabolo ; itemque, Benefacientes nolite deficere ; et rursus, Stabiles estote et immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino. Voluntas namque creata, in quantum ex nihilo est, vanitati et mutabilitati subjecta est, et prona in malum, prout libro de Civitate Dei Augustinus pertractat.

Ephes. IV, 27. II *Thess.* III, 13. I *Cor.* XV, 58. *Rom.* VIII, 20. *Gen.* VIII, 21.

Sunt vero et aliæ causæ infirmitatis et labilitatis voluntatis humanæ. Primo, ex parte corruptibilis corporis et carnis infectæ, dicente Scriptura : Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Et juxta Apostolum : Caro concupiscit adversus spiritum. Sed et in Job habetur : Qui habitant domos luteas, consumentur velut a tinea. De hoc etiam in Phædone subtiliter loquitur Plato. Secundo, ex vulneratione naturalium ratione originalis peccati, ex quo quatuor vulnera animæ infliguntur, videlicet ignorantia in intellectu, malitia in voluntate, infirmitas in irascibili, concupiscentia in concupiscibili. Unde in Ecclesiastico legitur : Jugum grave super omnes filios Adæ. Tertio, ex naturali conditione rationalis animæ, quæ ita se habet in ordine intellectualium substantiarum, sicut materia prima in ordine entium, secundum philosophos : idcirco intellectuale lumen multum in ea occumbit, voluntatisque vigor infirmus est, et vis ipsa instabilis. Quarto, ex tentationum impulsu, sive a diabolo, sive a mundo, sive ex passionibus infligantur. Itaque homo ex sua desidia atque ignavia, libere causa est suæ finalis defectionis, imperseverantiæ atque ruinæ. Si vero diabolus causa hujus dicatur, non est nisi causa persuadens, instigans, sive inclinans, non cogens. Deus autem causa istius non est, nisi non conservando seu gratiam subtrahendo : quod justo agit judicio.

Sap. IX, 15. *Galat.* V, 17. *Job* IV, 19. *Eccli* XL, 1.

Præterea, si altius inquiratur, cur unum labentium Deus misericorditer revocat, ad gratiamque reducit et salvat ; alium, quum ceciderit, non sublevat neque reducit, sed finaliter perire permittit : ad hanc quæstionem respondet Apostolus : O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus ! Quis enim cognovit sensum Domini ? aut quis consiliarius ejus fuit ? Hinc in Proverbiis Salomon dixit : Sicut qui mel comedit multum, non est ei bonum ; sic qui perscrutator est majestatis, opprimetur a gloria. Sapienter igitur consulit nobis Ecclesiasticus : Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris ; sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper. Ideo loquitur Augustinus : Quem trahat, et quem non trahat ; quare istum trahat, et illum non trahat : noli velle judicare, si non vis errare. Semel accipe et intellige. Nondum traheris ? ora ut traharis. Denique (teste

Rom. XI, 33, 34. *Prov.* XXV, 27. *Eccli.* III, 22.

Digitized by Google

Gregorio) iste bene incipit, et bene consummat; ille bene incipit, et male finit; alius male incipit, et tandem convertitur ac salvatur.

Sed cur Deus dat gratiam ei quem scit non perseveraturum, et hoc in juventute ipsius; alium in juventute permittit errare, et postea eum convertit, qui tamen etiam in juventute perseveranter mansisset in gratia, si eam tunc accepisset? Unus pæne toto tempore vitæ suæ pessime vivit, et circa finem convertitur ac salvatur; alius a pueritia bene se habet, et ætate ad occasum vergente relinquitur, imo magis relinquit. Una anima gentilium embryoni infunditur, gratiamque Baptismi nunquam sortitur; alia Christianorum embryoni immittitur, et Baptismi donum consequitur. Interdum quoque anima ante Baptismum a corpore separatur; et quædam post Baptismum ante rationis usum a corporibus exeunt et salvantur. Denique ad Ezechielem Dominus ait : Non ad gentem ignotæ linguæ tu mitteris : et si ad illam mittereris, audiret te. Sed ad filios Israel ego te mitto, qui nolunt audire te. Ecce misit Deus Prophetam ad eos quos novit non audituros, et non misit eum ad illos quos noverat audituros, si misisset eum ad illos. Nonne mirabile satis est hoc ipsum judicium? Cui tamen concordat Christus, in Evangelio ingratis urbibus exprobrans, quibus personaliter prædicavit : Væ (inquit) tibi, Capharnaum, etc., quia si in Tyro et Sidone facta fuissent signa quæ facta sunt in te, olim pœnitentiam egissent. Horum atque similium reddere rationem, intellectum excedit humanum, nisi dicamus simpliciter, quod voluntas et complacentia Dei est causa : sicut et Christus, quum dixisset, Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis, quasi causam assignans, adjecit : Etiam, Pater, quia sic placuit ante te. Quemadmodum etiam ait Psalmista Altissimo : Dextera tua, et brachium tuum, et illuminatio vultus tui, supple, salvavit

Ezech. III, 5-7.

Matth. XI, 23, 21.

Luc. X, 21.

Ps. XLIII, 4.

A illos, quoniam complacuisti in eis. Hinc in Exodo loquitur Deus : Miserebor cui voluero, et clemens ero in quem mihi placuerit.

Exod. XXXIII, 19.

Præterea, si iterum aliquis sciscitetur, cur istum magis quam illum revocat Deus, nonne potest responderi, quia hunc prædestinavit, non illum? Et si rursus hujus quæratur causa, nonne veraciter respondetur, quia istum elegit, non illum? Porro, et si hujus ratio investigetur, nonne rationabiliter dicitur, quia hunc magis B approbavit, quam illum? Siquidem, secundum ordinem rationis, prædestinationem præcedit electio, et electionem approbatio, ut super primum Sententiarum scribunt doctores. Sed si accipiatur prædestinatio, prout electionem et approbationem includit, quomodo etiam communiter sumitur, quid poterit responderi? Forsitan dicetur, quod iste aliqua bona ante fecit, magis quam ille, ideo revocatur magis quam alter. Sed dato quod hoc aliquando et in aliquibus rite respondeatur, non ta- C men in omnibus locum habet, quum aliqui post longam ac sanctissimam eremiticam vitam (teste Hieronymo) lapsi sint, nec reducti; alii post modicam Dei servitutem collapsi, sunt revocati.

Insuper, quamvis verum esset, quod aliqui dicunt, Deum semper ad aliquam congruitatem respicere, quoad eos quibus gratia datur, conferendo gratiam uni magis quam alteri; si tamen totus prædestinationis effectus simul accipiatur, istud veritatem non habet. Nam quidquid con- D gruitatis assignetur ex parte prædestinatorum, hoc totum cadit sub providentia prædestinationeque Dei, quæ non solum concernit gratiam finalem in præsenti et gloriam in futuro, sed etiam omnia illa, per quæ prædestinatus pertingit ad gratiam viæ et gloriam patriæ, tam in remotione impedimentorum, quam in adeptione necessariorum atque utilium auxiliorum. Certum est autem, quod partialis effectus esse non possit causa totius effectus prædestinationis, quia sic esset causa sui ip-

Digitized by Google

sius. Propterea, si totus prædestinationis effectus simul sumatur, non poterit ratio assignari, cur istum magis quam illum prædestinaverit Deus, et cur istum reducit, non illum, nisi divina voluntas, quæ est omnium prima causa : quamvis in generali causa detur, cur quosdam prædestinavit, et alios reprobavit, ut scilicet in istis misericordiam, in illis justitiam suam ostendat. Cujus exemplum in artificialibus naturalibusque monstratur, ut quod ex eodem luto figulus facit unum vas pulchrum ad honorabiles usus, aliud deforme ad usus viles, ratio datur, quia utrisque vasis indiget domus. Quod autem ex hac parte luti potius facit vas pulchrum quam turpe, non est ratio nisi voluntas ipsius, quum utraque pars luti sit æque disposita. Similiter in prima rerum creatione, causa præstatur, cur una pars materiæ sit sub forma ista, alia pars materiæ sub forma illa ; non autem cur determinate ista pars materiæ sit sub forma aquæ, illa sub forma terræ aut aeris (quum secundum se indifferenter ad illas formas se habeat), nisi Creatoris voluntas.

Rom. IX, 23, 22. *Ibid.* 21. II *Tim.* II, 20.

Hinc ad Romanos apertissime dicit Apostolus : Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Dicit enim Scriptura Pharaoni : Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam, et enarretur nomen meum in universa terra. Dicis itaque mihi : Ergo cujus vult, miseretur ; et quem vult, indurat. Voluntati autem ejus quis resistit ? Ad hoc respondens Apostolus, subdit : O homo, tu quis es, qui respondeas Deo ? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, Cur me fecisti sic ? Annon habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam ? Postea quoque : Vide, inquit, bonitatem, et severitatem Dei : in eos quidem qui ceciderunt, severitatem ; in te autem bonitatem, si tamen permanseris in bonitate. His verbis Apostoli, Jeremiæ et Isaiæ consonant verba. Nempe, per Jeremiam loquitur Deus : Numquid sicut figulus non potero vobis facere, domus Israel ? Ecce sicut lutum in manu figuli, ita et vos in manu mea. Isaias quoque inducit : Væ qui contradicit factori suo. Numquid dicit lutum figulo suo, Quid facis ?

Rom. IX, 16-19. *Ibid.* 20, 21. *Ibid.* XI, 22. *Jer.* XVIII, 6. *Is.* XLV, 9.

Sed tunc rursus quæstio oritur. Quum etenim ratio comparetur regi, et voluntas tyranno, si summa primaque causa prædestinationis et electionis unius præ alio, est mera Dei voluntas, videtur tyrannicum esse negotium, irrationabile et injustum. Sed respondendum, quod aliter est de increata voluntate divina, quam de voluntate creata. In Deo etenim superbeatissimo et æterno, realiter idem sunt voluntas, sapientia, atque justitia ; sed in creaturis hæc differunt. Idcirco, eo ipso quo Deus sic agit et vult, justum ac sapientiale exsistit ; nec sine ratione Deus sic agit, quamvis illam in speciali assignare nemo idoneus sit.

Postremo, de materia ista, non nisi cum ingenti reverentia et timore, cum sobrietate meditari debemus et loqui. Ea quoque quæ dicta sunt, electis reverentialem timorem incutiant grandem, scientibus quam vere Ecclesiastes dicat, Nescit homo utrum amore an odio dignus sit ; quam item veraciter rursus Salomon proferat, Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ille despexerit. Quæ autem jam scripsi, Thomas, Bonaventura, Richardus de Mediavilla, Durandus, et alii multi super primum Sententiarum conscribunt.

Eccle. IX, 1. *Ibid.* VII, 14.

Præterea, si clausula memorata intelligatur de malis pœnalibus, scilicet, quod qui bene egerunt, finaliter dicuntur deficere, quia usque ad finem adversitatibus afficiuntur, violenterve occiduntur : tunc ex præcedentibus articulis patet, cur ita contingat, et quomodo Deus sit causa hujus, et quare sic ordinavit et facit, videlicet propter multiplicem utilitatem electis inde nascentem.

Si demum intelligatur quantum ad hoc, quod qui bene egerunt, subinde adversitatibus cedunt, et acerbitate pœnarum vincuntur, persecutionibusque succumbunt (ut illi qui in persecutionibus constituti

Digitized by Google

fidem timore supplicii negaverunt : quo- A contra ait Salvator, Nolite timere eos qui corpus occidunt) (*Matth.* x, 28.); tunc ex dictis in isto articulo claret solutio. Causa enim directa et propria defectionis illius culpabilis, propria est voluntas, quæ a fortitudine animi cadens, mollitiei dat locum, nec ad Deum digne confugit ejus quærendo auxilium. Persecutores autem et dæmones tentatores, sunt causæ deficientiæ talis dispositivæ, motivæ et occasionales, ut dictum est plenius.

ARTICULUS XI

SOLUTIO PARTICULÆ TERTIÆ, SCILICET, UNDE PROVENIAT QUOD MALOS VIDEMUS SÆPE OPTIME MORI.

Si mali in malitia finaliter permanentes, idcirco optime mori dicantur, quia in prosperitate mundana, et præsentia ac consolatione amicorum ac propinquorum, et leni quodammodo morte decedunt, hoc ex providentia Dei et justo ejus procedit judicio : vel quia fortasse aliquid boni egerunt, pro quo in vita hac præmiantur, quemadmodum diviti epuloni Abraham dixit, Recepisti bona in vita tua (*Luc.* xvi, 25.); vel ad damnationem eorum majorem, qui beneficiis Dei in tantum fuerunt ingrati, sicque eorum damnatio appareat justior; vel propter ostensionem liberalitatis et bonitatis divinæ, quæ ingratis et reprobis tot bona largitur, quemadmodum ait Salvator : Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos ; et eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos et malos (*Ibid.* vi, 27, 35.); qui solem suum facit oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos (*Matth.* v, 45.). Qui etiam nullum bonum, quantumlibet modicum, deserit irremuneratum.

Porro, si clausula hæc intelligatur de malis conversis, qui pœnitentiam agentes condignam saluberrime moriuntur : tunc istud tanto plus attribuendum est superpiissimo Deo, et prædestinationi ac gratiæ ejus, quanto sic optime mori, excedit præfatum optime mori. Quamvis equidem præscientia et reprobatio Dei non sit proprie causa culpæ reproborum, prædestinatio ta- B men est proprie causa totius gratiæ et virtutis electorum, quibus Deus ab æterno præordinavit, et dare decrevit omnia quibus perveniunt ad salutem. Propter quod asserit Augustinus : Si prædestinatus est, ad tempus errare potest : in æternum perire non potest. Et Veritas ait : Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet (*Joann.* vi, 37.). Sic Paulus, quia vas erat electionis (*Act.* ix, 15.), quamvis ad tempus fuerat persecutor et homicida, viros et mulieres trahens ad mortem (*Ibid.* viii, 3.), sacrilegus et blasphemus (I *Tim.* i, 13.), optime obiit.

C Præterea contuendum, quod tam sacra Scriptura, quam expositores sancti et doctores scholastici, loquuntur de bonis et malis, justis et injustis, electis et reprobis, dupliciter, puta formaliter et materialiter, seu in sensu composito et diviso. Loquendo namque de eis formaliter atque in sensu composito, justus non potest damnari, nec prædestinatus perire. Sicque ait Salvator : Non potest arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala fructus bonos facere (*Matth.* vii, 18.). Verumtamen arbor bona, seu bonus D homo, potest fieri malus, in quantum liberi est arbitrii, et voluntatem habens vertibilem. Insuper, quæ in Scripturis de justis et injustis dicuntur, ut communiter intelligenda sunt de eis ex hypothesi, utpote si tales usque in finem permanserint : sicut quum dicitur, Qui se humiliat, exaltabitur (*Luc.* xiv, 11; xviii, 14); vel, Beati qui esuriunt (*Matth.* v, 6.)

justitiam, quia saturabuntur. Prædestinatus quoque (loquendo de eo materialiter atque in sensu diviso, videlicet ut est viator peccabilis, liberum habens arbitrium) potest damnari. Prædestinatio quippe non tollit ab eo vertibilitatem ac libertatem propriæ voluntatis. Quod si quis dixerit : Si hoc modo, Potest damnari, ponatur in A esse, ergo potest esse quod prædestinatus damnatur. Et respondendum, quod stante hypothesi, scilicet quod sit prædestinatus, non potest poni in esse. Et si materialiter loquendo, seu in sensu diviso, ponatur in esse, tunc hypothesis tollitur, et antecedens aufertur : unde est ibi necessitas consequentiæ, non consequentis.

ARTICULUS XII

AN FATALIS INFLUENTIA CAUSA SIT ACTUUM HUMANORUM AC DIVERSÆ TERMINATIONIS EORUM.

PRO hujus intelligentia quæstionis scire oportet, an fatum sit, et quid sit. Et primo videtur quod nihil sit, quoniam Augustinus in libro de Doctrina christiana affirmat, quod fatum nil sit. Et si mathematici interdum aliqua vera de futuris prænuntiant, dæmonum operatione id faciunt ad deceptionem fidelium. Gregorius quoque : Absit, inquit, a fidelium cordibus, ut fatum aliquid esse credant. Insuper videtur quod nec fati nomine uti sit licitum. Siquidem quinto de Civitate Dei loquitur Augustinus : Si quis Dei potestatem aut ordinationem nomine fati designet, sententiam teneat, linguam corrigat. Cum infidelibus namque nec nomina debemus habere communia. Infideles autem quamplures philosophi atque hæretici, male senserunt de fato. In oppositum est, quod fidelis noster Boetius, aliique doctores catholici fato utuntur, ipsum definiunt, et aliquid esse dicunt.

Et respondendum, quod propter rationes prætactas non decet fidelem fati nomine uti absque distinctione seu declaratione præmissa. Itaque intuendum, quod (ut in tractatulo quodam de Fato, qui Thomæ adscribitur, continetur) nomen fati multipliciter sumitur. Primo, pro morte dispositione periodorum inducta, secundum il- B lud in Anticlaudiano : Livor post fata quiescit. Secundo, dicitur fatum æterna dispositio providentiæ Dei de rebus agendis ; sicque in præallegata auctoritate Augustini accipitur. Sic tamen communiter nec proprie sumitur, neque astrologi de fato loquentes ita sumpserunt. Tertio, sumitur pro vi aut constellatione seu causali influxu stellarum ac planetarum ac orbium. Cui quidam philosophi putaverunt omnia inferiora, etiam actus humanos, de necessitate subjici ac parere, dicente Poe- C ta : Fata volentem trahunt, nolentem cogunt. Et ita, secundum Gregorium, fatum nihil est, quoniam opinio illa fuit erronea, ut patebit. Quarto, accipitur pro dispositione connexionis ordinisque causarum, secundum quod dispositio ista in rebus creatis digesta atque explicita est, juxta providentialem præordinationem mentis divinæ, quæ per causas secundas exsequitur, quod in se ipsa æternaliter ac providenter intuetur. Et hoc modo fatum negare, est providentiam Dei auferre, ut in D Summa contra gentiles, libro tertio, Thomas fatetur.

Præter has fati acceptiones, adhuc alia ponitur in tractatulo præallegato de Fato, quum dicitur : Fatum est forma ordinis esse et vitæ inferiorum, causata in ipsis

Digitized by Google

ex periodo cœlestis circuli, qui suis radiis ambit nativitates eorum. Et hoc modo loquitur Hermes Trismegistus, dicendo : Fatum est causarum complexio, singulis temporaliter distribuens quæ sacramento deorum cœlestium sunt præordinata. Et dicit auctor præfati opusculi, fatum sic sumptum distingui a fato a Boetio definito, non tamen necessitatem imponere rebus. Sed quomodo verum sit hoc, scilicet quod distinguatur realiter a fato, prout Boetius illud definit, difficile est videre.

Præterea quæritur, an fatum illud de quo loquuntur quidam astrologi, asserentes quod rebus necessitatem imponat, sit aliquid. Et apparet quod imo, quia, secundum philosophos prognosticantes in astris, ut Ptolemæus edocet in Tetraston, * Mashalla et Albumasar, et Amakir, et Mestella*, et Aristoteles, et Gergis, et Albategni, cum aliis, in hora conjunctionis respicitur ascendens et domus ascendentis, et confertur cum alio planeta qui respicit ascendens per se vel per alium, et cum luna quæ magnum habet dominium fere in qualibet conjunctione, nisi sit in combustione solis. Si autem non est alius respiciens ascendens, confertur cum sola luna domus ascendentis, cum domino domus rei quæsitæ, et secundum quod illi conjungetur, vel non conjungetur, vel respiciens se vel non respiciens, fit judicium de re quæsita vel fienda, vel non fienda. Ergo videtur quod astra in omnibus vigorem habeant ac virtutem. Præterea Isaac Israelita philosophus, in libro Definitionum disseruit, quod Deus facit regnare orbem supra inferiora, et disponit secundum imperium ejus regna et bella, ac cetera quæ ab hominibus reguntur sive geruntur. Insuper, secundum Philosophum, inter superiora moventia et inferiora, concors est harmonia, quemadmodum inter citharæ chordas. Et denuo : Oportet, inquit, hunc mundum contiguum esse lationibus superiorum, ut tota ejus virtus inde gubernetur.

Ad hæc, libro de IV Coæquævis ita respondet Albertus : Astra vim habent et

A rationem signi super ea quæ sunt in materia transmutabili, et etiam super illa quæ obligata sunt illi. Et dico (ait) illa esse in materia, quæ sunt generabilia et corruptibilia ac mutabilia; illa autem obligata materiæ, quæ de necessitate sequuntur transmutationem materiæ, sicut est anima vegetabilis atque sensibilis. Quædam autem sunt, quæ dependentiam habent ad materiam et obligationem secundum quid, et non simpliciter : sicut est animus hominis. Unde dicimus sanguinem
B accensum circa cor, animum hominis inclinare ad iram ; et tamen non de necessitate irascitur. Et secundum quod animus inclinatur ad materiam et complexionem, sic etiam in eum habet vim constellatio secundum quid, et non simpliciter : aliter perirent casus, et liberum arbitrium, et consilium, ut probat Philosophus in fine primi Perihermenias, et secundo Physicorum. Sed adhuc est distinguendum, quoniam quædam est causa immediata, et propter quid, et quædam est causa universalis
C movens et inclinans causas immediatas. Et dum dicitur, quod stellæ habent vim in inferioribus, intelligitur, quod habent vim sicut causæ universales moventes et inclinantes causas immediatas, et propter quid : idcirco non semper sequitur ad constellationem effectus.

His consonat Thomas, duas assignans causas, ob quas constellationem et influxum causalem cœlestem contingit non sortiri effectum. Primo, ob dispositionem contrariam in materia exsistentem ex qua-
D litatibus elementorum, per quas ad inferiora defertur. Omne etenim quod in alio recipitur, recipitur et est in eo secundum modum capacitatemque recipientis, secundum Boetium et auctorem libri de Causis. Secundo, propter oppositas dispositiones in anima sensitiva inventas. Hoc quippe faciunt apprehensa in anima sensitiva, quod faciunt dispositiones qualitatum activarum et passivarum in corporibus. Unde ex imaginatione mulieris totum corpus aliquando transmutatur; et ut re-

Digitized by Google

citat Avicenna, quidam ex imaginatione et timore lepræ, leprosus effectus est. Hinc patientibus sanguinis fluxum, prohibet Galenus adspectum rubicundorum. Si ergo apprehensa, sint constellationi motuique cœlesti contraria, excludunt effectum ipsius ab anima, sicut per contrarias dispositiones excluduntur a corpore. Porro, per dispositiones corporales ac animales cœlesti influxioni convenientes, juvatur cœlestis effectus. Propter quod Mesialat* protestatur, quod cœlestis effectus a sapiente juvatur astronomo.

* Mashalla

Horum quoque causam optime tradit Ptolemæus in Quadripartito, dum ait : Virtutes stellarum per aliud et per accidens fiunt in inferioribus. Per aliud quidem, quia per sphæram activorum et passivorum, per quorum qualitates activas atque passivas inferioribus istis inhærent. Per accidens autem, quia quum forma hæc sit a causa necessaria et immutabili, accidit ei habere esse in inferioribus ac contingentibus. Hinc quoque Philosophus secundo de Somno et vigilia, assimilat moventia hujuscemodi duplicibus consiliariis. Sapientes enim consiliarii ex rationibus certis suadent aliquid universaliter faciendum, quod tamen inferiores consiliarii, propter diversos casus obviantes dissuadent : et tunc solvitur lex consilii superiorum sapientium.

Denique de fato, super primum Sententiarum, distinctione 39, Thomas sic scribit : Fatum et providentia differunt per essentiam, sicut forma domus est aliud per essentiam, secundum quod est in mente artificis, ubi nomen artis habet, et secundum quod est in lignis atque lapidibus, ubi artificiatum dicitur. Ita ratio gubernationis rerum, aliud esse habet in mente divina, ubi providentia dicitur ; et aliud in causis secundis, quarum officio gubernatio expletur, ubi fatum vocatur, a *for, faris,* vel quia est quoddam effatum ordinationis divinæ, quemadmodum verbum vocale est quoddam effatum interioris conceptus; vel quia ex harum conside-
A ratione causarum fari solebant antiquitus de rebus futuris, sicut ex consideratione motus cœli præcipue. Hæc eadem scribunt ibidem Richardus de Mediavilla, Durandus, ac alii.

Porro in Summa contra gentiles, libro tertio, ait : Videntes quidam multa in mundo hoc inferiori per accidens et a casu contingere, si particulares causæ considerentur, posuerunt, quod nec a superioribus causis ordinentur : et isti dixerunt fatum omnino nihil esse. Quidam vero in
B causas superiores ea reducere sunt conati, a quibus cum quadam dispositione ordinate procedant : et hi fatum aliquid esse ponebant, tanquam ea quæ videntur a casu contingere, ab aliquo superiori sint effata, seu prælocuta et ordinata, ut essent. Et horum nonnulli, omnia quæ hic contingunt, reducere voluerunt in corpora cœlestia, sicut in causas, vim siderum fatum dicentes, cui prædicta omnia cum necessitate subjicerentur, etiam electiones humanæ : quæ positio improbata est sa-
C tis a Sanctis. Alii omnia in divinam providentiam reduxerunt, ordinationem quæ est in rebus ex providentia divina, fatum vocantes. Sicque ait Boetius : Fatum est inhærens rebus mobilibus dispositio, per quam Providentia suis quæque connectit ordinibus.

At vero in prima parte Summæ suæ, quæstione 116, asserit Thomas : Fatum in causis creatis est, prout divinitus ordinatæ sunt ad suos effectus. Hinc fatum, si consideretur per comparationem ad divi-
D nam providentiam, a qua velut a propria origine proficiscitur et causatur, immobile et incommutabile est, certum et fixum, sicut Providentia. Nam quantum ad Deum, nihil est casuale, ignotum, sive incertum. Si autem fatum referatur ad causas secundas, particulares et proximas, mobile est. Necessitas quoque fati, quantum ad Deum, necessitas est conditionata, non absoluta est. Insuper ait ibidem Thomas : Quum fatum sit dispositio Providentiæ in causis secundis explicita et velut dispersa,

Digitized by Google

ideo quæ immediate a Deo fiunt, fato non subjiciuntur, sed soli providentiæ Dei, sicut creatio, justificatio, glorificatio. Quæcumque vero divina providentia per causas secundas exsequitur, fato subduntur. Unde, secundum Boetium, quæ summæ Divinitati propinqua sunt, fatalis ordinis seriem ac mutabilitatem excedunt. De ceteris vero ait : Series fati cœlum ac sidera volvit, elementa contemperat, nascentia occidentiaque per similes fetus reducit, actus fortunasque hominum indivisibili causarum commixtione constringit.

Præterea, sicut Guillelmus Parisiensis in libro suo de Fide et legibus recitat : Quidam philosophorum et astrologorum in tantum omnia quæ in mundo hoc inferiori sunt, cœlorum atque stellarum influentiis posuerunt de necessitate subjecta, quod etiam diversitates sectarum et legum, sicut et alias diversitates conditionesque hominum, attribuerunt cœlis et stellis ut causis, asserentes legem Hebræorum ortum habuisse a Saturno et cœlo ipsius, et propter hoc diem Saturni, qui dies est sabbati, celebriorem esse apud Judæos. Legem autem Sarracenorum, in qua viget voluptas, dicunt a Venere orbeque ejus esse, ideo Sarracenos diem Veneris celebrare. Legem vero Christianorum, quæ sola est lex veritatis, honestatis et sanctitatis perfectæ, dicunt legem solis, ideoque Christianos diem solis, id est diem dominicum celebrare. Hanc opinionem inanem præfatus doctor libro præallegato efficaciter reprobat.

De hac quoque materia multum compendiose scribit dominus Petrus de Alliaco, libro suo de Sectis et legibus contra superstitiosos astronomos, ubi inter cetera approbat dictum cujusdam doctoris, dicentis : Licet voluntas non cogatur, tamen corpus alteratur per virtutes cœlorum, et tunc anima corpori unita, fortiter excitatur atque inducitur, quamvis non cogatur, ut velit sequi corporis inclinationes ad actus publicos aut privatos, et ad actus bonos seu malos. Addit etiam Petrus de A Alliaco, quod bonitas constellationis confert ad bonitatem complexionis, ex qua aliqui inclinantur ad bona, quemadmodum alii in quibus complexio prava est, ut melancholici, fortes habent inclinationes ad mala. Non tamen putandum est, quod aliqui planetæ in se aut directe malevoli sint, aut causæ malitiæ; sed ex ineptitudine et inhabilitate susceptibilitatis materiæ, malitia corruptioque contingunt : quemadmodum lux solis aliquibus visum juvat, in aliis visum lædit, juxta B dispositionem suscipientis.

Ex præinductis patet solutio dubii, an fatalis influentia causa sit diversitatis actuum atque eventuum humanorum. Est etenim distinguendum : quoniam si sermo est de fato, de quo dixerunt quamplures quod necessitatem rebus inferret, dicendum est, quod nequaquam, et quod hujusmodi fatum non sit. Si autem fatum sumatur pro vi insita stellis, planetis, orbibusque cœlorum, seu causali influxui virtutis illius, quæ agit in inferiora, se- C cundum doctores catholicos et meliores philosophos, absque hoc quod necessitatem imponat, præsertim actibus humanis : tunc respondetur, quod influentia fatalis est causa dispositiva sive inclinans multiplicis diversitatis et eventus, ac variæ terminationis actuum humanorum, secundum quod aliqui ex sua complexione, ex influxu cœlesti causata, inclinantur ad tale vel tale bonum, aut malum, et ad passiones diversas : quibus pauci, videlicet sapientes, resistunt, secundum Philosophum. Cer- D tumque est, quod juxta qualitatem operum et meritorum suorum, diversa eis contingunt, prospera aut adversa.

Unde et Thomas prima parte Summæ suæ, quæstione 115, sic scribit : Corpora cœlestia in corpora inferiora directe agunt et influunt; in potentias vero organicas animæ imprimunt, in quantum secundum variam dispositionem organorum, hujusmodi vires diversimode agunt, scilicet bene vel male. Intellectus autem et voluntas sunt inorganicæ vires : idcirco corpora

Digitized by Google

A cœlestia non imprimunt in eas, nisi indirecte, in quantum cognitio et affectio intellectualis a sensibilibus et sensitivis potentiis ortum habet. Idcirco necessitatem non inferunt corpora cœlestia in organicis viribus : imo sensitiva pars animæ subditur rationi, et appetitus inferior voluntati.

De præsenti demum materia habentur perpulchra in libro prætacto Petri de Alliaco, et in tractatu Ægidii de Roma, quem fecit contra errores philosophorum, præsertim astronomorum, videlicet Albumasar et Alkindi, Avicennæ quoque et Algazelis atque Averrois, etc.

ARTICULUS XIII

DE FORTUNA : QUID SIT, ET AN AB ASTRIS DEPENDEAT, ET QUALITER CAUSA SIT ACTUUM HUMANORUM ET DIVERSITATIS EORUM.

B De hac ipsa materia subtiliter ac profunde scribit Thomas in Summa contra gentiles, tertio libro : cujus verbis pauca præmitto. Etenim quidam philosophi multa in mundo hoc, fortuitu casualiterque evenire cernentes, Deum de inferioribus istis habere providentiam negaverunt. Alii econtrario Deum universorum providentiam habere fatentes, fortunam et casum nil esse dixerunt, nisi secundum apparentiam tantum, eo quod omnia de necessitate venirent, juxta certam et infallibilem causarum connexionem ac seriem, C a divina mente prævisam, præfixam seu institutam. Inter hos duos errores extremos, catholicæ fidei medium tenet doctrina. Porro fortuna est causa per accidens in agentibus secundum propositum extra frequenter et semper, hoc est in effectibus qui fiunt raro et præter intentionem agentis rationalis naturæ. Est ergo omnium orthodoxorum Patrum sententia, quod quamvis divina providentia sit universa complectens, præintuens et disponens, non tamen aufert a rebus naturales proprieta- D tes earum, imo eis illas largitur. Ideo in hominibus manet mentis libertas, et vertibilitas voluntatis, et variabilitas ac contingentia manent in rebus : sicque per comparationem ad particulares et proprias, naturales ac proximas causas, multa a fortuna casuque fiunt.

Fortuna quid sit.

Itaque loco præfato sanctus Doctor sic ait : Ex his apparere potest, quomodo aliquis bene fortunatus dicatur. Dicitur namque homini secundum fortunam bene contingere, dum aliquod bonum accidit sibi præter suam intentionem, quemadmodum aliquis fodiendo sepulcrum, invenit thesaurum quem non quærebat. Contingit autem aliquem aliquid operari præter intentionem propriam, non tamen præter intentionem alicujus superioris, cui ipse subest : ut si dominus aliquis præcipiat uni servorum suorum ire ad aliquem locum, ad quem alium misit servum, illo id ignorante ; tunc occursus servorum est præter intentionem eorum, non præter intentionem domini eos mittentis. Et ideo licet per comparationem ad hunc servum, sit fortuitum et casuale sic alii obviare, non tamen per comparationem ad dominum : imo quoad eum, est præordinatum. Quum igitur homo secundum corpus suum ordinatus sit sub corporibus cœlestibus, secundum animam sub angelis, secundum voluntatem sub Deo, potest contingere aliquid præter intentionem hominis, quod tamen est secundum ordinem cœlestium corporum, vel dispositionem angelorum, aut etiam Dei. Quamvis enim solus Deus directe ad electionem hominis operetur, tamen actio angeli operatur aliquid ad electionem hominis per modum persuasionis,

Digitized by Google

actio autem cœlestis corporis per modum disponentis, in quantum corporales cœlestium corporum impressiones disponunt ad aliquas electiones. Quum ergo aliquis ex impressione cœlestium corporum et superiorum causarum, secundum prædictum modum inclinatur ad aliquas electiones sibi utiles, quarum tamen utilitatem ipsemet nescit, et cum hoc ex illuminatione intellectualium substantiarum illuminatur intellectus ejus ad eadem agenda, et ex divina operatione inclinatur ejus voluntas ad aliquid eligendum aut operandum sibi utile, cujus tamen rationem ignorat, dicitur bene fortunatus ; et econtrario male fortunatus, quando ex superioribus causis ad contraria ejus electio inclinatur : sicut de Joakim dicitur ad Jeremiam, Scribe virum istum sterilem, qui in diebus suis non prosperabitur. — Sed in hoc est differentia attendenda. Nam impressiones corporum cœlestium in corpora nostra, causant in nobis naturales corporum dispositiones, et ideo ex dispositione relicta ex cœlesti corpore in corpore nostro, dicitur aliquis bene fortunatus aut male, sed et bene natus aut male : secundum quem modum Philosophus dicit in Magnis moralibus, quod esse bene fortunatum, est esse bene natum. Non enim potest intelligi, quod ex natura intellectus diversa procedit, quod unus utilia sibi eligit et alius nociva præter rationem propriam, quum natura intellectus et voluntatis in omnibus hominibus sit una. Diversitas namque formalis induceret diversitatem specificam. Diversitas autem materialis inducit diversitatem secundum numerum. Unde, secundum quod intellectus hominis illustratur ad aliquid agendum, vel voluntas a Deo instigatur, non dicitur aliquis bene natus, sed potius bene custoditus vel gubernatus. — Rursus attendenda est circa hoc alia differentia. Nam operatio angeli et corporis cœlestis est solum disponens ad electiones ; operatio autem Dei est sicut perficiens. Quum autem dispositio, quæ est ex corporis qualitate vel intellectus persua-

Jer. XXII, 30.

A sione, necessitatem ad eligendum non inducat (non enim semper homo eligit id quod angelus custodiens eum intendit, neque illud ad quod corpus cœleste inclinat; semper tamen homo hoc eligit, quod Deus operatur in ejus voluntate) : hinc custodia angelorum interdum cassatur, juxta illud Jeremiæ, Curavimus Babylonem, et non est sanata. Et multo magis inclinatio cœlestium corporum cassatur interdum ; divina vero providentia semper est firma. — Est etiam adhuc alia differentia consi-

Jer. LI, 9.

B deranda. Nam, quum corpus cœleste non disponat ad electionem, nisi in quantum imprimit in corpore nostro, ex quibus incitatur homo ad eligendum, per modum quo passiones inducunt ad electionem ; omnis dispositio ad electionem quæ est ex corporibus cœlestibus, est per modum passionis, sicut quum quis inducitur ad aliquid eligendum ex odio, vel amore, seu ira. Ab angelo vero disponitur aliquis ad aliquid eligendum per modum intellectualis considerationis absque passione : quod

C contingit dupliciter. Aliquando enim illuminatur intellectus hominis ab angelo ad cognoscendum solum, quod aliquid est bonum fieri, non autem instruitur de ratione per quam est bonum, quæ sumitur ex fine : et ideo quandoque æstimat homo, quod aliquid sit bonum fieri, et tamen si quæreretur ab eo, quare, responderet se nescire. Ideo, quum pervenerit in finem utilem quem non præconsideravit, erit sibi fortuitum. Interdum vero per illuminationem angeli instruitur, quod hoc sit bo-

D num, et de ratione quare sit bonum, quæ dependet ex fine. Et sic, quando pervenit ad finem quem præconsideravit, non erit fortuitum. — Sciendum quoque, quod vis activa spiritualis naturæ, sicut est altior quam corporalis, ita est etiam universalior : ideo non ad omnia ad quæ se extendit humana electio, se extendit dispositio corporis cœlestis. Rursus, quoniam virtus humanæ animæ, et etiam angeli, est particularis per comparationem ad divinam virtutem, quæ universalis est respectu om-

Digitized by Google

nium entium : hinc aliquod bonum accidere potest homini et præter propriam intentionem, et præter cœlestium corporum inclinationem, et præter angelorum illuminationem ; non autem præter providentiam Dei, quæ est gubernativa sicut et factiva entis, in quantum ens. Unde oportet quod omnia sub se contineat : imo, quoad Deum, in nulla re potest esse aliquid casuale aut improvisum. Quia vero fortuita sunt quæ præter intentionem contingunt, bona autem moralia præter intentionem esse non possunt, quum in electione consistant; respectu eorum non potest aliquis dici bene aut male fortunatus, licet respectu eorum possit quis dici bene aut male natus, videlicet quia ex naturali dispositione aptus est ad electionem virtutum vel vitiorum. Sed respectu exteriorum bonorum quæ præter intentionem evenire homini possunt, potest homo dici et bene natus, et bene fortunatus, et a Deo gubernatus, atque ab angelis custoditus. — Consequitur autem homo ex superioribus causis et aliud auxilium, quantum ad exitus actionum suarum. Quum enim homo et eligere habeat, et exsequi quæ elegit, in utroque a causis superioribus adjuvatur. Secundum electionem quidem, ut dictum est, in quantum homo vel disponitur ad aliquid eligendum per cœlestia corpora, vel illustratur per angelorum custodiam, vel etiam inclinatur per operationem divinam. Secundum exsecutionem vero, in quantum homo consequitur ex aliqua superiori causa robur et efficaciam ad complendum quod elegit : quæ efficacia non solum a Deo, sed ab angelis etiam esse potest, sicut a corporibus quoque cœlestibus, in quantum talis efficacia in corpore sita est. Manifestum est enim, quod etiam inanimata corpora quasdam vires et efficacias a cœlestibus corporibus sortiuntur, etiam præter illas quæ ad qualitates activas et passivas elementorum consequuntur : quas non est dubium cœlestibus corporibus esse subjectas, sicut quod magnes attrahit ferrum, et lapides quidam ac herbæ

A quasdam occultas habent virtutes. Unde nil prohibet quod etiam aliquis homo ex impressione cœlestis corporis habeat quasdam efficacias in aliquibus corporalibus faciendis, quas alter non habet : ut medicus in sanando, agricola in plantando, miles in expugnando. Hujusmodi autem efficaciam multo perfectius Deus largitur hominibus ad sua opera exsequenda. Quantum ergo ad primum auxilium, quod est in eligendo, dicitur Deus hominem dirigere ; et quoad secundum auxilium, dicitur

B hominem confortare. Et hæc duo auxilia simul tanguntur in Psalmo, quum dicitur: Dominus illuminatio mea, quoad primum; *Ps. xxvi, 1.*
Dominus protector vitæ meæ, quoad secundum. — Porro inter hæc duo auxilia est duplex differentia : quia ex primo auxilio adjuvatur homo, tam in his quæ hominis virtuti subduntur, quam etiam in aliis ; sed secundum auxilium tantum se ad illa extendit, ad quæ virtus hominis valet. Quod enim homo fodiens sepulcrum, inveniat thesaurum, ex nulla hominis vir-

C tute procedit : unde respectu talis proventus, juvari potest ad hoc quod instigetur ad quærendum ubi est thesaurus; non autem in hoc, quod ei aliqua virtus detur ad inveniendum thesaurum. Ad hoc autem quod medicus sanet, vel miles in prælio vincat, potest adjuvari in hoc, quod eligat convenientia media ad finem, et in hoc, quod efficaciter exsequatur per virtutem a superiori causa adeptam. Hinc primum auxilium universalius est. Secunda differentia est, quia secundum auxilium est ad

D prosequendum efficaciter quæ intendit. Quum ergo fortuita sint præter intentionem, respectu talis auxilii, non dicitur aliquis proprie bene fortunatus. Contingit autem homini bene vel male secundum fortunam, quandoque ipso solo agente, sicut quum fodiens terram, invenit thesaurum ; interdum vero alterius causæ actione concurrente, ut quum quis vadens ad forum causa emendi, invenit debitorem, quem invenire non intendebat. In primo autem eventu homo juvatur ad hoc,

Digitized by Google

A quod aliquid bene sibi contingat, secundum hoc solum, quod dirigitur in eligendo illud, cui conjunctum est per accidens aliquod commodum, quod provenit præter intentionem. In secundo vero eventu, oportet quod uterque agens dirigatur ad eligendum actionem vel motum unde sibi occurrant. — Præterea oportet et aliud considerare circa prædicta. Nam dictum est, quod ad hoc quod homini bene aliquid vel male contingat secundum fortunam, et ex Deo esse potest, et a cœlesti B corpore : in quantum homo a Deo inclinatur ad aliquid eligendum, cui commodum vel incommodum est conjunctum, quod eligens non præconsiderat; et in quantum a corpore cœlesti ad tale aliquid eligendum disponitur. Hoc autem commodum sive incommodum, relatum ad hominis electionem, exstat fortuitum. Relatum vero ad Deum, rationem amittit fortuiti; non autem relatum ad corpus cœleste : quod patet. Non enim effectus aliquis amittit rationem fortuiti, nisi reducatur ad cau- C sam per se. Virtus autem cœlestis corporis, est causa agens, non per modum intellectus vel electionis, sed per modum naturæ, cui proprium est tendere in unum. Si ergo effectus non est unus, non potest per se causa ejus esse virtus aliqua naturalis. Quum autem aliqua duo per accidens sibi conjunguntur, non sunt vere unum, sed solum per accidens. Idcirco hujusmodi conjunctionis nulla causa naturalis, per se causa esse potest. Sit ergo quod iste homo ex impressione cœlestis corporis instige- D tur per modum passionis (ut dictum est) ad fodiendum sepulcrum : sepulcrum autem et locus thesauri non sunt unum nisi per accidens, quia non habent aliquem ordinem ad invicem. Unde virtus cœlestis corporis, non potest per se inclinare ad hoc totum, quod iste fodiat sepulcrum, et locum ubi est thesaurus. Sed aliquis per intellectum agens, potest esse causa inclinationis in hoc totum, quoniam intelligentis est multa ordinare in unum. — Per eamdem etiam rationem apparet, quod homo non potest esse bene fortunatus universaliter ex virtute cœlesti, sed solum ad hoc vel illud. Dico autem universaliter, ut aliquis homo habeat in natura sua impressionem cœlestis corporis, ut eligat semper et in pluribus aliqua, quibus sint conjuncta per accidens aliqua commoda sive incommoda. Natura enim non ordinatur, nisi ad aliquid unum. Sed ea secundum quæ homini bene vel male accidit secundum fortunam, non sunt reducibilia in aliquid unum, sed sunt indeterminata et infinita, secundum Philosophum, tertio Physicorum. Non est ergo possibile, quod aliquis habeat in natura sua eligere semper ea, ad quæ etiam per accidens consequatur aliqua commoda; sed potest esse quod inclinatione cœlesti inclinetur ad eligendum aliquid, cui conjungatur per accidens aliquod commodum, et ex alia inclinatione aliud, atque ex tertia tertium, non autem ita, quod ex una inclinatione ad omnia. Ex una autem dispositione potest homo ad omnia dirigi.

Hucusque posui verba sancti Doctoris fideliter, quasi sub forma sua. Ex quibus innotescit, quando et qualiter fortuna dependet ab astris : quia non semper, nec solum, nec sicut a causa necessitante, sed inclinante.

Præterea, quum fortuna concernat bona exteriora ac transitoria, quæ non sunt proprie hominis bona, secundum quod homo est, sunt quoque electis reprobisque communia; elucescit quod sæpe injusti ac reprobi magis sunt ac melius fortunati, quam electi et virtuosi, quoniam temporali prosperitate amplius florent, electi vero adversitatibus exercentur. Insuper constat, quod fortuna unius hominis, quandoque dependet ab alio homine, sive hoc sit præter intentionem alterius, sive ex intentione ipsius.

Itaque ex his Catholicorum doctrinis elicitur, quomodo intelligenda sint ea, quæ veteres de fortuna dixerunt. Quum etenim sacra doctrina seu theologia, sit omnium scientiarum architecta, princeps et capita-

nea, ipsa rite censetur aliarum scientiarum regula ac mensura : idcirco per eam sunt regulanda, et si opus fuerit, corrigenda philosophica documenta. Quum itaque certum sit, veteres quosdam de fortuna male sensisse, et eam varie depinxisse, emendanda sunt dicta eorum juxta præhabita. Sed objicitur contra præscripta, quia (ut Thomas alibi scribit, et ex præinductis ejus verbis elicitur) fortuna realiter est practicus intellectus, secundum quod est causa alicujus effectus ex intentione, cui effectui alter præter intentionem intellectus conjungitur. Sed virtus cœlestis aut angelus, non est causa practici intellectus : ergo nec fortunæ. Et respondendum, quòd quamvis non sit causa ejus secunda, quod est intellectus, tamen quoad hoc quod ratio fortunæ ei conveniat, possunt modo præfato concurrere.

Præterea, secundum doctrinam Aristotelis et Alberti, oportet casualia atque fortuita extra frequenter et semper contingere. Si enim frequenter acciderent, non jam talia essent vere, sed secundum similitudinem quamdam et partim : quamvis interdum extenso nomine, frequenter accidentia dicantur fortuita, sicut secundo de Civitate Dei tangit Augustinus de Quin-

A to Metello, cujus felicitatem describens Valerius Maximus, ait : Quintum Metellum [Val. Maxim. lib. VII.] a primo originis suæ die ad ultimum usque fati tempus, nunquam cessante indulgentia, ad summum beatæ (id est temporaliter prosperæ) vitæ cumulum perduxit fortuna. Nasci eum in urbe principe terrarum voluit, parentes ei nobilissimos dedit, mirissimas animæ dotes et corporis vires, ut sufficere laboribus possent, uxorem pudicitia et fecunditate conspicuam conciliavit. Consulatus decus, imperato-
B riam potestatem, speciosissimi triumphi prætextum largita est. Fecit ut eodem tempore tres filios consulares, unum et censorium et triumphalem, et quintum prætorem haberet, utque tres filias nuptui daret, earumque sobolem sicuti suam exciperet. Tot cunabula, tot viriles togæ, tot multæ nuptiales faces : omnis denique gratulationis summam abundantiam est sortitus ; quum interim nullum funus, nullus gemitus, nulla causa tristitiæ. Et infra, hunc vitæ actum, ejus consentaneus finis exce-
C pit. Nam Q. Metellum ultimo senectutis spatio defunctum, levique genere mortis, inter oscula et amplexus carissimorum pignorum exstinctum, filii et generi humeris suis per urbem latum, rogo imposuerunt.

ARTICULUS XIV

CONFIRMATIO PRÆDICTORUM, EX DICTIS DOCTORUM.

DURANDUS de S. Portiano super primum Sententiarum affirmat : Fatum proprie (teste Boetio) dicitur ordo causarum et connexio earum, prout reducuntur in divinam voluntatem atque scientiam omnia ordinantem. Fatum enim a fando dicitur, quoniam quod divina scientia præordinatum est, quasi effatur. Hæc autem, videlicet scientia, dispositio, providentia et gubernatio, se habent per ordinem. Provi-
D dentia namque ad prudentiam pertinet. Sic autem est de Deo respectu totius universi, sicut de duce respectu exercitus, vel de patrefamilias respectu domus. Et primam comparationem ab Aristotele duodecimo Metaphysicorum habemus ; secundam ex eadem ratione accipere possumus. Porro prudens dux exercitus, primo singulos de exercitu ordinat, unumquemque in suo collocans gradu : et in alio collocat pedi-

Digitized by Google

tem, in alio equitem, sicque de aliis. Similiter in domo bene ordinata, paterfamilias primo ordinat personas domus, quemlibet in gradu suo : et in alio ponit servum, in alio conjugem, in alio filium ; ordinatque quid quisque agere debeat ad consequendum finem intentum. Secundo, sic ordinatis, confert ea quæ necessaria sunt ad sua officia exsequenda. Et utrumque horum præsupponit voluntatem, cognitionemque finis, propter quem ordinantur et fiunt. Juxta hunc modum in toto universo Deus quasdam naturas et res constituit in gradu et loco eminentiori, alias in decliviori : et ratio hujus in Deo exsistens, vocatur dispositio, cujus executio vocatur creatio. Providentia autem in Deo dicitur, in quantum præordinavit conferre necessaria ad finis consecutionem : cujus executio dicitur gubernatio. — Præterea aliquid subest providentiæ Dei dupliciter. Primo, sicut cui providetur : et sic res subsistentes quibus competit agere, in finemque tendere, Providentiæ subsunt. Secundo, sicut id de quo providetur, vel quod providetur alicui, ut sunt collatio expedientium, et impedimentorum remotio. Unde omnia quæ in creaturis sunt, Providentiæ subsunt. Quod patet, excludendo tria, quæ magis videntur subterfugere providentiam Dei. Prima sunt casualia seu fortuita : quæ quum non sint præcognita, non videntur prævisa. Secunda sunt mala. Deus namque providentiam non videtur habere, nisi quorum est causa ; non autem est causa malorum, præsertim culpæ. Tertia sunt contingentia ad utrumlibet : quæ quum sint indeterminata, non videntur determinata ad finem. Sed primum horum non cogit. Non enim dicitur casuale sive fortuitum, quoniam nullam habeat causam, dicente, quinto de Consolatione, Boetio : Nihil est quod ex legitimis causis non oriatur ; sed ideo, quia prove-

A nit præter intentionem agentis particularis ac proximi. Unde fossio agri, per se causam habet, scilicet fodientem, et inventio thesauri similiter, scilicet fossionem aut aliud ; sed concursus harum causarum est per accidens, et a nulla earum intentus. Si vero esset aliqua causa has duas causas convertens per se, quoad illam non esset effectus iste fortuitus, sed intentus. Quumque omnis ordo et causarum connexio sit a providentia Dei, quantum ad eam, nihil est a fortuna vel casu. B Ideo ait Boetius : Quamvis casus sit inopinatus ex confluentibus causis in his quæ propter aliquid geruntur, tamen concurrere atque confluere facit has causas ordo ille ex inevitabili connexione procedens : qui de Providentiæ fonte descendens, cuncta suis locis temporibusque disponit. Secundum quoque non cogit, quia ad plura se extendit divina scientia, quam ejus causalitas. Providentia autem ad scientiam pertinet, ideo potest se ad mala extendere, ad quæ se non extendit causalitas : ideo C cadunt sub providentia Dei, tanquam ea contra quæ hominibus providetur, ne fiant, et quæ ordinantur ad pœnam, si fuerint facta. Tertium item non cogit. Nam quamvis contingentia ad utrumlibet sint indeterminata in suis particularibus causis secundum se consideratis, apud scientiam tamen divinam sunt determinata : quoniam Deus scit non solum causas impedimentales secundum se, sed omnia etiam impedimenta quæ possunt evenire, et quæ evenient. Quibus scitis, scitur quicumque effectus D contingens secundum quod determinatum aliquid. Ideo contingentia sic determinata, providit Deus ad determinatos fines.

Hæc etiam quantum ad sententiam scribunt Bonaventura, Petrus de Tarentasia, Richardus de Mediavilla, cum aliis. Ideo prolixitatem devitans, dimitto.

Digitized by Google

ARTICULUS XV

DE CAUSIS DIFFICULTATIS INTELLIGENDI LIBRUM BEATI JOB.

EX præinductis, o Reverende atque di-
gnissime domine Doctor, timorate, de-
vote ac præclarissime Pater, utcumque
soluta est quæstio parvitati meæ ab Excel-
lentia tua tam dignanter quam humiliter
mota, qui a pauperculo tam longe inferiori
et indoctiori informationem petisti. Quæ-
stionem quoque propositam dilatari opta-
sti : quod etiam feci, ne in aliquo ad obtem-
perandum beneplacito tuo tardus appaream.
Non quasi pro tuæ personæ doctissimæ
informatione hæc scribens (hoc quippe es-
set Minervam velle instruere, propriamque
insipientiam et præsumptionem monstrare);
sed vel ad dandum occasionem sapientiæ
tuæ excogitandi profundius de ista mate-
Prov. IX, 9. ria, quemadmodum Salomon loquitur, Da
sapienti occasionem, et addetur ei sapien-
Ibid. I, 5. tia ; itemque, Audiens sapiens (nec du-
bium quin simili ratione etiam legens),
sapientior erit ; vel pro mei ipsius exerci-
tatione ; vel pro pusillorum (quorum pri-
mus ego sum) instructione.

Enimvero in epistola paternitatis tuæ
mihi directa, id quæstioni propositæ adje-
cisti : *Ad hunc finem moveo quæstionem,
ut intelligam librum Job.* Hinc de intelli-
gentia libri Job aliquid tangam. Et primo
de causis difficultatis ipsius, quæ (ut jam
occurrit) tres possunt præcipue assignari.
Prima est, quia in verbis Job, secundum
superficiem apparentiamque verborum, vi-
detur mutua contradictio et repugnantia
ingens. Secunda, quoniam sanctus Job, se-
cundum verborum apparentiam, videtur
nonnunquam minus reverenter et caute
loqui de Deo et providentia ejus, ac dero-
gare divinæ justitiæ. Tertia, quia amici
ipsius et Eliu quoque, secundum formam
verborum, videntur multo reverentius lo-
qui de Deo et justitia ejus, quam Job, ac

A zelari pro Deo : et nihilo minus reproban-
tur a Deo; Job autem laudatur ab eo. Nunc
ergo hæc omnia ex libro Job seriatim ac
breviter sunt probanda.

Ecce inter alia multa ait : Vere scio *Job* IX, 2, 3.
quod non justificetur homo compositus
Deo ; si voluerit contendere cum eo, non
poterit respondere unum pro mille. Si ju- *Ibid.* 20.
stificare me voluero, os meum condem-
nabit me ; si me innocentem ostendero,
pravum me comprobabit. His verbis contra-
riari videtur quod iterum loquitur : Utinam *Ibid.* VI, 2,
B appenderentur peccata mea quibus iram 3.
merui, et calamitas quam patior, in sta-
tera ; quasi arena maris, id est innumera-
biliter seu incomparabiliter, hæc, scilicet
pœna vel calamitas mea, gravior appare-
ret, id est major quam peccata quibus pœ-
nam merui, si quam merui. Quomodo ergo
verum est illud, Non poterit respondere
unum pro mille? Denique alibi ait : Quis *Ibid.* XXIII,
mihi tribuat ut inveniam illum, scilicet 3, 4.
Deum, et veniam usque ad solium ejus? Po-
nam coram eo judicium. Quomodo ergo
C superius dixit, Scio quod non justificetur
homo compositus Deo, quum ipse cupiat
usque ad solium Dei venire, ut ponat coram
eo judicium, quasi justum judicium peti-
turus a Deo? Rursus dicit : Si fuero judica- *Ibid.* XIII,
tus, scio quod justus inveniar. Quomodo er- 18.
go ait, Si justificare me voluero, os meum
condemnabit me ? præsertim quum rur-
sum protestetur : Donec deficiam, non re- *Ibid.* XXVII,
cedam ab innocentia mea. Justificationem 5, 6.
meam quam cœpi tenere, non deseram.
Cui etiam verbo obviare videtur, quod an-
D tea dixit : Etiamsi simplex fuero, hoc ip- *Ibid.* IX, 21.
sum ignorabit anima mea. Cui nihilo minus
verbo repugnare videtur, quod postmodum
in diversis capitulis justitias suas tam dif-
fuse ac diligenter describit, inter cetera

Job xxiii, 11, 12. dicens : Viam Dei custodivi, et non decli- A
navi ex ea. A mandatis labiorum ejus non
Ibid. xxvii, 6. recessi. Adhuc autem profitetur : Neque
reprehendit me cor meum in omni vita
Ibid. xvii, 2. mea. Et alio loco : Non peccavi, et in amaritudinibus moratur oculus meus. Item-
Ibid. xxxi, 7. que : Si in manibus meis adhæsit macula.
Quasi dicat, Non. Quibus omnibus disso-
Ibid. vii, 20. nare videtur quod alibi ait : Peccavi. Quid
faciam tibi, o custos hominum ? Et denuo :
Ibid. 21. Cur non tollis peccatum meum, et quare
non aufers iniquitatem meam ? Et alibi :
Ibid. xiv, 16. Tu quidem gressus meos dinumerasti ; sed B
parce peccatis meis. Rursum quoque pro-
Ibid. xlii, 6. testatur : Idcirco ipse me reprehendo, et
ago pœnitentiam in favilla et cinere. Præ-
Ibid. ix, 13-15. terea loquitur : Deus sub quo curvantur qui
portant orbem. Quantus ergo sum ego ut
respondeam ei, et loquar verbis meis cum
eo ? Qui etiamsi habuero quidpiam justum,
non respondebo, sed meum judicem de-
precabor. Quomodo ergo ait loquens Deo :
Voca me, et ego respondebo tibi ; aut certe *Job* xiii, 22.
loquar, et tu responde mihi ? Rursusque :
Ad Omnipotentem loquar, et disputare cum *Ibid.* 3.
Deo cupio. Amplius fatur : Non invenietis *Ibid.* vi, 30.
in lingua mea iniquitatem, nec in faucibus meis stultitia personabit. Unde et alibi de eo legitur : In omnibus his non pec- *Ibid.* i, 22.
cavit Job labiis suis, neque stultum quid
contra Deum locutus est. Quomodo ergo
sanctus Job ait ad Dominum, Qui leviter lo- *Ibid.* xxxix, 34, 35.
cutus sum, respondere quid possum ? Manum meam ponam super os meum. Unum
locutus sum, quod utinam non dixissem, et
alterum : quibus ultra non addam. Et : Ideo *Ibid.* xlii, 3.
(inquit) insipienter locutus sum, et quæ
ultra modum excedunt scientiam meam.
Hæc de prima causa difficultatis intelligendi librum Job tetigisse sufficiat.

ARTICULUS XVI

DE SECUNDA CAUSA DIFFICULTATIS EJUSDEM.

Beatus iste Job libri sui quodam loco C
Job ix, 17. loquens de Deo, ait : Multiplicabit vulnera mea etiam sine causa. Hoc non videtur sapientiam justitiamque decere divi-
Ibid. 22. nam. Rursus Job ait : Innocentem et impium
ipse consumit. Hoc videtur contrarium ei,
quod in Genesi Abraham loquitur Deo :
Gen. xviii, 23, 25. Numquid perdes justum cum impio ? Non
est hoc tuum qui judicas omnem terram.
Ibid. xx, 4. Et iterum in Genesi scriptum est : Num
gentem innocentem et justam perdes ? In-
Job ix, 23. super loquitur Job de Deo : Si flagellat,
occidat semel, et non de pœnis innocen- D
tium rideat. Hoc divinæ pietati et æquitati
derogare prorsus videtur, quum in libro
Sap. i, 13. Sapientiæ legatur : Deus mortem non fecit, nec delectatur in perditione vivorum.
Tob. iii, 22. Et in Tobiæ libro dicitur Deo : Non delectaris in perditionibus nostris. Et omnino
crudele videtur, de innocentium pœnis
ridere. Iterum Job quoque ait : Multiplicas *Job* x, 17, 18.
iram tuam adversus me. Quare de vulva
eduxisti me ? Qui utinam consumptus essem, ne oculus me videret. Hoc videtur
impatienter sonare, atque ingratitudinis
verbum esse, quum tamen Job dicatur singulariter patientiæ decoratus virtute. Nec *Ibid.* ix, 6.
debet quis de adversis hujus vitæ in tantum tristari, ut se doleat esse natum.

Præterea ait suis amicis : Saltem nunc *Ibid.* xix, 6.
intelligite, quia Deus non æquo judicio
afflixerit me. Hoc videtur multis Scripturarum testimoniis obviare, atque divinæ
derogare justitiæ. Unde ait Psalmista : Co- *Ps.* cxviii, 75.
gnovi, Domine, quia æquitas judicia tua.
Daniel quoque loquitur Deo : Omnes viæ *Dan.* iii, 27.
tuæ et judicia tua recta. At vero denuo dicit
Job, loquens de Deo : Proponat æquitatem *Job* xxiii, 7.
contra me, et perveniet ad victoriam judicium meum. Hoc rursus sonare videtur,

Digitized by Google

quasi Job velit asserere justiorem se Deo, et injuste percussum. Postremo loquitur Deo : Sto, et non respicis me ; mutatus es mihi in crudelem, et in duritia manus tuæ adversaris mihi. Quod de piissimo atque dulcissimo Deo, non bene videtur sonare. *Job* xxx, 20. 21.

ARTICULUS XVII

DE TERTIA CAUSA DIFFICULTATIS INTELLIGENDI LIBRUM BEATI JOB.

EX præmemoratis sancti Job verbis, tres ejus amici, et etiam Eliu, vir eloquens et non mediocriter sciens, sed animosus, vehementissime inflammati sunt contra Job, reputantes eum sacrilegum ac blasphemum, imo præsumptuosissimum atque hypocritam : quia, ut eis apparuit, ultra modum derogavit divinæ justitiæ, et eam depressit, seque vanissime exaltavit et justificavit. Hinc in omnibus viri isti de divina majestate locuti sunt quædam sublimia, et Deum esse justissimum probaverunt, ut sic insaniam quam imputaverunt beato Job, enormiorem ostenderent. Hinc Eliphaz protestatur sibi in visione sic dictum : Numquid homo Dei comparatione justificabitur, aut factore suo purior erit vir ? Ecce Deus in angelis suis reperit pravitatem : quanto magis qui habitant domos luteas, consumentur velut a tinea ? Et : Ad Deum (inquit) ponam eloquium meum, qui facit magna, et inscrutabilia, et mirabilia absque numero. Denique Baldad ait ad Job : Usquequo loqueris talia ? Numquid Deus supplantat judicium ? aut Omnipotens subvertit quod justum est ? Si Omnipotentem fueris deprecatus, si mundus et rectus incesseris, statim evigilabit ad te. *Job* iv, 17-19. *Ibid.* v, 8, 9. *Ibid.* viii, 2, 3, 5, 6.

Denique, quia amici Job negare non poterant, quin ipse Job multa fecerit opera bona ex genere, putaverunt eum illa fecisse ex simulatione propter laudem humanam. Idcirco frequenter loquuntur contra hypocritas. Unde et Baldad : Spes (inquit) hypocritæ peribit. Et ne Job putaretur fuisse veraciter simplex, Baldad adjecit : Deus non projiciet simplicem. Deinceps Sophar ait ad Job : Dixisti : Purus est sermo meus, et mundus sum in conspectu Dei. Atque utinam Deus loqueretur tecum, ut ostenderet tibi secreta sapientiæ suæ, et intelligeres quod multo minora exigaris a Deo, quam meretur iniquitas tua. Forsitan vestigia Dei comprehendes, et usque ad perfectum Omnipotentem reperies ? Excelsior cœlo est, et quid facies ? Profundior inferno, et unde cognosces ? Longior terra mensura ejus, et latior mari. Si subverterit omnia, vel in unum coarctaverit, quis contradicet ei ? Ipse enim novit hominum vanitatem : et videns iniquitatem, nonne considerat ? Vir vanus in superbiam erigitur. Post hæc Eliphaz iterum invehitur contra Job, dicens : Quid tumet contra Deum spiritus tuus, ut proferas hujuscemodi sermones ? Quid est homo, ut immaculatus sit, et justus appareat natus de muliere ? Ecce inter Sanctos ejus nemo immutabilis, et cœli non sunt mundi in conspectu ejus. Quanto magis abominabilis et inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem ? *Ibid.* 13. *Job* viii, 20. *Ibid.* xi, 4-12. *Ibid.* xv, 13-16.

Præterea, post hos tres Eliu invasit beatum Job, et præ ceteris acrius contra eum invehitur : et secundum expositores efficacius arguit contra Job, quam præfati. Minus quoque erravit circa providentiam Dei. Sed reprehenditur, quia nimis pompose locutus est. Itaque ait : Audi, Job, eloquia mea. Dixisti ergo in auribus meis : Mundus sum et absque delicto ; immaculatus, et non est iniquitas in me. Hoc est ergo in quo non es justificatus. Responde- *Ibid.* xxxiii, 1, 8, 9, 12, 13.

bo tibi, quod major sit Deus homine. Adversus eum contendis, quod non ad omnia (*Job* xxxiv, 2.5-7.10-12, 17. 34-37.) responderit tibi. Audite, sapientes, verba mea. Quia dixit Job : Justus sum, et Deus subvertit judicium meum ; et violenta sagitta mea absque ullo peccato. Quis est vir ut est Job, qui bibit subsannationem quasi aquam ? Ideo, viri cordati, audite me. Absit a Deo impietas, et ab Omnipotente iniquitas. Opus enim hominis reddet ei, et juxta vias singulorum restituet. Vere enim Deus non condemnabit frustra, nec Omnipotens subvertet judicium. Et quomodo tu, Job, eum qui justus est, in tantum condemnas ? Viri intelligentes loquantur mihi, et vir sapiens audiat me. Job autem stulte locutus est, et verba illius non sonant disciplinam. Pater mi, probetur Job A usque in finem. Ne desinas ab homine iniquitatis, qui addit super peccata sua blasphemiam. Numquid æqua tibi videtur (*Job* xxxv, 2. 5.) cogitatio tua, ut diceres, Justior Deo sum ? Suspice cœlum, quod altior te sit. Sustine me paululum, et indicabo tibi. Adhuc enim (*Ibid.* xxxvi, 2. 3. 22-24 26.) habeo quod pro Deo loquar ; et operatorem meum probabo justum. Ecce, Deus excelsus in fortitudine sua, et nullus ei similis in legislatoribus. Quis poterit scrutari vias ejus ? aut quis ei dicere potest, Operatus es iniquitatem ? Memento quod ignores opus B ejus, de quo cecinerunt viri. Ecce, Deus magnus vincens scientiam nostram, qui (*Ibid.* xxxvii, 5. 19. 23.) facit magna et inscrutabilia. Nos quippe involvimur tenebris ; digne eum invenire non possumus. Magnus fortitudine, et judicio, et justitia, et enarrari non potest.

ARTICULUS XVIII

DE QUIBUSDAM VERBIS EXPOSITORUM, CONFERENTIBUS AD INTELLIGENTIAM LIBRI JOB.

UT primo Moralium scribit S. Gregorius, Deus ab exordio mundum quibusdam Sanctis tanquam sideribus decoravit, et diversos diversis ornavit virtutibus ; hunc ista, illum illa singulariter illustravit virtute. Inter quos beatissimum Job, virtute patientiæ fulcivit præcipue : et eumdem, quamvis tam perfectum et justum, tam durissime flagellari permisit, ut perfectio quæ in ipsius latuit corde, per patientiam in adversis, aliis panderetur, atque in imitationis præberetur exemplum. Hinc, juxta Albertum, materia libri Job, est sufferentia et patientia ejusdem. Porro intentio ac finis libri seu auctoris ipsius, est declarare, qualiter actus humani providentiæ divinæ subjaceant. Ideo Thomas : Tota, inquit, intentio hujus libri circa hoc versatur, ut per rationes probabiles ostendatur, res humanas a divina providentia gubernari. Sed hoc verbum Thomæ, cuidam non placet, eo quod totus C liber Job procedat per modum disputationis inter ipsum et ejus amicos : intentio autem contra alium disputantis, non est probare id in quo cum illo concordat, sed potius id in quo ab eo dissentit ; amici autem Job concesserunt res humanas divinitus gubernari. Hinc iste concludit, quod intentio Job non est probare humana regi a Deo ; sed quod non sic, ut sui putabant amici, regantur ab eo. Verum instantia ista non contra mentem militat Thomæ, quippe qui in libri illius exposi- D tionis ait exordio : Intentio libri hujus ordinatur ad ostendendum, qualiter res humanæ providentia regantur divina.

Dicit quoque Albertus, sanctum Job velle ostendere, quod humana regantur a Deo, regimine prorsus opposito humano regimini : quia secundum humani regiminis æquitatem, unicuique datur ac providetur secundum merita vel dispositionem ipsius ; sed secundum divini regiminis

Digitized by Google

seriem, in hac vita frequentius proveniunt prospera impiis, et adversa electis ac justis. Verumtamen, contra hoc objici potest dupliciter : primo, quia etiam secundum leges humanas aliquis absque propria culpa multis subjicitur pœnis, ut patet in ultione criminis læsæ majestatis ; secundo, quoniam Deus uberrime in Scripturis affirmat se dare unicuique juxta opera sua. Ad primum istorum arbitror respondendum, quod Albertus idcirco id dixit, quia, ut frequenter et secundum legem communem, imo quasi in omnibus, ita est, quod secundum humanam justitiam, datur cuique secundum opera ejus, nec recipit exceptionem, nisi in paucis. Quod autem modicum est, pro nihilo reputatur, secundum Philosophum. Ad secundum dicendum, quod auctoritates hujusmodi referuntur ad retributionem judicialem in obitu singulorum, seu omnium in die novissimo : tamen etiam in præsenti quodammodo verificantur, quia prout quisque ad gratiam se disponit, illam a Deo sortitur, et secundum quod exsistens in gratia utitur ea, ipsius adipiscitur incrementa. Negligenti vero juste subtrahitur ; et frequenter contingit, ut quo quis plura exercet opera vitiosa, eo amplius a Deo relinquitur. Sicque de die in diem, plura et graviora illabitur vitia.

Jer xvii, 10; *Ezech.* xviii, 30; xxxiii, 20; *Matth.* xvi, 27; *Apoc.* ii, 23; xxii, 12.

Si rursus quis instet, Quia humana justitia a divina est justitia exemplata, ergo eam assequi debet. Insuper, quum divina justitia sit universæ justitiæ regula ac mensura, oportet ut humana in tantum conformetur illi, quantum de ratione habet justitiæ. Et respondendum, quod utique humana justitia, ejusque regimen, divinæ justitiæ et ipsius regimini in aliquo assimilantur : quia et Deus (ut tactum est) in die tam particularis quam universalis judicii, secundum opera unicuique reddit: quod et sæpe in præsenti etiam efficit vita, justis prospera, atque injustis rependens adversa. Et hoc præcipuam facit in consideratione divinorum judiciorum admirationem, quod interdum electis et ju-

A stis etiam in præsenti temporalia affluunt, ita quod divitiis honoribusque abundant, ut patet de Theodosio, Carolo, Othone, Henrico, imperatoribus. Interdum vero electi adversitatibus adimplentur. Similiter reprobi et injusti nunc prosperis, nunc adversis afficiuntur, et quidam eorum his, alii illis exundant ; nec potest in divini processu judicii quoad homines, in hac vita, assignari regula certa, neque de omnibus ratio investigari. Ex his secundæ solutio patet instantiæ.

B Præterea, ut sanctus testatur Gregorius, liber beati Job, usque tempus ejus exstitit indiscussus. Nam et gloriosus Hieronymus, qui ceteros Prophetas exponit universos, librum Job non elucidavit. In legenda quoque S. Thomæ de Aquino asseritur, quod ipse hunc librum ad litteram exposuit primus. Et utique, quantum ad intelligentiam attinet litteralem, eleganter eum exposuit. In uno tamen præcipue expositio ejus calumniabilis esse quibusdam videtur. Nam asserit amicos Job, non posuisse C vitam post vitam præsentem, videlicet animam rationalem esse mortalem, ideoque operum bonorum remunerationem finalem esse in vita hac, nec infligi adversa, nisi pro culpa. Et in hoc Nicolaus de Lyra sequitur Thomam.

Sed, ut super Job plenius scriptum est, hujus oppositum verius esse apparet, idque ex verbis amicorum Job declaratur. Siquidem Eliphaz de impiis loquens : De mane, inquit, usque ad vesperam succidentur ; et quia nullus intelligit, in æternum peribunt. D Sophar quoque de impio fatur : Luet quæ fecit omnia, nec tamen consumetur. Juxta multitudinem adinventionum suarum, sic et sustinebit. Revelabunt cœli iniquitatem ejus, et terra adversus eum consurget. Hæc est pars hominis impii a Deo. Denique, qui angelorum noverunt ruinam, communiter agnoverunt eamdem per homines instaurandam : sicque senserunt hominum animas immortales. Hinc Sadducæi asserentes animam rationalem esse mortalem, dixerunt nec

In Job, art. xiii.

Job iv, 20.

Ibid. xx, 18, 27, 29.

Act. xxiii, 8.

Digitized by Google

angelum esse, nec spiritum, ut in Actis habetur. Amici autem Job quosdam angelorum ruisse noverunt. Eliphaz enim *Job* IV, 18. fassus est : In angelis suis reperit pravitatem. At vero quum viri isti fuerint sancto Job tam familiares atque carissimi diu *Ibid.* II, 12, 13. ante hanc disputationem (nam visa percussione sciderunt vestimenta sua, elevataque voce fleverunt, et septem diebus ac noctibus sederunt cum eo in terra nihil loquentes, quia viderunt vehementem esse dolorem : quo constat, quam intensa inter eos amicitia fuerit), non reor probabile, quod Job tanto tempore reliquisset eos in tanto errore, imo in tanta perfidia, præsertim quum dicat Gregorius beatum Job non habuisse familiares amicos nisi justos. Nec obstat, quod Job in hac disputa- *Ibid.* XXVII, 5. tione locutus est eis, Absit ut justos vos *Ibid.* XVII, 10. arbitrer ; itemque, Non inveniam in vobis ullum sapientem : hoc nempe (secundum expositores) perhibuit, quia in hac disputatione non habuerunt se sapienter ac juste. Gregorius demum et Albertus senserunt amicos Job posuisse animam hominis immortalem.

Si autem objiciatur, Ergo non posuerunt operum retributionem bonorum fieri in præsenti, nec æstimaverunt pro solo peccato infligi adversa, quod tamen secundum Gregorium, Thomam et alios asserebant : dicendum, quod non sequitur. In lege namque naturæ, imo et in lege

A scripta communiter sic fiebat, quod ser- *Deut.* I, 31, II, 32-37, III, 1-12; VIII, 2-6; X, 22. vientibus Deo fideliter prospera evenerunt, sicut in Deuteronomio scribitur. Unde Judæis temporalis prosperitas multoties *Ibid.* IV, 1, 40; V, 32, 33; VI, 1-3, 18, 19, 24, 25; VII, 12-16; XI, 13-15, 18, 27; XXVIII, 1-14; XXX, 1-10, 16, 20. promittebatur, si Domino deservirent : idque tunc congruenter fiebat, quatenus per hoc homines rudes ac imperfecti, in fide providentiæ Dei roborarentur, et ad spiritualium inducerentur amorem. Tales namque (teste Gregorio) si parva non reciperent, magna non crederent. Nec tamen amici Job putaverunt temporalem prospe- B ritatem esse finalem ac plenam justæ conversationis mercedem, sed inchoatam et aliqualem, quemadmodum et Christus in Evangelio prædicatoribus loquitur : In ea- *Luc.* X, 7. dem domo manete, edentes et bibentes quæ apud illos sunt; dignus est enim operarius mercede sua.

Itaque longissima illa inter Job et ejus amicos disputatio habita, præsertim consistit in hoc, quod amici senserunt, pœnas *Job* IV, 7-9. hujus vitæ et adversa non inferri, nisi pro prævia culpa ; nec magna adversa infligi, C nisi pro scelere gravi. Et quia viderunt beatum Job gravissime cæsum, judicaverunt eum gravissimum peccatorem, quam- *Ibid.* 10, 11. vis homines id latebat. Unde hypocritam *Ibid.* VIII, 13; XV, 34; XX, 5; XXXIV, 30. eum fuisse finaliter concluserunt. Contra quos Job zelo justitiæ, justum se fuisse demonstrat, nec semper impiis adversa accidere, justisque prospera, nec se judicatum a Deo juxta processum humanæ justitiæ.

ARTICULUS XIX

ELUCIDATIO ATQUE SOLUTIO DIFFICULTATUM INTELLIGENDI LIBRUM JOB, EX QUA DATUR VIA INTELLIGENDI MULTA, QUÆ IN LIBRO ILLO VIDENTUR DIFFICILIA ET OBSCURA.

ITAQUE omnia verba præallegata, quibus beatus Job innocentem se asserit, nec peccasse, in tantum quod cor suum non reprehenderat eum in omni vita sua, nec meruisse tot plagas, intelligenda sunt de peccatis magnis atque mortalibus : de

D quibus conscius sibi non fuit. Porro, verba quibus se peccasse fatetur, sumenda sunt de levibus venialibusque peccatis, sine quibus vita ista non ducitur. De quibus Jacobus ait apostolus : In multis of- *Jacob.* III, 2. fendimus omnes; et Joannes : Si dixerimus *I Joann.* I, 8.

Digitized by Google

quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus. Pro talibus quoque Job quotidie satisfacere studuit, ut sanctis viris
Gen. VIII, 21. mos est. Nec Deus qui humanam scit fragilitatem, solet talia tam acriter vindicare. Hinc Job justum se dixit, per mortalium carentiam vitiorum; nec tot meruisse supplicia, pensata divinæ bonitatis clementia, ac fragilitate humana; tamen, secundum divinæ rigorem justitiæ, adversa vitæ præsentis non sufficerent pro uno veniali pec-
Job IX, 20. cato. Porro quod dixit : Si justificare me voluero, os meum condemnabit me; si innocentem ostendero, pravum comprobabit : intelligendum est, quod noluit se justificare per comparationem ad divinam justitiam, cujus respectu humana justitia injustitia reputatur, secundum Gregorium. Nec voluit se justificare, quasi a venialibus culpis esset immunis. Nec admirandum, si secundum diversas considerationes tam diversimode de se loquatur, quum et Paulus
I *Tim.* I, 15. apostolus de se uno loco testetur : Venit Jesus peccatores salvos facere, quorum
I *Cor.* IV, 4. primus ego sum. Alibi vero : Nihil, inquit, mihi conscius sum. Per eamdem distinctionem concordandum, quod Job inter-
Job XIII, 18. dum asserit se justum inveniendum, si judicetur a Deo; interdum autem, quod
Ibid. IX, 2. non justificatur homo compositus Deo.

Præterea, verba in quibus videtur minus reverenter loqui de Deo, pensanda sunt secundum intentionem loquentis. Homines namque in vehementissimis doloribus constituti, nonnunquam extense loquuntur, et magis ex acerbitate doloris, quam libra ac pondere rationis, quamvis intentio bona sit, intellectusque verax.
I *Reg.* XVI, 7. Ideo Deus cordium judex, talia aliquando approbat, quæ hominibus valde male videntur sonare. Unde, quod beatus Job ait,
Job IX, 17. Multiplicabit Deus vulnera mea sine causa, intelligendum est, Sine causa mihi aut hominibus nota; vel, Sine causa tali, pro quali dumtaxat amici sui, contra quos arguebat, putabant hominem flagellari. Si-
Ibid. 22. militer quod ait, Innocentem et impium Deus consumit, intelligitur, quod etiam

A innocentes in hac vita quandoque usque ad mortem inclusive adversitatibus affliguntur : quemadmodum ad Jerusalem Deus ait per Ezechielem, Occidam in te justum *Ezech.* XXI, 3.
et impium. Porro quod ait, Non de pœnis *Job* IX, 23.
innocentium rideat, scilicet Deus, intelligendum est, Non per modum ridentis se habeat, illos absque causa eis cognita tam graviter affligendo, quasi de eorum gauderet supplicio : in quo tamen non delecta- *Sap.* I, 13.
tur, nec complacentiam habet, in quantum adversum est et pœnale, sed in quantum
B illis multipliciter utile est. Multa enim in Scripturis Deo adscribuntur, non secundum exsistentiæ veritatem, sed secundum operis similitudinem, ut est illud Genesis: Tactus Deus dolore cordis intrinsecus, et *Gen.* VI, 6, 7.
præcavens in futurum, Delebo (inquit) hominem quem creavi, a facie terræ. Et in Nahum : Ulciscens Dominus, et habens *Nahum* I, 2.
furorem. Quomodo demum intelligi debeat, quod ait Job, Quare de vulva eduxi- *Job* X, 18.
sti me, supra breviter tactum est. Siquidem intelligendum est eo sensu, quo dixit,
C Pereat dies in qua natus sum. Quomodo *Ibid.* III, 3.
etiam Jeremias ait : Maledicta dies in qua *Jer.* XX, 14, 18.
natus sum. Quare de vulva egressus sum, ut viderem laborem et dolorem, et consumerentur in confusione dies mei? Sic et Apostolus protestatur : Supra modum gra- II *Cor.* I, 8.
vati sumus, ita ut tæderet nos vivere. Qui tamen tam sæpe hortatur in adversis gau- *Ibid.* VI, 10; *Coloss.* I, 11; I *Thess.* III, 3.
dendum. Sed et Christus sic loquitur : O generatio incredula, quamdiu apud vos ero? quamdiu patiar vos? Sancti namque *Marc.* IX, 18.
sæpe ita loquuntur propter causas diver-
D sas, et ad insinuandum dispositionem animæ suæ, in qua fuerunt secundum inferiorem ipsius partem, scilicet sensitivam. Unde et Christus sic loquens : Tristis est *Matth.* XXVI, 38.
(ait) anima mea usque ad mortem. De hoc etiam Thomas subtiliter scribit.

Præterea, verba Job quibus asseruit, Deus non æquo judicio afflixit me; et item, *Job* XIX, 6.
Proponat Deus æquitatem contra me, et *Ibid.* XXIII, 7.
perveniet ad victoriam judicium meum : non ita sunt accipienda, quasi Job voluerit affirmare, quod Deus injuste eum affli-

Digitized by Google

xit, vel quod hoc posset probare; sed quod A
non erat afflictus justo judicio, loquendo
de æquitate humani judicii, et eo modo
quo amici ejus putaverunt eum juste per-
cussum, videlicet ob sua peccata. Unde
hoc modo judicium ejus obtinuisset victo-
riam. Postremo, quod ait ad Dominum,
Job xxx, 21, 20. Mutatus es mihi in crudelem; sto, et non
respicis me : loquitur more afflictorum,
quoniam Deus non statim exaudiendo, et
pœnas non auferendo, quasi per modum
crudelis et non adspicientis se habere vi-
detur, præsertim dire afflicto. Juxta quem B
Is. LXIII, 15. sensum Isaias ait : Multitudo viscerum tu-
orum, et miserationum tuarum, Domine,
super me continuerunt se. Et Habacuc :
Habac. I, 2. Usquequo, Domine, clamabo, et non exau-
dies? vociferabor ad te vim patiens, et
Ps. XII, 1. non salvabis? Atque in Psalmo : Usque-
quo, Domine, oblivisceris me in finem?

Præterea, quamvis amici Job et Eliu vi-
deantur zelo Dei locuti, et reverenter de
I Reg. XVI, 7. Deo ac providentia effati divina, cordium
tamen scrutator omnipotens et supersapi-
entissimus atque justissimus Deus, eos re- C
Job XLII, 7. darguit, quia in occulto fuerunt errore, de
providentia et judiciis Dei non satis fide-
liter sentientes, putando quod Deus in vita
Ibid. IV, 7, 9. hac non infligeret pœnam nisi pro culpa.
Ibid. XXXIII-XXXVI. Verba quoque beati Job interpretabantur
sinistre, eumque temere judicaverunt, et
nimis acriter reprehenderunt, præsertim in
tantis constitutum suppliciis. Job demum
non dixit talia, qualia Eliu ei imposuit,
utpote quod dixisset, Justior Deo sum; et, *Job* XXXV, 2.
In judicando me mendacium est. Sed ista *Ibid.* XXXIV, 6.
atque similia Eliu æstimavit sequi ex ver-
bis Job : quæ non veraciter intellexit, quia
doloris expers, verba dolorosa loquentis
non penetravit, secundum Gregorium.

Ecce, Reverende Magister, præceptor et
Pater, ad quæstionem propositam, ut po-
tui, Deo præstante, respondi; et scriptum
hoc vobis (non tanquam ex his informan-
do, sed ut ad discernendum idoneo, an ve-
rum catholicumque consistat) humiliter
offero, cupiens illud tam gratanter dignan-
terque suscipi, quam affectuose compila-
tum est et offertur. Superest ut cui plus
datum est, judicium Dei plus expavescat,
Deoque gratior ac subjectior esse conetur.
Itaque summi et infallibilis Judicis (cujus *Rom.* XIV, 10.
tribunali nos cito adstare oportet) super-
venerandam præsentiam jugiter perpenda-
mus, majestatem ipsius super omnia hono-
remus, sapientiæ ejus adspectum castissimo
revereamur pudore, suæ incircumscripti-
bilis bonitatis inflammemur amore; fonti
beatitudinis perenniter inhæreamus, grates
dicamus, cultum debitum impendamus :
qui est super omnia Deus sublimis et be- *Ibid.* I, 25.
nedictus. Amen.

FINIS TRACTATULI DE CAUSA DIVERSITATIS EVENTUUM HUMANORUM

NOTA. — Quoniam inter quæstiones, a Reverendissimo Patre cardinei cœtus Nicolao Cusano motas, multa occurrunt difficilia, elucidationibus libri Job congruentia, satis congruere videbatur, si juxta hic imprimerentur omnes hujuscemodi quæstiones : quandoquidem non occurrebat locus alius, cui appositæ magis sociarentur.

Digitized by Google

ENARRATIO

IN LIBRUM TOBIÆ

Digitized by Google

Digitized by Google

PROŒMIUM

QUI *pronus est ad misericordiam, benedicetur*. Prov. XXII, 9.

Infinita bonitas Creatoris, benignissimam constituit legem rationali creaturæ, ut qualiter ipsa vult sibi fieri a suo legislatore et creatore altissimo, sic ipsa suis facere proximis non omittat. Hinc apud Lucam ait Salvator : Eadem mensura qua *Luc.* VI, 38.
mensi fueritis, remetietur vobis. Quibus verbis præmisit : Date, et dabitur vobis. De- *Ibidem.*
nique, quam copiose ac liberalissime desuper detur affluentia supernorum charismatum, his qui toto corde misericordiæ actibus pro posse intenti sunt, pandit, addendo : Mensuram bonam et confertam et coagitatam et supereffluentem dabunt in sinum *Ibidem.*
vestrum. Quo constat, quam vere locutus sit Salomon : Qui pronus est ad misericor- *Prov.* XXII, 9.
diam, benedicetur. Tali etenim homini, homines (potissime pauperes) bona imprecantur, et ipse totius fons boni, dona gratiæ suæ abundanter largitur, imo et temporalia multiplicare dignatur. Et quod amplius est, sibi fieri arbitratur, quod ejus intuitu et *Matth.* XXV, 40.
amore exhibetur egenis. Quod in venerabili et virtuoso isto Tobia evidenter esse completum, in hoc ejus libro nunc exponendo docetur. Fuit equidem ita misericors, quod cum sancto Job dicere potuit : Ab infantia crevit mecum miseratio, et de utero matris *Job* XXXI, 18.
meæ egressa est mecum.

Præterea, circa materiam libri hujus aliqua possunt inquiri, quæ ex ipso ejus textu infra patebunt. Præcipua vero occurrit difficultas, quo tempore sit defunctus Tobias, an scilicet ante destructionem urbis Jerusalem, incensionemque templi, an postea. Et de hoc infra inquisitio erit. *Tob.* XIII.

Denique liber iste non computatur inter Scripturas canonicas. Tamen de ejus veritate non dubitat mater Ecclesia : propter quod eum recepit, et legendum instituit, non ad confirmationem atque probationem eorum quæ veniunt in contentionem, id est credendorum, de quibus inter Catholicos et incredulos exstat disputationis contentio, sed ad morum informationem. Est namque hic liber historicus, etiam valde moralis ac doctrinalis.

Verum contra hæc oritur duplex objectio. Prima, quia Hieronymus ait in prologo hujus libri : Librum Tobiæ Hebræi his quæ Hagiographa memorant, manciparunt. Libri autem veteris Testamenti ad Hagiographa pertinentes, canonici sunt : siquidem Scripturam canonicam in tres dividunt partes : in legem, in Prophetas, et in Hagiographa, ut in prologo super Regum sanctus refert Hieronymus. Secunda est, quia hic liber non est minoris auctoritatis quam liber Judith, de quo in prologo suo Hieronymus protestatur, quod synodus Nicæna legitur librum Judith computasse in sanctarum numero

Digitized by Google

Scripturarum. Sanctæ autem Scripturæ vocantur canonicæ : ergo et liber iste inter canonicas Scripturas habendus est. Ad primam harum instantiarum Magister in historiis respondet, dicendo, quod Hieronymus accepit hagiographa diffusius, id est extense, prout includit apocrypha : cujus solutionis veritas ex verbis innotescit Hieronymi asserentis, Librum Tobiæ de catalogo divinarum Scripturarum Hebræi secantes, etc. Et rursus, Arguunt (inquit) nos Hebræorum studia, et imputant nobis contra suum canonem Latinis auribus ista transferre. Ad secundam similiter respondendum, quod extense sumendo Scripturas divinas, puta pro omnibus libris in Biblia contentis, et de Deo tractantibus, liber iste, sicut et liber Judith, inter divinas censetur Scripturas.

Postremo, libri hujus historia delectabilis est et decora, ac plurimum informativa fidelium.

Digitized by Google

ENARRATIO
IN LIBRUM TOBIÆ

ARTICULUS PRIMUS

EXPOSITIO CAPITULI PRIMI : TOBIAS EX TRIBU ET CIVITATE NEPHTHALI.

HOC primo capitulo describitur conversatio virtuosa Tobiæ, præsertim in operibus misericordiæ. *Tobias ex tribu et civitate Nephthali.* Nephthali interdum est nomen unius duodecim Patriarcharum, filiorum Jacob patriarchæ, qui ex conjuge sua nomine Bala, ancilla Rachelis, genuit
Gen. xxx, 4-8. Dan et Nephthali, ut patet in Genesi. Interdum Nephthali sumitur pro tota tribu ex præfato Nephthali orta. Quandoque vero pro civitate Galilææ ad tribum Nephthali pertinente, ut aliqui dicunt. Verum-
Josue xix, 32-39. tamen in libro Josue, ubi civitates tribus Nephthali exprimuntur, nulla sic appella-
I Par. vi, 76. tur; nec etiam primo Paralipomenon libro. Ideo istud videtur incertum aut falsum, nisi forsan aliqua urbium illarum, alio nomine dicta sit Nephthali, aut postea sit constructa. Fuit ergo Tobias ex tribu Nephthali patriarchæ, et ex civitate pertinente ad tribum Patriarchæ ejusdem; vel ex civitate nomine Nephthali. *Quæ est in superioribus Galilææ,* id est in locis et partibus eminentioribus, seu magis orientalibus provinciæ Galilææ. Circa quod aliqui dicunt, ideo esse dictum, In superioribus Galilææ, quoniam duplex est Galilæa, scilicet superior atque inferior, et quod Tobias fuit de Galilæa superiori. Sed juxta hoc (ut apparet) potius dictum fuisset, Quæ est in superiori Galilæa. *Supra Naasson,*

A id est juxta aut supra urbem Galilææ sic nominatam. Aliquando autem Naasson est proprium nomen viri : unde in Numeris filius Aminadab nomine Naasson, scribitur princeps tribus Juda fuisse. Num. vii, 12. *Post viam quæ ducit ad occidentem, in sinistro habens civitatem Sephet.*

Quum captus esset in diebus Salmanasar regis Assyriorum. Quarto Regum legitur, IV Reg. xv, 29. qualiter Teglathphalasar rex Assyriorum vastavit regnum decem tribuum, et multos ex eis cepit ac transtulit in Assy-
B rios, tempore Phacee regis Israel, regnante in Juda Ozia rege, qui alio nomine dictus est Azarias. Et hæc vocatur prima captivitas decem tribuum. Postea Salmanasar rex Assyriorum, filius prædicti regis Assyrii, Ibid. xvii, 3-6. vastavit, cepit, et transtulit decem tribus, scilicet eos qui ex tribubus illis residui erant in terra promissionis. Et hæc vocatur secunda captivitas tribuum decem, quæ facta est sexto anno Ezechiæ regis Juda, et nono anno Osee regis Israel. In qua captivitate Tobias inter ceteros est ab-
C ductus : non quod ipse captivari et transferri meruerit, sed quia in punitione justa iniquorum, interdum contingit et justos ac innocentes corporalibus pœnis involvi cum impiis, sicut per Ezechielem Dominus dixit Jerusalem : Occidam in te justum et Ezech. xxi, 3. impium. Sic enim Daniel cum sociis suis, Dan. i, 6.

Digitized by Google

Ezech. I, 1. atque Ezechiel a Chaldæis capti fuerunt. Quod tamen nec divinæ providentiæ, nec *Ps.* xxxiii, 20; *Eccli.* xxvii, 6. divinæ repugnat justitiæ. Justi enim et electi multipliciter in hac vita tribulantur, non solum pro culpis suis, sed etiam pro majori eorum profectu, et ut gloriosius coronentur, et ut exercitentur adversis, ac aliis in exemplum patientiæ proponantur, sicut et infra tangetur. Talia ergo adversa ordinat justus et supersapientissimus Deus suis electis in majus bonum.

In captivitate tamen positus, id est in terra Assyriorum captivus habitans, puta in metropoli regni illius, hoc est in Ninive civitate : non quod fuerit ibi in nervo, aut cippo, aut carcere positus, sed jure vel violentia belli detentus ; *viam veritatis non deseruit*, id est, observantiam legis divinæ, et cultum veri Dei non reliquit : imo permansit in veritate vitæ, in veritate doctrinæ, et in veritate justitiæ. Sicque in adversis exstitit constans, fidelis et patiens : in quo ejus relucet perfectio. Adversa etenim probant virum, juxta illud : *Eccli.* xxvii, 6. Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis. *Ita ut omnia quæ habere poterat, quotidie concaptivis fratribus qui erant ex ejus genere, impertiret*, id est, filiis Israel secum captis condivideret et communicaret. Et per natos ex genere suo, possunt specialiter accipi, nati ex tribu Nephthali ; generaliter vero, quicumque exorti ex progenie et semine Jacob seu tribuum decem.

Quumque esset junior omnibus in tribu Nephthali, id est unus juniorum, vel junior quibusdam singularum familiarum tribus illius, vel junior omnibus notabilibus personis tribus præfatæ, *nihil tamen puerile gessit in opere*, id est nihil contrarium laudabilibus moribus : sicque moribus ætatem transcendit, et maturitati, probitati, atque prudentiæ studuit ab ea ætate qua capax fuit discretionis, et in innocentia sua permansit, etiam inter dyscolos sceleratos atque idololatras vivens : quod fuit donum gratiæ specialis.

Denique quum omnes irent ad vitulos A *aureos*, id est, quidam, imo et plurimi, de omnibus tribubus Israelitici regni, assidue tenderent ad adorandum vitulos aureos, *quos Jeroboam fecerat* per manus artificum, *rex Israel*, metuens, quod decem tribus redirent ad obedientiam Roboam filii Salomonis, si irent ad sacrificandum Deo in templo Jerusalem, prout tertio Regum libro recitatur; III *Reg.* xii, 26, 27. *hic solus*, id est præcipue præ ceteris, *fugiebat consortia omnium* illorum idololatrantium. Vel ideo dicitur solus, quia tam pauci de decem tribubus tempore B illo recesserunt ab idololatria illa, quod aliorum respectu, quasi nulli videbantur.

Et pergebat ad Jerusalem ad templum Domini, ad quod ivit occulte (ut communiter dicitur) : quoniam reges Israel prohibuerunt id subditis suis, posueruntque in via et montibus quosdam ad observandum, an quis de regno Israel pergeret ad Jerusalem ad sacrificandum, ut dictum est super illud Osee : *Osee* v, 1. Laqueus facti estis speculationi, et sicut rete expansum super montem Thabor. Sed advertendum quod C Osee rex Israel, cujus imperii nono anno captus est Tobias, dedit licentiam omni populo suo, eundi et sacrificandi Deo in templo Jerusalem, ut dicunt Hebræi. Unde super illud Osee, *Ibid.* x, 2. Divisum est cor eorum, nunc interibunt, refert Hieronymus : Dicunt Hebræi, quod quamdiu reges decem tribuum et ipsæ tribus concorditer idola coluerunt, non fuerunt totaliter capti, quoniam idololatria populi aliqualiter excusabatur ex tyrannide regum, compellentium populum ad facinus tantum. Porro, Osee D ultimus rex Israel jussit, ne vituli aurei tanto studio colerentur, contulitque licentiam plebi, ut irent et sacrificarent in templo Jerusalem : cui populus contradixit, sicque divisum fuit cor populi a corde regis. Propter quod nullam suæ idololatriæ excusationem habebant, et protinus capti sunt. Denique narratio ista videtur consonare Scripturis. Legitur namque quarto Regum, IV *Reg.* xvii, 2. quod Osee rex fecit malum coram Domino, sed non sicut reges Israel qui ante eum fuerunt.

Digitized by Google

Et ibi adorabat Dominum Deum Israel: quem utique adoravit quotidie, etiam extra templum, sed in solennitatibus legis, in quibus præceptum fuit ut sacrificia sua offerrent, et adorarent in templo, adoravit in eo, hoc est in festis Paschæ et Pentecostes ac Tabernaculorum, juxta il-
Deut. XVI, 16. lud Deuteronomii : Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui in loco quem elegerit : in solennitate Azymorum, et in solennitate Hebdomadarum, et in solennitate Tabernaculorum. *Omnia primitiva* B *sua,* id est primitias frugum et animalium deputatas usibus sacerdotum, *et decimas,*
Lev. XXVII, 30 ; *Deut.* XXVI. quæ cedebant in sustentaculum Levitarum, prout in Levitico et Deuteronomio sæpe habetur, *fideliter offerens* Deo ; *ita ut in tertio anno proselytis et advenis ministraret omnem decimationem.* Decimæ ordinatæ in sustentationem Levitarum, offerebantur quolibet anno : præter quas fuit et alia decima, quæ offerebatur semel in tribus annis, et crevit in usum pauperum, præsertim proselytorum, id est con- C versorum ad Judaismum, et advenarum seu peregrinorum. His ergo Tobias tertio anno exhibuit omnem decimationem, id est decimam partem omnium rerum suarum, de quibus secundum legem decima
Deut. XII, 6. 11 ; XIV, 22-29 ; *Num.* XVIII, 21-32. offerebatur. De his decimis in Deuteronomio et Numeris plenius legitur.

Hæc et his similia puerulus observabat, id est adolescentulus, etiam nondum viginti annorum exsistens, infra quos pueri
Cf. Num. I, 3.45 ; *Exod.* XII, 37. vocabantur, ut in Numeris habetur.

Quum vero factus fuisset vir, id est, D postquam vicesimum attigit annum, *accepit uxorem Annam de tribu sua :* secun-
Num. XXXVI, 7. dum illud Numerorum, Omnes viri ducent uxores de tribu et cognatione sua : quod potissime servabatur, dum feminæ successerunt in parentum hereditate, ne si viris alterius tribus jungerentur connubio, sortium sequeretur confusio, hereditate unius tribus ad tribum aliam transeunte. Alias non servabatur hoc semper : nam et David
I *Reg.* XVIII, 27. de tribu Juda, filiam Saul de tribu Benja- A min duxit uxorem. *Genuitque ex ea filium, nomen suum imponens ei,* vocando eum Tobiam, quando circumcisus fuit, scilicet die octava. Hinc ineptum videtur, quod aliqui juniorem illum Tobiam nominant Tobi. *Quem ab infantia,* id est termino infantiæ, seu ab exordio quo uti cœpit discretione, *timere Deum* filiali timore *docuit, et abstinere ab omni peccato :* præsertim mortali, cui proprie competit ratio peccati, quum peccatum dicatur transgressio legis divinæ, et cœlestium inobedientia mandatorum : a quo peccato diu non abstinet, nisi qui et venialia cum diligentia vitat, quum venialia ad mortale disponant. Parentes autem filiis suis educationem, correctionem et informationem in moribus tenentur. Estque expediens, ut proles a pueritia sua sic informetur. Propter quod in Ecclesiastico scriptum est : Non des filio potestatem in juventute *Eccli.* XXX,
sua ; sed curva cervicem illius, et tunde 11, 12.
latera ejus dum infans est. Hinc in Proverbiis inducitur : Adolescens juxta viam *Prov.* XXII,
suam, etiam quum senuerit, non recedet 6.
ab ea.

Igitur quum per captivitatem devenisset cum uxore sua et filio in civitatem Niniven : quæ fuit metropolis Assyriorum, et constructa est ab Assur filio Sem, juxta illud Genesis, De terra illa egressus est As- *Gen.* X, 11.
sur, et ædificavit Niniven : quæ (ut in Jo- *Jonæ* III, 3.
na habetur) magna fuit itinere trium dierum ; *cum omni tribu sua,* id est cum multis de singulis familiis tribus Nephthali. Juxta quem sensum subjungitur : *et omnes ederent ex cibis gentilium,* prohibitis in lege, prout in Levitico legitur ; *Lev.* XI.
iste custodivit animam suam a transgressione legis, *et nunquam contaminatus est in escis eorum,* id est, illicita non comedit. Juxta quem modum apud Danielem asseritur : Proposuerat Daniel in corde *Dan.* I, 8.
suo, ne pollueretur de mensa regis, neque de vino potus ejus.

Et quoniam memor fuit Domini in toto corde suo, non solum ad sciendum, sed item ad faciendum ac adimplendum divi-

Digitized by Google

Ps. cii, 18. na præcepta, juxta id Psalmi : Et memores **A** sunt mandatorum ipsius, ad faciendum ea. Itaque memor fuit Dei assidue atque stabiliter, attendens jugiter divinæ majestatis præsentiam, secundum illud in Psal- Ps. xv, 8. mo : Providebam Dominum in conspectu Ps. xxiv, 15. meo semper. Et : Oculi mei semper ad Dominum. Sicque cum sancto Job dicere Job xxiii, 15. potuit : Considerans Deum, timore sollicitor. *Dedit illi Deus gratiam in conspectu Salmanasar regis,* cujus cor Deus inclinavit ad favendum Tobiæ propter ipsius vir- Prov. xxi, 1. tutes. Nempe ut Salomon ait, Cor regis in **B** manu Domini est ; quocumque voluerit, Ibid. xxii, 11. inclinabit illud. Qui rursus fatetur : Qui diligit cordis munditiam, amicum habebit regem. *Et dedit ei potestatem quocumque vellet ire, habens* ipse Tobias *libertatem* faciendi *quæcumque vellet facere,* quæ tamen non derogarent honori regis, et cultui Creatoris. Talem quoque libertatem Jer. xxxix, 11-14. dedit Nabuzardan, ex commissione Nabuchodonosor, Jeremiæ.

Pergebat ergo per omnes qui erant in captivitate de populo suo, *et monita salu-* **C** *tis dabat eis,* ut scilicet captivitatem suam æquanimiter tolerarent, et in Dei cultu persisterent. Et sicut in Scholastica historia additur, Contribules suos non custodientes se, graviter arguebat. *Quum autem venisset in Rages civitatem Medorum,* quibus tunc imperabant Assyrii : unde quar- IV Reg. xvii, 6. to Regum narratur rex Assyriorum collocasse captivos ex Israel in civitatibus Medorum ; *et ex his quibus honoratus fuerat a rege* Salmanasar, puta ex munusculis sibi a rege collatis : qui honoravit Tobiam **D** dono libertatis præfatæ atque pecuniæ, Jer. xl, 5. quemadmodum et de Jeremia legitur princeps militiæ Chaldæorum dedisse munuscula Jeremiæ ; imo secundum Josephum, pretiosa munuscula dedit Prophetæ ; *habuisset decem talenta argenti ; et quum in multa turba generis sui Gabelum egentem videret, qui erat ex tribu ejus :* cum quo vidit et multos ex captis Israelitis egentes ; *sub chirographo dedit illi memoratum pondus argenti,* id est, pecuniam illam concessit Gabelo sub cautione et chirographo de persolutione.

Post multum vero temporis, mortuo Salmanasar, cujus vitam Deus prolongavit propter pietatem suam Tobiæ exhibitam, *quum regnaret Sennacherib filius ejus :* illis quippe temporibus Assyrii monarchiam tenebant ; *et filios Israel exosos haberet,* præsertim percusso ejus exercitu ab IV Reg. xix, 35; Is. xxxvii, 36. angelo in regno Juda, ut paulo post in littera recitatur, et quarto Regum describitur ; *Tobias pergebat per omnem cognationem suam :* quia cognatis, ceteris paribus, magis est succurrendum, sicut et magis sunt diligendi ; *et consolabatur eos* verbis et beneficiis, sicut subjungitur : *dividebatque unicuique prout poterat de facultatibus suis,* etc. *At ubi nuntiatum est regi* Sennacherib, quod Tobias tot opera misericordiæ exhiberet filiis Israel desolatis, *jussit eum occidi, et tulit,* id est abstulit, *omnem substantiam ejus. Tobias vero cum filio suo et uxore fugiens,* quia præavisatus fuit ab aliquo de suo periculo, *nudus latuit,* id est, rebus suis spoliatus abscondit se, *quia multi diligebant eum,* non solum ex filiis Israel, sed ex Assyriis quoque, quoniam erat totus mansuetus, pius, liberalis, pacificus, humilis et modestus.

Post dies vero quadraginta quinque occiderunt regem filii ejus. De qua occisione habetur quarto Regum, et secundo Parali- IV Reg. xix, 37; II Par. xxxii, 21; Is. xxxvii, 38. pomenon, atque in Isaia ; sed de numero horum dierum hic solum fit mentio. Et potest intelligi, quod vel post reditum ejus a regno Juda, et ingressum in Niniven, vel post præceptum quo sic jussit tractari Tobiam, fluxerunt dies hi quadraginta quinque. Cur autem filii occiderunt regem tam impium, dictum est super libros Regum et Isaiam. Nempe (ut aliqui dicunt) ordinavit filium suum juniorem sibi in regno suo succedere : propter quod indignati filii seniores, eum interfecerunt. Alii vero affirmant, quod populus suus indignabatur ei propter occisos in terra Juda, et voluit eum occidere : propter quod con-

Is. xxxvii, 38. fugit in templum dei sui Nesroch, invocans eum, et promittens quod immolaret ei filios suos seniores, si eriperet eum de instanti periculo : quo cognito, filii sui seniores eum interemerunt. A

Et reversus est Tobias ad domum suam, omnisque facultas ejus restituta est ei, ex Ibidem. præcepto Asarhaddon, qui patri suo Sennacherib in regno successit, et pietatem in Tobiam exercuit, cognitis ejus virtutibus; et Deo sic ordinante, qui tempore tribulationis et tentationis misericorditer adest, I Cor. x, 13. nec permittit hominem supra illud quod potest tentari, sed facit cum tentatione proventum, et in ea virtutem victoriamque largitur. B

Sensus spiritualis. Threm. iv, 20. Præterea allegorice Tobias Christum designat : de quo loquitur Jeremias, Spiritus oris nostri, Christus Dominus, captus est in peccatis nostris ; qui in omni ac summa pietate et innocentia vixit, et fructuosissimus mansit ab incarnationis exordio usque ad spiritus emissionem ; qui duxit uxorem Ecclesiam, ex qua per prædicationem et Baptismum genuit filium unum, C videlicet populum christianum in una fide et lege communicantem, cui imposuit nomen suum, quia a Christo Christianus vocatur. Denique Judæis in potestatem Romanorum redactis, atque ab invisibilibus hostibus gravissime captis, Christus pertransiit universos, consolando, docendo, reficiendo, miracula peragendo, quemadmodum sacratissimus ait princeps apostolici ordinis : Verbum misit Deus filiis Israel, Act. x, 36, 38. annuntians pacem per Jesum Christum, qui pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo. Quumque Sennacherib, id est, persecutores et tyranni, odirent et persequerentur populum christianum ubique terrarum, Christus corda fidelium invisibiliter gratiosissime visitavit, consolabatur, refecit; ac tandem persecutoribus Ecclesiæ deficientibus ac deletis, Christus pacem dedit fidelibus, et restituta sunt ei in populo suo, quæ increduli abstulerunt membris et famulis Salvatoris.

Tropologice, instruuntur ex isto capitulo universi fideles, ut in prosperis et adversis constanter adhæreant Deo, atque misericordiæ actibus toto corde consistant intenti, patientiam quoque in omni adversitate insuperabiliter amplectantur, etiam dato quod adversa non meruerint sustinere. Insuper sobolem suam ab infantia diligenter in omni informent virtute, præsertim in Dei timore ac moribus, non in vanitate, pompa et trufis, sicut nunc, proh dolor ! faciunt multi.

ARTICULUS II

ELUCIDATIO CAPITULI SECUNDI : POST HÆC VERO QUUM ESSET DIES FESTUS DOMINI.

MISERICORDIA et patientia Tobiæ hic prosecutorie recitantur. *Post hæc vero quum esset dies festus Domini :* qui dies non exprimitur in hoc loco distincte; *et factum,* id est paratum, *esset prandium* [*bonum*] *in domo Tobiæ,* hoc est materia prandii. Solent enim diebus festivis aliqua lautiora parari : quod in veteri illa lege rudi populo data, præcipue servaba- D tur, juxta illud Nehemiæ : Ite, comedite II Esdr. viii, 10. pinguia, et bibite mulsum, quia dies sanctus Domini est; et illud Esther : Diem Esther ix, 17. constituerunt solennem, ut in eo omni deinceps tempore vacarent epulis, gaudio atque conviviis. *Dixit filio suo : Vade et addùc aliquos de tribu nostra :* quia consanguineis major debetur dilectio ac beneficentia quam aliis, ceteris paribus ;

Digitized by Google

* Deum *timentes Dominum* *, id est, de quibus probabiliter scire potes ex relatione aut inspectione, quod timorati exsistant. Sicque implevit Tobias quod ait Scriptura : Eccli. IX, 22. Viri justi commensales sint tibi. Itemque : Ps. C, 5. Superbo oculo et insatiabili corde, cum hoc non edebam. Sed jam multi magis curant invitare divites et potentes, quamvis iniquos, quam justos, timoratos, innocentes ac simplices. *Ut epulentur nobiscum* sobrie et cum gaudio spirituali, non gulose et libidinose.

Quumque abisset, expleto patris præcepto, *reversus nuntiavit unum ex filiis Israel jugulatum* ab aliquo Assyriorum, *jacere in platea*, ceteris filiis Israel non audentibus eum sepelire. Unde elicitur, quod etiam filius præfati Sennacherib crudelis fuit Israelitis captivis. *Statimque exsiliens de accubitu suo*, id est de sua comestione et loco quo sedit ut statim comederet : erat namque repletus habitibus virtuosis, qui instar naturæ incitabant eum fortissime ad exsequendum actiones virtutum ; *relinquens prandium, jejunus pervenit ad corpus ; tollensque illud, portavit ad domum suam occulte, ut dum sol occubuisset, caute sepeliret eum*. Unde apparet, quod non cœpit comedere, sed invitatos præstolabatur.

Quumque occultasset corpus defuncti, ut illud clam de nocte traderet sepulturæ, ne videntes Assyrii dicerent regi ; *manducavit panem*, id est præparata cibaria : quæ omnia panis nomine designantur ; *cum luctu et tremore :* quia mortem tam crudelem occisi, et calamitatem populi sui deflevit ; et futura metuebat pericula, atque ne rex opera sua perciperet ; *memorans illum sermonem, quem Dominus dixit per* Amos VIII, 10. *Amos prophetam : Dies festi vestri convertentur in lamentationem et luctum*, ita quod corde et corpore eritis mœsti. Porro translatio nostra habet : Convertam festivitates vestras in luctum, et omnia cantica vestra in planctum. Amos autem propheta diu fuit ante Tobiam, et prophetias suas descripsit : ideo Tobias potuit eas scire, utpote studiosus in lege et Prophetis. Quam diu autem fuerat Amos ante Tobiam, ex quarto Regum libro colligitur, per consi- IV Reg. XIV, XV. derationem regum qui inter Jeroboam filium Joas regem Israel, sub quo prophetavit Amos, et inter Osee regem Israel, cujus anno nono captus est Tobias, regnaverunt. *Quum vero sol occubuisset, abiit et sepelivit eum*.

Arguebant autem eum omnes proximi sui, adhuc imperfecti, et magis timentes regem terrenum quam cœlestem, *dicentes : Jam hujus rei causa interfici jussus es, et iterum sepelis mortuos ?* Tobias autem econtrario plus timens Deum quam homines, non cessavit a defunctorum sepelitione ex humano timore, quemadmodum subditur. *Sed Tobias plus Deum quam regem timens, rapiebat corpora occisorum, et occultabat in domo sua, et mediis noctibus sepeliebat ea*. Sicque timuit regem naturali et ordinato timore, et quantum potuit (salvo Dei præcepto) vitavit regis offensam, propriumque periculum, nolens tentare Deum. Propter quod ait Glossa : Non debemus nos in pericula præcipitare, vel Deum tentare, quando per rationem possumus nos juvare.

Contigit autem ut quadam die fatigatus a sepultura. Si hoc intelligatur de die artificiali, qui est latio solis super nostrum horizontem, consequens erit quod non solum in noctibus, sed et luce diurna aliquando mortuos sepelivit. Si autem intelligatur de die naturali, qui est spatium viginti quatuor horarum, et noctem includit, istud non sequitur. *Veniens domum, jactasset se juxta parietem, et obdormisset, et ex nido hirundinum dormienti illi calida stercora inciderent super oculos ejus, fieretque cæcus*. Circa hoc aliqui dicunt, illam excæcationem ex naturali stercorum hirundinum virtute non contigisse, præsertim quum non ceciderint super oculos ejus apertos, sed clausos ; sed ex ordinatione divina, quæ actor est mali pœnæ, quatenus Tobias sic fieret posteris exemplar patientiæ. Quocirca reor dicen-

Digitized by Google

dum, quod utique ex divina ordinatione magis quam casualiter credendum est illud contigisse, præcipue quod ambobus oculis ejus stercora illa pariter inciderunt propter causam prætactam, secundum quod statim in capitulo isto subjungitur. Nihilo minus videtur dicendum, quod excæcatio illa non fuit miraculosa, sed naturalis effectus : ita quod stercora illa naturaliter ex sua fæculentia et caliditate poterant in oculis Tobiæ albuginem, maculamve causare, quamvis lumen visuale nequaquam in toto exstinxerint, prout infra habetur. Nec hoc mirabilius aut minus credibile est, quam quod oculi Tobiæ per applicationem fellis cujusdam piscis visum recuperaverunt, ut infra habetur. (Tob. xi, 13-15.)

Hanc autem tentationem, id est adversitatem et afflictionem, per quam Deus tentavit et exercitavit atque examinavit Tobiam, et ejus patientiam ac perfectionem, non ut ipsi Deo innotesceret, qui cuncta cognovit, sed nobis ad nostram ædificationem : unde scriptum est, Deus tentavit justos, et invenit illos dignos se ; (Sap. iii, 5.) *ideo permisit Deus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiæ ejus, sicut et sancti Job.* (Job i, 12; ii, 6.) Simili ratione tentavit Abraham patriarcham, quatenus exemplum obedientiæ posteris donaretur. (Gen. xxii, 1.) *Nam cum ab infantia sua Deum semper timuerit, non est contristatus contra Deum,* murmurando aut aliter excedendo per verba aut facta illicita, *eo quod plaga cæcitatis evenerit ei ; sed immobilis in Dei timore permansit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ suæ.* Erat quippe vir valde illuminatus, sciens multas esse tribulationes justorum, (Ps. xxxiii, 20.) et eas ex variis causis infligi, sanctosque Patriarchas ac Prophetas multa ac magna tolerasse adversa.

Nam sicut beato Job insultabant reges, id est tres amici ejus, qui erant multorum rectores et principes, propter quod reges vocantur. (Job ii, 11.) Juxta quem modum in Genesi, ubi nostra translatio habet, Responderunt filii Heth, dicentes ad Abraham, Princeps Dei es apud nos, (Gen. xxiii, 5, 6.) alia translatio continet, Rex Dei es apud nos. Circa hæc scribit quidam : Forte reges fuerunt ad litteram. Antiquitus enim in qualibet civitate erat rex unus, ut patet in libro Josue. Ad quod dico, quod in libro Josue non dicitur hoc : (Josue xii, 7 et seq.) imo, ut ibidem fertur, omnes reges quos occiderunt filii Israel in terra promissionis, fuerunt triginta unus, et tamen multo plures civitates erant ibidem. Similiter tempore illo unus fuit rex in tota Ægypto. In Deuteronomio quoque legitur, quod Og rex Basan præfuit sexaginta civitatibus muratis muris altissimis, absque oppidis innumeris, quæ non habebant muros. (Deut. iii, 4, 5.)

Ita isti Tobiæ, *parentes* ejus *et cognati ejus* insultabant : a quibus gravius est hoc ferre; et *irridebant vitam ejus :* quum tamen afflicto non sit addenda afflictio, sed consolatio impendenda, ne abundantiori absorbeatur tristitia ; *dicentes : Ubi est spes tua, pro qua eleemosynas et sepulturas faciebas ?* quasi dicant : Inanis effecta est, et bono sperato privata ; nec Deo placuit operatio tua, qui pro tot bonis (ut apparebat) permisit tibi accidere tantum malum. Circa hoc quidam scribit : Ex his videtur, quod isti propinqui Tobiæ remunerationem boni et mali credebant tantum esse in vita præsenti, sicut amici Job. Quocirca dicendum, quod iste, sicut et S. Thomas quem in hoc sequitur, super Job affirmat, amicos Job non posuisse vitam aliam post præsentem, sed animas hominum esse mortales, atque finalem retributionem virtutum ac vitiorum esse in vita hac. Verum sicut super Job diffuse probavi, non solum ex verbis B. Gregorii et Alberti Magni, ac aliorum, sed item ex verbis amicorum Job, ipsi non erant illius opinionis. Putabant tamen justis in vita hac prospera evenire, nec adversa infligi, nisi pro aliqua culpa afflictis, juxta modum quo in lege Moysis justis uberrime promittebantur prospera in præsenti, et iniquis intentabantur adversa in sæculo isto. (Ibid. xxviii.) Et raro aut nunquam erat ibi manifesta expressio de remuneratione post vitam præsentem

Digitized by Google

futura. Nihilo minus lex posuit vitam et A remunerationem futuram.

Tobias vero increpabat eos, dicens mansuete ac sapienter : *Nolite ista loqui ; quoniam filii Sanctorum sumus,* videlicet Abrahæ, Isaac, et Jacob, qui non posuerunt finalem mercedem justitiæ in præsenti. Unde Dominus ait ad Abraham : *Gen.* xv, 1. Ego protector tuus, et merces tua magna nimis. Hinc ad Hebræos scribit Apostolus : *Hebr.* xi, 13, 14. Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed a longe eas adspicientes et salutantes, et confitentes B quia hospites et peregrini sunt super terram. Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere. Hinc subditur : *et vitam illam exspectamus* per spem, *quam Deus daturus est his,* puta electis in regno cœlesti : quæ est vita gloriæ, beatifica visio Dei, consummata felicitas ; *qui fidem suam nunquam mutant ab eo,* id est, nunquam in aliquam diffidentiam aut incredulitatem labuntur, aut si labuntur, resurgunt et pœnitent, et perseverant finaliter, decedentes in fide formata.

Anna vero uxor ejus ibat ad textrinum C *opus quotidie,* id est ad locum et domum ubi texebatur, et lanificio fuit intenta. Quo patet magna Tobiæ et conjugis suæ paupertas, quia in propria domo non habebat materiam circa quam operaretur. Tobias namque cuncta quæ habuit, communicavit egenis. *Et de labore manuum suarum victum quem consequi potuisset, deferebat. Unde factum est ut hœdum caprarum accipiens* pro mercede sui obsequii, *detulisset domum.* Capra autem et hœdus ejus D erant animalia munda et immolaticia, ut *Lev.* i, 10 et passim. in Levitico patet. *Cujus quum vocem balantis vir ejus audisset.* Porro balatus est sonus ovium et caprarum. *Dixit : Videte ne forte furtivus sit. Reddite eum dominis suis, quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere.* Tobias non suspicabatur uxorem suam esse furatam hunc hœdum, quia ipsius bonitatem et fidelitatem agnovit; sed verebatur ne forsitan is a quo hœdum acquisivit aut emit, furto acquisisset eumdem. Mirabatur enim quomodo uxor sua paupercula habuisset facultatem emendi hœdum, nisi forte pro parvo pretio acquisierit hœdum, eo quod venditor per furtum acquisisset eum.

Ad hoc uxor ejus irata, ira per vitium et prædominante, *respondit : Manifeste vana facta est spes tua,* id est omni beata retributione privata, quia tam stulte locutus es, ut mihi apparet; *et eleemosynæ tuæ modo apparuerunt,* id est, manifestatæ sunt fuisse inutiles tibi et immeritoriæ, tanquam ex fictione et hypocrisi, non ex virtutibus procedentes. *Atque his et hujuscemodi verbis exprobrabat ei :* quemadmodum uxor Job, quæ dixit beato Job, Benedic Deo et morere. *Job* ii, 9. Nempe quum feminæ sint debiles ratione, quando irascuntur, solent omnino immoderanter irasci, præsertim dum nec timore nec verecundia refrenantur. Propter quod scriptum est : Non est caput nequius super caput colubri, et non est ira super iram mulieris. *Eccli.* xxv, 22, 23.

Allegorice, per Tobiam mortuos sepelientem, exprimitur Christus : qui consepelit nos sibi in Baptismo; qui ex itinere fatigatus, repausavit paulisper; cui calida hirundinum stercora super oculos inciderunt, id est invidiosa obloquia levium et loquentium Pharisæorum, Scribarum et sacerdotum, qui claritatem et sapientiam Salvatoris obscuraverunt in multorum præcordiis, quos averterunt a Domino Jesu Christo in tantum, quod et quidam de Ecclesia ad hæreticas corruerunt impietates, atque pro laudibus obtulerunt ei blasphemias, nec Christi increpationem æquanimiter susceperunt. Sensus spiritualis. *Joann.* iv, 6.

Postremo, moraliter informamur ex isto capitulo mortuorum sepulturæ operam dare, Deum magis quam homines quoscumque vereri, nec ex humano timore aut mortis formidine præcepta Dei negligere, atque in omni tentatione et adversitate tranquillitatem patientiamque amplecti, divinæ providentiæ paternam dispositionem sagaciter contemplari, ac futurum Dei judicium, et æternæ felicitatis plenis

Digitized by Google

simum præmium jugiter ponderare : sicque tanquam filii sanctorum Apostolorum immobiles permanere in omni fidei veritate, ac filiali timore, et in adversis quoque gratias agere summo provisori, Patri æterno, fidelissimo ac sapientissimo creatori, atque adversa de ejus manu tanquam munera acceptare, juxta quod in Proverbiis A edocetur : Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias ; et ne deficias cum ab eo corriperis. Quem enim diligit Dominus, corripit, et quasi pater in filio complacet sibi. *Prov.* III, 11, 12. Demum, his qui irrationabiliter nos corripiunt, subsannant, derident, non jam impetuose irascamur aut indignemur, sed tranquille ac sapienter respondeamus.

ARTICULUS III

DECLARATIO CAPITULI TERTII : TUNC TOBIAS INGEMUIT, ET COEPIT ORARE CUM LACRIMIS.

ORATIO et confessio Tobiæ hic recitantur. *Tunc Tobias ingemuit,* compatiens erranti uxori, ac præsentis exsilii pensans ærumnas, propriorum quoque et proximorum deflens peccata ; *et cœpit orare cum lacrimis, dicens.* Talis enim oratio lacrimosa, maximæ est efficaciæ apud Deum, et Omnipotentem quasi superare videtur. Propter quod ait Glossa : Oratio Deum lenit, lacrima cogit ; oratio ungit, lacrima pungit. *Justus es, Domine.* Oratio laudibus Dei admixta, efficacissima esse censetur. Propter quod Psalmista fatetur : Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero. *Ps.* XVII, 4. Hinc Tobias orationem suam a laudibus exorsus est, dicens : Justus es, Domine. Et convenientissime atque humillime in primis divinam commendat justitiam, insinuans se nequaquam contra divinum murmurare judicium, quum tamen post tantas justitias pateretur tot et tantas adversitates. Itaque, Justus es, Domine, qui nullam culpam desinis impunitam, et unicuique reddis quod meruit ; *et omnia judicia tua justa sunt,* quoniam unumquemque secundum sua merita aut demerita post hanc vitam judicas atque remuneras. Nihilo minus pius est Dominus et misericors, et miserationes ejus super omnia opera ejus, *Ps.* CXLIV, 9. potissimum in præsenti, et circa electos, qui sunt vasa misericordiæ Dei, *Rom.* IX, 23. B et in Psalmo fatentur : Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates retribuit nobis. *Ps.* CII, 10. Imo misericordia et justitia Dei stant simul, et contemperantur in operibus ejus. Propter quod subditur :

Et omnes viæ tuæ misericordia et veritas et judicium : id est, cunctæ operationes tuæ sunt piæ et justæ, tuaque pietas et justitia in universis tuis relucent operibus : et hoc, secundum judicium, id est discretionem sapientiæ tuæ. Nam et citra C condignum punis iniquos, et ultra condignum remuneras justos. In quibusdam tamen effectibus, præsertim in condemnatione et punitione reproborum, magis apparet justitia Dei, et ejus effectus prædominatur, quemadmodum in præmiatione electorum evidentius resplendet et prædominatur misericordia Dei. Interdum quoque accipitur justitia Dei pro condecentia, qua decet eum sic aut sic agere : sicque actus divinæ pietatis sunt justi, quia tam bonus est Deus, ut deceat eum misericorD diter operari, et quibusdam ignoscere, ac bona pro malis rependere. Hinc ait Psalmista : Universæ viæ Domini misericordia et veritas. *Ps.* XXIV, 10. Itemque : Justus Dominus in omnibus viis suis. *Ps.* CXLIV, 17. Juxta hunc sensum Azarias in medio ardentis fornacis illæsus stans, dixit : Justus es, Domine, Deus pa- *Dan.* III, 25-27.

Digitized by Google

trum nostrorum, in omnibus quæ fecisti nobis, et universa opera tua vera, et viæ tuæ rectæ : ut in Daniele habetur.

Et nunc, Domine, memor esto mei, id est, per exauditionem gratiosam ostende te memorem esse mei, qui nunquam tuorum oblivisceris, *ne vindictam sumas de peccatis meis.* Ecce quanta humilitas justi istius, qui cuncta quæ toleravit, non reputavit condigna aut sufficientia esse flagella culparum suarum, imo graviora se fatebatur promeruisse, a quibus petiit misericorditer erui. *Neque reminiscaris delicta mea vel parentum meorum,* id est, per effectum justæ ultionis non ostendas te reminisci peccata nostra, sed ea clementer
Ps. xxiv, 6. remittas quasi non fuerint, et reminiscere miserationum tuarum. Denique, specialiter orat pro suis parentibus, qui forsan in brevi defuncti fuerunt, vel adhuc vivebant. Et quamvis (sicut in præcedenti ha-
Tob. ii, 15. betur capitulo) parentes ipsius irridebant eum, ipse nihilo minus orat tota devotione pro illis : siquidem filii parentibus suis æquivalens reddere nequeunt.

Quoniam non obedivimus præceptis tuis. Non pro propria persona hoc ait, quia jam patuit, quod in cunctis obedivit divinis præceptis ; sed in persona peccatorum et transgressorum, quibus se ex humilitate connumerat, tanquam unus ex populo illo. Juxta quem modum loquitur Isaias, di-
Is. liii, 4. cendo : Nos reputavimus eum quasi leprosum et percussum a Deo. Esdras quoque et Daniel in orationibus suis dixerunt :
I *Esdr.* ix, 6; *Dan.* ix, 4-20. Deus meus, confundor et erubesco levare faciem meam ad te, quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum, et delicta nostra creverunt usque ad cœlum. *Ideo traditi sumus in direptionem,* id est, bona nostra temporalia ablata sunt nobis ; *et captivitatem,* id est, in personis propriis per captivitatem puniti sumus ; *et mortem :* unde dictum
Tob. i, 21. est supra, quod Sennacherib multos ex captivis occidit ; *et in fabulam et in improperium omnibus nationibus,* scilicet Persis, Medis, Assyriis, *in quibus dispersisti*

A *nos :* quæ de nostris calamitatibus inter se fabulantur, et nobis assidue convitiantur. Secundum quod in Jeremia Dominus ait de talibus : Dabo eos in vexationem et male- *Jer.* xxix, 18, 19.
dictionem, et in stuporem et in sibilum, et in opprobrium, eo quod non audierint verba mea.

Et nunc, Domine, magna judicia tua, id est justa et sancta ac irreprehensibilia, *quia non egimus secundum præcepta tua, et non ambulavimus sinceriter coram te,* id est pura ac recta intentione : quia etsi
B bona aliqua egimus, tamen multis malis admixta fuerunt, nec satis sincera fuit intentio nostra, quia ad propria commoda reflexi exstitimus, vel ad laudes humanas, et ita quasi pannus menstruatæ sunt universæ *Is.* lxiv, 6.
justitiæ nostræ. *Et nunc, Domine, secundum voluntatem tuam,* id est spontaneam tuam pietatem, *fac mecum :* juxta illud Psalmi, Benigne fac, Domine, in bona voluntate *Ps.* l, 20.
tua Sion ; *et præcipe in pace recipi spiritum meum,* id est, animam meam jube angelico ministerio tolli a corpore, et quie-
C te transferri ad limbum patrum, sinumve Abrahæ, id est ad secretam requiem illam et pacem, in qua fuit certa exspectatio æternæ salutis, et quies ab omni præsentis vitæ tumultu. Sic et justus Simeon dixit : Nunc dimittis servum tuum, Domine, *Luc.* ii, 29.
secundum verbum tuum in pace.

Expedit enim mihi mori magis quam vivere. Hoc aliquo modo sic fuit secundum considerationem Tobiæ : quia utilius fuit ei in sinu Abrahæ repausare, quam assidue sic affligi, et periculis peccandi expo-
D ni, quia ex sua cæcitate, irrisione, paupertate, aliisque adversis poterat paulatim ad impatientiam aut inordinatam labi tristitiam. Verumtamen absolute loquendo, salubrius fuit ei et aliis manere et conservari in vita eo modo, quo Deus decrevit eum conservare in vita hac per gratiam et profectum virtutum, atque per reductionem ad temporalem ac spiritualem prosperitatem eximiam, secundum quod infra habetur. Denique, juxta hunc modum leguntur sancti viri interdum mortem optasse, et

Digitized by Google

pro ea orasse, non ex impatientia, sed cautela et desiderio vitæ quietioris; tamen occasione magnæ adversitatis et afflictionis : a qua secundum divinæ voluntatis pietatem velle liberari, non videtur peccatum. Sic namque Moyses ait ad Dominum :
Num. xi, 14, 15; *Deut.* i, 10, 12. Non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia gravis est mihi. Sin aliter tibi videtur, obsecro ut interficias me, et inveniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis. Sic et Elias fugiens impiissimam Jezabel, legitur exorasse :
III *Reg.* xix, 4. Sufficit mihi, Domine, tolle (quæso) animam meam.
II *Cor.* i, 8. Apostolus quoque : Supra modum, inquit, gravati sumus supra virtutem, ita ut tæderet nos vivere.

Eadem die qua sic oravit Tobias, *contigit ut Sara filia Raguelis,* Israelitæ capti et habitantis *in Rages civitate Medorum, audiret improperium ab una ex ancillis patris sui,* a qua potius debuit honorari : et gravius fuit a vili et subjecta persona sic objurgari; *quoniam tradita fuit septem viris* a suis parentibus successive. Nec certum est, an viri illi fuerunt gentiles idololatræ, aut ex filiis Israel captis. Et quidquid inde dicatur, constat quod viri illi fuerunt iniqui, et tam virtuosæ puellæ conjugio et amplexu indigni. Nam et Israelitæ captivi, pro maxima parte fuerunt idololatræ. Sed quoniam infra Raguel
Tob. vii, 14. ait, Credo quod ideo fecit vos Dominus venire ad me, ut ista conjungeretur cogna-
Num. xxxvi, 8. tioni suæ secundum legem Moysis, ad minus elicitur, quod viri illi non erant de tribu Raguelis et Saræ, sicut Tobias. *Et dæmonium, nomine Asmodæus, occiderat eos,* non sine permissione divina atque angelica. Erant quippe iniqui et libidinosi, ideo morte digni : sicque dæmon fuit exsecutor divinæ justitiæ in illorum punitione, quemadmodum in adolescentis occisione, qui sanctam Agnetem volebat polluere. *Mox ut ingressi fuissent ad eam* in cubile aut lectum, antequam eam cognoverant.

Ergo quum pro culpa sua increparet puellam ex caritate et zelo justitiæ, quoniam
A justa fuit et fervida, *respondit ei* puella illa impatiens et perversa, *dicens : Amplius non,* id est nunquam in posterum, *videamus ex te filium aut filiam super terram,* hoc est, sterilis maneas, sicut hucusque fuisti, *interfectrix virorum tuorum.* Sicque false accusavit Saram de tanto facinore, imo et facinoris tanti tam frequenti reiteratione. Malevole quoque maledixit eidem, imprecando ei sterilitatem, quæ tunc fuit grande opprobrium. Hujus perversæ puellæ pravitatem impatientiamque
B sectantur multi, superbi, duri, impatientes, qui juste reprehensi, non solum non recognoscunt propriam culpam, sed in ipsum invehuntur corripientem : quem si vere reprehendere nequeunt, criminantur eum mendaciter. De quibus scripsit Amos : Odio habuerunt corripientem, et perfecte *Amos* v, 10.
loquentem abominati sunt. Ecclesiasticus quoque : Peccator vitabit omnem correptionem. Verum (ut Salomon protestatur) qui increpationes relinquit, insipiens est; et qui impatiens est, operatur stultitiam. *Eccli.* xxxii, 21. *Prov.* x, 17; xii, 1; xiv, 17, 29.
C *Numquid et me occidere vis, sicut occidisti septem viros?* Tanta est iniquorum, iracundorum, superborum, impatientiumque perversitas, excæcatio, ingratitudo, ut justam et caritativam correptionem (quæ est beneficium maximum) arbitrentur summam injuriam, maleficium, et quasi impetitionem ad mortem. Merito igitur scriptum est : Sapientiam et disciplinam qui *Sap.* iii, 11.
abjicit, infelix est.

Ad hanc vocem perrexit in superius cubiculum domus suæ : in quo sibi forsan
D oratorium præparavit, quemadmodum Judith, quatenus in loco illo secreto, quieto *Judith* ix, 1.
et alto, devotioni, contemplationi, orationi liberius puriusque vacaret. Denique sapiens virgo Sara noluit cum impudenti et perversa ancilla contendere, nec ei dure quid respondere, cernens eam incorrigibilem esse; sciens verum esse quod Salomon dixit : Honor est homini qui separat *Prov.* xx, 3.
se a contentionibus. *Et tribus diebus et noctibus non manducavit neque bibit; sed in oratione persistens, cum lacrimis de-*

Digitized by Google

precabatur Deum, ut ab isto improperio liberaret eam, id est, a tanta diffamia eam eriperet, ne alii scandalizarentur in ea, et veritas ad Dei honorem pateret, et ipsa de cetero efficeretur fecunda. Præterea an toto triduo ex devotione atque fervore absque interruptione oraverit, nec quidquam cibi et potus ac somni acceperit, an potius ideo dicatur infra tres dies et noctes orasse, et nil cibi ac potus sumpsisse, quia pro majori parte temporis illius oravit, et permodicum de cibo accepit et potu, videtur incertum. Utroque etenim modo potest intelligi, quia quod modicum est, reputatur pro nihilo. Nam et in Actibus legitur,
Act. xxvii, 33. Paulum dixisse quibusdam in navi : Quartadecima die hodie exspectantes, jejuni permanetis, nihil accipientes.

Factum est autem tertia die, dum compleret orationem, benedicens Dominum benedictione laudis, qua inferior benedicit superiori. De benedictione vero consecra-
Hebr. vii, 7. tionis, ait ad Hebræos Apostolus : Sine ulla contradictione, quod minus est, a majore benedicitur. *Dixit : Benedictum est nomen tuum,* id est, tu ipse nomine nominante designatus, es benedictus, *Deus patrum nostrorum.* Sæpissime etenim in Scripturis accipitur nomen rei pro re ipsa, quemadmodum et in Oratione domini-
Matth. vi, 9. ca : Sanctificetur nomen tuum. Itaque venerabilis Sara, ex tam diuturna et ferventi oratione desuper intra se secrete consolata, et spe exauditionis exhilarata, Dominum benedixit. *Qui quum iratus fueris,* non per invariabilis mentis tuæ commotionem, aut per tuæ infinitæ tranquillitatis perturbationem, sed per justæ ultionis effectum, *misericordiam facies :* quia per pœnas temporales ignoscis contritis, et citra condignum punis; *et in tempore tribulationis peccata dimittis his qui invocant te,* qui tuæ pietatis flagella patienter atque humiliter amplectuntur, confitentes multo duriora promeruisse, ac misericorditer sibi indulgeri petentes. Sic et Haba-
Habac. iii, 2. cuc asserit : Quum iratus fueris, misericordiæ recordaberis. Et Psalmista : Aut

A obliviscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas? *Ps.* lxxvi, 10.

Ad te, Domine, faciem meam converto, ad te oculos meos erigo. Certum est, quod ad illocalem et incircumscriptibilem supersimplicissimum Deum Sara converterit faciem suam interiorem, videlicet mentem : de qua in Psalmo, Tibi dixit cor *Ps.* xxvi, 8.
meum, exquisivit te facies mea. Sic et oculos interiores erexit ad Deum altissimum ubique præsentem, juxta illud : Oculi *Ps.* xxiv, 15.
mei semper ad Dominum. Exteriorem quo-
B que faciem et oculos corporales levavit et direxit ad Deum, id est ad locum in quo Deus specialiter esse et habitare asseritur, puta ad cœlum, vel pro tunc ad templum versus Jerusalem : secundum quod in Daniele legitur, Danielem in suo cœnaculo *Dan.* vi, 10.
apertis fenestris orasse contra Jerusalem. Sic etenim Judæi in captivitate positi solebant orare, prout libro tertio Regum Sa- III *Reg.* viii, 48, 49.
lomon dixit : Si in terra inimicorum ad quam captivi ducti fuerint, oraverint te, contra viam terræ suæ et templi quod ædi-
C ficavi, exaudies eos.

Peto, Domine, ut de vinculo improperii hujus absolvas me, id est de dura et falsa ista diffamia, qua velut catenis circumdata sum : quod virgini tenerrimæ fuit gravissimum, quum virgines præsertim castæ et piæ, sint maxime verecundæ; *aut certe de super terram eripias me,* id est, in pace tollas spiritum meum a corpore isto mortali. Hoc oravit eo modo, quo expositum est de Tobia, et ne alii tam enormiter scandalizarentur in ea, et ne ipsa
D per impatientiam laberetur. Sic quippe electi interdum de vita hac tolluntur celerius, juxta illud Sapientiæ : Vivens inter *Sap.* iv, 10, 11.
peccatores, translatus est. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum illius, aut ne fictio deciperet animam ejus.

Tu scis, Domine, quia nunquam concupivi virum voluptatis amore, sed desiderio prolis ad Dei obsequium educandæ : ut paulo post subditur; *et mundam servavi animam meam,* auxilio gratiæ tuæ, *ab omni concupiscentia* sensuali inordinata ve-

Digitized by Google

nereorum, imo et aliorum sensibilium objectorum : quod fuit in tali puella grandis perfectio. Quæ ad Dei honorem, non jactanter, hæc profitetur, ad augendum sibi ipsi in Deo fiduciam in tanta angustia, sicut et Ezechias rex angustiis circumdatus, dixit: IV Reg. xx, 3. Memento, Domine, quomodo ambulaverim coram te in veritate et corde perfecto. *Nunquam cum ludentibus miscui me,* hoc est, in ludicris et humanis solatiis nunquam excessi, vel ea omnino vitavi : in quibus tamen potest se homo virtuose habere per virtutem moralem, quæ eutrapelia vocatur. Jer. xv, 17. Sic et Jeremias, Non sedi (inquit) in concilio ludentium. Interdum vero ludus in malo accipitur pro actu dissoluto ; quandoque vero in bono, secundum II Reg. vi, 14 ; I Par. xiii, 8. illud Regum : David percutiebat in organis, et ludebat totis viribus coram Domino. *Neque cum his qui in levitate ambulant, participem me præbui :* id est, choreas, spectacula, et quidquid maturitati morum contrariatur, ac vana consortia evitavi. Et sic Sara ista cum Esther dicere potuit Deo: Esther xiv, 18. Nunquam lætata est ancilla tua, nisi in te, Deus Israel.

Virum autem, hoc est viros cum quibus contraxi, *cum timore tuo* filiali, *non cum libidine mea, consensi accipere,* juxta meorum voluntatem parentum. Ad matrimonium namque requiritur consensus animorum. Et congrue ait, Cum timore tuo. Quamvis enim actus carnalis conjugii possit sine peccato exerceri, raro tamen contingit sine alicujus culpæ admixtione. Multa quoque sunt matrimonii onera. Propter quod de conjugatis ait Apostolus : I Cor. vii, 28. Tribulationem carnis habebunt hujusmodi. Sed et mulier ponitur sub potestate mariti : ideo sapiens virgo non sine grandi timore consensit in virum. *Et, aut ego indigna fui illis.* Hoc dicit ex humilitate, ne videatur se incaute illis præferre. Et quamvis jam suas commemoravit virtuositates, finaliter tamen se commisit divino judicio, sciens quod homo frequenter habeat quasdam culpas occultas, de quibus sibi conscius non est. Unde Apostolus dixit : Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum. I Cor. iv, 4. Qui autem judicat me, Dominus est. Et Psalmista oravit : Ab occultis meis munda me, Domine. Ps. xviii, 13. *Aut illi forsitan me non fuerunt digni :* quasi dicat, De hoc nil temere audeo judicare. *Quia forsitan viro alii conservasti me.* Hoc ex divina inspiratione pro sua consolatione aliqualiter intellexit. Deus enim interdum revelat homini aliquid perfecte, aliquando imperfecte, secundum moderamen sapientiæ suæ.

Non est enim in hominis potestate consilium tuum, hoc est dispositio providentiæ tuæ, seu ordinatio tui propositi ac decreti, quod invariabile est, nec potestati subjacet creaturæ. Ideo in Isaia testatur : Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet. Is. xlvi, 10. Verumtamen consilium proprie sumptum, prout est inquisitio de agendis, non convenit Deo. Sic enim est ignorantis naturæ, ut asserit Damascenus, ut frequenter dictum est alibi.

Hoc autem pro certo habet omnis qui colit te, certitudine adhærentiæ, quæ est fidei certitudo ; certitudo autem evidentiæ, est scientiæ certitudo ; *quia vita ejus si in probatione fuerit,* hoc est in examinatione et exercitatione adversitatum, *coronabitur* a te corona æternæ felicitatis : dummodo constans atque fidelis manserit in adversis, quum scriptum sit : Tanquam aurum in fornace, probavit electos Dominus, et quasi holocausti hostiam accepit eos. Sap. iii, 6 ; v, 17. Ideo accipient regnum decoris, et diadema speciei de manu Domini. Hinc sanctus Job : Probavit me (inquit) quasi aurum quod per ignem transit. Job xxiii, 10. Atque Apostolus : Non coronatur, nisi qui legitime certaverit. II Tim. ii, 5. *Si autem in tribulatione fuerit, liberabitur :* dummodo tribulationem pro suis peccatis et intuitu Dei æquanimiter tulerit, dicens illud Michææ : Iram Domini portabo, quia peccavi ei. Mich. vii, 9. Si vero fuerit in tribulatione interna, quæ est ipsa contritio de peccatis, misericordiam consequetur. Hinc scriptum est : Non consurget duplex tribulatio. Nahum i, 9. Nihilo minus multi de tribulatione sæculi

hujus ad tribulationem corruunt infernalem, quia in tribulatione non pœnitent. *Et si in correptione fuerit,* hoc est in castigatione seu reprehensione pro suis peccatis, *ad misericordiam pervenire licebit,* quando ipsam correptionem capit gratanter. Ideo scriptum est in Job : Beatus homo qui corripitur a Domino. Increpationem ergo Domini ne reprobes. Nam et Dominus fassus est in Apocalypsi : Ego, quos amo, arguo et castigo.

Job v, 17. Apoc. III, 19.

Non enim delectaris in perditionibus nostris, hoc est condemnatione et punitione nostra, secundum quod sunt pœnæ atque miseriæ quædam, juxta illud Sapientiæ : Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum. Delectatur autem in nostra emendatione et salvatione. Propter quod in Ezechiele locutus est : Numquid voluntatis meæ est mors impii, et non ut convertatur et vivat ? Nihilo minus in punitionibus et condemnationibus impiorum, secundum quod sunt effectus divinæ justitiæ, delectatur, sicut et justi, qui lætabuntur quum viderint vindictam. Propter quod in Proverbiis disseruit : Ego in interitu vestro ridebo. Et in Isaia : Ego consolabor super hostibus meis. Hinc loquitur per Osee : Juxta desiderium meum corripiam eos. *Quia post tempestatem tranquillum facis,* hoc est, post afflictionem, tentationem, et contritionis dolorem, confers pectoris pacem seu tranquillitatem internam ; *et post lacrimationem et fletum* ex piis et rationabilibus causis, *exsultationem infundis,* id est consolationem internam in isto exsilio, deinde æternam jucunditatem in regno. Hoc est quod in Matthæo ait : Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Et in Psalmo : Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium. De quo fertur in Job : Ipse vulnerat, et medetur ; percutit, et manus ejus sanabunt. *Sit nomen tuum, Deus Israel, benedictum in sæcula,* hoc est æternaliter.

Sap. I, 13. Ezech. XVIII, 23. Ps. LVII, 11. Prov. I, 26. Is. I, 24. Osee X, 10. Matth. V, 5. Ps. LXV, 12. Job V, 18.

In illo tempore exauditæ sunt preces amborum, videlicet Tobiæ et Saræ, non quoad hoc quod petierunt tolli de vita hac, sed quoad hoc quod relevamen a suis tribulationibus petierunt; *in conspectu gloriæ summi Dei,* hoc est a Deo majestatis immensæ. *Et missus est angelus Domini sanctus Raphael :* qui interpretatur, medicina Dei, quia per ipsum Deus curavit hos ambos. Unde subjungitur : *ut curaret eos ambos,* hoc est Tobiam a cæcitate et mentis afflictione, Saram quoque a vinculo improperii sui et sterilitatis opprobrio atque diffamia ; *quorum uno tempore sunt orationes in conspectu Domini recitatæ,* id est Deo oblatæ per angelos sanctos illorum duorum custodes : non quod Deum aliquid lateat, sed quia angeli sancti precibus hominum impendunt suffragia, et orant pro sibi commissis, atque imperfectum eorum pie excusant. Sic et in Actibus angelus sanctus legitur dixisse Cornelio : Orationes tuæ et eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. Itemque : Eleemosynæ tuæ commemoratæ sunt in conspectu Dei.

Act. X, 4. Ibid. 31.

Ex præhabitis edocemur, in omni tribulatione atque angustia ad Deum per orationes ferventes confugere, pro parentibus tam vivis quam mortuis specialiter exorare, increpationes etiam ab inferioribus, et criminationes falsas patienter sufferre, nec contra increpantes contendere, Deum quoque benedicere in suis judiciis, et omnem excessum vitare in levitatibus, ludis, jocis ac risibus, atque in desolationibus consolationem divinam æquanimiter præstolari.

Digitized by Google

ARTICULUS IV

ELUCIDATIO CAPITULI QUARTI : IGITUR QUUM TOBIAS PUTARET ORATIONEM SUAM EXAUDIRI, UT MORI POTUISSET.

RECITANTUR hic moralissima ac saluberrima documenta, quibus senior Tobias filium suum, et per eum universos instruxit fideles. *Igitur quum Tobias putaret orationem suam exaudiri* a Deo, *ut mori potuisset,* hoc est quoad hoc, quod cito (prout petiit) moreretur. Qualiter autem fuerit ejus oratio exaudita, patuit in
Tob. III, 24. præcedentis expositione capituli. *Vocavit ad se Tobiam filium suum, dixitque ei : Audi, fili mi, verba oris mei, et ea in corde tuo quasi fundamenta construe,* hoc est, firmissime ea imprime tuæ memoriæ. Consueverunt autem sancti patres, emigraturi de sæculo isto, sobolem suam salubriter exhortari, benedicere, informa-
Gen. XLIX; I Par. XXVIII. re, ut patet in Genesi de Jacob, et primo Paralipomenon de David. Sic et Christus post Cœnam novissimam, passione sua in-
Joann. XIII-XVI. stante, suos discipulos copiosissime informavit.

Quum acceperit Deus animam meam, se-
Luc. XVI, 22. parando eam a corpore, et in sinu Abrahæ eam ponendo, eamque (ut spero) misericorditer amplectendo, *corpus meum sepeli,* secundum quod ego sollicitus fui aliorum exstincta corpora sepelire, sciens quod in die resurgent novissimo. Sicque committimus ea terræ tanquam deposita quædam quæ suo tempore resumemus. *Et honorem habebis,* id est exhibebis, *matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus.* Proles namque tenetur parentibus obedientiam et reverentiam, atque si indiguerint, necessariorum procurationem : a quibus beneficia tanta suscepit. Hinc subditur : *Memor enim debes esse, quæ et quanta pericula passa sit propter te in utero suo :* præsertim in partu, quo dolor, tremor, mœror, pressura, angustia, occupant et adimplent parturientem. *Quum autem et ipsa compleverit tempus vitæ suæ, sepelies eam circa me :* ut quorum unus fuit lectus, unus sit tumulus, atque ut simul salubriter resurgamus, et qui conjuncti eramus in vita, non separemur post mortem. In his innotescunt patientia atque justitia venerandi Tobiæ, qui non obstante quod tam acriter et injuste fuit derisus a conjuge, ut patuit, Tob. II, 22, 23.
tam diligenter commisit filio suo de cura illius.

Omnibus autem diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, ad minus per habitum fidei, spei et caritatis, et quantum fieri potest, per actus earumdem ac aliarum virtutum, pensando jugiter præsentiam Dei, impleasque illud Psalmographi, Meditatio cordis Ps. XVIII, 15.
mei in conspectu tuo semper; et, Oculi mei Ps. XXIV, 15.
semper ad Dominum. *Et cave ne aliquando peccato consentias.* Hoc est quod ait Apostolus : Nolite locum dare diabolo. *Et* Ephes. IV, 27.
prætermittas præcepta Dei, id est, cave ne negligas ea implere. Ideo in Ecclesiastico habetur : Salutare sacrificium est, attendere mandatis, et discedere ab omni ini- Eccli. XXXV, 2.
quitate. A qua qualiter sit discedendum, tangitur in eodem, quum dicitur : Quasi a Ibid. XXI, 2.
facie colubri fuge peccata.

Insuper, quo Tobias actibus misericordiæ excellentius fuit intentus, eo ad ipsos efficacius ferventiusque hortatur, addendo : *Ex substantia tua fac eleemosynam, et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere* te rogante, quin ad minus pie adspicias eum, ut consoleris verbo aut signo, si non habes corporale subsidium quod impendas. *Ita enim fiet, ut nec a te avertatur facies Domini,* id est divinæ pietatis

Digitized by Google

[*Matth.* v, 7.] respectus. Beati enim misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Et quanto quis proximis fuerit propter Deum benignior, eo Omnipotens gratiosior erit ei. *Quomodo potueris, ita esto misericors,* hoc est compassivus atque subveniens : sicut consequenter exponitur. *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue* unicuique partem; *si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude* cum liberali affectu. Deus etenim magis pensat affectum, quam donum ; et magis perpendit ex quanto, quam quantum. Ideo de paupercula mittente in gazophylacium duo [*Marc.* xii, 43.] minuta, dixit Salvator : Quia hæc vidua plus omnibus misit. *Præmium enim bonum tibi thesaurizas,* hoc est, acquiris et reponis : quod invenies *in die necessitatis,* id est mortis et judicii tui particularis ac universalis, et item in purgatorii pœnis, in quibus vivorum suffragia tantum prosunt, quantum defuncti hic meruerunt ut eis prodesse possint, hoc est, quo misericordiores fuerint. Hinc teste Ambrosio, Summa christianæ religionis in caritate et pietate consistit. Augustinus quoque asserit : Sola misericordia comes est defunctorum. Unde testatur Psalmista : Beatus qui [*Ps.* xl, 2.] intelligit super egenum et pauperem; in die mala liberabit eum Dominus.

Quoniam eleemosyna ab omni peccato et a morte infernalis miseriæ *liberat,* dummodo fiat ex caritate et virtute misericordiæ ; *et non patietur animam ire in tenebras* Acherontis. Et dato quod fiat extra caritatem, frequenter tamen de congruo gratiam promeretur, et intercessione ac meritis eorum quibus impenditur, gratia conversionis frequenter eleemosynariis datur. Hinc in Evangelio Dominus loquitur : [*Luc.* xi, 41.] Quod superest, date eleemosynam, et ecce [*Ibid.* xvi, 9.] omnia munda sunt vobis. Itemque : Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut quum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. *Fiducia magna,* hoc est causa magnæ fiduciæ, *erit coram summo Deo eleemosyna* tam corporalis quam spiritualis, *omnibus facientibus eam.* De operibus

A quippe misericordiæ perhibet Christus se disceptaturum in die judicii, misericordibusque dicturum : Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum. [*Matth.* xxv, 34.]

Attende tibi ab omni fornicatione, tam [*Ibid.* v, 27.] simplici, quam adulterio, incestu, stupro, sacrilegio; a spirituali etiam fornicatione, præsertim ab idololatria. *Et præter uxorem tuam,* quam habiturus es, *nunquam patiaris crimen scire,* hoc est, nunquam alteri commiscearis, nec conscius tibi fias criminis tanti. *Superbiam nunquam in* B *tuo sensu* interiori aut exteriori, *aut in tuo verbo,* imo nec facto, neque vestitu, nec aliquo apparatu, *dominari permittas,* ei consentiendo. Idcirco, si subrepat, mox reprime eam, et abjice tanquam diabolicum crimen, maledictionisque semen, et venenum mortiferum ac vitiorum originem, matrem, reginam. *In ipsa enim initium sumpsit omnis perditio :* quia per superbiam primus ille apostata angelus [*Is.* xiv, 4 *et seq.*] perdidit semetipsum, et angelos innumerabiles sibi attraxit ; atque ex illa per- C ditione consecuta et orta est invidia diaboli, per quam mors intravit in orbem [*Sap.* ii, 24.] terrarum, ut Sapiens disserit.

Quicumque aliquid tibi operatus fuerit, statim ei mercedem restitue, præsertim si petit, et egeat. Qui enim fraudem facit mercenario, et qui sanguinem fundit, fratres sunt, ut in Ecclesiastico legitur. *Et merces* [*Eccli.* xxxiv, 27.] *mercenarii tui apud te omnino non remaneat,* hoc est diutius quam licet. Nam et unum quatuor clamitantium vitiorum, est detentio mercedis operariorum, ut Ja- [*Jacob.* v, 4.] D cobus asserit. Hinc Dominus in Levitico ait : Non morabitur opus mercenarii tui [*Lev.* xix, 13.] apud te usque mane. Communiter enim pauperes sunt operarii tales, et indigent sua mercede. *Quod ab alio oderis,* hoc est, rationabiliter non vis, et abhorres, *fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.* Duo sunt præcepta juris naturalis, unum negativum obligans semper et ad semper, quod ponitur hic; aliud affirmativum, obligans semper, sed non ad semper, quod per Matthæum exprimit Christus : Omnia, [*Matth.* vii, 12.]

Digitized by Google

inquiens, quæcumque vultis ut faciant vobis homines, ita et vos facite illis. Quorum unum in alio includitur.

Panem, id est cibum, *tuum cum esurientibus et egenis comede:* illos invitando ut tecum manducent, sicut sanctus Job fecit, qui ait : Si comedi buccellam meam solus, et non comedit pupillus ex ea. Hinc ait Unigenitus Dei : Quum facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres, neque cognatos, neque vicinos divites, ne forte et ipsi te reinvitent, et fiat tibi retributio; sed quum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos et cæcos, et beatus eris, quia non habent retribuere tibi. Retribuetur enim tibi in resurrectione justorum. Istud consilium est, non præceptum. *Et de vestimentis tuis* tibi superfluis *nudos tege:* quemadmodum beatissimus Joannes Baptista admonuit, Qui habet duas tunicas, det non habenti; et Isaias, Quum videris nudum, operi eum. Universa etenim misericordiæ opera tempore opportuno sunt adimplenda. *Panem tuum et vinum tuum super sepulturam justi constitue,* hoc est, in sepelitione fidelium refice pauperes bene pro spiritibus defunctorum in gratia. Non est autem erronee intelligendum, ut juxta quorumdam superstitionem, super monumenta mortuorum alimenta ponantur, quasi mortui corporalibus alimoniis egeant aut vescantur. De hoc recitat Augustinus in libro Confessionum, quemadmodum mater sua ad prædicationem Ambrosii, consuetudinem suam reliquerit : et quod iste sit sensus, apparet ex verbis sequentibus. *Et noli ex eo manducare et bibere cum peccatoribus,* hoc est incredulis, qui defunctis nequeunt suffragari.

Job XXXI, 17.

Luc. XIV, 12-14.

Ibid. III, 11.

Is. LVIII, 7.

Consilium semper a sapiente perquire, id est, diligenter inquire in arduis ac dubiis, in quibus ad expertorum, sapientium, et Deum timentium est confugiendum consilium : quod etiam a sapientissimo Deo, et ex Scripturis ac patrum libris est inquirendum. Unde in Ecclesiastico docetur : Fili, sine consilio nihil facias, et post factum non pœnitebis.

Eccli. XXXII, 24.

Omni tempore benedic Deum, laudando eum in prosperis et in adversis, perseveranter usque in finem, omni tempore opportuno, juxta illud in Psalmo : Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo ; *et pete ab eo, ut vias,* id est actiones *tuas* interiores exterioresque *dirigat* per se, per angelicam custodiam, per suos vicarios, atque per consiliarios bonos. Qua directione superna jugiter ac maxime indigemus, secundum illud Proverbiorum : Cor hominis disponit viam suam, sed Dei est dirigere gressus ejus. Unde sanctus ille ait Jeremias sanctificatus in utero : Scio, Domine, quia non est hominis via ejus, nec viri est, ut ambulet et dirigat gressus suos. Ideo cum Psalmista oremus : Gressus meos dirige secundum eloquium tuum. *Et omnia consilia tua in ipso permaneant,* ita ut nullius consilio acquiescas contra Dei præcepta ac documenta. Cuncta quoque consilia quæ inquiris, finaliter ordines, ut Deo complaceas, et salveris.

Ps XXXIII, 2.

Prov. XVI, 9.

Jer. X, 23.

Ps. CXVIII, 133.

Indico etiam tibi, fili mi, dedisse, hoc est concessisse, *me decem talenta argenti Gabelo,* etc., prout supra expositum est. *Noli timere, fili mi,* carnali, mundano, inordinato et turbulento timore. *Pauperem quidem vitam gerimus* in temporalibus, *sed multa bona habebimus,* hoc est copiosa charismata gratiæ in præsenti, bonaque gloriæ in futuro, *si timuerimus Deum,* filiali timore : juxta illud Psalmistæ, Timete Dominum, omnes sancti ejus, quoniam nihil deest timentibus eum ; *et recesserimus ab omni peccato,* præsertim mortali, et etiam veniali pro posse : a quibus potissime receditur corde, ea abhorrendo ; *et fecerimus bene :* quæ sunt duæ quasi integrales partes justitiæ, Propheta dicente : Declina a malo, et fac bonum, etc.

Tob. I, 17.

Ps. XXXIII, 10.

Ibid. 15.

Digitized by Google

ARTICULUS V

ELUCIDATIO CAPITULI QUINTI : TUNC RESPONDIT TOBIAS PATRI SUO, ET DIXIT.

EXSECUTIO, qua junior Tobias executus est patris sui præceptum, describitur hic. *Tunc respondit Tobias patri suo, et dixit : Omnia quæ præcepisti mihi faciam, pater,* auxiliante gratia Dei, habendo me circa Deum, circa matrem meam, circa operarios, circa proximos, circa egenos, circa uxorem, circa defunctos, et circa me ipsum, sicut docuisti me (præcedenti capitulo). (*Tob.* IV, 2 *et seq.*) *Quomodo autem pecuniam hanc inquiram* a Gabelo, *ignoro. Ille me nescit, et ego eum ignoro. Quod signum dabo ei? Sed neque viam aliquando cognovi.* Respondit ei pater : *Chirographum illius penes me habeo :* quo viso, *restituet* tibi, id est, persolvet pecuniam.

Tunc egressus Tobias, invenit juvenem splendidum stantem præcinctum, id est angelum in forma juvenis speciosi, *quasi paratum ad ambulandum.* Et quod ait, Quasi, designat hic veritatem, non similitudinem tantum, quemadmodum apud Joannem, dum dicitur : Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre. (*Joann.* I, 14.)

Circa hoc scribit quidam : Apparitiones angelicæ in assumptis corporibus fiunt secundum proprietates legationum, ad quas angeli mittuntur. Et quoniam iste mittebatur a Deo ad ducendum filium Tobiæ per viam, apparuit tanquam dispositus ad itinerandum. Quod quamvis aliquando ita sit, præsertim dum angeli mox volunt ipso apparatu ostendere ad quid venerint, non tamen videtur semper sic factum. Legitur enim in Genesi, qualiter duo angeli missi ad Sodomam subvertendam, ingressi sint in domum Lot : qui angeli apparuerunt in forma valde gratiosa atque amabili, non vehementer terribili. (*Gen.* XIX, 1 *et seq.*) Propter quod cives Sodomæ æstimantes quod essent pulcherrimi A juvenes, venerunt ut eis abuterentur. Et si apparuissent secundum proprietatem et habitudinem suæ legationis, apparuissent utique in forma metuenda, velut commoti. In libro Judicum quoque mater Samsonis legitur marito suo dixisse de angelo : Vir Dei venit ad me, habens vultum angelicum, terribilis nimis. (*Judic.* XIII, 6.) Et tamen angelus ille venit ad prænuntiandum valde jucunda et prospera : sicque, secundum dictum prætactum, apparuisset in forma hilari et amœna, non ita terrifica. Simili modo ar- B gui posset de angelo qui apparuit Cornelio centurioni in forma terribili, ut patet in Actibus; (*Act.* X, 3, 4.) atque de angelis qui (ut Evangelistæ describunt) nuntiaverunt Christi resurrectionem mulieribus sanctis, quibus in specie apparuerunt terribili. (*Matth.* XXVIII, 2, 3; *Marc.* XVI, 5, 8; *Luc.* XXIV, 4, 5; *Joan.* XX, 12.)

Et dixit Tobias junior ad angelum : *Unde te habemus, bone juvenis?* hoc est, de qua natione et terra es tu? Optavit enim aliquem filiorum Israel habere ducem sui itineris. *At ille respondit : Ex filiis Israel :* quod verum est, secundum nominis C interpretationem. Israel quippe interpretatur, videns Deum : sicque fuit ex filiis Israel, hoc est de numero filiorum contemplantium Deum, de quibus in Job Dominus ait : Quum me laudarent astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei. (*Job* XXXVIII, 7.) Unde in Deuteronomio, ubi habemus, Constituit terminos populorum, juxta numerum filiorum Israel; (*Deut.* XXXII, 8.) alia translatio habet, Statuit terminos gentium, juxta numerum angelorum Dei. *Et Tobias dixit ei : Nosti viam quæ ducit in regionem Medorum? Cui* D *respondit : Novi; et omnia itinera ejus frequenter ambulavi, et mansi apud Gabelum fratrem nostrum, qui moratur in Rages civitate Medorum, quæ posita est in*

Digitized by Google

monte Ecbatanis. Ex quo elicitur, quod Gabelus fuit vir justus : propter quod angelus sanctus invisibiliter sæpius adfuit ei et libenter : quem nominat fratrem propter caritatis communionem, et gratiam gratificantem, et quia (ut creditur) fuit de numero electorum ; itemque, propter convenientiam in natura intellectuali, saltem in genere, et quia eumdem habebant Patrem cœlestem. Sic et in Apocalypsi ange-
Apoc. XIX, 10; XXII, 9. lus ait Joanni : Conservus tuus sum. *Cui Tobias ait : Sustine me, obsecro, donec hæc ipsa nuntiem patri meo.*

Tunc ingressus Tobias, indicavit universa hæc patri suo. Super quæ admiratus pater, rogavit ut introiret ad eum. Ingressus itaque angelus domum Tobiæ senioris, *salutavit eum, et dixit : Gaudium tibi semper sit,* id est spiritualis in Deo jucunditas : in quo gloriandum est, non in prosperis tantum, sed etiam, imo et potius in
Philipp. III, 1; IV, 4. adversis. Unde hortatur Apostolus : Gaudete in Domino semper. *Et Tobias ait : Quale mihi gaudium erit* in sæculo isto? quasi dicat : Carnale et sæculare gaudium non convenit mihi, neque id opto; *qui in tenebris sedeo, et lumen cœli non video,* id est solem et ejus splendorem, quum in
Eccle. XI, 7. Ecclesiaste scriptum sit : Dulce lumen, et delectabile oculis videre solem. Et forsan de hujusmodi gaudio putavit Tobias angelum, tanquam juvenem hominem, esse locutum. *Cui ait juvenis,* id est angelus in juvenis forma apparens, qui nunquam antiquatur, sed in suo vigore incorruptibiliter invariabiliterque permanet : *Forti animo esto,* id est constans, non desolatus. *In proximo est, ut a Deo cureris* per ministerium meum a plaga cæcitatis. Hoc prædixit ei in generali : quod tamen Tobias non multum ponderans, ad alia se convertit.

Dixitque illi Tobias : Numquid poteris perducere filium meum ad Gabelum in Rages civitatem Medorum? Et quum redieris, restituam tibi mercedem tuam. Et angelus : Ego ducam et reducam eum. Cui Tobias : Rogo te, indica mihi de qua do-
A *mo,* id est familia, *aut tribu es tu :* quia in una tribu erant plures familiæ, ut patet Num. XXVI.
in Numeris. Tamen in tribu Dan, erat tantum una familia : quia Dan filius Jacob, unum dumtaxat habuit filium, ut in Gene- Gen. XLVI, 23.
si habetur. *Cui Raphael dixit : Genus,* id est stirpem, *quæris mercenarii, an ipsum mercenarium qui cum filio tuo eat?* quasi dicat : Plus quæris, quam ad præsens spectat negotium, quia sufficere tibi potest, ut certificeris de fidelitate ductoris filii tui, nec opus est genealogiam ejus agno-
B scere. *Sed ne forte sollicitum te reddam,* hoc est immoderate anxium, non respondendo, *ego sum Azarias Ananiæ magni filius.* Quæ responsio vera est, secundum nominis interpretationem et figurativam locutionem. Azarias namque interpretatur, adjutor Dei ; Ananias vero, gratia seu gloria Dei. Fuit itaque Azarias, hoc est adjutor Dei, id est, per quem Deus adjuvit Tobiam ac alios multos. Juxta quem modum ait Apostolus : Dei adjutores sumus. I Cor. III, 9.
Fuit quoque filius Ananiæ magni, hoc est
C filius gratiæ et gloriæ summi Dei. Juxta hunc sensum exponit Hieronymus, quod Zacharias a Judæis lapidatus inter tem- II Par. XXIV, 20-22.
plum et altare, vocatur filius Barachiæ, quum fuerit filius Joiadæ. Porro, ea quæ angeli inter homines loquuntur et agunt, sæpe sunt figurativa ; et quamvis nunquam mentiantur, veritatem tamen interdum occultant.

Et Tobias respondit : Ex magno genere es tu. Quod verum est, quia ex genere ac specie angelorum a Deo omnipotente im-
D mediate creatorum, quamvis non fuerit verum, prout Tobias tunc intellexit ; nec tamen mentiebatur formaliter, quia non intendebat falsum proferre, neque decipere. *Sed peto ne irascaris quod voluerim cognoscere genus tuum. Dixit illi angelus : Ego sanum ducam et reducam tibi filium tuum. Respondens autem Tobias, ait : Bene ambuletis, et sit Dominus in itinere vestro, et angelus ejus comitetur vobiscum,* hoc est, comes et socius vester sit in vestro itinere : quemadmodum Do-

Digitized by Google

Exod. XXIII, 23. minus ait in Exodo ad Moysen, Angelus meus præcedet te.

Tunc paratis omnibus quæ erant in via portanda, dixit Tobias, Vale, patri suo et matri suæ, et ambulaverunt ambo simul, hoc est, parentibus suis valefecit, recedendo ab eis. *Quumque profecti essent* angelus et Tobias, *cœpit flere mater ejus et dicere.* Feminæ enim ad fletum communiter pronæ sunt; et statim ut mater Tobiæ destitutam se sensit tam dilecti et amabilis filii adspectu suavi, cœpit affligi. *Baculum senectutis nostræ tulisti, et,* pro id est, *transmisisti a nobis,* hoc est unicum et carissimum filium nostrum, cui in hoc senio innitebamur, tanquam baculo in necessitatibus nostris, qui fuit nobis in solatium et obsequium. *Utinam nunquam fuisset ipsa pecunia, pro qua misisti eum,* hoc est, utinam nunquam fuisset, neque ad nos pertinuisset pecunia illa, quæ fit nobis tantæ afflictionis et mœroris occasio. *Sufficiebat enim nobis paupertas nostra, ut divitias computaremus hoc, quod videbamus filium nostrum :* hoc est, sufficientius et tolerabilius nobis esse debuerat, quod habuimus filium nostrum sensibiliter nobis præsentem, cum exterioris substantiæ seu pecuniæ mutuatæ carentia, quam emissio ista filii nostri pro acquirenda pecunia.

Denique, quamvis [vir ejus] jam erat cæcus, pluraliter tamen dixit, Quod videbamus, juxta modum loquendi, quo societati adscribitur, quod convenit parti ipsius. Vel quod ait, Videbamus, intelligi potest de corporali intuitu, quantum ad Annam, et de visu imaginario ac intellectuali, quantum ad cæcum Tobiam, cui delectabile fuit, quod filium suum vere imaginabatur ac intellexit præsentialiter sibi adesse. Visus quoque interdum pro aliis exterioribus sensibus sumitur. Unde communiter dicitur : Vide quam bene hoc sapiat seu odoret. In Apocalypsi quoque ait S. Joannes : Conversus sum, ut viderem vocem quæ loquebatur mecum. In Exodo item legitur : Populus videbat voces, hoc est, audiebat. Apoc. I, 12. Exod. XX, 18.

Dixitque ei Tobias, conjugem consolando. Virorum enim est uxores instruere, quia vir caput est uxoris, et communiter fortiores in ratione, constantioresque mente sunt viri quam feminæ. Et præsertim Tobias multo virtuosior ac sapientior fuit conjuge sua. *Noli flere. Salvus perveniet filius noster, et salvus revertetur ad nos, et oculi tui videbunt illum.* Hoc fuit verbum bonum spei, non tamen certitudinis absolutæ. Ideo addit : *Credo quod angelus Dei bonus comitetur ei, et bene disponat omnia quæ circa eum geruntur,* id est, director et protector sit ejus, *ita ut cum gaudio revertatur ad nos. Ad hanc vocem cessavit mater ejus flere, et tacuit.* Ephes. V, 23.

ARTICULUS VI

ELUCIDATIO CAPITULI SEXTI : PROFECTUS EST AUTEM TOBIAS, ET CANIS SECUTUS EST EUM.

EXORDIUM itinerationis Tobiæ hic enarratur, et qualiter in ea ereptus sit a periculo mortis, et informatus de remediis contra aliquas plagas, atque præavisatus de uxore accipienda. *Profectus est autem Tobias* cum angelo, *et canis secutus est eum :* quod tangi videtur, ad innuendum quod erat pius, etiam circa brutum, et liberalis, dando alimoniam ei ; *et mansit prima mansione,* id est dieta, in hospitio *juxta fluvium Tigrim,* qui est unus de quatuor fluminibus paradisi, per terram Assyriorum decurrens, ut in Genesi habetur. *Et exivit* de hospitio *ut lavaret pedes suos,* pro mitigatione laboris peregrinationis. *Et ecce piscis immanis,* id est magnus, cru- Gen. II, 14.

Digitized by Google

delis, inhumanus, *exivit* de fluvio. Aliqui enim pisces extra aquam ad tempus perdurant, jacent, decurrunt, ut crocodili, suntque quadrupedes. *Ad devorandum eum.* Sic et Hieronymus primo libro Vitarum Patrum, describens pericula viæ suæ, recitat qualiter crocodili cucurrerunt post eum et socios suos ad devorandum. *Quem expavescens Tobias, clamavit voce magna, dicens : Domine, invadit me.* Sicque ductorem suum in periculo dominum nominavit, ut sibi tanquam servo succurreret.

Et dixit ei angelus : Apprehende branchiam ejus, hoc est locum seu pennulam exsistentem inter caput et corpus piscis, *et trahe eum ad te. Quod quum fecisset, attraxit eum in siccum, et palpitare cœpit ante pedes ejus.* Mirum quod facere hoc audebat ; sed Deus confortavit eum intrinsecus, similiter angelus apparatu mirifico. *Tunc dixit angelus : Exentera hunc piscem,* id est, interiora seu intestina ejus extrahe, ipso pisce diviso ; *et cor ejus :* quod est primum vivens, et ultimum moriens in animali, secundum Philosophum ; *et fel et jecur repone tibi* in vasculo, pera, seu repositorio. *Sunt enim hæc necessaria ad medicamenta utiliter :* ut infra describitur. *Quod quum fecisset, assavit carnes ejus,* hoc est partem corporis piscis, in hospitio. Et sumitur hic carō extense, prout corpus piscis caro vocatur. Unde
I Cor. xv, 39. et Apostolus : Alia, inquit, caro piscium, alia volucrum, alia quadrupedum. *Et secum sustulerunt in via. Cetera salierunt, quæ sufficerent eis* in via : hoc est, ambobus videbantur sufficere, quum unus eorum nequaquam cibo hujusmodi indigeret ; *quousque pervenirent in Rages civitatem Medorum.*

Tunc interrogavit Tobias angelum, et dixit ei : Obsecro te, Azaria frater, ut dicas mihi : Quod remedium habebunt ista, quæ de pisce servare jussisti, videlicet cor, fel, et jecur ? *Et respondens angelus, dixit ei : Cordis ejus particulam si super carbones ponas, fumus ejus extricat,* hoc est, exterminat et repellit, *omne genus dæmo-*
A *niorum, sive a viro, sive a muliere, ita ut ultra non accedat ad eos.*

Circa hoc in Scholastica historia dicitur : Nec super hoc mirari debemus, quum fumus cujusdam arboris adustæ eamdem vim habere dicatur. Verumtamen mirum videtur, qualiter res corporales, viles ac mortuæ, queant ita imprimere in intellectuales incorporeasque substantias, præsertim naturaliter et non miraculose, seu ut instrumenta divinæ potentiæ, sicut de igne gehennæ credimus circa spiritus con-
B demnatos. Itaque circa hoc dicunt quidam doctores catholici, sicut et S. Thomas, quod si juxta doctrinam Platonicorum, dæmones essent animalia corpore aeria, animo passiva, mente rationalia, tempore æterna, ut dixit Apuleius, mirum non esset quod corporalia eis imprimerent. Sed quia tenemus quod sunt immateriales, separatæ substantiæ, materialia in eos non imprimunt : et sic fumus piscis non habuisset vim expellendi dæmonium. Propter quod dicunt, quod et facta angeli circa Tobiam
C figuralia erant, et quod per incensionem fumigationemque cordis et jecoris piscis, figurabantur fervor atque devotio orationis Tobiæ et Saræ conjugis ejus, quorum meritis angelus expulit et religavit dæmonium. Unde infra angelus dicitur hoc fe- Tob. viii, 3.
cisse, non fumus. Sicque fumus per significationem, non per impressionem seu influentiam, exterminavit dæmonium.

Sed his objici potest, quod gemmæ quædam et herbæ miras et magnas habent virtutes, et impressionem causant in animas
D rationales, sicut in libris de Proprietatibus rerum describitur ; per quarum etiam allationem atque præsentiam dæmones ab obsessis recedunt : quod tamen aliqui dicunt dæmones facere sponte et ficte, ut teneant homines in errore. Aliqui vero dicunt, quod ad humiliandum superbiam dæmonum, Deus sic subdidit eos impressionibus et viribus corporalium ac vilium creaturarum. De his scribit diffuse Guillelmus Parisiensis in libro de Universo : imo de his in diversis codicibus valde multa et diversa

Digitized by Google

leguntur, quæ hic pro nunc tantumdem tetigisse sufficiat.

Et fel piscis istius *valet ad ungendos oculos* unctione curativa, *in quibus fuerit albugo :* ita quod materiam illam fæculentam, lumen visuale a suo actu impedientem, expellit. Ideo subditur, *et sanabuntur*. Multæ enim vires valde potentes, secretæ atque mirificæ in rebus naturalibus inveniuntur, multo plus quam scire valemus.

Et dixit ei Tobias : Ubi vis ut maneamus? Respondensque angelus ait: Est hic, B id est in territorio isto et in oppido quo propinquamus, *Raguel nomine, vir propinquus de tribu tua,* tribu videlicet Nephthali. *Et hic habet filiam nomine Saram; sed neque masculum, neque feminam ullam habet aliam præter illam. Tibi debetur omnis substantia ejus,* ex præordinatione divina per connubium contrahendum a te cum filia ejus, *et oportet te eam accipere conjugem. Pete ergo eam a patre ejus, et dabit tibi eam uxorem. Respondit Tobias et dixit : Audio quia tradita est septem* C *viris, et mortui sunt. Sed et hoc audivi, quia dæmonium occidit illos. Timeo ergo ne forte et mihi hæc eveniant,* quæ scilicet evenerunt septem viris quos habuit, dæmoniumque occidit ; *et quum sim unicus parentibus meis, deponam senectutem illorum* parentum meorum *cum tristitia ad inferos,* id est, occasio fiam per mortem meam, quod parentes mei ex tristitia moriantur, et descendant in limbum.

Tunc angelus dixit ei : Audi me, et ostendam tibi, id est, docebo te, *qui sunt* D *quibus prævalere potest dæmonium,* ita quod non compescitur virtute angelica aut divina a læsione humana. *Hi namque qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum a se et a mente sua excludant,* hoc intendendo formaliter : quod pauci directe formaliterque intendunt : vel intendendo hoc concomitanter et æquivalenter, puta voluptatem carnalem prædominantem, ad quam sequitur recessus caritatis et gratiæ Dei ab homine : quam voluptatem multi intendunt. Unde

A subjungitur : *et suæ libidini ita vacent, sicut equus :* qui est animal valde luxuriosum, juxta illud Ezechielis, Sicut fluxus equorum fluxus eorum ; *et mulus :* qui etsi non generet, tamen carnis expetit voluptatem ; *quibus non est intellectus : habet super eos potestatem dæmonium.* Non tamen semper permittitur omnes tales occidere, sed tempore desuper præordinato punit eos, nisi pœniteant. Ex quibus verbis elici potest, cur multi post initum conjugium celeriter moriantur. Ezech. XXIII, 20.

Tu autem, qui multitudinem carnalium et stultorum (quorum infinitus est numerus) sequi non debes, *quum acceperis eam* in uxorem per verba de præsenti, et prout moris tunc erat, *ingressus cubiculum, per tres dies* naturales, qui noctes includunt, *continens esto ab ea, et nihil aliud* ages, *nisi orationi vacabis cum ea :* non quod infra hoc triduum aliud prorsus non egerint quam orare ; nam et interim comederunt, et dormierunt, secundum quod infra habetur. Idcirco per istam exclusionem non nisi carnalis copula excludi videtur ; et quod interim principalis amborum actio, esset oratio fervens et pura, etsi non continua, tamen assidua : a qua etiam carnalis commixtio illa, quamvis legitima, non mediocriter impedit. Propter quod Apostolus dixit : Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi. Eccle. I, 15. I Cor. VII, 5.

Ipsa autem nocte, scilicet prima nocte, qua cum ea in cubiculo fueris orans, *incenso jecore piscis, fugabitur ab ea dæmonium,* potius potestate angelica ac merito vestræ orationis ac continentiæ, quam fumo jecoris inflammati. Quocirca inquiritur, qualiter nunc dicat, Incenso jecore, quum supra jam dixerit, Cordis ejus particulam, etc. Ad quod respondetur, quod utriusque incensio, figurativa et suo modo effectiva fuit expulsionis dæmonii, et utrumque creditur incendisse Tobias. Nam et infra legitur jecur sic incendisse. *Secunda vero nocte in copulatione sanctorum Patriarcharum admitteris,* id est, paulatim Tob. VIII, 2.

Digitized by Google

proficiendo, virtute protractæ orationis promereberis participationem et communionem sanctitatis ac pudicitiæ Patriarcharum sanctorum, hoc est virtutem et gratiam imitandi sanctimoniam, pudicitiamque illorum. *Tertia vero nocte benedictionem consequeris,* id est, fecunditatem mereberis, et benediceris a Deo, *ut filii ex vobis procreentur incolumes.* (Tob. xiv, 5.) Unde et infra legitur, septem filios genuisse, filiam nullam. Aliqui tamen exponunt istud de benedictione, quam (ut dicunt) præstabat tunc aliquis sacerdos, aut major quis inter ipsos, vices gerens sacerdotis.

Transacta autem tertia nocte, accipies virginem, consummando cum ea conjugium per carnalem copulam, scilicet quarta nocte, *cum timore Domini,* ne contingat te circa actum matrimonii aliquo modo excedere, sicut intimoratis contingit: prout (Ibid. iii, 8.) supra magis expositum est; et *amore filiorum,* ad Dei cultum enutriendorum, *magis quam libidine ductus,* imo omnem libidinosum excludendo amorem pro posse, *ut in semine Abrahæ,* id est in conjuge tua, quæ vera est Abrahæ filia; vel, In semine Abrahæ, id est inter filios Israel, qui semen sunt Abrahæ; vel, In semine Abrahæ, id est in sobole tibi præstanda; *benedictionem,* id est gratiam salubris fecunditatis, *in filiis consequaris :* quia et hoc majus est donum, filios procreare quam filias. Aut certe, In semine Abrahæ, id est in Christo, de quo in Genesi ait Dominus ad Abraham : (Gen. xxii, 18.) Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ; benedictionem in filiis consequaris, quatenus filii tui per fidem Christi venturi salventur : sicque benedicaris a Domino, non in persona propria tantum, sed item in tua posteritate.

(Sensus spiritualis.) Mystice ex isto docemur capitulo, quemadmodum angeli sancti multiplex officium circa homines habeant, et multiplicia beneficia eis impendant, atque a corporalibus quoque periculis eripiant eos frequenter. Insuper, qualiter fideles debeant ad matrimonia contrahenda accedere. Et quamvis non obligentur per noctes tres post initum conjugium continere, tenentur tamen contrahere magis desiderio prolis ad Dei obsequium nutriendæ, vel incontinentiæ evitandæ, quam voluptatis venereæ. Et ante contractionem connubii debent se per orationes et sacramentalem confessionem parare ad assumendum Matrimonii sacramentum, quatenus consequantur in ejus contractione et consecratione gratiam sacramentalem, per quam de cetero secundum exigentiam matrimonii conversentur, quia in sacramentis evangelicæ legis gratia continetur et datur dispositis. Cum filiali quoque timore Dei, non cum libidine sensuali contrahendum est ipsum conjugium, ut impleatur quod ait Apostolus : Honorabile connubium et torus immaculatus. (Hebr. xiii, 4.) Sed, heu! multi quasi equus et mulus, quibus non est intellectus, (Ps. xxxi, 9.) contoralem accedunt : quam cum prædominante concupiscentia accedere, est mortale, quum sit limites matrimonii omnino excedere. Propter quod omnis amator ardentior, perhibetur adulter. (Matth. v, 28.)

Postremo, juxta allegoriam, junior quoque Tobias figura fuit Christi, quem comitati sunt angeli, secundum quod ait Joannes : Videbitis angelos ascendentes et descendentes super Filium hominis. Et sicut Tobias mansit juxta fluvium velocissimum Tigris, sic Filius Dei incarnatus, commoratus est juxta nostræ mortalitatis abyssum celerrime et incessabiliter defluentem. Quemadmodum etiam Tobias voluit pedes lavare, sic Christus exivit a Patre, ut suos lavaret electos a sordibus vitiorum in sanguine suo et fonte Baptismi. Circa quod loquitur Beda : Dum Christus lavaret in cruce pedes suos qui ambulaverunt super terram, advenit diabolus, quærens si quid peccati inveniret in eo. Isidorus quoque : Piscis, inquit, voluit devorare Tobiam, et diabolus per suos satellites procuravit occidi Christum.

Denique Tobias timuit piscem, invocavitque angelum : sic Christus ad ostendendum in se veritatem humanæ naturæ,

Digitized by Google

naturali timore ex prævia deliberatione A Luc. xxii, 43. expavit mortem, apparuitque ei angelus corroborans eum, id est per modum confortantis se habens, consolatoria verba loquendo. Quemadmodum demum Tobias piscem traxit in siccum et exenteravit, ejusque interiora pro medicinalibus reservavit; sic Christus vicit diabolum, et ejus patefecit versutias pro informatione fidelium. Et sicut Tobias assavit carnes piscis, et inde refectus est; sic Dominus et Salvator credentes in se igne tribulationis, ardoreque Spiritus Sancti exussit ac consolidavit. Postremo, sicut Tobiam secutus est canis, sic Christum ordo prædicatorum, qui in Scripturis signantur nomine canum, juxta illud : Lingua canum Ps. LXVII, 24. tuorum ex inimicis ab ipso.

ARTICULUS VII

DECLARATIO CAPITULI SEPTIMI : INGRESSI SUNT AUTEM AD RAGUELEM.

QUALITER Tobias cum Sara contraxit B conjugium, hic narratur. *Ingressi sunt autem ad Raguelem, et suscepit eos cum* Gen. xviii, 2 et seq. *gaudio.* Nam fuit vir bonus, exemplo Abrahæ patris sui, hospitalitati intentus. *Intuensque Tobiam Raguel, dixit Annæ uxori suæ : Quam similis est juvenis iste consobrino meo* Tobiæ seniori ! Fuit equidem Tobias junior similis valde patris sui in vultu et moribus. *Et quum hæc dixisset, ait : Unde estis,* o *juvenes, fratres nostri?* Consideravit enim ex habitu, quod erant Israelitæ. *Dixerunt ei : Ex tribu* C *Nephthali sumus, ex captivitate Ninive :* quod verificatur de ambobus, juxta modum loquendi, quo aliquid attribuitur societati, quia convenit uni seu parti ipsius, ut dictum est. *Dixitque illis Raguel : Nostis Tobiam fratrem meum? Qui dixerunt : Novimus. Quumque multa bona loqueretur de eo, dixit angelus ad Raguelem : Tobias de quo interrogas, pater istius est. Et misit se Raguel,* id est, extendit ad amplectendum, *et cum lacrimis osculatus est eum ; et plorans super collum ejus* ex D abundanti lætitia et pietatis commotione interna ac viscerosa : quemadmodum Jacob Ibid. xlvi, 29. et Joseph cum lacrimis se amplexatos, et super collum alterutrum flevisse leguntur ; *dixit : Benedictio sit tibi, fili mi,* id est, benedicaris a Deo, et ab hominibus commenderis, qui et bona tibi imprecentur ; *quia boni* in naturalibus, *et optimi* in gratuitis *viri filius es. Et Anna uxor ejus, et Sara filia ipsorum lacrimatæ sunt* ex eisdem causis qua Raguel.

Postquam autem locuti sunt, præcepit Raguel occidi arietem et parari convivium. Quumque hortaretur eos discumbere ad prandium, Tobias dixit ex informatione angeli : *Hic ego hodie non manducabo neque bibam, nisi prius petitionem meam confirmes, et promittas mihi dare Saram filiam tuam.* Raphael quoque prædixit Tobiæ, quod Raguel acquiesceret in hoc. Sic et in Genesi servus Abrahæ, proposito sibi cibo, dixit matri Rebeccæ et Laban : Non Gen. xxiv, 33. comedam donec loquar sermones meos.

Quo audito verbo, Raguel expavit ex timore periculi, *sciens quid evenerit illis septem viris, qui ingressi sunt ad eam ; et timere cœpit, ne forte et huic similiter contingeret. Et quum nutaret,* id est, ambigeret quid esset respondendum ac faciendum in casu isto, *et non daret ullum petenti responsum :* quia pro utraque parte habuit motiva fortissima, nec vidit quid amplius expediret. Grave etenim sibi fuit tam virtuoso juveni et suo cognato filiam denegare, cui secundum legem fuerat

danda ; et nihilo minus grave fuit tam juvenem illum quam ejus parentes periculo tanto exponere, quod aliis septem viris filiæ suæ contigerat. *Dixit ei angelus : Noli timere eam dare isti, quoniam huic timenti Deum debetur conjux filia tua,* tam ex ordinatione divina, quam ex lege Mosaica, et propter amborum virtutes. Nam sicut Tobias suis virtutibus meruit tam virtuosam acquirere contoralem, sic Sara tam virtuosum maritum, juxta illud Ecclesiastici : Pars bona, mulier bona ; in parte bona timentium Deum dabitur viro pro factis bonis. Et Salomon ait : A Domino datur uxor prudens. *Propterea alius non potuit habere illam,* quia præordinatio Dei non fallitur neque cassatur.

Eccli. xxvi, 3. — Prov. xix, 14.

Tunc dixit Raguel : Non dubito quod Deus preces et lacrimas meas admiserit. Et credo quoniam ideo fecit vos venire ad me, ut et ista conjungeretur cognationi, id est viro de tribu sua, *secundum legem Moysis,* in Numeris : sicut supra expositum est. Denique angelus sanctus cum tanta gravitate et pondere loquebatur, et cum occulta vi tanta in exprimendo et imprimendo, quod ex ejus informatione cor Raguelis fuit subito sic immutatum, confortatum et exhilaratum ex fide et spe. Nam et instanter ac lacrimose Deum rogavit pro filia sua, ut ei provideretur de salubri connubio. *Et nunc noli dubium gerere,* id est, pro certo agnosce, *quod tibi eam tradam.*

Num. xxxvi, 8.

Et apprehendens dexteram filiæ suæ, dexteræ Tobiæ tradidit, concurrente consensu amborum, et prolatione verborum tunc solitorum, *dicens : Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Jacob vobiscum sit,* per gratiam temporalem et indesinentem, *et ipse conjungat vos* mente et corpore, conjunctione fructuosa atque fecunda, *impleatque benedictionem suam in vobis,* præstando vobis incrementa gratiæ et virtutum, deinde salutem æternam. *Et accepta charta, fecerunt conscriptionem conjugii,* scribendo in charta quæ gerebantur, et dotem puellæ, donumque nuptiale, aut etiam testes. *Et post hoc epulati sunt* sobrie, *benedicentes,* id est laudantes, *Deum,* et gratias ei agentes de conjugio inito ; benedicentesque mensam ante comestionem, et postea gratias referentes.

Vocavitque ad se Raguel Annam uxorem suam post refectionem, *et præcepit ei ut præpararet alterum cubiculum,* a cubiculo in quo Raguel et uxor ejus jacebant ; vel forsan etiam, alterum a cubiculo, in quo priores viri Saræ obierant, ex loci illius horrore. *Et introduxit illuc Saram filiam suam* post cœnam, *et lacrimata est,* ex rememoratione præteritarum adversitatum, et ne jam quid tale accideret. *Dixitque ei : Forti animo esto, filia mea,* id est, firmiter spera in Domino. *Deus cœli det tibi gaudium,* id est prosperitatem optatam cum viro isto, *pro tædio quod perpessa es,* id est, eo quod toties es afflicta per mortem virorum priorum, et merito patientiæ tuæ in illis.

ARTICULUS VIII

EXPOSITIO CAPITULI OCTAVI : POSTQUAM VERO CŒNAVERUNT, INTRODUXERUNT JUVENEM AD EAM.

ORATIONES Tobiæ et conjugis ejus hic describuntur. *Postquam vero cœnaverunt, introduxerunt juvenem ad eam* in cubiculum, quo ipsa prius intravit. Recordatus itaque Tobias sermonum angeli, quos ei de incensione cordis et jecoris piscis narratur dixisse, *protulit de cassidili suo,* id est repositorio, in quo erant reposita, cor,

Tob. vi, 8, 19.

Digitized by Google

jecur et fel piscis. Et proprie appellatur cassidile, pera facta per modum retis, in qua aucupes ponunt aves captas, et panem pastores. *Partem jecoris; posuitque eam super carbones vivos,* id est ignitos. Qualiter
Tob. vi, 8, 19. intelligendum sit istud, supra de incensione cordis piscis patuit. *Tunc Raphael angelus apprehendit dæmonium, et religavit eum* in desertum superioris Ægypti,* ubi de cetero nemini posset nocere : et forsan solo præcepto id egit, vel imperceptibiliter ad momentum se subtraxit, quousque illud explevit, et protinus rediit. Sic in legenda beatissimi Bartholomæi apostoli angelus legitur dæmoni præcepisse ut abiret et maneret, ubi nulli hominum posset nocere.

* illud

Tunc hortatus est virginem sponsam suam *Tobias, dixitque ei : Sara, exsurge* mente et corpore, ad devotionem actualem te extendendo, *et deprecemur Deum hodie,* id est in hac nocte, *et cras,* id est nocte sequente, *et secundum cras,* id est etiam tertia nocte; *quia istis tribus noctibus Deo jungimur,* id est, Deo vacare debemus, ut consequamur tria spiritualia
Ibid. 20-22. beneficia ab eodem; quæ supra sunt expressa. *Tertia autem nocte transacta,* videlicet nocte quarta, *in nostro erimus conjugio,* illud per carnalem copulam consummando. *Filii quippe,* id est proles, *Sanctorum sumus :* ut, Filius, non denotet sexum, sed dicat rem genitam, quia sic ambo erant filii Sanctorum, id est devotorum fideliumque parentum seu Patriarcharum. *Et non possumus* licite *ita conjungi* per consummationem matrimonii, *sicut gentes* idololatræ seu indevotæ, *quæ ignorant Deum* per fidem formatam : ideo sine prævia devotione et oratione carnaliter se cognoscunt. *Surgentes autem pariter :* quo constat quod Tobias sponsam suam hortando, juxta eam paululum sedit; *instanter orabant,* videlicet ferventer et perseveranter, *ambo simul,* quatenus communis oratio exaudibilior fieret, dum unius devotio devotioni alterius suffragabatur. Sicque in eis impletum est, quod Dominus universitati in Evangelio ait : Si duo ex vobis super terram consenserint Matth. xviii, 19, 20. de quacumque re quam petierint, fiet eis a Patre meo. Ubi enim fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi in medio eorum sum. *Ut sanitas,* id est conservatio sanitatis corporalis ac spiritualis, *daretur eis,* quousque suam complerent periodum.

Dixitque Tobias, orans Deum cum laudibus : quod est efficacissimum ad impetrandum, juxta quod scriptum est : Lau- Ps. xvii, 4.
dans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero. *Domine, Deus patrum nostrorum, benedicant te cœli et terra et mare et fontes et flumina, et omnes creaturæ tuæ quæ in eis sunt.* Porro inanimata et irrationalia Creatorem suum materialiter benedicunt, id est, sua dispositione, natura et consistentia ipsum esse laudabilem monstrant; et considerantibus, materiam incitamentumque præbent laudandi Altissimum, cujus bonitas, sapientia, omnipotentia in ipsis relucent, sicut causa in suo effectu. Sic et in Psalmo cantamus:
Laudent illum cœli et terra, mare et om- Ps. lxviii, 35.
nia reptilia in eis. Et tres Pueri in sui hymni exordio cecinerunt : Benedicite, om- Dan. iii, 57.
nia opera Domini, Domino; laudate et superexaltate eum in sæcula. *Tu fecisti Adam de limo terræ* quantum ad corpus : juxta illud, Formavit Deus hominem de limo Gen. ii, 7.
terræ; *et dedisti ei adjutorium* ad prolificandum, *Evam :* prout in Genesi inducitur : Dixit Dominus Deus, Non est bonum Ibid. 18.
hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi. *Et nunc, Domine, tu scis, quia non luxuriæ causa accipio sororem meam,* id est sponsam hanc mihi propinquam cognatione, fidei religione, amore, connubio ac natura specifica; *sed sola posteritatis dilectione, in qua,* et a qua posteritate, *benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum :* ita ut posteri nostri te jugiter benedicant, tamque devoti et honesti consistant, ut universi eos considerantes, te in tuis ministris collaudent, eo quod tantam eis contuleris gratiam.

Digitized by Google

* quoque *Dixit itaque* * *Sara : Miserere nostri, Domine, miserere nostri.* Repetitio illa, fuit fervoris indicium. *Et consenescamus ambo pariter sani* sanitate mentis et corporis. Nam et sani corpore, ceteris paribus, aptiores sunt Deo servire quam ægri.

Et factum est circa pullorum cantum, scilicet in confinio noctis atque auroræ, quum adhuc tenebræ essent, *accersiri,* id est vocari *jussit Raguel servos suos, et abierunt cum eo pariter ut foderent sepulcrum.* Sicque corruerat Raguel magna ex parte a spe sua, qua dixisse legitur superius : Non dubito quod Deus preces et lacrimas meas admiserit; et credo quod ideo fecit vos venire ad me, etc. (Tob. VII, 14.) Solent equidem homines vacillare a spe arduorum, instante hora qua percepturi sunt, quid in tali casu evenerit. Ex nimio enim desiderio rei cupitæ, verentur contraria. *Dicebat enim : Ne forte simili modo evenerit ei, quod et ceteris aliis septem viris, qui sunt ingressi ad eam. Quumque parassent fossam, regressus Raguel ad uxorem suam, dixit : Mitte unam ex ancillis tuis, et videat, si,* id est an, *mortuus sit, ut sepeliam eum antequam illucescat dies :* ne cognita morte ejus, augeatur confusio nostra. *At illa misit unam ex ancillis : quæ,* scilicet ancilla, *ingressa cubiculum* latenter, *reperit eos salvos et incolumes, secum pariter dormientes.* Non puto quod nudi condormiebant in lecto uno; sed post fatigationem ex diuturna oratione, ploratione, vigilia, reclinaverunt se cum veste ad repausandum. *Quæ reversa, nuntiavit bonum nuntium.*

Et benedixerunt Dominum Raguel et Anna uxor ejus, gratias ei agendo de conservatione Tobiæ in vita, *et dixerunt : Benedicimus te, Domine, Deus Israel, quia non contigit nobis quemadmodum putabamus. Fecisti enim nobiscum misericordiam tuam,* hoc est, effectum pietatis tuæ nobis in hac re, et in aliis multis exhibuisti; *et exclusisti a nobis inimicum persequentem nos,* scilicet invisibilem hostem diabolum, qui viros alios nostræ filiæ occidendo, nos quoque dire afflixit, contristavit et diffamavit. *Misertus es autem duobus unicis,* scilicet unico filio senioris Tobiæ, et unicæ filiæ nostræ. *Fac eos, Domine, plenius benedicere te,* ut sint tibi quotidie gratiores, *et sacrificium laudis tuæ et suæ sanitatis offerre :* ita ut spiritualiter offerant tibi laudes pro sacrificio legis, et pro beneficio sanitatis suæ, id est concessæ eis a te, gratias referant tibi ; *ut cognoscat universitas gentium,* ad quarum notitiam ista devenerint, *quia tu es Deus solus in universa terra.*

Statimque præcepit servis suis Raguel, ut replerent terra fossam quam fecerant, priusquam illucesceret. Uxori autem suæ dixit ut instrueret, id est pararet, *convivium, et præpararet omnia quæ in cibos iter agentibus erant necessaria,* eis quos intendebat mittere ad Gabelum, ad quem non volebat Tobiam permittere ire. Nam subditur : *Et adjuravit Raguel Tobiam, ut duas hebdomadas moraretur apud se,* quatenus interim mutuo adspectu gauderent in Domino. *De omnibus autem quæ possidebat Raguel, dimidiam partem dedit Tobiæ.* De bonis immobilibus videntur pauca aut nihil habuisse in terra illa aliena. *Et fecit hanc scripturam, ut pars dimidia quæ supererat, post obitum eorum Tobiæ dominio deveniret.* Textus autem tam planus est, ut immorari non congruat. Sed ex prædictis docentur conjugati fideles, ne instar infidelium absque prævia devotione et oratione conveniant.

Digitized by Google

ARTICULUS IX

ELUCIDATIO CAPITULI NONI : TUNC VOCAVIT TOBIAS ANGELUM AD SE.

NUNC recitatur qualiter Gabelus adductus, persolvit concessam sibi pecuniam. *Tunc vocavit Tobias angelum* seorsum *ad se, quem hominem æstimabat, dixitque ei,* recognoscendo beneficia ejus grata et humili mente : *Azaria frater, peto ut auscultes verba mea. Si me ipsum tradam tibi servum* hereditarium, vel usque ad septimum annum, secundum legem in Exodo fixam, *non ero condignus,* id est satis gratus, *providentiæ tuæ* circa me, et beneficiis mihi per providentiam tuam collatis, imo et conjugi meæ et ejus parentibus. *Tamen obsecro te,* ut adhuc aliquid plus propter me facias, videlicet *ut assumas tibi animalia,* quæ portent necessaria in itinere, vel te et Gabelum, *sive servitia,* id est quosdam ex servis Raguelis, qui sint socii itineris tui, *et vadas ad Gabelum in Rages civitatem Medorum, reddasque ei chirographum suum, et recipias ab eo pecuniam, et roges eum venire ad nuptias.*

Exod. XXI, 2.

Tob. III, 7. Jam dictum est supra : Eadem die contigit, ut Sara filia Raguelis in Rages civitate Medorum audiret improperium. Si ergo et Gabelus habitavit in Rages civitate Medorum, in eadem urbe manebant Raguel et Gabelus? Ad hoc multipliciter respondetur. Primo, quod erant duæ urbes ejusdem nominis, sicut in aliquibus regnis sunt plura oppida sive villagia idem nomen habentia. Secundo, quod Rages non solum est nomen urbis, sed etiam provinciæ, sicut Samaria interdum est nomen urbis regni decem tribuum, quandoque patriæ : sicque unus istorum habitavit in urbe sic dicta, alter in civitate provinciæ sic vocatæ. Tertio, quod supra textus correctus sic habet : Contigit ut Sara filia

Ibidem.

A Raguelis in civitate Medorum. Primæ autem responsioni consonare videtur quod supra Raphael ait : Mansi apud Gabelum fratrem nostrum qui moratur in Rages civitate Medorum, quæ posita est in monte Ecbatanis : quod addi videtur, ad differentiam alterius Rages.

Tob. V, 8.

Scis enim, quoniam numerat pater meus dies absentiæ meæ. *Et si tardavero uno die plus, contristabitur anima ejus. Et certe vides quomodo adjuravit me Raguel, cujus adjuramentum spernere non possum.* B Specialiter sollicitus fuit de patre, magis compatiens ei propter ipsius cæcitatem et sanctitatem. *Tunc Raphael assumens quatuor ex servis Raguelis,* ut eos ædificaret et informaret in via, et decenter comitatus veniret, magisque sibi crederetur, *et duos camelos,* forsan unum pro adducendo Gabelo, alium pro se, non ob sui indigentiam, sed condecentiam, *in Rages perrexit. Et inveniens Gabelum, dedit ei chirographum suum, et recepit omnem pecuniam. Indicavitque ei de Tobia* C *filio Tobiæ omnia quæ gesta sunt. Fecitque eum,* puta Gabelum, *secum venire ad nuptias* convivii Tobiæ.

Et flevit Gabelus præ gaudio, viso et osculato Tobia, *benedixitque Deum, et dixit* Tobiæ, eum benedicendo : *Benedicat te Deus Israel,* id est, abundantiam spiritualium temporaliumque bonorum tibi gratiose concedat meritis patris tui, *quia filius es viri optimi,* id est devotissimi Deo, *et justi* ad proximos, *et timentis Deum, et eleemosynas facientis* copiosissime, se- D cundum vires suas. *Et dicatur benedictio super uxorem tuam,* id est, omnes eam noscentes imprecentur ei bona propter virtutes ipsius, *et super parentes vestros,* ut

Digitized by Google

laudentur propter vestras probitates, fecunditates et virtuositates : quemadmodum mulier prudens beatificavit gloriosissimam Virginem propter Filium ejus, dicendo ad Filium : Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti. *Et videatis filios vestros, et filios filiorum vestrorum usque in tertiam et quartam generationem,* id est, diuturnitatem vitæ, fecunditatemque prolis, et prosperitatem longævam obtineatis a Domino; *et sit semen vestrum benedictum a Deo Israel, qui regnat in sæcula sæculorum,* id est, a vero Deo benedicatur posteritas vestra. Quid mirum, (A) si tam devote locutus est, cum quo angelus sanctus fuit, et ambulavit tam diu, non sine instructione salubri?

Luc. xi, 27.

Quumque omnes dixissent, Amen, id est, sic fiat, *accesserunt ad convivium. Sed et cum timore Domini nuptiarum convivium exercebant.* Omnes etenim ædificabantur in angelo, quamvis eum hominem esse putabant, quia exemplarissimus fuit in omni apparatu et verbo. Similiter sponsus et sponsa fuerunt timorati. Ideo absque dissolutione, gula, lascivia, ibi omnia (B) agebantur cum gaudio spirituali: quod cunctis est imitandum fidelibus.

ARTICULUS X

EXPOSITIO CAPITULI DECIMI : QUUM VERO MORAS FACERET TOBIAS.

DOLOR parentum Tobiæ, et reditus ejus hic enarrantur. *Quum vero moras* redeundi longiores, quam itineratio requirebat, *faceret Tobias, causa nuptiarum,* propter quas a Raguele detinebatur, *sollicitus erat pater ejus,* id est inquietus corde præ cura, et anxius, *dicens : Putas quare moratur filius meus,* etc., *et nemo reddet illi pecuniam?* Ex nimio enim filii sui amore imaginabatur varias causas dilationis reditus sui, quemadmodum anxiatis moris est; et dicere poterat illud Job : Cogitationes meæ variæ succedunt sibi, et mens in diversa rapitur. *Cœperunt autem contristari nimis, ipse* Tobias senior, *et Anna uxor ejus; et cœperunt flere, eo quod die statuto minime reverteretur filius eorum ad eos.* Nam antequam recessit ab eis, computaverunt dies infra quos posset reverti, et apud ipsos reversus consistere: infra quos non fuit reversus.

Job xx, 2.

Flebat ergo mater ejus irremediabilibus lacrimis : sicut et Jacob deflevit filium suum Joseph, nullam consolationem ad-(C)mittens; *atque dicebat : Hei mihi, fili mi, ut quid te misimus peregrinari, lumen,* id est delectabile et jucundum objectum, *oculorum nostrorum :* prout hoc supra fuit expositum; *baculum senectutis nostræ :* quod ibi quoque est explanatum; *solatium,* id est causa et materia consolationis et gaudii, *vitæ nostræ?* Delectabile namque est, præsentem habere dilectum et adjutorem, et præsertim filium sapientem, obedientem et virtuosum, juxta illud Proverbiorum : Filius sapiens lætificat patrem. (D) Et rursus : Fili, si sapiens fuerit animus tuus, gaudebit tecum cor meum, et exsultabunt renes mei quum locuta fuerint rectum labia tua. Itemque : Exsultat gaudio pater justi; qui sapientem genuit, lætabitur in eo. *Spem posteritatis nostræ :* quoniam unica proles fuit eorum, qui amplius generare nequibant, ideo eo carere fuit gravissimum. Nam et parentes quodammodo manent in posteris suis. Hinc in Ecclesiastico scriptum est : Mortuus est pater ejus, videlicet boni sapientisque fi-

Gen. xxxvii, 35. *Tob. v, 23-25.* *Prov. x, 1.* *Ibid. xxiii, 15, 16.* *Ibid. 24.* *Eccli. xxx, 4-6.*

Digitized by Google

lii, et quasi non est mortuus; similem enim reliquit post se. In vita sua vidit et lætatus est in illo, et in obitu suo non est contristatus. Reliquit enim defensorem domus suæ. *Omnia,* jam prætacta, *simul in te uno habentes, non te debuimus dimittere ire a nobis;* sed potius nuntium quemdam misisse, ne majus et carius bonum exponeremus periculo propter minus et vilius bonum. Quod aliquo modo sic erat, nisi providentia Dei aliter ordinasset et inspirasset, propter majus bonum ex illa itineratione consecutum, tam Tobiæ juniori, ejusque contorali, quam amborum parentibus: quod femina ista nondum cognovit, sed postea cognito eo gratias egit.

Cui dicebat Tobias: Tace, et noli turbari. Sanus est filius noster, ut spero. *Satis fidelis est vir cum quo misimus eum.* Fuit itaque Tobias multo constantior atque prudentior conjuge sua: ideo, tanquam caput ipsius, eam informavit et consolabatur, et ex divina inspiratione sic loquebatur. Deus etenim eum consolabatur secrete intrinsecus. *Illa autem nullo modo consolari poterat, sed quotidie exsiliens, circumspiciebat et circumibat vias omnes, per quas spes remeandi videbatur, ut procul videret eum, si fieri posset, venientem.* Ephes. v, 23.

At vero Raguel dicebat ad generum suum, hoc est maritum filiæ suæ, juniorem Tobiam: *Mane hic, et ego mittam nuntium salutis tuæ ad patrem tuum,* id est virum qui parentibus tuis denuntiet te sanum ac prosperum esse. *Cui Tobias ait: Ego novi, quia pater meus et mater mea modo dies computant* absentiæ meæ, *et cruciatur spiritus,* id est anima, *eorum in ipsis,* videlicet animæ amborum. *Quumque verbis multis rogaret Raguel Tobiam,* ut diutius secum maneret: quia dilexit eum ut proprium filium, non solum quoniam gener suus fuit, sed quia tam bonus, et propter virtutes patris sui, et quia cognatus; *et ille cum nulla ratione vellet audire,* id est nulli persuasioni Raguelis acquiescere, sciens quod parentes sui non

A contentarentur, nisi eo reverso. Et forsan, quia audierat ab angelo, qualiter fel piscis haberet vim illuminandi oculos per maculam seu albuginem excæcatos, sperabat hoc in patre suo fiendum, sicut jam fuit expertus in conjuge sua de incensione cordis et jecoris piscis. *Tradidit ei Saram, et dimidiam partem omnis,* id est totius, *substantiæ suæ* in rebus mobilibus, *in pueris, in puellis,* id est servis et ancillis, forsan empticiis, *in pecudibus,* id est ovibus, *et camelis, et in vaccis, et pecunia*

B *multa. Et salvum dimisit eum a se, dicens: Angelus Domini sanctus sit in itinere vestro,* vos dirigendo ac protegendo: sicut et Tobias oravit quando filium a se dimisit, ut patuit; *perducatque vos incolumes, et inveniatis omnia recta circa parentes vestros, et videant oculi mei filios vestros priusquam moriar.* Tob. v, 2?

Et apprehendentes parentes filiam suam, osculati sunt eam: ut moris est in tali recessu. *Et dimiserunt ire, monentes eam honorare soceros,* id est parentes sui mari-

C ti, tanquam proprios parentes, quum maritus et conjux sint una caro; *diligere maritum,* et ex filiali dilectione eum timere, juxta illud Apostoli: Uxor autem timeat virum. Princeps quoque Apostolorum in prima sua hortatur Canonica: Mulieres subditæ sint viris suis, sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans. *Regere familiam,* quantum ad agenda in quotidiano obsequio, præsertim in domo: quæ tanquam minora, potius spectant ad conjugis dispositionem, quæ et potius re- Ephes. v, 33. I Petr. III, 1, 6; Gen. XVIII, 12.

D sidet domi. Mariti vero est, exteriora et majora disponere. *Gubernare domum,* id est sobolem, in directione ad matrem pertinente, ac utensilia domus; *et se ipsam irreprehensibilem exhibere,* vitando ad minus peccata mortalia et scandala; quatenus quæ alios habet regere, increpare, disponere, se in cunctis exhibeat exemplarem, ne ei dicatur, Cura te ipsam. Luc. IV, 23.

Ex his instruuntur parentes, qualiter debeant informare filias suas dum traduntur ad nuptias. Ipsæ quoque conjuges hic do-

Digitized by Google

centur, quid ad earum spectet officium, et quam virtuose debeant conversari, præsertim vitando omnia impudicitiæ signa et A opera atque femineas inquietudines, loquacitates et levitates, ut sexum vincant virtutibus, conditionemque moribus.

ARTICULUS XI

DECLARATIO CAPITULI UNDECIMI : QUUMQUE REVERTERENTUR, PERVENERUNT AD CHARAN.

QUUMQUE *reverterentur* Raphael et Tobias, ejusque uxor cum familia et jumentis, *pervenerunt ad Charan*, id est oppidum sic vocatum, *quæ est in medio itinere contra Niniven*, id est ex opposito Ninive civitatis, *undecima die* a recessu de domo Raguelis. Hanc Charan dicunt aliqui esse, de qua scriptum est in Actibus : Tunc exiit Abraham de terra Chaldæorum, et habitavit in Charan ; quæ in Genesi vocatur Haran. *Dixitque angelus : Tobia frater, scis quemadmodum reliquisti patrem tuum*, videlicet cæcum, desolatum et inopem. *Si placet itaque tibi, præcedamus.* Ecce quam humiliter loquitur angelus. *Et lento gradu insequantur iter nostrum familiæ simul cum conjuge tua, et cum animalibus. Quumque hoc placuisset* Tobiæ, *dixit Raphael ad Tobiam : Tolle tecum de felle piscis,* quod alicubi fuit repositum, *erit enim necessarium. Tulit itaque Tobias ex felle illo, et abierunt.*

(Act. vii, 4. — Gen. xi, 31.)

Anna autem sedebat secus viam quotidie in supercilio montis, unde respicere poterat de longinquo. Et dum ex eodem loco specularetur adventum ejus, vidit a longe, et illico cognovit venientem filium suum. Nuntiavitque viro suo.

Dixitque Raphael ad Tobiam : At ubi introieris domum tuam, id est domum tuæ habitationis, *statim adora Dominum Deum tuum. Et gratias agens ei.* Unde elicitur, quod de longe redeuntes, et a suis negotiationibus revertentes, mox ut domum suam intraverint, debeant in primis Deum adorare, et gratias ei referre pro B beneficiis sibi in via ab eo exhibitis. *Accede ad patrem tuum, et osculare eum,* pro consolatione ipsius ex caritate sincera : juxta quod Paulus apostolus frequenter in suis scribit epistolis, Salutate invicem in osculo sancto. *Statimque lini,* id est inunge, *super oculos ejus ex felle isto. Scias enim quoniam mox aperientur oculi ejus* ad videndum ut ante : puta post mediam horam, ut paulo post tangitur. *Et videbit pater tuus lumen cœli.* Natura namque operatur successive. Et poterat angelus divina C virtute absque naturali medicamine cæcum illuminare ; sed ad gloriam Creatoris voluit creaturæ vires ostendere, et ne præsumamus Deum tentare, quærendo supernaturale auxilium, dum habemus per naturam subsidium. *Et in adspectu tuo gaudebit.*

(Rom. xvi, 16; I Cor. xvi, 20; I Thess. v, 26; I Petr. v, 14.)

Tunc præcucurrit canis, qui simul fuerat in via, et quasi nuntius adveniens, blandimento suæ caudæ gaudebat. Et consurgens cæcus pater, cœpit, offendens, id est impingens *pedibus, currere,* ex amore fi- D lii redeuntis, et ex gaudio de reditu ejus ; *et data manu* sua *puero* dirigenti viam ipsius, *occurrit obviam filio suo, et osculatus est eum cum uxore sua,* id est tam ipse quam uxor sua Anna mater Tobiæ. *Quumque adorassent Deum* Tobias et ejus parentes, *et gratias egissent* de reditu. Quo constat, quod domestici suscipientes redeuntem, debeant simul cum illo Dominum adorare, et gratias agere. *Consederunt,* ad conferendum de peractis in via et expeditione negotii.

Digitized by Google

Tunc sumens Tobias de felle piscis, linivit oculos patris sui. Et sustinuit, id est exspectavit, *quasi dimidiam fere horam* effectum inunctionis illius ; *et cœpit albugo,* id est subtilis tenuisque materia fæculenta instar pelliculæ, ut est in alis vespertilionis, *quasi membrana,* id est pellicula *ovi, ex oculis ejus egredi. Quam apprehendens Tobias* junior, *traxit ab oculis ejus,* videlicet patris sui, *statimque visum recepit.* Nam lumen visuale manserat in pupilla. Porro, cæcum a nativitate, in cujus oculis non est lumen hujusmodi, videntem efficere, excedit virtutem totius naturæ creatæ : quod Christus et multi Sancti post eum Ecclesiæ filii peregerunt, nullusque antea legitur peregisse. Propter quod cæcus a nativitate a Christo illuminatus, dixit incredulis : (*Joann.* IX, 32.) A sæculo non est auditum, quia aperuit quis oculos cæci nati.

Et glorificabant, id est, gloriosum, omnipotentem, pium esse fatebantur, *Deum, ipse* Tobias *et uxor ejus, et omnes qui sciebant eum,* id est fideles qui noverant eum, vel etiam quidam gentilium. *Dixitque Tobias : Benedico te, Domine, Deus Israel, quoniam tu castigasti me.* Nam humilis Tobias reputavit sibi plagam cæcitatis pro suis evenisse peccatis : quæ tamen ob alias causas evenerat. Nihilo minus etiam ad purgationem venialium culparum Tobiæ potuit contigisse, et sic fuit non solum exercitatio atque probatio justi, sed et castigatio aliqualiter rei. *Et tu salvasti,* id est curasti, *me* de hujusmodi plaga : juxta illud Job, (*Job* V, 18.) Percutit, et manus ejus sanabunt. Sicque in Tobia impletum est quod ad Hebræos fertur : (*Hebr.* XII, 11.) Omnis disciplina in præsenti videtur non esse gaudii, sed mœroris ; postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ. Et vidit Tobias filium suum.

Ingressa est etiam domum Tobiæ senioris *post septem dies Sara uxor filii ejus, et omnis familia et pecora sana, et cameli, et pecunia multa uxoris : sed et illa pecunia, quam receperat a Gabelo.* Dicuntque aliqui, ideo Raphaelem suggessisse Tobiæ ut præcederent, quatenus Tobias senior curaretur antequam uxor filii ejus intraret, ne inveniretur ab ea et a venientibus secum, in pristina paupertate, cæcitate et indispositione. Vel ideo præcessum suggessit, ut justo desolato celerius impenderetur solatium, et etiam afflictissimæ matri Tobiæ. *Et narravit parentibus suis omnia beneficia Dei, quæ fecisset circa eum per hominem,* id est angelum in specie hominis apparentem, *qui eum duxerat. Veneruntque Achior et Nabath consobrini Tobiæ,* et etiam alii quidam contribules et vicini ipsius, *ad* ipsum *Tobiam, congratulantes ei de omnibus bonis quæ circa illum ostenderat Deus,* id est beneficiis sibi desuper exhibitis in se ipso et in filio suo. *Et per septem dies epulantes omnes* cum sobrietate, et *cum gaudio magno* in Domino, *gavisi sunt.* Et forsan introierunt ad Tobiam, antequam uxor filii ejus advenit, quamvis hoc postea recitetur. Mox enim ut perceperunt eum illuminatum, venerunt. Epulationem autem potuerunt differre usque ad ingressum uxoris filii ejus.

Postremo, per linitionem fellis piscis, designatur amaritudo veræ contritionis et compunctionis internæ, qua cordis oculi illustrantur, et maculæ vitiorum delentur. Patet quoque ex dictis, qualiter Dominus pauperem facit et ditat, et post dejectionem repente honestat. (*1 Reg.* [illegible]) Idcirco in omni adversitate in ipso tanquam in providissimo atque piissimo patre confidendum est, constanti, fideli, et insuperabili mente, quia certissimum est, eum universa et singula considerare plenissime.

Digitized by Google

ARTICULUS XII

ELUCIDATIO CAPITULI DUODECIMI : TUNC VOCAVIT AD SE TOBIAS FILIUM SUUM SEORSUM.

MANIFESTATIO mysteriorum Dei circa Tobiam, hic aperitur. *Tunc vocavit ad se Tobias filium suum seorsum, dixitque ei : Quid possumus dare viro isti sancto qui venit tecum?* Fuit quippe Tobias sollicitus de mercede statim reddenda operario, prout docuit supra. (Tob. IV, 15.) *Respondens Tobias, dixit patri suo : Pater, quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum poterit esse beneficiis ejus?* quasi dicat : Non possumus ei condignum rependere præmium. Ad quod probandum, commemorat atque enumerat beneficia eis collata per ipsum, B quæ omnem pecuniarum excedebant valorem, ut patet in textu : præsertim quia dæmonem a Sara compescuit, et ipsum juniorem Tobiam a piscis devoratione eripuit, patrique ejus visum recuperavit. (Ibid. VIII, 3; VI, 2-4; XI, 13-15.) Quod quia medicinaliter gestum fuit, non per modum miraculi, quemadmodum Eliseus curavit Naaman Syrum a lepra, non erat simoniacum pro tali cura temporale quid exhibere. (IV Reg. V, 10-14.) *Sed peto te, pater mi, ut roges eum, si forte dignabitur,* hoc est, quatenus dignetur, *medietatem de omnibus quæ* C *allata sunt, sibi assumere.* Alia namque medietas videbatur bene necessaria ipsis. *Et vocantes eum, pater scilicet et filius, tulerunt eum in partem, et rogare cœperunt, ut dignaretur dimidiam partem omnium quæ attulerant, acceptam habere.*

Tunc dixit Raphael *eis occulte : Benedicite Deum cœli :* qui quamvis sit omnium rex, creator et Deus, specialiter tamen cognominatur Deus cœli, hoc est omnium cœlestium orbium et civium supernorum, seu cœli empyrei, quod est thronus gloriæ D ejus : in quo ipse omnipotens, incircumscriptibilis Deus, specialiter esse et habitare asseritur, quia in eo evidentius se

A ostendit, atque præclarius operatur. Hinc in Esdra dicitur : Nos sumus servi Dei cœli. (I Esdr. V, 11.) Et iterum Esdras in sua ait oratione : Quæso, Domine, Deus cœli, fortis. (II Esdr. I, 5.) *Et coram omnibus viventibus* vobis præsentibus, seu coram quibusdam de omnibus, et per historicam horum descriptionem coram cunctis fidelibus per fidem gratiamve viventibus; *confitemini ei* confessione laudis et gratiarum actionis, *quoniam fecit vobiscum misericordiam suam,* id est, pietatis suæ gratiosos effectus, et beneficia multa ac magna vobis impendit.

Etenim sacramentum regis abscondere bonum est. Hoc quidam de regibus hujus mundi exponunt, quod expediat celare eorum secreta, quia et ipsi ægre acciperent, si proderentur, et pericula eis ex hoc iminerent. Potest quoque exponi de Rege omnipotente cœlesti, cujus sacramenta, hoc est sacra secreta, fideique mysteria, sunt indignis, carnalibus, perfidis, incapacibusque celanda, quemadmodum apud Matthæum ait Salvator : Nolite sanctum dare canibus, neque margaritas vestras mittatis ante porcos. (Matth. VII, 6.) Hinc Paulus fatetur se audisse arcana verba, quæ non licet hominibus loqui. (II Cor. XII, 4.) Et denuo : Non potui (inquit) vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. (I Cor. III, 1.) Itemque : Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei; stultitia est enim illi. (Ibid. II, 14.) Unde in Proverbiis inducitur : Gloria Dei, celare verbum. (Prov. XXV, 2.) *Opera autem Dei* naturalia et supernaturalia *revelare* aliis, *et confiteri* cum laude et fidei protestatione, *honorificum est,* hoc est cedens ad honorem et gloriam Dei, dummodo fiat loco et tempore opportuno, et coram capacibus atque docibilibus. Propter quod ait Psalmista : Confitebor tibi, Domine, in (Ps. IX, 2.)

Digitized by Google

toto corde meo; narrabo omnia mirabilia tua.

Bona est oratio cum jejunio. Quam verum sit hoc, innotescit ex eo quod Dominus in Evangelio de pessimo quodam dæmonum genere loquitur : Matth. xvii, 20; Marc. ix, 28. Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione et jejunio. Jejunium enim mentem ad devotionem et contemplationem disponit. Ideo ad orandum efficaciter maxime juvat, quia ut asserit Damascenus, Oratio est ascensus mentis in Deum. Hinc sancti Patres tradiderunt duas esse alas orationis, per quas levatur et volat in cœlum, quæ sunt jejunium et eleemosyna. Unde mox subditur : *et eleemosyna* bona est *magis quam thesauros auri recondere,* quum eleemosyna sit actus virtutis, et misericordiæ opus, delens peccata, augmentique gratiæ et gloriæ promeritoria. Ideo additur : *Quoniam eleemosyna a morte* culpæ ac gehennæ *liberat,* per modum meritoriæ causæ, Deus autem per modum causæ effectivæ; *et ipsa est quæ purgat peccata :* sicut expositum est plenius supra. Propterea in Proverbiis fertur : Prov. xv, 27. Per misericordiam et fidem purgantur peccata. Alibi quoque : Eccli. xxix, 15; iii, 33. Abscondite eleemosynam in sinu pauperis, et ipsa orabit pro vobis ad Dominum. Quia sicut aqua exstinguit ignem, ita eleemosyna peccatum. *Et facit invenire vitam æternam.* Matth. v, 7. Beati enim misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. *Qui autem faciunt peccatum* in proximum, aut in se ipsos, *et iniquitatem* in Deum, *hostes sunt animæ suæ,* quia adversantur suæ saluti. Et quod maxime sibi ipsis nocivum est, hoc optant et inferunt sibi, læduntque et occidunt spiritualiter animas suas. Ideo fertur in Psalmo : Ps. x, 6. Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam. Atque in Proverbiis habetur : Prov. i, 22. Usquequo stulti quæ sibi nociva sunt, cupient?

Manifestabo ergo vobis veritatem, et non abscondam a vobis occultum sermonem, id est verba aliis prorsus ignota, seu res secretas significatas per verba. Sæpe etenim in Scripturis accipitur verbum seu sermo A pro re significata. Tob. i, 20; ii, 3, 9; iii, 1. *Quando orabas cum lacrimis, et sepeliebas mortuos, et derelinquebas prandium tuum :* ita quod tua oratio fuit prætactis duabus alis pennata ac decorata, imo et ex intima compunctione et sancta affectione procedens, cujus signum erant lacrimæ ei adjunctæ; *et abscondebas per diem in domo tua, et nocte sepeliebas eos; ego obtuli orationem tuam Domino :* non quasi eam ignoranti, sed ad impetrandum divinæ pietatis effectum, et supplendo tuum imperfectum, atque ad B cognoscendum ex revelatione divina quid tecum esset agendum. *Et quia acceptus eras Deo* ex prædestinatione æterna et conversatione virtuosa, *necesse fuit,* id est expediens pro incremento meritorum tuorum ac præmiorum, et ad ædificationem multorum, et ad manifestationem potentiæ atque clementiæ Dei, et ad ejus gloriam et honorem, prout impræsentiarum jam cernitur : fuit item necesse ex suppositione, et per relationem ad finem; *ut tentatio,* hoc est adversitas, *probaret te,* id est, C examinaret et probum ac fidelem ostenderet, tuaque virtuositas aliis sic pateret, ut ædificentur in te, et quia Scriptura testatur, quod multæ sunt tribulationes justorum. Ps. xxxiii, 20.

Et nunc misit me Dominus ut curarem te, et Saram uxorem filii tui a dæmonio liberarem. Ego enim sum Raphael angelus. Nam Raphael interpretatur, medicina Dei : ideo recte sic vocor, quia ad medendum tibi ac Saræ sum missus. Siquidem angeli ex suis officiis, actibus et propri- D etatibus nomina sortiuntur. *Unus ex septem, qui adstamus ante Deum,* id est, Deo jugiter sumus præsentes per beatificam fruitionem, et ad ejus obsequium semper parati. Sicque, Adstare hic sumitur, non prout distinguitur contra Adsistere, secundum quod superiores spiritus angelici, qui ad exteriora ministeria non mittuntur, dicuntur adsistere, juxta illud Danielis, Dan. vii, 10. Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia adsistebant ei. Porro quod ait, Unus ex septem, non designat

numerum determinatum, sed indeterminatum, seu universitatem nobis prorsus innumerabilem, quæ in Scripturis septenario frequenter insinuatur, sicut quum in Apocalypsi inducitur : Gratia et pax vobis ab eo qui est, et a septem spiritibus qui in conspectu throni ejus sunt. De multitudine autem inæstimabili angelorum sanctorum, scriptum est in Job : Numquid est numerus militum ejus? et super quem non surgit et splendet lumen ipsius? Atque in Apocalypsi : Erat numerus angelorum millia millium.

Apoc. I, 4. — Job XXV, 3. — Apoc. V, 11.

Dumque hæc audissent Tobias et filius ejus, *turbati sunt,* præ vehementi admiratione et stupore rei tam novæ ac arduæ, *et trementes, ceciderunt super terram in faciem suam :* quia ex vehementia admirationis et timoris, secuta fuit et orta in corpore alteratio maxima harmoniæ et complexionis, et concursus sanguinis ad cor; sicque membra fuerunt infrigidata ac tremuerunt, et corpus debilitatum mox corruit. Vel etiam, ad reverentiam Dei ac angeli ejus, se prostraverunt. Sic et Daniel ait : Vidi visionem grandem, et non remansit in me fortitudo, sed et species mea immutata est in me, et emarcui, et jacebam consternatus super faciem meam.

Dan. X, 8, 9.

Dixitque eis angelus : Pax vobis. Nolite timere inordinato timore, quia totum pro bono vestro est gestum. Proprium vero est angelis sanctis, consolari et confortare eos, quibus gratiose apparent, qui ex humana fragilitate de angelorum apparitione timere, debilitarique solent. *Etenim quum essem vobiscum,* in forma humana vobis apparens, ita quod me hominem esse putastis, *per voluntatem Dei eram,* id est, secundum beneplacitum ac dispositionem divinæ voluntatis vobiscum versabar ; *ipsum benedicite, et cantate illi. Videbar quidem vobiscum manducare ac bibere.* Et utique non ludificatorie, sed vere ac realiter cibum et potum tetigit, sumpsit, trajecit in corpus assumptum, et prout voluit, consumpsit, non eo modo quo homi- A nes, nec convertit eos in corpus assumptum per carnificationem mediante nutritiva virtute. Non enim unitus fuit corpori assumpto ut forma substantialis, sed tanquam motor. *Sed ego cibo invisibili, et potu qui ab hominibus videri non potest, utor,* sicut et ego in propria natura ac specie simplex, incorporeus, invisibilisque consisto. Præterea, cibus et potus omnium Beatorum, est gloriosa visio Dei, et beatifica fruitio ejus, ac delectatio plene contentativa ac satians : quibus ita replentur, ut B indesinenter cupiant eas, ut intelligatur exclusum omne fastidium, et taliter cupiant ipsas, ut æternaliter et secure habeant eas præsentes. Propter quod beatissimus Petrus disseruit : In quem desiderant angeli prospicere. Objectalis demum cibus Beatorum, est Deitas ipsa, seu Trinitas adoranda. Potus vero, est fons infinitæ sapientiæ ac opulentiæ ejus, juxta illud Psalmi : Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos. Unde in Isaia Dominus loquitur : Ecce ego de- C clino in eos ut flumen pacis.

I Petr. I, 12. — Ps. XXXV, 9. — Is. LXVI, 12.

Tempus est ergo ut revertar ad eum qui me misit, quia jam expedita est hæc mea legatio : non quod ad vos veniens, aut vobiscum exsistens, ab infinito et incircumscriptibili Deo distem sive abierim ; sed quia recessi a loco, id est cœlo empyreo, in quo ipse specialiter esse et habitare asseritur : sicque illuc redeundo, ac vobis disparendo, ad ipsum Deum me redire assero. Quemadmodum de Christo quoque cantamus : Egressus ejus a Patre, regres- D sus ejus ad Patrem. *Vos autem benedicite Dominum, et enarrate omnia mirabilia ejus,* hoc est quædam de omnibus, seu omnia vobis exhibita et cognita.

Et quum hæc dixisset, ab adspectu eorum ablatus est, id est, eorum visui se subtraxit, et repente disparuit; corpusque assumptum tam potestative ac subito deposuit ac reliquit, quam potestative ac celeriter assumpserat illud : quia materia inferiorum in multis, præsertim quoad motum, obedit angelis sanctis; *et ultra*

Digitized by Google

eum videre non potuerunt. Tunc prostrati per horas tres in faciem, benedixerunt Deum, devotissime regratiando, laudando, A orando sine distractione notabili. *Et exsurgentes, narraverunt omnia mirabilia ejus :* sicut expositum est.

ARTICULUS XIII

ELUCIDATIO CAPITULI TERTIIDECIMI : APERIENS AUTEM TOBIAS SENIOR OS SUUM, BENEDIXIT DOMINUM.

GRATIARUM actio Tobiæ hic recitatur. Fuit enim consuetudo devotis Israelitis, Deo componere atque depromere canticum spirituale pro beneficiis magnis. *Aperiens autem Tobias senior os suum,* videlicet ex prædeliberatione, et magna loquens devotione, *benedixit Dominum,* id est laudavit, *et dixit : Magnus es, Domine, in æternum,* non quantitate corporea, sed perfectione infinita, *et in omnia sæcula regnum tuum* magnum est. De quo legitur :
Ps. cxliv, 13. Regnum tuum, regnum omnium sæculorum, et dominatio tua in omni generatione
Dan. vii, 14. et generatione. Daniel quoque fatetur : Potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur, et regnum ejus quod non corrumpetur. Hoc regnum Dei, est triumphans Ecclesia, et aliquo modo Ecclesia militans, quæ non corrumpitur hic in toto, sed de via transfertur ad patriam. Unde in Evan-
Matth. xiii, passim : xxiii, 13. gelio frequenter vocatur regnum cœlorum.

Quoniam tu flagellas misericorditer per adversa, et paternaliter castigas in sæculo isto tuos electos; *et salvas,* ab adversitatibus eripiendo, et gratiam gloriamque præ-
Prov. iii, 12; Hebr. xii, 6. stando : juxta illud, Quem diligit Dominus, corripit, et quasi pater in filio complacet sibi ; *deducis ad inferos, et reducis :* ut patet in suscitatis multis a mortuis : quorum quidam in mortalibus obierunt peccatis, sed per definitivam sententiam non fuerunt damnati ; quidam vero in inferis, hoc est in limbo aut purgatorio, erant,
Luc. xvi, 22. sicut et Lazarus. Hinc et sancta Anna te-
I Reg. ii, 6. statur : Dominus mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit. Deducit

B quoque ad inferos, hoc est ad pœnas et tribulationes gravissimas in præsenti, ita ut inferno videantur conformes. *Et non est qui effugiat manum,* hoc est omnipotentiam *tuam,* aut metuendum tuum judicium : juxta illud Machabæorum, Manum Omnipotentis nec vivus, nec mortuus evadere potero. II Mach. vi, 26. Ideo nihil salubrius nobis, quam ut confugiamus ad misericordiam ejus, cujus potestati atque justitiæ non valemus resistere.

Confitemini Domino, filii Israel, con-
C fessione propriæ culpæ ac laudis divinæ, *et in conspectu gentium,* inter quas capti estis, *laudate Deum : quoniam ideo dispersit vos inter gentes, quæ ignorant Deum* per fidem formatam, *ut vos enarretis mirabilia ejus.* Illa fuit una causa captivitatis dispersionisque Israelitarum inter gentiles idololatras, quatenus Israelitæ annuntiarent gentilibus magna et mirifica opera ac beneficia Dei, exhibita filiis Israel in Ægypto, in mari Rubro, in deserto, et in terra promissionis, et rigorem divinæ
D justitiæ circa inimicos ipsorum. Verumtamen filii Israel per suos excessus meruerunt capi, taliterque dispergi; sed infinitæ sapientiæ Deus ex malis nostris et pœnis elicit multa bona, præter nostram intentionem atque notitiam. *Et faciatis scire eos,* puta gentiles, *quia non est alius Deus omnipotens præter eum :* quod evidenter patuit ex hoc, quod dii Ægyptiorum et Chananæorum, aliarumque gentium non potuerunt resistere mirabilibus Dei, et plagis ejus, nec suos defensare cultores.

Digitized by Google

Ipse castigavit nos per captivitatem et alias pœnas, *propter iniquitates nostras; et ipse salvabit nos propter misericordiam suam,* clementer ignoscendo, gratiam et salutem præstando, dummodo pœnitentes æquanimiter toleremus flagella præsentia. *Adspicite ergo quæ fecit nobiscum,* hoc est, beneficia et flagella ejus considerate, ut grati sitis, et emendetis vos, ne deteriora vobis contingant; *et cum timore* cordis filiali, *et tremore* corporis, procedente ex interiori timore redundante in corpus, *confitemini illi,* duplici confessione prætacta:
Ps. II, 11. juxta illud Psalmographi, Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore. Et
Hebr. XII, 28, 29; Deut. IV, 24. ad Hebræos scribit Apostolus : Serviamus Deo placentes cum metu et reverentia. Etenim Deus noster ignis consumens est. *Regemque sæculorum exaltate in operibus vestris,* hoc est, sublimiter et incomparabiliter eum honorate non solum per verba, sed multo amplius per opera virtuosa; quo-
Malach. I, 6. niam ipse testatur : Filius honorat patrem, et servus timet dominum suum. Si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? et si Dominus ego sum, ubi est timor meus? De
I Tim. I, 17. hoc Rege ait Apostolus : Regi autem sæculorum immortali, invisibili, soli Deo honor et gloria.

Ego autem in terra captivitatis meæ confitebor illi corde, ore et opere, *quoniam ostendit majestatem suam in gentem peccatricem,* juste puniendo eamdem, præsertim incredulos, qui filios Israel crudeliter tractaverunt et perversa intentione, quamvis iniquos sunt persecuti, ut patet præsertim in libris Regum ac Judicum. Frequenter quoque ostendit Deus majestatem suam in peccatoribus per magnificos misericordiæ suæ effectus, impios convertendo. Hinc subditur : *Convertimini itaque, peccatores,* per veram contritionem, *et facite justitiam coram Deo* per opera satisfactoria pro peccatis, ac divina observando præcepta, *credentes quod faciat vobiscum misericordiam suam,* quam nulli denegat pœnitenti. Omnia autem oportet
Rom. I, 17. ex fide peragere, quia justus ex fide vivit. Denique tempore legis naturæ et etiam legis scriptæ, suffecit gentilibus servare præcepta legis naturalis, cum fide formata Christi venturi : imo semper oportuit credere breve illud symbolum fidei quod ad Hebræos ponit Apostolus : Credere, inquiens, oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit. Hebr. XI, 6.

Ego autem secundum exteriorem hominem et vires sensitivas, *et anima mea* secundum vires suas supremas, id est etiam ego secundum interiorem hominem, *in Deo lætabimur :* juxta illud, Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum. Ps. LXXXIII, 3. Non quod caro aut appetitus sensitivus immediate versentur circa divinum simplicissimumque objectum, ad quod inorganicæ et intellectuales potentiæ solum queunt attingere; sed quia delectatio partis sensitivæ seu carnis, modificatur ac regitur ratione et caritate, secundum exigentiam legis divinæ; et item, quia lætitia spiritualis ac intellectualis magna redundat in partem sensitivam et corpus. *Benedicite Dominum, omnes electi ejus :* qui licet ad tempus errent pro parte, finaliter tamen non possunt perire; *agite dies lætitiæ :* juxta illud Apostoli, Gaudete in Domino semper; *et confitemini illi.* Philipp. IV, 4.

Jerusalem, civitas Dei, castigavit te Dominus in operibus manuum tuarum, id est, propter peccata tua te juste punivit : intelligendo per civitatem, habitatores ipsius, qui frequenter fuerunt pro suis correpti sceleribus; vocaturque civitas Dei, quia electa a Deo, ut templum Dei esset in ea, et cultus ipsius ac studium legis in ipsa vigerent. *Confitere Domino in bonis,* id est in beneficiis ejus tibi collatis, atque in actibus virtuosis, ut benedicas ei ore et opere. Quocontra Dominus loquitur de iniquis : Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. Is. XXIX, 13; Matth. XV, 8; Marc. VII, 6. *Et benedic Deum sæculorum,* id est omnium generationum, periodorum ac temporum, *ut reædificet in te tabernaculum suum,* id est templum. Ex hoc et ex verbis sequentibus, quidam dixerunt Tobiam ista dixisse

Digitized by Google

post destructionem Jerusalem a Chaldæis, A ita quod Tobias secundum eos loquitur ista historice. Sed ex Scripturis probatur obisse diu ante destructionem Jerusalem, combustionemque templi, ut infra tangetur. Ideo alii dicunt eum hic et sequenti capitulo loqui prophetice, et propter certitudinem prophetiæ loqui de futuro per modum præteriti. *Et revocet ad te omnes captivos* tuos, id est quosdam ex omnibus. Dedit autem Cyrus rex Persarum cunctis Judæis captis in suo domi-
I Esdr. I, 3. nio, licentiam redeundi ad propria, ut legitur in Esdra. *Et gaudeas in omnia sæcula sæculorum,* in beatitudine illa cœlesti.

Luce splendida fulgebis : quia post reditum a Babylonica captivitate, aliquando
Ibid. II, III; Agg. I; Zach. IV. viguit cultus Dei in Jerusalem et in templo, multique justi ac sapientes, et spiritu prophetiæ fulgentes, fuerunt ibidem, ut Zacharias, Aggæus, Malachias, Esdras, Zorobabel, etc. Deinde in templo illo oblatus
Luc. II, 27-32. est Christus, lux mundi, de quo Simeon sanctus dixit : Viderunt oculi mei salutare tuum, lumen ad revelationem gentium. Deinceps Christus sæpe prædicavit, et multa miracula fecit in templo; atque post ejus resurrectionem et Spiritus Sancti missionem, gloriosi Apostoli prædicaverunt ibidem, et primitiva Ecclesia erat quotidie
Act. III, 11; V, 12. in porticu templi, sicut in Actibus refert Lucas. Propter quæ omnia Aggæus tem-
Agg. II, 10. plum secundum prætulit primo : Magna, inquiens, erit gloria domus hujus novissimæ magis quam primæ.

Et omnes fines terræ adorabunt te, id est Deum tuum in te; vel adoratione duliæ honorabunt Sanctos, qui in te Domino ministrabant : quod aliqualiter dicitur esse impletum post reditum de Babylone, quoniam multi Judæi per mundum dispersi, et quidam gentiles venerunt frequenter in Jerusalem adorare Dominum, præsertim in solennitatibus aliquibus le-
Act. II, 5. gis. Unde legitur in Actibus : Erant autem in Jerusalem habitantes viri religiosi ex omni natione quæ sub cœlo est. Plenius autem adimpletum est tempore gratiæ, coruscante Evangelio Salvatoris, quando Christiani cum summa devotione visitaverunt assidue urbem sanctam et sacra loca, quæ et tandem per multos annos pacifice possederunt; tuncque implebatur quod subditur : *Nationes ex longinquo ad te venient; et munera deferentes :* quia temporalia ac spiritualia dona Domino offerebant; *adorabunt in te Dominum, et terram tuam in sanctificationem habebunt,* id est, Terram sanctam vocabunt, et præcipue ho-
B norabunt, sicut adhuc vocatur, honoratur, et undique visitatur, præsertim propter Christi mysteria ibi completa. *Nomen enim magnum,* id est Deum altissimum, *invocabunt in te :* de quo in Psalmo : Notus in Ps. LXXV, 2.
Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus.

Maledicti erunt qui contempserint te, eo quod sancta sis, et locus mysteriorum ministrorumque Dei; *et condemnati erunt qui blasphemaverint te,* negando te esse locum sacrum : ut tactum est. *Benedictique erunt qui ædificaverint te* spirituali-
C ter aut materialiter. Nam et hi qui in Esdra leguntur reædificasse Jerusalem, be- II Esdr. XI, 2.
nedicuntur ibidem. *Tu autem lætaberis in filiis,* id est in habitatoribus atque fidelibus *tuis,* quasi mater eorum : sicut Ecclesia gaudet in filiis suis. Ipsaque urbs seu ædificium gaudet metaphorice et materialiter, id est, alios facit vel ostendit gaudere, et sua prosperitate per modum lætantis se habet. *Quoniam omnes benedicentur,* id est quidam ex omnibus, seu omnes electi filii tui, qui fide et opere sunt fideles ; *et*
D *congregabuntur* fide, spe et caritate, *ad Dominum. Beati omnes* jam in spe et merito, *qui diligunt te* caritate infusa, id est filios tuos, seu habitatores fideles, *et qui gaudent super pace tua,* id est, tuæ tranquillitati ac paci interiori, seu etiam exteriori congratulantur ex caritate.

Præterea, sicut ea quæ in isto sequuntur capitulo, spiritualiter et mystice exponuntur de cœlesti et superna Jerusalem, seu triumphante Ecclesia; sic prædicta mystice possunt exponi de Ecclesia militante, quæ

Digitized by Google

frequenter per Jerusalem designatur. Ad A quam venerunt et conversæ sunt nationes (Act. II, 5, 41.) ex toto orbe, et Deum adoraverunt in ea : cujus captivi sunt, qui a diabolo capti tenentur; sed dum pœnitent, ad Ecclesiam reducuntur.

Anima mea, benedic Dominum, quoniam liberavit Jerusalem civitatem suam a cunctis tribulationibus ejus Dominus Deus noster. Istud videtur quibusdam non posse intelligi de Ecclesia militante, quæ usque ad finem mundi tribulationibus exercebitur, et multo minus de Jerusalem illa terrena, quæ nunc usque ab infidelibus detinetur. Idcirco exponunt hæc de triumphante Ecclesia, quæ nulli subest adversitati. Unde subjungit : *Beatus ero* non solum in me, sed et in sobole mea, et valde beatus, *si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndam claritatem Jerusalem,* id est, si posteritas mea, vel saltem reliquiæ ejus perductæ mecum fuerint ad contemplandum lucem increatam, quæ totam triumphantem illustrat Ecclesiam, et claritatem (Ps. XXXV, 10.) civium supernorum. De qua in Psalmo : In lumine tuo videbimus lumen. Et in Apo- (Apoc. XXI, 23.) calypsi : Civitas non eget sole neque luna; nam claritas Dei illuminabit eam. Juxta hunc modum loquendi, in Psalmo, a militante Ecclesia dirigitur sermo ad Ecclesiam triumphantem, sub eodem contextu, (Ps. LXXXVI, 3.) dum dicitur, Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei. Et paulo post subditur, (Ibid. 7.) Sicut lætantium omnium, habitatio in te : quod de triumphante exponitur.

Portæ Jerusalem ex sapphiro et smaragdo ædificabuntur ; et ex lapide pretioso omnis circuitus murorum ejus. De quacumque Ecclesia hoc sumitur, certum est quod per gemmas hujusmodi designentur merita seu præmia electorum, ornamenta virtutum, et diversa charismata gratiæ et salutis, vel ipsæ electæ virtuosæ seu gloriosæ personæ, ex quibus militans ac triumphans constat Ecclesia. Et possunt per portas intelligi merita, per quæ meremur intrare in patriam, seu sancti prælati, præsertim Apostoli; per muros vero, custodes et munimenta ac securitates spirituales Jerusalem. Juxta quem sensum subjungitur : *Ex lapide candido et mundo,* hoc est pretiosissimis pulcherrimisque lapidibus spiritualibus, *omnes plateæ ejus sternentur,* intelligendo per plateas, mansiones cœlestis Jerusalem, et choros ac ordines Beatorum. Unde ait Salvator : In domo (Joann. XIV, 2.) Patris mei mansiones multæ sunt. Sic et in prima Petri Canonica habetur : Ipsi (I Petr. II, 5.) tanquam lapides vivi superædificamini in domos spirituales. Atque in Apocalypsi : B Erat structura muri ejus, videlicet civitatis (Apoc. XXI, 18.) Jerusalem, ex lapide jaspide; ipsa vero civitas ex auro mundo simili vitro mundo. *Et per vicos ejus alleluia cantabitur,* hoc est, incessabilis laudatio Dei, per mansiones hujus Jerusalem canetur ac resonabit, juxta illud Psalmi : Beati qui ha- (Ps. LXXXIII, 5.) bitant in domo tua, Domine ; in sæcula sæculorum laudabunt te.

Insuper potest hic locus etiam de militante exponi Ecclesia : quæ quamvis in hac vita, quoad se totam, non liberetur a C cunctis tribulationibus suis, tamen quoad multa membra ipsius, liberatur ita quotidie, et ad cœleste perducitur regnum ; et multi fideles ad tempus in magna tranquillitate serviunt Deo, ita quod cum David psallere queunt : Exquisivi Dominum, (Ps. XXXIII, 5.) et exaudivit me, et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me. Nam et de militante ac primitiva præsertim Ecclesia exponitur illud Isaiæ : Erit opus justitiæ pax, et (Is. XXXII, 17, 18.) cultus justitiæ silentium, et securitas usque in sempiternum ; et sedebit populus D meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta. Amplius, etiam de militante Ecclesia exponitur illud Isaiæ : Paupercula, tempestate (Ibid. LIV, 11, 12.) convulsa, ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, et fundabo te in sapphiris, et ponam jaspidem propugnacula tua, et portas tuas in lapides sculptos, et omnes terminos tuos in lapides desiderabiles. Quæ omnia doctores catholici, Hieronymus, Haymo, Beda, et alii, de militante ac triumphante exponunt Ecclesia, sicut ibi-

Digitized by Google

dem exposui. In hac quoque Ecclesia pere- A grinante Dominus indesinenter laudatur.

Benedictus Dominus, qui exaltavit eam: quia utramque Ecclesiam mirabiliter sublimavit, maxime triumphantem; *ut sit regnum ejus,* hoc est regnatio seu regimen Dei, *in sæculum sæculi super eam. Amen.* Ecclesiam namque utramque indesinenter gubernat.

Jam quæritur, quo tempore Tobias obierit, et utrum prædicta de vastitate et incendio Jerusalem ac templi, reductioneque Judæorum ad terram suam, locutus B sit historice vel prophetice. Communiter autem dicunt doctores et expositores catholici, quod prophetice, et quod diu obierit ante destructionem Jerusalem a Chaldæis. Dictum est enim in expositione jam Tob. i, 2. supradicta, quod captus fuit nono anno Osee regis Israel, et sexto anno regni Ezechiæ regis Juda, qui regnavit annis viginti IV Reg. xviii, 2. novem, ut legitur quarto Regum : sicque post captivitatem Tobiæ regnavit ad minus viginti duobus annis. Post quem filius ejus Manasses regnavit annis quinqua- C Ibid. xxi, 1. ginta quinque, ut scribitur etiam quarto Regum. Post Manassen regnavit filius ejus Ibid. 19. Amon annis duobus : quo mortuo, Josias Ibid. xxii, 1. filius ejus regnavit annis triginta et uno. Ibid. xxiii, 36. Post ipsum filius ejus Joakim regnavit undecim annis; atque post Joakim Sedecias regnavit etiam undecim annis ante IV Reg. xxiv, 18. destructionem Jerusalem. Quæ omnia quarto Regum et secundo Paralipomenon libris scripta sunt: qui anni conjuncti, sunt centum triginta duo. Tobias vero (ut sequenti capitulo dicitur) vixit annis cen- Tob. xiv, 2. tum duobus : qui etiam quando captus fuit, erat tantæ ætatis, quod ex legitima conjuge habuit filium. Hinc et Magister in historiis probat, quod junior Tobias circa vicesimum annum Josiæ regis defunctus est, etiam dato quod fuerit anni unius quando cum patre suo captivus abductus est. Josephus quoque testatur : Omne tempus a captivitate Israelitarum usque ad duarum tribuum transmigrationem, fuit annorum centum triginta. Hinc ait Isidorus, quod Tobias prophetiæ spiritu plenus, de superna Jerusalem multa decantat.

Si autem his objiciatur, quod secundum hæc liber Tobiæ esset inter libros Prophetarum, et inter volumina Scripturæ canonicæ computandus : dicendum, quod non sequitur : quia nec constat quod ipsemet librum istum conscripserit, imo ex sequenti capitulo magis apparet oppositum, nec aliquis authenticorum invenitur hoc dicere.

ARTICULUS XIV

EXPOSITIO CAPITULI QUARTIDECIMI : ET CONSUMMATI SUNT SERMONES TOBIÆ.

FELIX terminus vitæ Tobiæ senioris ac D filii ejus hic describitur. *Et consummati sunt sermones Tobiæ :* quos dixit post suam illuminationem, prout præcedenti narratur capitulo; tamen post verba præscripta locutus est aliqua, sicut in isto capitulo continetur. *Et postquam illuminatus est* visum recipiendo *Tobias, vixit annis quadraginta duobus, et vidit filios nepotum suorum,* id est filios filiorum Tobiæ filii sui, vivendo usque ad tertiam generationem. *Completis itaque annis centum duobus, sepultus est honorifice in Ninive* a filio suo et posteris ejus. Erat quippe valde famosus etiam apud illos gentiles, quibus gesta ejus et virtutes innotuerunt, et quoniam tam grandævæ fuit ætatis. *Quinquaginta namque et sex an-*

Digitized by Google

norum exsistens, *oculorum lumen,* id est usum luminis oculorum, non ipsum lumen pupillæ, *amisit,* ut patuit, et dictum est sæpe. *Sexagenarius vero recepit* usum luminis oculorum suorum. Unde elicitur, quod quatuor circiter annis exstitit cæcus. *Reliquum vero vitæ suæ in gaudio fuit* spirituali, atque in prosperitate et alacritate præcipua, sicut et vita Job post suam curationem. (Job XLII, 10-16.) Præterea miror, cur Magister in historiis dicat Tobiam vixisse quinquaginta duobus annis post suam illuminationem, et vixisse in toto annis centum duodecim, quum textus manifeste aliter dicat. *Et cum bono profectu timoris Dei perrexit in pace.*

In hora autem mortis suæ vocavit ad se Tobiam filium suum, et septem juvenes filios ejus, nepotes suos: quorum filii non tanguntur hic, quia adhuc quasi infantuli aut pueruli fuisse videntur. *Dixitque eis* spiritu prophetico, ut aliqui dicunt, vel quia ex verbis alicujus prophetiæ id novit : *Prope est interitus Ninive,* id est, destructio urbis istius, et interfectio civium ejus propinquat et imminet. *Non enim excidit verbum Domini,* id est, prophetia de subversione Ninive prædicta implebitur, et verbum Dei a veritate non evacuatur. (Jonæ III, IV.) Primo quippe per Jonam Deus prædixerat Ninive subversionem prophetia comminationis, quæ non fuit impleta, quia Ninivitæ pœnituerunt. Misericordia vero accepta, rursus gravioribus se implicuerunt criminibus. (Nahum II, III.) Ideo Deus per Nahum prophetam prædixit per prophetiam prædestinationis (quæ semper impletur) urbis illius vastationem. Nahum autem propheta fuit ante adventum regis Assyriorum, qui populum Israel cepit ac transtulit, ut dicunt Hebræi, et in prologo super Nahum inducitur. Porro prophetia prædestinationis vocatur, qua aliquid pronuntiatur, prout in divina præcognitione, atque in dispositione providentiæ ejus consistit, quæ falli non valet. Prophetia vero comminationis est, qua res prædicitur secundum quod est in causis creatis, et in meritis homi-

A num, quæ possunt mutari. De qua prophetia Dominus ait apud Jeremiam : Repente loquar adversus gentem et regnum, ut eradicem et destruam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa, agam et ego pœnitentiam super malo quod cogitavi ut facerem ei. (Jer. XVIII, 7, 8.) Porro Ninive destructa fuit per Chaldæos, sed postea fuit reædificata.

Et fratres vestri *, scilicet Israelitæ, *qui dispersi sunt* per captivitatem *a terra Israel, revertentur ad eam,* ex licentia Cyri regis Persarum. *Omnis autem,* id est tota,
B *deserta terra ejus,* scilicet Israel, præsertim regni Juda, *replebitur,* id est, competenter populabitur ex posteris redeuntium illuc; *et domus Dei quæ in ea incensa est,* scilicet templum, *iterum reædificabitur,* sub Zorobabel. Unde constat, quod loquatur de terra regni Juda, in qua situm fuerat templum : et sicut ex præcedentis expositione capituli patet, ista loquebatur prophetice de futuro per modum præteriti, quia templum tempore quo ista dixit Tobias, adhuc stetit, et postea diu. *Ibique*
C *revertentur omnes timentes Deum.* Pro majori enim parte timorati Judæi ex Cyri licentia redierunt, non tamen omnes, quia nec Daniel. Idcirco quod ait, Omnes, intelligendum est de generibus singulorum, non de singulis generum. *Et relinquent gentes idola sua :* quod per Apostolorum prædicationem fuit copiose impletum ; *et venient in Jerusalem, et habitabunt in ea,* videlicet quidam de gentibus. Melius tamen de Ecclesia militante accipitur, sicut et illud quod subditur, *et gaudebunt in ea*
D *omnes reges terræ,* quod ad litteram de urbe Jerusalem non potest intelligi ; *adorantes regem Israel,* id est Jesum Christum verum Messiam, Deum et hominem in unitate personæ. Quamvis autem quidam gentiles, idololatria sua relicta, venerunt cum filiis Israel redeuntibus a Chaldæa ad terram suam ; illi tamen fuerunt tam pauci, quod propter eos non videtur dictum, Relinquent gentes idola sua.

Audite ergo, filii mei, patrem vestrum. Servite Domino in timore filiali, *et veritate*

* nostri

Digitized by Google

vitæ, doctrinæ atque justitiæ, *et inquirite ut faciatis quæ placita sunt ei. Et filiis vestris mandate,* id est præcipite, *ut faciant justitias,* id est opera justa, implendo divina præcepta, *et eleemosynas* ex caritate et pietate, cum humilitate, *ut sint memores Dei, et benedicant eum in omni tempore in veritate et in tota virtute sua,* videlicet non cum torpore, sed pleno fervore, et cum posse extremo. *Nunc ergo, filii, audite me, et nolite manere hic; sed quacumque die sepelieritis matrem vestram,* scilicet immediatam matrem filii mei Tobiæ, et aviam vestram, *circa me in uno sepulcro, ex eo dirigite gressus vestros ut exeatis hinc* celerius, quo convenienter poteritis. *Video enim, quia iniquitas ejus,* id est vitiorum ejus congeries, *finem dabit ei,* id est, requiret ut destruatur.

Factum est autem post obitum matris suæ, Tobias abscessit ex Ninive cum uxore sua et filiis et filiorum filiis, et reversus est ad soceros suos, id est ad parentes conjugis suæ. *Invenitque eos incolumes in senectute bona, et curam eorum gessit; et clausit oculos eorum,* mox ut exspiraverunt, juxta morem temporis, populique illius; *et omnem hereditatem domus Raguelis ipse percepit, viditque quintam generationem filiorum suorum. Et completis annis nonaginta novem in timore Domini* casto et sancto, *cum gaudio sepelierunt eum:* non quod de morte ejus lætati sint, sed quia virtuose cursum suum finivit, sicque gaudio eorum fuit quidam mœror de separatione tam cari patris admixtus.

Omnis autem cognatio ejus, et omnis generatio ejus, in bona vita et in sancta conversatione permansit ad tempus notabile, *ita ut accepti essent tam Deo quam hominibus* bonis : quemadmodum primo Regum habetur de Samuele, quod tam Deo quam hominibus placuit (I *Reg.* II, 26); et de multis Sanctis evangelicæ legis, ut de beatissimis viris Clemente, Sylvestro, Sebastiano, Bernardo et aliis multis, in quibus abundabant non solum virtutes theologicæ et divinæ, ac dona, sed et virtutes illæ morales, per quas fit homo hominibus gratiosus, amabilis et acceptus, ut sunt mansuetudo, humilitas, pietas, etc. *Et cunctis habitantibus in terra,* ad quos eorum devenit cognatio. Sic Creator omnipotens magnificat suos electos, et meritis patrum sanctorum, multa bona largitur eorum posteritati. Ad laudem et gloriam sui ipsius, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

FINIS COMMENTARIORUM LIBRI TOBIÆ

Digitized by Google

ENARRATIO

IN LIBRUM JUDITH

Digitized by Google

Digitized by Google

PROŒMIUM

HÆC *vocabitur virago.* Gen. II, 23.

Quamvis hoc nomen, Virago, primæ mulieri ac matri omnium nostrum, tanquam proprium fuit impositum ab homine protoplasto, quia de viro sumpta fuit et formata; unicuique tamen mulieri viriliter agenti jam potest competere, et tanto eminentius venerabili atque magnanimi viduæ Judith, quanto inter feminas virilius egit : quæ tam fortissime agnoscitur operata, quod etiam superbæ et feroces gentes barbaricæ, Persæ, Medi, Assyrii, horruerunt constantiam ejus. Multa narrantur de viris præclaris, qui amore boni communis se magnis exposuerunt periculis, et pro liberatione populi sui se dederunt mortis discrimini : quibus hæc fidelissima femina, omni virtute ornata, fide, spe, caritate, et boni communis affectu tota succensa, non immerito comparatur. Hæc typus est Virginis gloriosæ, hæc figura militantis Ecclesiæ : quæ sub lege Mosaica evangelicam duxit vitam, imo in vita activa et contemplativa perfecta fuisse ostenditur; quæ sua conversatione honestissima, facta est exemplar et regula vitæ et castimoniæ vidualis; quæ sacerdotibus et principibus plebis suæ fuit prudentior atque constantior; cujus præconia infra in expositione libri sui plenius innotescunt. *Judith* VIII, 9 *et seq.*

Qualiter autem intelligendum sit, quod beatus Hieronymus in prologo libri hujus asserit, librum hunc ab Hebræis inter Hagiographa computari, et a Nicæna synodo in sanctarum numero Scripturarum collocari, supra in procemio super Tobiam expositum est.

Digitized by Google

Digitized by Google

ENARRATIO
IN LIBRUM JUDITH

ARTICULUS PRIMUS

EXPOSITIO CAPITULI PRIMI : ARPHAXAD ITAQUE REX MEDORUM SUBJUGAVERAT GENTES MULTAS.

Beneficium magnificæ liberationis concessæ filiis Israel per venerabilem viduam Judith, in hoc libro describitur : ideo præmittuntur præambula quædam ad declarandum, qualiter facta sit liberatio illa. *Arphaxad itaque rex Medorum subjugaverat gentes multas imperio suo :* quia non suffecit suæ ambitioni atque tyrannidi regnare in Media, sed ad monarchiam quamdam adspirans, multas provincias per armorum violentiam subdidit sibi ; nec erat heres regni Medorum, sed natus ex populo regni illius. Cyrus quippe rex Persarum, victo Astyage avo suo rege Persarum, ipsum Astyagem tractavit humane, dans ei regnum Hyrcanorum, id est Parthorum, et Dario fratri matris suæ filiæ Astyagis, dedit regnum Medorum sub spe redeundi ad illud, seu rehabendi id ipsum : quod et factum est. Mortuo autem Cyro, Arphaxad Medus partem regni illius sibi attraxit, ut tandem toti Mediæ præsideret. Atque in urbe Ecbatanis nomine surgens, urbem illam vehementer auxit, reparavit, munivit, et quasi inexpugnabiliter confortavit muris, portis et turribus, præsertim ad resistendum filio Cyri regis : prout hæc in Scholastica historia plenius recitantur. Hinc subditur : *et ipse ædificavit civitatem potentissimam, quam appellavit Ecbatanis :*

A quam dicitur ædificasse, quia præfato modo eam reparavit, auxit et melioravit. Juxta quem sensum Nabuchodonosor fertur dixisse : Nonne hæc est Babylon magna, Dan. iv, 27.
quam ego ædificavi in domum regni? quum tamen Babylon diu ante fuerit ædificata, quum scriptum sit in Genesi : Fuit autem Gen. x, 10.
principium regni ejus, scilicet ipsius Nemrod, Babylon et Arach.

Arphaxad itaque urbem illam construxit *ex lapidibus quadratis,* ut muri, turres, portæ, et domus exsisterent fortiores, B *et sectis,* ut essent pulchriores. *Fecit muros ejus in altitudine cubitorum septuaginta, et in latitudine cubitorum triginta ; turres vero ejus posuit in altitudine cubitorum centum.* Quod totum ministerio gravissimo gentium quas subjugaverat, fecit, sicut et Nabuchodonosor Babylonem, cum qua urbs ista Ecbatanis similitudinem habuit magnam ; sed ad ipsius æqualitatem et excellentiam non pervenit, quum muri Babylonis legantur fuisse altitudinis centum cubitorum, et quinquaginta in latitu- C dine, turres vero ducentorum cubitorum. *Per quadrum vero earum, latus utrumque vicenorum pedum spatio tendebatur,* id est, utrumque latus turrium per quadrum cubitorum protendebatur spatio pedum viginti ultra latitudinem murorum. Nam tur-

Digitized by Google

res erant figuræ quadrangularis ad æquales angulos, et muri turrium extendebant se per spatium viginti pedum, tam extra urbem quam infra, ultra latitudinem murorum. *Posuitque portas ejus in altitudine turrium :* ita quod erant centum cubitorum, quemadmodum turres, ut littera videtur sonare, quamvis aliqui aliter dicant.

Et gloriabatur inaniter, *quasi potens,* id est tam superbe et præsumptuose, ac si a se ipso habuisset potentiam, sicut in
Ezech. xxix, 3. Ezechiele Dominus loquitur Pharaoni : Audi, Pharao, draco magne, qui dicis, Meus est fluvius, et ego feci me ipsum. Vel, Quasi potens, quia utique potens fuit, sed non tam singulariter ut putavit. *In potentia exercitus sui* copiosi, *et in gloria quadrigarum suarum,* id est in multitudine, fortitudine, ac eminentia suorum curruum bellicorum : quia frequenter consueverunt
Josue xvii, 16; *Judic.* i, 19; iv, 3; etc. olim pugnare stando in curribus, prout ex libris Josue et Judicum innotescit.

Anno igitur duodecimo regni sui, non præfati Arphaxad, sed duodecimo anno regni Cambysis filii Cyri, de quo subditur, *Nabuchodonosor rex Assyriorum :* qui alio
I *Esdr.* iv, 6, 7. nomine dictus est Cambyses, atque in Esdra nominatur Artaxerxes vel Assuerus ; *qui regnabat in Ninive civitate magna,* quam ante jam Chaldæi destruxerunt, sed postea exstitit reparata. Porro Cyrus rex adhuc vivens, filio suo Cambysi tradidit regnum Assyriorum, cujus regni metropolis Ninive erat. Regnavit autem Cambyses in monarchia solummodo octo annis. Idcirco, quod hic dicitur de duodecimo anno regni ejus, accipitur per inclusionem annorum quibus regnavit, Cyro monarcha patre suo adhuc vivente. *Pugnavit contra Arphaxad, et obtinuit,* id est vicit, *cum in campo magno qui appellatur Ragau,* in quo tam magni exercitus poterant collocari, *circa Euphraten et Tigrim,* id est inter duo flumina illa, *et Jadason, in campo Erioch regis Elicorum.*

Tunc exaltatum est regnum Nabuchodonosor hujus, tanto adversario suo dejecto, *et cor ejus elevatum est* in superbiam plus quam ante, non Deo, sed robori suo triumphum illum adscribens, quum tamen omnipotens mundi Rector per ipsum tanquam per suum flagellum castigasset et occidisset violentum illum, tyrannicumque Arphaxad : secundum quod in Isaia rex Assyriorum Sennacherib, vocatur virga *Is.* x, 5. furoris Dei et baculus ejus. *Et misit ad omnes qui habitabant in Cilicia et Damasco,* metropoli regni Syriæ, juxta illud Isaiæ, Caput Syriæ Damascus, *et Libano,* *Ibid.* vii, 8. *et ad gentes quæ sunt in Carmelo et Cedar, et inhabitantes Galilæam, in campo magno Esdrelon, et ad omnes qui erant in Samaria, et trans flumen Jordanem usque ad Jerusalem, et omnem terram Jesse.*

Circa hoc oritur quæstio duplex. Prima, quoniam Cyrus pater istius fuit monarcha : unde ait, Omnia regna terræ dedit I *Esdr.* i, 2. mihi Deus cœli ; monarchia autem nondum ablata fuit Medis et Persis ; ergo Cambyses imperavit jam et præfuit omnibus regnis his. Secunda est, quoniam Samaritani leguntur in libro primo Esdræ favisse huic regi, ad quorum petitionem prohi- *Ibid.* iv, 6-22; i, 2, 3. buit templi reparationem, quod pater ejus licentiavit reædificari. Iste est namque Artaxerxes, cui scripserunt Samaritani, memores salis quod in palatio comederant *Ibid.* iv, 14. regis. Ad primum horum aliqui dicunt, quod Cambyses seu Nabuchodonosor iste petiit a præfatis regnis et populis tributa multo graviora quam pater ipsius. Ideo contradixerunt ei, et nuntios ejus remiserunt vacuos a tributis et sine honore, sicut habetur in textu. Alii dicunt, quod Cyrus habuit monarchiam in partibus orientalibus, non in occidentalibus, inter quas dicunt istas in textu expressas fuisse, respectu partium in quibus Cyrus habuit monarchiam. Ad aliud Lyra respondet, quod liber iste ab Hebræis omnino apocryphus reputatur, quia in hac re et aliis multis non videtur bene consonus quibusdam Scripturis canonicis. Potest etiam dici, quod quamvis Samaritani illi favebant regi huic contra Judæos, tamen quia jam

Digitized by Google

tam gravia exegit tributa, fuerunt aversi; vel quamvis aliqui superiores inter ipsos zelabantur pro rege, communes tamen Samaritæ noluerunt regi sic subjici; vel quod de contradictione inductum est, non refertur ad eos, de quibus objectio loquitur, qui quoniam aliorum respectu erant paucissimi, quasi non computantur.

Ad hos omnes misit nuntios Nabuchodonosor rex Assyriorum : qui omnes uno animo contradixerunt, et remiserunt eos vacuos, ac sine honore abjecerunt. Tunc indignatus Nabuchodonosor rex ad omnem terram illam, id est contra habitatores regnorum et provinciarum illarum, *juravit per regnum suum et thronum,* id est per propriam potestatem et jurisdictionem, tanquam per sacra et quædam dignissima, *quod defenderet se de omnibus regionibus his,* id est, injuriam sibi fa- A ctam ab illis vindicaret. Nempe ex vehementi superbia, abjectionem legatorum suorum reputavit quasi sui ipsius impugnationem; vel minus dicendo, plus designabat, per quemdam tropum loquendi, qui litotes nuncupatur.

Quidam per Nabuchodonosor istum spiritualiter intelligunt diabolum, qui quum plurimos sibi subjecerit, intumescit; sed prosecutio historiæ non videtur ad sensum hujusmodi concordare. Non enim per Arphaxad regem potest intelligi princeps B fidelis, sed ipse quoque diabolus; Satanas autem (ut ait Salvator) in se ipsum divisus non est: vel princeps incredulus, qui non resistit diabolo. Similiter gentes idololatræ, quæ in textu leguntur contradixisse Nabuchodonosor regi, non designant plebem fidelium : nec repugnant, sed subduntur, serviuntque diabolo. *Matth.* XII, 26.

ARTICULUS II

DECLARATIO CAPITULI SECUNDI : ANNO TERTIODECIMO REGNI NABUCHODONOSOR REGIS.

HIC narratur qualiter Nabuchodonosor iste per suum exercitum præfatas gentes sibi inobedientes vastavit, nec est difficultas in textu : idcirco nec immorandum, nisi forsan aliquid difficultatis occurrerit. *Anno tertiodecimo regni Nabuchodonosor regis,* qui alio nomine vocatus est Artaxerxes et Cambyses, *vicesima et secunda die mensis primi :* qui a Judæis vocatur Nisan, et est Martius seu Aprilis, quia interdum concurrit cum Martio, aliquando cum Aprili, prout super Genesim et Exodum plenius est expressum; *factum est verbum in domo Nabuchodonosor regis Assyriorum,* et etiam Medorum atque Persarum, *ut defenderet se :* id est, ipse rex jussit ex parte sui promulgare sententiam, quod vindicaturus se esset de inobedientibus sibi, quatenus domestici sui ac subditi in- C ciperent se parare. *Vocavitque omnes majores natu, et omnes duces et bellatores suos, et habuit cum eis mysterium,* id est secretum, *consilii sui ; dixitque cogitationem suam in eo esse, ut omnem terram suo subjugaret imperio,* id est omnes populos sibi nondum subjectos, præsertim occidentales. Orientales enim sibi jam magna ex parte obediebant.

Quod dictum quum placuisset omnibus consiliariis suis, applaudere sibi volentibus, et quia putabant hoc satis faciliter D posse impleri, seque ex hoc ampliores divitias ac honores consecuturos, *vocavit Holofernem principem militiæ suæ,* similem regi suo in omni crudelitate et ambitione, ut infra insinuatur, *et dixit ei : Egredere adversum omne regnum occidentis,* id est contra omnia regna occidentalis plagæ præ-

Digitized by Google

fatæ : quæ respectu terræ Assyriorum sunt in parte occidentali ; *et contra eos præcipue qui contempserunt imperium meum* in tantum, quod legatos meos Judith I, 11. confusibiliter abjecerunt : ut habetur in fine præcedentis capituli. *Non parcet oculus tuus ulli regno, omnemque urbem munitam subjugabis mihi.*

Tunc Holofernes vocavit duces et magistratus virtutis Assyriorum, id est Is. LVII, 20. potentium agminum regis. Impii enim quasi mare fervens, quod quiescere non potest, proni sunt ad inquietudines litium et tumultus. *Et dinumeravit viros in expeditione,* id est in exercitu, seu ad constituendum ex eis exercitum ad prosequendum regis intentum, *sicut præcepit ei rex, centum viginti millia peditum pugnatorum.* Ex quo patet, quod nec omnes, nec semper pugnabant antiquitus in quadrigis seu curribus, sed quidam pedestres, quidam equestres, sicut et modo : nam subditur, *et equites sagittarios duodecim millia,* qui in ipso congressu pugnabant sagittando, deinde et aliter. Itaque multo plures erant pedestres. Nam et Vegetius libro de Re militari testatur, quod robur exercitus in peditibus sit consistens. *Omnemque expeditionem suam,* id est exercitum peditum, *fecit præire in,* id est cum, *multitudine innumerabilium camelorum, cum his,* scilicet victualibus, *quæ exercitibus sufficerent copiose,* ut essent promptiores ad præliandum. Nempe, ut libro præallegato ait Vegetius, In castris et exercitibus amplius metuenda est fames, quam gladius. *Boum quoque armenta, gregesque ovium, quorum non erat numerus, frumentum ex omni Syria in transitu suo parari constituit. Aurum vero et argentum de domo regis assumpsit multum nimis. Et profectus est ipse, et omnis exercitus cum quadrigis et equitibus, et sagittariis, qui operuerunt faciem,* id est superficiem, *terræ, sicut locustæ,* quæ vastant et devorant terræ nascentia, sic et illi hominum bona.

Qumque pertransisset fines Assyriorum, venit ad magnos montes Ange, qui A *sunt a sinistro Ciliciæ, ascenditque omnia castella eorum,* id est adversariorum, et *obtinuit omnem munitionem,* id est, loca munita devicit. *Effregit autem civitatem opinatissimam,* id est famosissimam, vel, ut aliqui habent, opimatissimam, id est opulentissimam, nomine *Melothi,* quia (ut dicitur) fuit urbs negotiatorum, sicut et Tyrus ; *prædavitque omnes filios Tharsis,* id est, habitatores et cives territorii sic vocati, seu maritimos spoliavit, *et filios Ismael,* scilicet Agarenos, *qui erant con-* B *tra faciem deserti,* id est, in locis eremi, seu ex ejus opposito morabantur, *et ad austrum terræ Cellon. Et transivit Euphraten,* fluvium paradisi, quem per latum Gen. II, 14 transfretavit cum suis, *et venit in Mesopotamiam ; et fregit,* id est, destruxit seu debilitavit, *omnes civitates excelsas, quæ erant ibi, a torrente Mambre usquequo perveniatur ad mare* Mediterraneum ; *et occupavit terminos ejus a Cilicia usque ad fines Japhet, qui sunt ad austrum. Abduxitque omnes filios Madian,* id est, Madia- C nitas amovit a terra ipsorum et captivavit, aut suo exercitui partim adjunxit ad serviendum, vel adjuvandum : prout infra habetur, quod assumpsit sibi auxiliarios Judith III, 8. ex gentibus quas devicit ; *et prædavit omnem locupletationem,* id est possessiones et abundantias divitiarum *eorum, omnesque resistentes sibi,* qui nec jure, seu potius violentia belli acquieverunt subjici ei, *occidit in ore gladii. Et post hæc descendit in campos Damasci in diebus messis,* videlicet bladis maturis, quando majora D potuit ibi damna inferre. Unde subjungitur, *et succendit omnia sata,* id est blada, *omnesque arbores et vineas fecit incidi,* id est destrui et excidi.

Ecce quanta scelera ex ambitione nascuntur, et qualiter justus ac sapiens Deus punit unum iniquum per alium. *Et cecidit timor illius,* id est timor conceptus ex consideratione victoriarum et crudelitatum Holofernis, *super omnes inhabitantes terram* occidentalem, qui ista perceperunt, et sibi similia fieri metuebant.

Digitized by Google

ARTICULUS III

EXPLANATIO CAPITULI TERTII : TUNC MISERUNT LEGATOS SUOS.

NARRATUR jam qualiter plurimæ gentes necessitate et timore compulsæ, subjecerunt se Nabuchodonosor huic. *Tunc miserunt legatos suos, universarum urbium et provinciarum,* infra nominatarum, *reges ac principes, Syriæ scilicet et Mesopotamiæ et Syriæ Sobal,* de quibus primo
I Par. xix, 6. Paralipomenon libro habetur ; et erant multum bellicosi, tamen terrore dejecti gratiam petierunt et pacem ; *et Libyæ atque Ciliciæ; qui venientes ad Holofernem, dixerunt : Desinat indignatio tua circa nos. Melius est enim,* id est minus horrendum, *ut viventes serviamus Nabuchodonosor regi magno, et subditi simus tibi, quam morientes, cum interitu nostro ipsi servitutis nostræ damna patiamur,* id est, non solum efficiamur captivi, sed una cum captivitate protinus occidamur. Mors namque omnium terribilium terribilissimum est, secundum Philosophum. Captivitas vero quæ est mors civilis, non est mors, nisi secundum quid. *Omnis civitas nostra, omnisque possessio, omnes montes et colles, et campi, et armenta boum, gregesque ovium et caprarum, equorumque et camelorum, et universæ facultates nostræ atque familiæ, in conspectu tuo sunt omnia nostra sub lege,* id est jussione dispositioneque *tua. Nos etiam et filii nostri servi tui sumus; veni nobis pacificus dominus, et utere servitio nostro sicut placuerit tibi.*

Tunc descendit de montibus, et obtinuit civitatem munitam* regnorum jam prædictorum, *et omnem* populum *inhabitantem terram* provinciarum istarum seu quosdam de omnibus. Vel per modum hyperbolicæ locutionis est accipiendum, ad innuendum quod valde multos subdidit

* omnem civitatem

A sibi, sicut in Daniele Nabuchodonosor rex Chaldæorum legitur cunctis regnis ac provinciis terræ imperasse. Dan. iv, 19. Et in Esdræ libro asserit Cyrus : Omnia regna terræ dedit mihi Deus. I Esdr. i, 2. Juxta quem tropum Scribæ et Pharisæi leguntur dixisse de Christo : Ecce totus mundus abiit post eum. Joann. xii, 19. *De universis autem urbibus,* quæ sic sine resistentia subdiderunt se ei, *assumpsit auxiliarios viros fortes,* quia plus credidit illis.

Tantusque metus provinciis illis incubuit, ut universarum urbium habitatores
B *principes, et honorati simul cum populis, exirent obviam venienti, excipientes eum cum coronis et lampadibus, ducentes choros in tympanis et tibiis. Nec tamen ista facientes, ferocitatem pectoris ejus mitigare* in toto *potuerunt,* quamvis eum tam honorifice acceperunt, exeundo obviam venienti : exeundo, inquam, cum coronis, id est sertis, in signum triumphorum ipsius, et lampadibus seu luminaribus, quasi ad honorem præclaræ et splendidæ potestatis ac sapientiæ suæ. *Nam et civitates eorum*
C quasdam *destruxit,* vel partim muros evertendo, vel totaliter eas incendendo; *et lucos eorum succidit,* id est loca amœna arboribus consita, in quibus suas idololatrias atque luxurias exercebant : quod non fecit zelo veri Dei, sed ob causam quæ subditur.

Præceperat enim illi Nabuchodonosor rex, ut omnes deos terræ exterminaret, id est templa seu fana et cultum illorum, *videlicet ut ipse solus deus diceretur ab his nationibus, quæ potuissent Holofernis po-*
D *tentia subjugari.* Sicque prosperitas stulti illius perdidit eum, Prov. i, 32. inducendo eum ad tam insanissimam sceleratissimamque superbiam, quod jussit sibi divinum exhi-

Digitized by Google

beri honorem, non obstante quod mortalem se sciret. Talis fuit et Caius Cæsar, et
Act. xii, 23. Herodes percussus ab angelo. Ideo infinita sapientia Dei decentissime ipsum dejecit per feminam, et regno eum privavit in se ipso ac posteris, ita quod filium regni successorem non habuit. Circa quod scribit quidam, quod secundum Latinos ei successit Darius filius Hystaspis; sed in Scholastica historia verius recitatur, quod ante Darium illum duo ei successerunt, quamvis modico regnaverint tempore, scilicet Ireneides, et post eum frater ejusdem.

Pertransiens autem Syriam Sobal sibi nunc subjugatam, *et omnem Apameam, omnemque Mesopotamiam, venit ad Idumæos in terram Gabaa.* Gabaa non est hic nomen
I Reg. x, 26. civitatis terræ promissionis, de qua Saul fuit, sed loci in regno Edom. *Et Septopoli; accepitque civitates eorum,* vel bello, aut ex voluntaria seu potius coacta præbitione ipsorum. Quæ enim ex timore [A] fiunt, partim sunt voluntaria, partim involuntaria, secundum Philosophum, sicut projectio mercium in mare. *Et sedit ibi,* id est, in territorio illo moratus est, *per triginta dies,* consumens et devorans bona terræ illius. Sic et Balac rex ait : Egressus Num. xxii, 5.
est populus ex Ægypto sedens contra me. Talis etenim demoratio quandoque designatur nomine sessionis, aliquando nomine stationis; interdum verbo jacendi aut faciendi, ut in Jacobo : Faciemus ibi an- Jacob. iv, 13.
num. *In quibus diebus adunari præcepit* [B] *universum exercitum virtutis,* id est potestatis *suæ,* volens cum potestate et gloria proficisci ad ulteriora. Multi autem de exercitu ejus discurrebant hinc inde ad prædandum et male agendum.

Nabuchodonosor iste et Holofernes recte dicuntur tenuisse Antichristi figuram, qui omnia devastabit; et qui subjecerunt se Holoferni, significant eos qui ex timore subdent se Antichristo.

ARTICULUS IV

ELUCIDATIO CAPITULI QUARTI : TUNC AUDIENTES HÆC FILII ISRAEL.

MODO describitur qualiter populus Judæorum se dedit ad resistendum impiissimo Holoferni. *Tunc audientes hæc,* quæ dicta sunt in præcedenti capitulo, *filii Israel, qui habitabant in terra Juda,* id est in terra duarum tribuum, post reditum a Babylonica captivitate, post quem reditum contigerunt hæc omnia, *timuerunt valde a facie ejus. Tremor etiam et horror invasit sensus eorum, ne hoc faceret Jerusalem et templo Domini, quod fecerat ceteris civitatibus et templis earum. Et miserunt in omnem Samariam, et usque Jericho præoccupaverunt omnes vertices montium,* impediendo iter per eos. *Et muris circumdederunt vicos suos, et congregaverunt frumenta in præparationem* [C] *pugnæ :* id est, de victualibus fecerunt sibi provisionem ad resistendum Assyriis, potius per orationes, jejunia, lacrimas, quam per bellica arma; vel etiam per bellum, si Deus eis de adjutorio provideret, credentes victoriam belli non in multitudine bellatorum, sed in auxilio Dei consistere. Nihilo minus fecerunt quod in eis erat, præoccupando itinera montium et loca angusta, ne pateret Assyriis iter ad Judæam. Unde subjungitur : *Sacerdos*
etiam Eliachim, qui infra vocatur magnus vers. 11.
[D] sacerdos et pontifex, *scripsit ad universos qui erant contra Esdrelon, quæ est contra faciem campi magni juxta Dothain, et universis,* scilicet Israelitis, *per quos viæ transitus esse poterat,* id est, per quos

Digitized by Google

Assyrii possent venire versus Jerusalem, *ut obtinerent ascensus montium, per quos via esse poterat ad Jerusalem, et illic custodirent ubi angustum iter esse poterat inter montes. Et fecerunt* sic *filii Israel, secundum quod constituerat eis sacerdos Domini Eliachim.*

Circa hæc oriuntur difficultates. Nam sicut prætactum est, Nabuchodonosor iste seu Cambyses prohibuit prosecutionem ædificationis templi, ita quod sub eo muri templi non fuerunt erecti, nisi tam alte quod adstantes poterant super eos apodiare, nec fuit ultra prosecutio facta usque
Agg. I, 1, 14; I Esdr. IV, 24. ad annum secundum Darii regis, ut patet in Aggæo. Nec Jerusalem fuit reædificata, nisi post adventum Nehemiæ : quod fuit post mortem Nabuchodonosor hujus. Quæritur quoque, quis fuerit iste Eliachim pontifex, quoniam Jesus filius Josedec fuit pontifex Judæorum toto tempore regni Cambysis hujus, et usque ad regnum Darii, sub quo templum fuit constructum et
Zach. VI, 12, 13. consummatum, prout in Zacharia legitur. Insuper habetur in libro Esdræ, quod ex
I Esdr. IV, 23, 24. imperio Cambysis seu Artaxerxis regis, cessaverunt Judæi ædificare : quomodo ergo ausi fuissent ejus exercitui repugnare? Postremo, tempore illo Samaritani erant
Ibid. 4-16. gentiles, et fautores regis præfati ac hostes Judæorum, ut patet in Esdra : quomodo ergo misit Eliachim in omnem Samariam ?

Propter hæc et alia, quidam Hebræi hunc librum refutaverunt, et inter apocrypha posuerunt; sed quoniam juxta præhabita, Nicæna synodus librum istum suscepit, breviter respondendum, quod tempore Nabuchodonosor hujus, templum fuit inceptum, et altare super quod sacrificia offerebantur, constructum, cultusque Dei fiebat ibi quotidie, atque pro templo dicuntur timuisse Judæi, ne templum violaretur. Similiter habitacula ministrorum templi, et quædam ædificia civitatis erant tunc facta ante Nehemiæ adventum, ideo metuebant hæc destrui. Quamvis etiam ad jussionem Artaxerxis omiserunt prosequi
A ædificium templi, maluerunt tamen se morti exponere, quam permittere quod prædicta penitus dissiparentur. Vel distinguendo tempora et vicissitudines temporum, mutationesque cordium humanorum, concordantur prædicta. De prætacto demum Eliachim præsule aliqui opinantur, quod fuit Jesus filius Josedec, et alio nomine sit appellatus Eliachim, quamvis alii dicant quod fuit filius illius Jesu, aut alius a Jesu præfato missus. Præterea quamvis in Samaria tunc manebant gentiles, nihilo
B minus ibi multi ex decem tribubus Israel morabantur, ad quos misit Eliachim.

Et clamavit omnis populus Israel ad Dominum instantia magna, id est cum ingenti fervore et perseverantia, *et humiliaverunt animas suas in jejuniis et orationibus, ipsi et mulieres eorum ; et induerunt se sacerdotes ciliciis,* ex pœnitentia et compunctione, *et infantes prostraverunt contra faciem templi Domini :* id est, parentes et sacerdotes prostraverunt infantulos suos versus templum, ut Deus
C per hoc magis ad misericordiam provocaretur, compatiendo interitioni innocentibus infantibus imminenti : quemadmodum secundo libro Paralipomenon sub Josaphat rege leguntur viri cum uxoribus et II Par. XX, 13.
infantibus Dominum invocasse in templo; *et altare operuerunt cilicio. Et clamaverunt ad Dominum Deum Israel unanimiter, ne darentur in prædam infantes eorum, et uxores eorum in divisionem,* id est, ne ab hostibus dissecarentur, vel ne a suis maritis abstraherentur et violaren-
D tur, *et civitates eorum in exterminium, et sancta eorum* darentur *in pollutionem,* id est, ne sancta loca et altare ac vasa cultus divini, ab infidelibus contaminarentur, *et fierent in opprobrium gentibus.*

Tunc Eliachim sacerdos Domini magnus : quo nomine solet pontifex in Scripturis Testamenti veteris designari ; *circuivit omnem Israel,* ut non solum per scripta et nuntios, sed et propriis verbis ac personali præsentia populum hortaretur, consolaretur ac roboraret ; *allocutusque*

Digitized by Google

est eos, dicens : Scitote quoniam exaudivit Dominus preces vestras, id est, exaudire proposuit sive exaudiet, *si manentes permanseritis in jejuniis et orationibus in conspectu Domini.* Tales enim preces tam piæ, diuturnæ, jejuniis decoratæ, solent a Fonte misericordiæ exaudiri. *Memores estote Moysis, qui Amalec,* id est populum Amalecitarum seu regem illum cum populo suo, *confidentem* præsumptuose *in virtute sua* corporali, *et in potentia sua,* id est robore adjutorii sui, seu in experientia sua bellandi, *et in exercitu suo, et in clypeis suis, et in curribus et equitibus suis, non ferro pugnando, sed sanctis orando precibus dejecit. Sic erunt universi hostes Israel, si perseveraveritis in opere hoc quod cœpistis.* Moyse namque cum extensione manuum suarum orante, prævaluit Josue cum populo Israel contra Amalecitas, prout in Exodo legitur. Verumtamen hic multa dicuntur, quæ ibi non habentur, quod scilicet Amalec confidebat in suis equitibus et quadrigis. Ex quo apparet, quod venit cum curribus et multis equitibus : quod consonat his, quæ libro Antiquitatum Josephus super hoc refert.

Exod. xv 11-13.

Ad hanc igitur exhortationem ejus deprecantes Dominum, permanebant in conspectu Domini, ita ut etiam hi qui offerebant Domino holocausta, præcincti ciliciis offerrent sacrificia Domino; et erat cinis super capita eorum. Et ex toto corde suo omnes orabant Deum, ut visitaret populum suum Israel.

ARTICULUS V

EXPOSITIO CAPITULI QUINTI : NUNTIATUMQUE EST HOLOFERNI, QUOD FILII ISRAEL PRÆPARASSENT SE AD RESISTENDUM.

COMMOTIO Holofernis in filios Israel vitiosa, et beneficia Dei exhibita Israelitico populo, hic narrantur. *Nuntiatumque est Holoferni, quod filii Israel præparassent se ad resistendum, ac montium itinera conclusissent; et furore nimio exarsit in iracundia magna. Vocavitque omnes principes Moab, et duces Ammon,* id est majores Moabitarum ac Ammonitarum, quos in auxiliarios sibi assumpserat, *et dixit eis.* Hos interrogavit, quia viciniores erant populo Israel. *Dicite mihi, quis sit iste populus qui montana obsidet,* hoc est, custodit, cingit, montiumque conclusit itinera ; *aut quæ, et quales, et quantæ sint civitates eorum ; quæ etiam sit virtus,* id est potestas, *eorum, aut quæ sit multitudo eorum, vel quis* est *rex militiæ eorum ;* sed pro tunc non regebantur per reges, sed per pontifices ; *et quare præ omnibus qui habitant in oriente,* non respectu terræ Assyriorum, ut dictum est, sed respectu terrarum transmarinarum versus solis occasum, *isti contempserunt nos, et non exierunt obviam nobis, ut susciperent nos in pace.*

Judith III, 8.

Tunc Achior dux omnium filiorum Ammon : qui ex vicinitate loci, aut propinquitate originis, quoniam Lot pater Ammonitarum, filius fuit fratris Abrahæ patris Hebræorum, ut in Genesi legitur : imo ex speciali providentia Dei et studio, valde cognovit historias Judæorum ; *respondens, ait : Si digneris audire, domine mi, dicam veritatem in conspectu tuo de populo isto qui in montibus habitat, et non egredietur verbum falsum ex ore meo.*

Gen. XI, 2

Populus iste ex progenie Chaldæorum est. Nam Abraham fuit filius Thare Chaldæi. *Hic primum in Mesopotamia habita-*

Ibid. 28.

Digitized by Google

vit : non simpliciter primum, quia primo in Chaldæa manserunt, deinde in Mesopotamia; et ibi *priusquam in terra ista montana,* videlicet terra promissionis. Hinc in Gen. xi, 31. Genesi : Tulit Thare Abram filium suum, et Lot filium filii sui Aran, et eduxit eos de Ur Chaldæorum, ut irent in terram Chanaan. *Quoniam noluerunt sequi deos patrum suorum, qui erant in terra Chal-* Josue xxiv, 2. *dæorum.* Unde scriptum est in Josue : Trans fluvium habitaverunt patres vestri ab initio, Thare pater Abraham et Nachor, servieruntque diis alienis. Quod qualiter intelligendum sit, ibi expositum est.

Deserentes itaque cærimonias patrum suorum, quæ in multitudine deorum erant, unum Deum cæli coluerunt, id est verum Deum, creatorem cæli et omnium contentorum in cælo : quod est continentia visibilium et invisibilium, secundum Damascenum ; *qui et præcepit eis, ut exirent inde, et habitarent in Charan,* id est in urbe Mesopotamiæ nomine Haran, quæ in Actis Act. vii, 4. dicitur Charan : in qua habitaverunt ad tempus. Et ibi rursus præcepit illis Deus, ut ab ea intrarent terram promissionis, Gen. xii, 1. prout in Genesi legitur : Dixit Dominus ad Abram : Egredere de terra tua, et veni in terram, quam monstravero tibi. *Quumque operuisset omnem terram* Chanaan *fames, descenderunt in Ægyptum :* primo, Ibid. 10. ipse Abraham cum Sara et Lot, sicut in Ibid. xlvi, 6. Genesi recitatur ; deinde Jacob cum sobole sua ; *illicque per quadringentos annos :* qui inchoantur a promissione facta de Isaac nascituro, aut circiter ; *sic multiplicati sunt, ut dinumerari eorum non posset exercitus,* hoc est, difficulter præ multitudine poterant numerari : ut per hy- Num. i, xxvi. perbolen intelligatur, nam in libro Numerorum bis fuisse numerati leguntur.

Quumque gravasset eos rex Ægypti servitute durissima, atque in ædificationibus urbium suarum in luto et latere subjugasset eos, clamaverunt ad Dominum suum. Quumque ejecissent eos Ægyptii a se, et Exod. xii, 29. *cessasset plaga,* hoc est interfectio primogenitorum, ab Ægyptiis, *et iterum vellent* A *eos,* scilicet filios Israel, *capere, et ad suum servitium revocare* ipsi Ægyptii : quos paulo ante exire celeriter compulerunt ex timore, ne iterum plagarentur propter ipso- Exod. xii, 33. rum Israelitarum detentionem, ut in Exodo scriptum est ; *fugientibus his,* scilicet Israelitis, *Deus cæli mare aperuit,* hoc est, mare Rubrum divisit, *ita ut hinc inde aquæ* maris illius divisi, *quasi murus solidarentur,* stando firmiter sine defluxu, Ibid. xiv, 21, 22. prout in Exodo reperitur ; *et isti pede sicco fundum maris perambulando trans-* B *irent. In quo loco dum innumerabilis exercitus Ægyptiorum eos persequeretur,* Ibid. 23, 28. *ita aquis coopertus est, ut non remaneret vel unus qui factum posteris nuntiaret.*

Egressis autem filiis Israel *mare Rubrum, deserta Sina montis occurrerunt,* id est, in via sua invenerunt, et intraverunt desertum, in quo mons Sinai situs est. Verumtamen in Exodo leguntur, pri- Ibid. xv, 22. mo intrasse desertum Sur ; sed Achior iste non omnia, sed quædam notabiliora commemorat, sicut et S. Stephanus. *In quibus* Act. vii. C *nunquam homo habitare potuit, vel filius hominis requievit :* hoc est, conveniens habitatio hominum desertum istud non fuit, quamvis ad tempus ibi manebant pastores, aut alii quidam. Propter quod scriptum est in Jeremia : Non dixerunt, Ubi Jer. ii, 6. est Dominus, qui transduxit nos per desertum, per terram inhabitabilem et inviam, per terram sitis et imaginem mortis, in qua non ambulavit vir, nec habitavit homo? *Illic fontes amari obdulcati,* hoc est dulces atque potabiles facti *sunt eis* D *ad bibendum,* miraculose, Moyse lignum in aquam mittente. Unde in Exodo legitur : Venerunt in Marath, nec poterant bibere Exod. xv, 23. aquas de Marath, eo quod essent amaræ. *Et per annos quadraginta annonam,* hoc est escam, videlicet manna, *de cælo consecuti sunt :* ut in Exodo legitur. Ibid. xvi, 35.

Ubicumque ingressi sunt sine sagitta et arcu, et absque scuto et gladio, Deus eorum pro ipsis pugnavit : hoc est, victoriam ipsis donavit principaliter potestate sua divina, non virtute armorum ; ipsi ta-

Digitized by Google

men interdum armis pugnaverunt, sed Deo adjuvante prævaluerunt; *et vicit. Quotiescumque autem præter Deum suum,* hoc est Deum patrum eorum, qui voluit specialiter coli ab ipsis, et multa ac magna spiritualia beneficia contulit eis, *alterum coluerunt,* cultu latriæ, *dati sunt in prædam et in gladium et in opprobrium :* (Judic. II, 11-23.) ut patet in Judicum libro. *Quotiescumque autem pœnituerunt, dedit eis Deus cœli virtutem resistendi. Deus enim illorum odit iniquitatem,* quum sit essentialiter sanctus et bonus; unde scriptum est : Odio (Sap. XIV, 9.) sunt Deo impius et impietas ejus. *Nam et ante hos annos, quum recessissent a via quam dederat illis Deus, exterminati sunt prœliis a multis nationibus, et plurimi eorum captivi abducti sunt in terram non suam. Nuper autem reversi* de Babylonica captivitate ex licentia Cyri regis, *ex dispersione qua dispersi fuerant, adunati sunt, et ascenderunt montana hæc omnia,* hoc est, ad terram hanc patrum suorum montuosam reversi sunt.

Nunc ergo, mi domine, perquire si est aliqua iniquitas eorum in conspectu Dei eorum, id est, diligenter investiga, an in aliquo magno facinore, præsertim in idololatria Deum suum jam offenderunt, nec inde pœnituerunt; et si sic, *ascendamus ad eos* debellandos, *quoniam tradet Deus eorum eos tibi. Si autem non est offensio populi hujus coram Deo suo, non poterimus resistere illis, quoniam Deus eorum defendet illos; et erimus in opprobrium universæ terræ.*

Et factum est, quum cessasset loqui Achior verba hæc, irati sunt omnes magnates Holofernis, hæc audientes, *et cogitabant interficere illum, dicentes : Quis est iste qui filios Israel posse dicat resistere regi Nabuchodonosor, et exercitibus ejus, homines inermes et sine virtute, et sine peritia artis pugnæ?* Quæ ars pugnæ plus valet in præliis quam potestas, secundum Vegetium. Unde scriptum est : Melior est sapientia (Ibid. VI, 1.) quam vires, et vir prudens quam fortis. Ideo Salomon in Proverbiis dixit : Consi- (Prov. XX, 18.)

A liis tractanda sunt bella. Verumtamen impii isti verba Achior male intellexerunt, atque mendaciter repetierunt. Non enim dixit filios Israel posse resistere exercitui Nabuchodonosor regis, sed quod Deus eorum defenderet eos, et pugnaret pro ipsis, si justi essent. *Ut ergo agnoscat Achior quoniam fallit nos.* Superbissimi isti fuerunt animo incorrigibiles et prorsus indociles. *Ascendamus in montana; et quum capti fuerint* a nobis *potentes eorum,* videlicet filiorum Israel, *tunc cum eisdem gladio* B *transverberabitur, ut sciat omnis gens, quoniam Nabuchodonosor deus terræ est.*

Circa hoc scribit quidam : Non dicunt, Deus cœli, sed terræ. Videntur enim illius erroris fuisse, qui dicebat divinam providentiam ad cœlestia se tantum extendere, secundum quod dicitur in Job : Circa cardines cœli perambulat, nec nostra considerat. (Job XXII, 14.) Hoc autem nomen, Deus, impositum fuit a providentia rerum et gubernatione : ideo deum terræ dicebant, cujus regimen ad plura se extendit. Intentio autem regis C Nabuchodonosor et sui exercitus fuit, omnem terram suo subjugare imperio. Propter quod a suis denominabatur deus terræ. (Judith II, 3.) Hæc ille. Cujus verbis non videtur concordare quod subditur, *et præter ipsum alius non est,* supple, deus. Unde videtur fuisse eorum error, quod non esset deus præter Nabuchodonosor. Nam et sequenti capitulo Holofernes ait ad Achior : Ut ostendam (Ibid. VI, 2.) tibi, quia non est deus nisi Nabuchodonosor. Superius quoque dictum est : Præcе- (Ibid. III, 13.) perat Holoferni Nabuchodonosor rex, ut D omnes deos terræ exterminaret, ut ipse solus diceretur deus ab his nationibus, etc.

Spiritualiter vero, per Holofernem et (Sensus spiritualis.) bellatores ipsius, significantur tyranni et persecutores Ecclesiæ; per gentes autem quæ legatos suos miserunt ad Holofernem pro pace, et consenserunt subjici imperio ejus, intelliguntur pusilli et imperfecti, qui non valent aliquid magnæ adversitatis pro justitia pati, nec mori pro Christo : qui de talibus loquitur, quod tempore tentationis recedunt. Porro, per filios Israel (Luc. VIII, 13.)

Digitized by Google

metuentes, ne Holofernes faceret Jerusalem temploque Domini, quod fecerat aliis urbibus et diis ipsorum, intelliguntur fideles rite constantes, qui magis verentur irreverentiam Dei et Sanctorum ac sacramentorum ipsius, quam propriam mortem, maluntque mori quam christianæ religionis ac fidei catholicæ conculcationem A videre : ideo spiritualibus armis, imo et corporalibus quandoque resistunt. Per Achior demum, boni catechumeni competenter instructi, ac fidem tenentes, sed nondum baptizati, signantur : qualis (ut in Actibus legitur) fuit Apollo ille electus, viam Dei edoctus, sciens tantum baptisma Joannis, et cœpit fideliter in Ecclesia agere. *Act.* XVIII, 25, 26.

ARTICULUS VI

DECLARATIO CAPITULI SEXTI : FACTUM EST AUTEM QUUM CESSASSENT LOQUI.

Factum est autem quum cessassent loqui magnates Holofernis ad Achior, ut habetur in fine præcedentis capituli, *indignatus Holofernes,* magnatibus suis consentiens et applaudens, *dixit ad Achior : Quoniam prophetasti nobis :* hoc irrisorie ait ; *dicens, quod gens Israel defendatur a Deo suo,* quando obedit ei in omnibus ; *ut ostendam tibi quoniam non est Deus nisi Nabuchodonosor ; quum percusserimus eos omnes, sicut hominem unum,* hoc est, ita quod nullus eorum evadat, vel ita faciliter sicut hominem unum, C *tunc et ipse cum illis interibis, et omnis Israel tecum perditione disperiet ; et probabis,* id est, in te ipso experieris, et tua morte testaberis, *quod Nabuchodonosor sit dominus universæ terræ. Tuncque gladius militiæ meæ transiet per latera tua, et confixus cades inter vulneratos Israel, et non respirabis ultra, donec extermineris cum illis.* O quam stolidissima verba ! quia et dato quod filii Israel et Achior permissi fuissent occidi ab Holoferne, ex hoc consequens non fuisset, quod Nabuchodonosor esset deus terræ, sed quod esset tyrannus et persecutor crudelis. Nam et impii in hac vita frequenter prævalent contra justos, quos Deus exercet, purgat, et coronat per impios. *Porro si prophetiam tuam veram existimas, non concidat,* hoc est, in mœrorem non cadat, *vultus tuus, et pallor qui faciem tuam* B *obtinuit, abscedat a te, si verba mea hæc putas impleri non posse. Ut autem noveris, quia simul cum illis hæc experieris, ecce ex hac hora illorum populo sociaberis, ut dum dignas gladii mei pœnas exceperint, ipse simul ultioni subjaceas.* Quamvis autem Achior credidit se vera dixisse, non tamen mirum fuit quod timuit, quoniam ignoravit an filii Israel Deo placerent, et quoniam vidit verba sua recta intentione prolata, tam perverse, ægre, et erronee esse accepta.

Tunc Holofernes præcepit servis suis, ut comprehenderent et ducerent eum, scilicet Achior, *in Bethuliam,* quæ de urbibus filiorum Israel fuit Holoferni vicinior, *et traderent eum in manus filiorum Israel. Et accipientes eum servi Holofernis, profecti sunt per campestria ; sed quum appropinquassent* servi Holofernis cum Achior *ad montana, exierunt contra eos fundibularii* Israelitæ, jacientes saxa cum fundis, qui montium itinera observabant. *Illi autem,* servi scilicet Holofernis, *divertentes* D *a latere montis,* ne a fundibulariis læderentur. Holofernes autem jubens servis suis perducere ipsum Achior usque Bethuliam, putavit quod filii Israel non auderent suos lædere servos. *Ligaverunt Achior ad arborem manibus et pedibus, et sic vinctum dimiserunt eum, et reversi sunt ad dominum suum.*

Digitized by Google

Porro filii Israel solventes eum, duxerunt Bethuliam, atque in medium populi illum statuentes, percontati sunt, id est inquisierunt, *quid rerum esset,* id est quam ob causam, et ob cujus rei eventum, *quod illum vinctum Assyrii reliquissent. In diebus illis erant illic principes, Ozias de tribu Simeon, et Charmi qui et Gothoniel.* Circa hoc in Scholastica fertur historia, quod aliqui de Jerusalem miserant duos sacerdotes ad Oziam hunc in Bethuliam, sicut ad consolandum, dirigendum et confortandum cives Bethuliæ. *In medio itaque seniorum et in conspectu omnium Achior dixit omnia quæ locutus ipse fuerat, ab Holoferne interrogatus.*

Quumque universa Achior exposuisset, qualiter erat interrogatus ab Holoferne, et quid respondit eidem, *omnis populus* Bethuliæ hæc audiens, *cecidit in faciem, adorantes Dominum :* quia ex verbis Achior compuncti fuerunt, et valde accensi ad invocationem Dei, spemque exauditionis conceperant, et zelo justo zelabantur pro Dei honore, pro veritatis ac justitiæ manifestatione; *et communi lamentatione et fletu unanimes suas preces Domino effuderunt, dicentes : Domine, Deus cœli et terræ, intuere,* id est, intuendo dejice et castiga, *superbiam eorum,* ut in præsenti puniti, non amplius peccent, nec cultui divino valeant adversari. Nempe pro dejectione hostium boni communis, orari potest ex zelo justitiæ, et boni communis amore. *Et respice* oculo pietatis *ad nostram humilitatem.* qui prostrati in toto corde et corpore, nos coram te humiliamus, *et faciem sanctorum tuorum attende,* id est mentes fidelium, seu preces et merita Patriarcharum ac Prophetarum sanctorum, per quos nos exaudire digneris ; *et ostende quia non derelinquis præsumentes de te,* hoc est tua pietate et gratia, *et præsumentes de se, et de sua virtute,* id est potestate seu dignitate, *gloriantes* inaniter ac superbe, *humilias,* hoc est, dejicis, punis et damnas.

Finito itaque fletu, et per totam diem oratione populorum completa, consolati sunt ipsum *Achior, dicentes : Deus patrum nostrorum, cujus tu virtutem prædicasti, ipse tibi hanc dabit vicissitudinem,* id est recompensationem, *ut eorum magis tu interitum videas. Quum vero Deus noster hanc libertatem dederit servis suis,* hoc est liberationem ab Assyriis, quam tibi optamus, et adfuturam speramus, *sit et tecum Dominus in medio nostri* per gratiam specialem, *ut sicut placuerit tibi, ita cum omnibus tuis converseris nobiscum,* id est, inter nos vivas et circumcisionem observantiasque legis nostræ accipias, si volueris. Non enim tenebantur gentiles ad legis mandata nisi moralia, cum fide Christi venturi ; sed si voluerunt communicare Judæis in esu agni paschalis, aliisque quibusdam cærimonialibus legis, oportebat eos primitus circumcidi, juxta illud Exodi : Hæc est religio Phase : Si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, circumcidetur prius omne masculinum ejus ; si quis autem circumcisus non fuerit, non vescetur ex eo. *Exod.* XII, 43. 48. Quemadmodum enim modo nullus admittitur ad evangelicæ legis sacramenta, nisi baptizatus, sic nec tunc ad Mosaicæ legis sacramenta, nisi circumcisus.

Tunc Ozias, finito consilio ejus, quo tractaverunt, quid in tam ardua causa eis restaret agendum, *suscepit eum,* videlicet Achior, *in domum suam, et fecit cœnam magnam. Et vocatis omnibus presbyteris,* hoc est senioribus seu sacerdotibus, *simul, expleto jejunio, refecerunt. Postea convocatus est omnis populus, et per totam noctem intra ecclesiam,* id est in synagoga, *oraverunt.* Habebant namque in singulis urbibus suis synagogas, in quibus vacabant orationi, devotioni, lectionique legis et prædicationi ; et omnes pariter oraverunt, ut communis oratio exaudibilior esset. Non enim solet pia communitatis repelli oratio. Unde ad Corinthios ait Apostolus : Adjuvantibus vobis in oratione pro nobis, ut ex multarum personis facierum, ejus quæ in nobis est donationis per multos gratiæ agantur pro nobis. II *Cor.* I, 11.

Digitized by Google

ARTICULUS VII

EXPLANATIO CAPITULI SEPTIMI : HOLOFERNES AUTEM ALTERA DIE, ETC.

ANGUSTIA et coarctatio filiorum Israel ex obsidione Assyriorum, hic describuntur. *Holofernes autem altera die*, id est, die sequenti postquam tradidit ipsum Achior Israelitis, *præcepit exercitibus suis.* Fuit autem unus totalis exercitus, sicut et unus princeps militiæ, sed divisus fuit in aliquas turmas. *Ut ascenderent contra Bethuliam,* in alto inter montes locatam : ideo ait, Ascenderent. Voluitque statim indignationem, crudelitatem et comminationem suam implere. Indignanter quoque accepit, quod servi sui fuerunt a fundibulariis Israeliticis fugati. *Erant autem pedites bellatorum centum viginti millia, et equites viginti duo millia.* Supra legitur,
Judith II, 7. quod erant duodecim millia equitum sagittariorum : ideo auctus videtur numerus equitum ; vel equites non erant sagittarii omnes. *Præter præparationes,* id est præter turbam et numerum *illorum virorum, quos occupaverat captivitas,* id est, quos
Ibid. III, 8. cepit et in auxiliarios sumpsit, *et adducti fuerant de provinciis et urbibus universæ juventutis,* id est omnium juvenum, quos sic in suum redegit obsequium. *Omnes paraverunt se pariter ad pugnam contra filios Israel, et venerunt per crepidinem,* id est summitatem seu extremitatem *montis, usque ad apicem,* id est summitatem loci, *qui respicit super Dothain,* hoc est locum seu oppidum sic vocatum, *a loco qui dicitur Belma, usque ad Chelmon qui est contra Esdrelon.*

Filii autem Israel ut viderunt multitudinem illorum, quam in alto loco illo poterant cernere, *prostraverunt se super terram,* humiliter deprecantes divinum auxilium, sine quo sciverunt se nequaquam posse illis resistere, et nihilo minus quod

A in ipsis erat agentes, *mittentes cinerem super capita sua, unanimes orantes, ut Deus Israel ostenderet misericordiam suam super populum suum. Et assumentes arma sua, sederunt per loca quæ angusti itineris tramitem,* hoc est angustæ viæ callem compendiosum, *dirigunt inter montuosa,* hoc est, inter loca montana ostendunt, sive rectificant; *et erant custodientes ea,* ne Assyrii per ea ad Bethuliam seu alia oppida sua possent accedere.

Porro Holofernes, dum circumivit per
B *gyrum* Bethuliæ a remoto, *reperit quod fons ... influebat in aquæductum illorum* qui in Bethulia erant, ad quos aqua fontis illius per aquæductum illum currebat. Hoc, ut Magister in historiis addit, invenit per aviculas quæ bibebant aquam de alveo, et per latentes rimulas aquæductus. *Et incidi præcepit aquæductum illorum,* ne per eum aqua in urbem illam decurreret. *Erant tamen non longe* ab urbe *fontes, ex quibus* cives Bethuliæ *furtim,* hoc est secrete, ne ab Assyriis notaretur,
C *videbantur haurire aquam ad refocillandum* ardorem et siccitatem sitis suæ, magis quam ad potandum. *Sed filii Ammon et Moab,* qui oderunt Israelitas, *accesserunt ad Holofernem* cupientes ei placere, *et dixerunt : Filii Israel non in lancea, nec in sagitta confidunt,* hoc est, tibi opponunt se, non ex confidentia armorum, sed locorum suorum. Ideo subditur : *sed montes defendunt illos :* quia propter loca illa montuosa difficile est illos accedere, et oporteret nos diu in obsidione manere ; *et*
D *muniunt,* hoc est, protegunt ac confortant *illos, colles in præcipitio,* id est in magna altitudine, *constituti. Ut ergo sine congressione pugnæ possis eos superare,*

Digitized by Google

pone custodes fontium, ut non hauriant ex eis, et sine gladio interficies eos ; aut certe fatigati, tradent civitatem suam, quam putant, in montibus positam, superari non posse. Et placuerunt verba hæc coram Holoferne, et omnibus satellitibus ejus. Et constituit per gyrum centenarios per singulos fontes.

Quumque custodia ista fontium *per dies viginti esset expleta, defecerunt cisternæ,* hoc est aquæ cisternarum, *et collectiones aquarum,* quæ ex fontibus solebant acquiri. *Tunc ad Oziam congregati omnes viri,* id est cives Bethuliæ, *feminæque, juvenes et parvuli, omnes simul una voce dixerunt : Judicet Deus inter nos et te,* hoc est, justitiam suam ostendat in eo qui inter nos culpam habet in causa hac, *qui fecisti in nos mala,* id est, afflictionem hanc induxisti super nos tuo consilio imprudenti, *nolens loqui pacifice cum Assyriis,* tractando cum eis, ut nos in servos susciperent. *Et propter hoc vendidit nos Deus in manibus eorum,* hoc est, propter istam rebellionem Deus jam quasi dedit nos potestati ipsorum, sicut res datur pro pretio. *Et ideo non est qui adjuvet, quum prosternamur ante oculos eorum,* id est, ipsis scientibus et nos circumvallantibus, corruamus in mortem, *in siti,* id est ex potus defectu, *et perditione magna. Et nunc congregate universos qui in civitate sunt, ut sponte,* hoc est sine diuturniore resistentia, *tradamus nos Holoferni. Melius est enim ut captivi benedicamus Dominum viventes.* Et sic habebant adhuc aliquam confidentiam evadendi mortem, si se traderent Holoferni. Parva tamen fuit spes ista. *Quam moriamur, et simus opprobrium omni carni, quum videamus uxores nostras et infantes nostros mori ante oculos nostros. Contestamur hodie cœlum et terram,* hoc est, omnem creaturam, seu angelos et homines in testimonium sumimus, et cum attestatione tali rogamus. Contestamur quoque sic, *et Deum patrum nostrorum qui ulciscitur,* id est, ulciscendo vitia nostra punit *nos secun-* A *dum peccata nostra, ut tradatis civitatem in manus militiæ Holofernis, ut sit finis noster,* id est mors, *brevis in ore gladii, qui longior efficitur in ariditate sitis.*

Et quum hæc dixissent, factus est fletus et ululatus magnus in ecclesia ab omnibus, et per multas horas una voce clamaverunt ad Dominum, dicentes : Peccavimus, injuste egimus. Tu qui pius es, in tuo flagello vindica iniquitates nostras, hoc est, per te ipsum seu angelico ministerio corrige nos, *et noli tradere confi-* B *tentes te,* id est nos fideles qui te confitemur verum Deum, *populo qui ignorat te.* Juxta hunc modum dixit rex David : Melius est mihi incidere in manus Domini (multæ enim sunt miserationes ejus), quam in manus hominum. (II Reg. xxiv, 14.) *Ut non dicant inter gentes,* id est, ne increduli inter se dicant : *Ubi est Deus eorum?* id est, jam apparet quod Deus eorum non curat de eis, non potest eis auxiliari. Ac si dicant : Pro tuo honore zelamus, et si non vis nos exaudire propter nos, saltem propter te ipsum et C tui ipsius honorem et gloriam nos exaudi, ne blasphemeris a perfidis et iniquis : sicut per Isaiam testatus est, Propter me faciam, ut non blasphemer. (Is. xlviii, 11.) In Ezechiele quoque : Non propter vos, ego faciam : notum sit vobis ; sed propter nomen sanctum meum. (Ezech. xxxvi, 32, 22.)

Et quum fatigati his clamoribus, et his fletibus lassati siluissent, exsurgens Ozias infusus lacrimis, dixit : Æquo animo estote, fratres, sperando in Domino, *et hos quinque dies exspectemus a Domino mise-* D *ricordiam.* Ideo exprimit, Quinque dies, quoniam aqua quam habebant, quæ vix per unam diem suffecit ad satietatem, non videbatur ultra quinque dies posse servire, quamvis parcissime sumpta. *Forsan enim indignationem suam abscindet, et dabit gloriam nomini suo. Si autem transactis quinque diebus non venerit adjutorium nobis* a Deo, *faciemus hæc verba quæ locuti estis,* urbem tradendo. De hac præfixione quinque dierum reprehenditur iste Ozias sequenti capitulo, ut ibi patebit.

Digitized by Google

ARTICULUS VIII

DECLARATIO CAPITULI OCTAVI : ET FACTUM EST.

EXHORTATIO, oratio et consilium venerabilis viduæ Judith, hic referuntur. *Et factum est quum audisset hæc verba* Oziæ, qui dixit quod traderet urbem post quinque dies, nisi interim veniret auxilium, *Judith vidua de tribu Ruben*, etc., cujus stirps in textu describitur. *Et vir ejus Manasses in diebus messis mortuus est. Venit enim æstus super caput ejus :* ex quo ardore solis fuit intus accensus, et ægritudinem incurrit letalem, sicut et quarto Regum legitur de filio Sunamitis suscitato per Eliseum; *et sepultus est cum patribus suis. Erat autem Judith relicta ejus vidua jam annis tribus et mensibus sex.* Voluit enim deinceps in viduali castimonia Deo servire.

IV *Reg.* IV, 18-20.

Et in superioribus domus suæ fecit sibi cubiculum secretum, et in ipso cubiculo oratorium, ut sequenti patet capitulo; et camerula illa fuit etiam oratorium ejus; *in quo cum puellis*, id est ancillis, aut cognatis, *clausa morabatur :* ita quod raro exivit domum, soli Deo vacans in loco abstracto, et virorum vitans adspectus, familiaritates, colloquia, convivia, et ceteras lasciviæ occasiones, non solum ne ipsa ad carnalia incitaretur, sed ne appeteretur ab aliis; *et habens super lumbos suos cilicium*, pro carnis edomatione, majorisque gratiæ impetratione, *jejunabat omnibus diebus vitæ suæ*, quibus in viduitate permansit. Maritatis autem mulieribus non liceret sic jejunare sine consensu mariti. *Præter sabbata et neomenias*, hoc est exordia mensium, quia in primo die cujuslibet mensis fuit quædam festivitas legis, ut in Levitico et Deuteronomio patet; unde in Psalmo : Buccinate in neomenia tuba, in insigni die solennitatis vestræ. *Et festa domus Israel*, scilicet festa, Paschale et Tabernaculorum, et Hebdomadarum seu Pentecostes, quæ erant festa legis præcipua.

Judith IX, 1. — Cf. *Num.* XXVIII, 11-14. — *Ps.* LXXX, 4.

Erat autem eleganti, id est venusto, *adspectu nimis*, habens pulchritudinem corporalem, moralem et spiritualem. *Cui vir suus reliquerat divitias multas et familiam copiosam :* sicque ejus continentia fuit magna, et multum laudabilis, quia inter tot incitamenta libidinis, quæ sunt, juventus, pulchritudo, opulentia, et multitudo virorum præsentium, mansit tam casta. *Et hæc erat in omnibus famosissima, quoniam timebat Dominum valde*, filiali timore, qui perfectam et fervidam caritatem includit, facitque hominem coram Deo custoditum, sollicitum, et irreprehensibiliter conversantem : quia, ut Salomon loquitur, Qui timet Deum, nihil negligit. *Nec erat qui loqueretur de illa verbum malum :* quia Deo atque hominibus ex sua exemplari et sancta complacuit vita. Tales quoque erant beatissimi Joannis Baptistæ parentes, incedentes in omnibus justificationibus Domini sine querela.

I *Tim.* V, 7. — *Eccle.* VII, 19. — *Luc.* I, 6.

Hæc itaque quum audisset, hoc est, sedens in domo sua percepisset, *quoniam Ozias promisisset, quod transacta quinta die traderet civitatem Assyriis :* quia ut apparet, non aderat quando Ozias protulit ea. Nam subditur : *misit ad presbyteros Chabri et Charmi*, ut venirent ad se, quia invite processit in publicum. *Et venerunt ad illam, et dixit illis : Quod est verbum, in quo consensit Ozias, ut tradat civitatem Assyriis, si intra quinque dies non venerit vobis adjutorium?* quasi dicat, Illicitum est. Cur non direxit sermo-

nem ad Oziam? Ad hoc aliqui dicunt, quod nondum erat præsens : quibus objici potest, quod infra in isto capitulo, Ozias et presbyteri leguntur ei pariter respondisse. (*Vers. 28.*) Ad quod dici potest, quod interim forsan advenit. Vel si cum presbyteris venit, tamen presbyteros primo affatur, quoniam sacerdotum fuit etiam ipsum Oziam super hoc increpare.

Et qui estis vos qui tentatis Dominum? quasi dicat : Merito essetis nimis prudentes ad hoc, nec aliquo modo vos decet. *Non est iste sermo qui misericordiam provocet,* id est, exauditionem mereatur a pietate divina ; *sed potius qui iram excitet, et furorem accendat,* id est, rigorem divinæ mereatur justitiæ in vindicta : quia tentare Deum, est grave peccatum. Nempe præfigere tempus, infra quod, si Deus non subvenerit, cessetur ab ejus invocatione contra perfidos, est infra tempus propria libertate determinatum velle experiri divini succursum subsidii, alioqui incredulis subjugari, etiam in destructionem cultus divini : quemadmodum fuit in isto casu. Si enim adversarii obtinuissent Bethuliam, de facili obtinuissent ac destruxissent Jerusalem. Et si objiciatur, quod Jeremias propheta consuluit Sedeciæ regi, ut traderet urbem Jerusalem Nabuchodonosor regi (*Jer. xxxviii, 17.*) : dicendum, quod consuluit hoc, non in destructionem urbis et templi ac cultus divini, sed pro conservatione illorum, quia sciebat quod civitas et templum destruerentur a Chaldæis, nisi sponte eisdem traderentur.

Posuistis vos tempus miserationis Domini, hoc est tempus infra quod Deus clementer subveniat, *et in arbitrio,* id est judicio *vestro, diem constituistis ei. Sed quia patiens est Dominus,* id est longanimiter ferens offensam, non statim ulciscens (*Job xxxv, 15.*). Patientia autem et virtutes morales quæ circa passiones versantur, non competunt Deo quoad passionum ordinationem, sed quantum ad operis conformitatem. *In hoc ipso,* id est de culpa hac, *pœniteamus :* et ex humilitate connumerat se eis, qui rei erant in illo peccato ; *et indulgentiam ejus cum lacrimis postulemus,* ut sit vera contritio ex intimo cordis fundo proveniens. Sic enim placatur inveniturque Deus, juxta illud Deuteronomii : Quum quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen toto corde quæsieris eum, et tota tribulatione animæ tuæ (*Deut. iv, 29.*). *Non enim quasi homo, Deus sic comminabitur,* id est non ex impetu passionis, neque ut mox inferat ultionem, *neque sicut filius hominis ad iracundiam provocabitur,* quum sit simplicissima et prorsus immaterialissima mens invariabilis in æternum. Qui per Malachiam protestatur : Ego Dominus, et non mutor (*Malach. iii, 6.*). De quo et Balaam loquitur : Non est Deus quasi homo ut mentiatur, nec ut filius hominis ut mutetur (*Num. xxiii, 19.*).

Et ideo humiliemus illi animas nostras, id est, ad Dei honorem, recognoscamus humiliter proprias culpas. *Et in spiritu contrito* *, hoc est corde compuncto, *et humiliato servientes illi :* quia ait per Isaiam : Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum et contritum spiritu, et trementem sermones meos? (*Is. lxvi, 2.*) *Dicamus flentes Domino, ut secundum suam voluntatem sic faciat nobiscum misericordiam suam.* Hoc enim Deo gratissimum est, ut rationalis creatura propriam voluntatem plenarie Creatori suo resignet, mactet et offerat. Sic namque Christus passione instante exorans, Non mea, inquit, sed tua voluntas fiat (*Luc. xxii, 42.*). *Ut sicut cor nostrum conturbatum est,* hoc est, vehementer perterritum, contristatum, afflictum, *in superbia eorum,* id est ex ambitiosa et arroganti invasione, comminatione, obsidione Assyriorum istorum ; *ita de nostra humilitate gloriemur in Domino,* hoc est de liberatione nostra humiliter postulata a Deo; *quoniam non sumus secuti peccata patrum nostrorum, qui dereliquerunt Deum suum,* idola adorando, sanguinem innocentem fundendo, aut occidendo Prophetas, aut consimilia perpetrando facinora : ideo merito in Deo nostro confidimus, quod ab hostibus istis nos eruet. Sicque verba hæc protulit Judith,

* *constituti humiliato*

non populum suum laudando simpliciter, sed ad augendum sibi ac populo spem in Deo, sicut et Ezechias † angustiatus a rege Assyriorum, invocans Dominum : Obsecro, ait, memento quomodo coram te ambulaverim in veritate et corde perfecto. *Pro quo scelere dati sunt in gladium, et in rapinam inimicis suis. Nos autem alterum Deum nescimus* per fidem et cultum, *præter ipsum :* quia nec alius Deus est. (IV *Reg.* xx, 3.)

Exspectemus humiles consolationem ejus. Non enim repellet in sempiternum Dominus : quia si abjecit, et miserebitur secundum multitudinem misericordiarum suarum, ut in Threnis loquitur Jeremias. *Et exquiret sanguinem nostrum de afflictionibus inimicorum nostrorum,* hoc est, tribulationes nobis illatas ab hostibus, vindicabit in ipsis, eos affligendo, ut justum est ; *et humiliabit,* id est dejiciet, *omnes gentes quæ insurgunt contra nos, et faciet illas sine honore Dominus Deus noster.* Hæc fuerunt verba bonæ fiduciæ, non prophetiæ, ut æstimatur, quamvis paulo post evenerint. (*Thren.* III, 31, 32.)

Et nunc, fratres, quoniam vos estis presbyteri in populo Dei, hoc est sacerdotes et seniores, *et ex vobis pendet anima illorum,* id est, salus et prosperitas animarum ipsorum ex vestra salubri eruditione, virtuosaque conversatione, pro magna parte dependet : juxta illud Ecclesiastici, Qualis est rector civitatis, tales et inhabitantes in ea. Hinc per Jeremiam Dominus asserit : Quia stulte egerunt pastores, et Dominum non exquisierunt, propterea omnis grex eorum dissipatus est. *Ad eloquium vestrum corda illorum erigite,* hoc est, vestra salubri exhortatione corda ipsorum ad Deum reducite, ut confidant in ipso ; *ut memores sint, quia tentati sunt patres nostri,* id est multipliciter impugnati ab invisibilibus ac visibilibus inimicis, *ut probarentur, si vere colerent Deum suum,* id est, quatenus per adversa pateret, an Deo constanter atque fideliter adhærerent. Unde et in libro Judicum legitur : Dimisit Dominus Chananæos, ut in eis experiretur (*Eccli.* x, 2. *Jer.* x. 21. *Judic.* III, 4.)

A Israelem, utrum audiret mandata Domini, an non.

Memores esse debent, quoniam pater noster Abraham tentatus est : juxta illud, Tentavit Deus Abraham ; *et per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est.* Nam ex caristia perrexit ex terra Chanaan in Ægyptum, et ibi ablata est ei propria uxor, et puteos ejus abstulerunt aut repleverunt Palæstini : quæ omnia leguntur in Genesi. *Sic Isaac,* qui exhibuit se paratum ut offerretur Deo in holocaustum. B *Sic Jacob, et Moyses, et omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles.* Sic ait Paulus : Quia per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum. *Illi autem qui tentationes non susceperunt cum timore Domini,* id est, qui adversitates et impugnationes non toleraverunt patienter ac timorate, aut pravis suggestionibus non restiterunt idonee, *et impatientiam suam et improperium murmurationis suæ contra Deum protulerunt,* adversus ipsum murmurando, seu ipsum C tentando, aut culpam retorquendo in ipsum, *exterminati sunt ab exterminatore,* id est, interfecti Deo præcipiente, et ejus sententiam angelo bono aut malo exsequente. Etenim in Numeris perversi filii Israel leguntur dixisse : Utinam mortui essemus in Ægypto; utinam pereamus, et non inducat nos Dominus in terram istam, ne cadamus gladio. Propter quod in Deuteronomio Moyses loquitur eis : Noluistis ascendere, sed increduli ad sermonem Domini murmurati estis atque dixistis : Odit nos Dominus. D Hinc Dominus dixit ad Moysen : Usquequo multitudo hæc pessima murmurat contra me? In solitudine hac jacebunt cadavera vestra. *Et a serpentibus perierunt :* secundum illud Numerorum, Immisit Dominus in populum ignitos serpentes. Ab infernalibus quoque serpentibus tales peccando spiritualiter necabantur. (*Gen.* XXII, 1. *Ibid.* XII, 10, 15; XXI, 25. *Ibid.* XXII, 9. *Act.* XIV, 21. *Num.* XIV, 3. *Deut.* I, 26, 27. *Num.* XIV, 27, 29. *Ibid.* XXI, 6.)

Et nos ergo non ulciscamur nos pro his quæ patimur, ex impatientia aut diffidentia ; nec peccemus in Deum, contra ipsum murmurando, seu quasi volendo vindicare

Digitized by Google

injurias nostras per offensam et inhonorationem ipsius Dei, derogando justitiæ ejus, aut adscribendo ei impatienter nostras miserias; *sed reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse* (ita ut fateamur ex corde, quod peccando meruimus pati adversa his graviora), *flagella Domini, quasi servi qui corripimur a Domino,* id est castigationes istas Deo permittente aut ordinante atque volente nobis inflictas, *ad emendationem, et non ad perditionem nostram evenisse credamus:* ut scilicet per temporales pœnas purgati, tormenta evadamus æterna; vel etiam a præsenti persecutione eripiamur, Dominum invocando, et quæ illata sunt, æquanimiter sustinendo.

Et dixerunt illi Ozias et presbyteri, qui exhortationem et increpationem feminæ patienter et humiliter susceperunt propter virtuositatem ipsius: quia et ipsa ex zelo justitiæ, caritatis fervore, et ex inspiratione divina humiliter, non jactanter, fuit locuta: *Omnia quæ locuta es, vera sunt, et non est in sermonibus tuis ulla reprehensio. Nunc ora pro nobis Dominum, quoniam mulier sancta es et timens Deum.*

Et dixit illis Judith: Sicut quod loqui potui, Dei esse cognoscitis, id est verum atque salubre; *ita quod facere disposui, probate,* id est, suo tempore considerate, et nunc interim exspectate, donec per effectum propositi mei pensetis, *si ex Deo est, et orate ut firmum faciat Deus consilium meum,* id est, illud perficiat, et ad salutarem ducat effectum. *Stabitis vos ad portam nocte ista, et ego exeam cum abra mea,* id est cum ancilla mea, *et orate, ut sicut dixistis, diebus quinque respiciat Dominus populum suum. Vos autem nolo ut scrutemini actum meum,* id est, non interrogetis a me quid agere velim; *et usquedum renuntiem vobis* quid egerim, vel per me ipsam, sive per alium, *nihil aliud fiat, nisi oratio pro me ad Dominum Deum nostrum. Et dixit ad eam Ozias princeps Juda,* id est unus de principalibus et rectoribus tribus seu populi Juda, secundum quod Nicodemus vocatur princeps Judæorum (*Joann.* III, 1): *Vade in pace, et Dominus sit tecum in ultionem inimicorum nostrorum,* id est infligendo per te hostibus nostris justam punitionem in vindictam iniquitatum eorum adversum nos.

Moralitas. Ex isto capitulo accipere possumus multa moralia et optima documenta. Nempe in primis ex isto informantur capitulo viduæ universæ, ut quamvis formosæ, juvenes, nobiles, divitesque consistant, attamen in viduali castimonia perseverent; et quo appetibiliores fuerint, eo plus vitent occasiones lasciviæ ac scandala aliorum, et corpus suum in spiritus redigant servitutem (I *Cor.* IX, 27) aspero (aut etiam cilicino) vestitu, jejuniis, orationibus, disciplinis, vigiliis. Insuper hic docemur, ne Deum aliquo modo tentemus, sed in ipso usque in finem, etiamsi nos occiderit, confidamus (*Job* XIII, 15); et dum Dei misericordiam imploramus, ipsum nequaquam verbis aut actibus seu negligentia offendamus. In omni quoque necessitate, tribulatione, angustia, in spiritu contrito et humiliato Dominum invocemus (*Dan.* III, 39). Cuncta demum adversa cum invicta patientia amplectamur, humiliter confitentes quod peccata nostra multo majora mereantur supplicia; neque nos ulciscamur, nec contra Dominum ullatenus murmuremus (I *Cor.* X, 10). Sicque sanctorum patrum exempla considerantes, eadem totis viribus imitemur, et proximos, ut pro nobis assidue orent, pulsemus.

Digitized by Google

ARTICULUS IX

EXPOSITIO CAPITULI NONI : QUIBUS ABSCEDENTIBUS, ETC.

ORATIO Judith hic introducitur. *Quibus abscedentibus, Judith ingressa est oratorium suum,* (Judith VIII, 5.) quod erat in superioribus, ut patuit præcedenti capitulo ; *et induens se cilicio, posuit cinerem super caput suum.* Dicunt aliqui, quod præter cilicium quo fuit supra nudum corpus vestita, etiam jam vestivit se cilicina veste exterius. *Et prosternens se Domino,* cui se humiliavit vestitu et cinere, corde et corpore, *clamavit ad Dominum* ex vehementi affectionis suæ ardore, *dicens : Domine, Deus patris mei Simeon.* Ex quibus verbis apparet, quod fuit de tribu Simeon ; quum præcedenti sit dictum capitulo, (Ibid. I.) quod fuit de tribu Ruben. Ad quod nonnulli respondent, quod fuit de tribu Ruben ex parte patris, atque ex tribu Simeon ex parte matris : quod et in Scholastica affirmatur historia.

Contra quod arguit quidam satis prolixe. Primo, quoniam mulieres non debebant conjungi viris alterius tribus. (Num. XXXVI, 8.) Secundo, quia Ruben ad quem reducitur generatio Judith, non videtur fuisse Ruben patriarcha filius Jacob, sed alius, quoniam inter patriarcham et Judith multo plures fuerunt generationes quam præcedenti capitulo inducuntur. (Judith VIII, 1.) Tertio, quia nec in Genesi, nec in Paralipomenon scribitur aliquis filiorum ipsius Ruben vocatus fuisse Simeon, (Gen. XLVI, 9 ; I Par. V, 3.) sicut in præcedenti capitulo. Ad quæ omnia faciliter posset respondere, qui præfatam responsionem vellet tenere : respondendo ad primum, quod mulieres quæ non successerunt in hereditate paterna, poterant contrahere cum viris tribuum aliarum, sicut David de tribu Juda sumpsit Michol de Benjamin tribu ; (I Reg. XVIII, 27.) ad secundum, quod non omnes, sed quædam præcipuæ generationes ipsius Judith in ascendendo ponuntur capitulo præcedenti ; (Judith VIII, 1.) ad tertium, quod Simeon ille filius Ruben mediatus aut immediatus, binomius fuit.

Denique prætactus, dicens ipsam Judith fuisse de tribu Simeon ex parte patris et matris, in argumentationis suæ processu affirmat, quod Jacob cito postquam Esau quadragenarius duxit uxores, perrexit ad Mesopotamiam, et quadraginta octo annorum fuisse videtur dum genuit Ruben. Circa quod dico, quod Jacob erat octoginta annorum aut circiter, quando ad Mesopotamiam est profectus. Siquidem in Genesi legitur ipse Jacob filium suum Joseph præ ceteris dilexisse, quia in senectute sua genuit eum. (Gen. XXXVII, 3.) Rursumque fertur, qualiter Jacob ingressus Ægyptum, locutus sit Pharaoni : Dies peregrinationis vitæ meæ super terram, centum triginta anni sunt parvi et mali. (Ibid. XLVII, 9.) Et tunc Joseph nondum erat quadragenarius : triginta namque fuit annorum, quando a Pharaone constitutus est princeps Ægypti, (Ibid. XLI, 46.) ut habetur in Genesi. Deinde fluxerunt septem anni fertilitatis : quibus evolutis, primo anno caristiæ venerunt fratres ejus ad eum, quibus secunda vice ad se reversis locutus est : Biennium est quod cœpit esse fames ; adhuc quinque anni restant, quibus nec arari poterit nec meti. (Ibid. XLV, 6.) Et tunc erat triginta novem annorum. Moxque misit pro patre suo, qui tunc fuit centum triginta annorum, sicque in nativitate Joseph fuit nonagenarius. Porro in Mesopotamia habitavit annis viginti. (Ibid. XXXI, 38.) Quæ omnia patent in Genesi. Et dato quod Joseph fuisset natus in ultimo illorum viginti annorum, tamen pater ejus fuisset septuagenarius, quando Mesopotamiam est

Digitized by Google

ingressus. Joseph autem natus fuit quar- A
Gen. xxix, 20, 27, 28; xxx, 23-25. todecimo circiter anno habitationis Jacob in Mesopotamia, ut in Genesi patet. Unde concluditur, quod Jacob fuerit circiter septuaginta sex annorum, quando venit ad Mesopotamiam.

Qui dedisti illi gladium in defensionem alienigenarum, id est ad ulciscendum stuprum quod alienigenæ seu infideles Chananæi commiserunt in filia Jacob, *qui violatores exstiterunt in coinquinatione sua,* id est, sua pollutione corruperunt Dinam filiam Jacob. Unde subjungitur, *et denu-* B *daverunt femur virginis in confusionem:* et sumitur hic plurale pro singulari, quo-
Ibid. xxxiv, 2. niam solus Sichem filius Hemor illam corrupit. Vel ideo ait pluraliter, Violatores, quoniam aliqui adjuverunt eum ad perpetrandum hoc scelus. *Et dedisti mulieres eorum in prædam, et filias eorum in captivitatem, et omnem prædam in divisionem servis tuis,* videlicet filiis Jacob, *qui zelaverunt,* id est, per amorem secuti sunt, *zelum tuum,* id est fervorem tibi placentem contra injustitiam. C

Videtur quasi totum istud repugnare Scripturæ canonicæ, quoniam Jacob redarguit ultionem præfatam, dicens Simeoni
Ibid. 30. et Levi : Turbastis me, et odiosum fecistis habitatoribus terræ hujus. In extremis quoque agens, valde abhorruit illam vindi-
Ibid. xlix, 5, 6. ctam, dicens : Simeon et Levi, vasa iniquitatis bellantia. In consilium eorum non veniat anima mea, et in cœtu eorum non sit gloria mea : quia in furore suo occiderunt virum, et in voluntate sua suffoderunt murum. Unde elicitur, quod non zelo D Deo placente seu zelo Dei, sed ex furore et indignatione illud fecerunt. Ad istud Magister in historiis breviter dicit : Judith non commendavit factum Simeonis, quod detestatus est Jacob, sed ultionem factam a Domino per manus ipsius.

Alius quidam prolixius respondens : In illo (inquit) facto duo fuerunt, videlicet zelus ulciscendi stuprum, et illud fuit justum et licitum, quia non habebat judicem qui vellet factum punire, cujus auctor

A erat princeps civitatis et populus ejus fau- *Gen.* xxxiv, 2, 24.
tor : et sic loquitur hic Judith. Alius est modus ulciscendi, qui fuit malus et proditorius, in quantum filii Jacob transgressi sunt pactum habitum cum Sichimitis : et sic reprehendit illud Jacob. Verum ista responsio non videtur idonea. Primo, quoniam juxta prætacta factum illud non processit ex zelo Dei, sed ex indignatione atque rancore. Secundo, quia tam opus illud, quam modus operis, vitiosa fuerunt. Opus namque ex prava processit radice, non ex B justo zelo, ut patuit, et modus fuit fraudulentus. Tertio, quia post initum fœdus nequaquam licuit filiis Jacob illam facere ultionem, nec potuerunt ad hoc habere zelum Dei secundum scientiam post ini- *Rom.* x, 2.
tum pacis pactum. Quod totum patet ex verbis Hieronymi, affirmantis : Significavit Jacob non sui fuisse consilii, quod Si- *Gen.* xxxiv, 30.
meon et Levi ipsum Hemor et Sichem filium ejus viros sibi fœderatos interfecerunt, et contra jus pacis et amicitiarum sanguinem effuderunt innocentem, et cru- C delitate quasi furore rapti, muros hospitæ urbis everterunt. Insuper, quod dicitur filios Jacob non habuisse judicem, qui factum vellet punire, non apparet. Quamvis enim Hemor erat rex Sichimorum, non *Ibid.* 2.
tamen totius terræ illius : et sic habuit superiorem, ad quem potuisset referri. Unde in Josue scriptum est : Asor inter om- *Josue* xi, 10.
nia regna antiquitus primatum tenebat. Præterea, quamvis judicem talem non habuissent, tamen postquam Hemor et Sichem tam magnam præbuerunt emendam et sa- *Gen.* xxxiv, 9-12, 18, 24.
D tisfactionem, et pacis conditionem inierunt cum Jacob et filiis ejus, ac circumciderunt se, non licuit filiis Jacob illam exercere vindictam. Propter quod ipse Jacob asseruit, furorem eorum et indignatio- *Ibid.* xlix, 7.
nem esse maledictionis, quia tam pertinax fuit furor eorum, atque tam dura ipsorum indignatio, quod post tanta benevolentiæ signa, satisfactionisque dona oblata, et inita pacis pacta, non fuerant emolliti.

Amplius, responsio ex Scholastica historia introducta, videtur obscura : quo-

Digitized by Google

niam ultio ejus non videtur commendanda fuisse secundum prædicta, nisi forsan quoad divinum judicium, quoniam Hemor et Sichem non videntur vere pœnituisse de scelere illo. Sicque quantum ad hoc, justa fuit illa vindicta, quamvis Simeon et Levi non recte ex zelo laudabili, sed ex furore et indignatione exsecuti sint eam. Juxta quem modum justa fuit Judæorum exterminatio, punitio, captivatio facta per Assyrios et Chaldæos, quamvis Assyrii et Chaldæi ex vitiosa radice inflixerint talia filiis Israel. Sicque aliquo modo videntur verba Judith posse salvari. *IV Reg.* XVII, 6; XXV, 1 *et seq.*

Subveni, quæso te, Domine Deus meus, mihi viduæ, qui (teste Psalmista) pater es orphanorum, judexque viduarum ; de quo iterum dicitur in Psalmo, Pupillum et viduam suscipiet. *Tu enim fecisti priora,* id est, pristinas dedisti victorias filiis Israel descriptas in libris Moysis, Josue, Judicum, Regum, Paralipomenon, *et illa post illa cogitasti,* id est, unum post aliud facere decrevisti. Omnia tamen simul in ipso æternitatis instanti plenissime cognoscis, cogitas, intueris, non successive unum post aliud ; *et hoc factum est quod ipse voluisti,* quia omnipotens es. Ideo ait Propheta : Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit in cœlo et in terra. *Omnes enim viæ tuæ paratæ sunt :* id est, a te prædispositæ sunt tuæ actiones, atque in promptu habes agere omnibus modis tibi placentibus, et exhibere actus quoscumque volueris ; *et tua judicia,* id est justa et judicialia opera tua, *in tua providentia posuisti,* id est in præordinatione et libertate sapientiæ atque potentiæ tuæ, ita quod quidquid forinsecus agis et judicas, ex certa et æterna providentia procedit. Unde et Paulus : Omnia (inquit) operatur secundum consilium voluntatis suæ. *Ps.* LXVII, 6. *Ps.* CXLV, 9. *Exod.* XVII, 10-13; *Josue* X, 10-14; *Judic.* VII, 19-23; VIII, 11; XI, 29-33; *IV Reg.* XIX, 35; *II Par.* XX, 22-24. *Ps.* CXXXIV, 6. *Ephes.* I, 11.

Respice castra Assyriorum nunc, id est, exercitus istos Assyriorum oculo tuæ justitiæ per justam eorum punitionem intuere, in quantum sunt hostes boni communis ac cultus divini, *sicut tunc castra videre Ægyptiorum dignatus es, quando*

A *post servos tuos armati currebant,* dum scilicet filii Israel, Moyse duce, exierunt Ægyptum. *Sed adspexisti super castra eorum,* id est, per districtam vindictam ostendisti te impios illos adspicere : secundum illud Exodi, Et ecce respiciens Dominus supra castra Ægyptiorum per columnam ignis et nubis, interfecit exercitum eorum ; *et tenebræ fatigaverunt eos,* id est, affligebantur Ægyptii ex hoc, quod nubes tenebrosa stetit inter eos et filios Israel, ita quod tota nocte Israelitas accedere non B valebant, juxta quod in Exodo fertur : Tollens se angelus Domini, qui filios Israel præcedebat, abiit post eos, et cum eo pariter columna nubis inter castra Ægyptiorum et castra Israel ; et erat nubes tenebrosa, ita ut ad se invicem toto noctis tempore accedere non valerent. *Tenuit pedes eorum abyssus, et aquæ operuerunt eos,* id est, aqua maris Rubri divisi ad priorem refluens locum, impedivit pedes Ægyptiorum a processu. *Exod.* XII, 41; XIV, 8, 9. *Ibid.* XIV, 24. *Ibid.* 19, 20.

Sic fiant isti, puta Assyrii, *Domine, qui* C *confidunt in multitudine sua, et in curribus suis, et in contis,* id est perticis præacutis ferro seu cuspide, quas loco hastarum rustici portant, *et in sagittis suis, et in lanceis suis gloriantur ; et nesciunt quia,* id est quod, *tu ipse* verus, omnipotens et omnia intuens, *es Dominus Deus noster, qui conteris bella ab initio,* id est, ab antiquis temporibus contrivisti bellatores iniquos, et bella eorum cassasti : sicut in Josue et Judicum libro narratur ; *et Dominus nomen est tibi,* quia tu propria po- D testate et auctoritate universis et singulis dominaris, cujus respectu omnis creatura dominans, est instrumentum et serva, imbecillis, dependens, exigua. Ideo ait Psalmista : Qui dominatur in virtute sua in æternum. Unde per Isaiam testatur : Ego Dominus, hoc est nomen meum. *Ps.* LXV, 7. *Is.* XLII, 8.

Erige brachium tuum, id est, omnipotentiam tuam sublimiter per effectus tuos ostende, *sicut ab initio, et allide virtutem eorum in virtute tua,* id est, propria potestate confringe potestatem atque exercitum As-

Digitized by Google

syriorum; *cadat virtus eorum in iracundia tua,* id est in rigore justitiæ tuæ, *qui promittunt se violare sancta tua,* id est, jactanter præsumunt quod sacra templi contaminabunt ac destruent, *et polluere tabernaculum nominis tui,* id est templum tuæ majestati deputatum seu inchoatum, *et dejicere gladio suo cornu altaris tui. Fac ut gladio proprio ejus superbia amputetur,* id est, superbum caput Holofernis amputetur manu mea ipsius mucrone. *Capiatur laqueo oculorum suorum in me,* id est, incauto suo intuitu sic afficiatur ad me, ut id fiat occasio suæ interfectionis, *et percuties eum ex labiis caritatis meæ,* id est, per verba labiorum meorum, quæ ex caritate filiorum Israel pronuntiabo, facies eum seu permittes decipi, atque corruere seu occidi, ut spero. Hæc enim dixit ex bona fiducia, non ex certitudine absoluta.

Verumtamen circa hæc, est præcipua difficultas, quæ et in sequentibus quoque occurrit. Videtur etenim Judith optasse ac postulasse, quod Holofernes eam intuendo, accenderetur libidinoso ejus amore et carnali affectu, quatenus sic deceptus, perimeretur ab ea in lecto aut camera. Alium autem ad mortale peccatum ex proposito incitare, seu velle inducere, est mortale peccatum, et caritati Dei ac proximi directe contrarium, quantumcumque hoc ultra ordinetur ad commendabilem finem : imo bonus finis est appetendus et exquirendus seu obtinendus per proportionata et licita media. Ad istud dicendum videtur, quod Judith, quæ erat virtuosa et prudens matrona, non intendebat Holofernem inducere ad libidinosum amorem aut concupiscentiam vitiosam, sed ad concupiscentiam talem ac tantam, quod acciperet eam ad suam familiaritatem, vel optaret habere eam et accipere conjugem : non quod ipsa intenderet cum ipso contrahere, quod nec voluit nec licuit ei, † videlicet Holoferni. Cf. Deut. VII, 3.

Circa hoc refert Lyra positionem quorumdam, dicentium quod Judith non peccavit in prædicta oratione et sua compositione, quoniam aliud intendebat, et aliud prævidebat. Intendebat quippe sic grata fieri Holoferni, quod posset familiariter esse cum ipso ad ejus interitum perpetrandum : quod ei licitum erat, quoniam fuit adversarius Dei et boni communis ac cultus divini. Prævidebat autem amorem Holofernis illicitum circa se. Non tamen propter hoc debuit dimittere bonum prædictum, sicut nec Deus dimittit peccatorem punire, quamvis videat eum ex hoc deteriorari, ut patuit in Pharaone. Sed contra positionem hanc objicit prætactus expositor, quoniam eadem est intentio finis, et eorum quæ sunt ad finem, quando apprehenduntur ut ordinata ad finem : sicut mobile eodem motu movetur in medium et terminum. Judith autem intendebat mortem Holofernis, tanquam finem intentum, ad quem intendebat pertingere per privatam familiaritatem : et hanc familiaritatem intendebat per ardorem concupiscentiæ Holofernis in ipsam, et sic intendebat eum inducere ad peccatum mortale. Exod. V-XIV.

Sed qui vult positionem istam, quæ satis probabilis reputatur, defendere, dicere habet, quod Judith non intendebat familiaritatem illam Holofernis acquirere per vitiosum ardorem concupiscentiæ sensualis in ipsam, sed per concupiscentiam talem ac tantam, qua cuperet eam ducere in uxorem ; et quamvis ipsa facillime poterat conjicere, quod Holofernes eam vitiose appeteret, non tamen ob hoc debuit procurationem familiaritatis illius vitare : sicut qui ab usurariis accommodat ad usuram, non peccat, quamvis sciat quod illi non mutuabunt sibi sine usura, quoniam ipse non intendit eos ad usuram inducere, sed propriæ necessitati consulere ; et sic malo illorum utitur ad bonum suum, sicut et Deus ex malis aliorum elicit multa bona. Hinc in secunda secundæ, quæstione 78, loquitur Thomas : Nullatenus licitum est alium ad peccandum inducere ; sed malo ac peccato alterius uti in bonum, est licitum. Nam et Deus utitur peccatoribus in bonum, dum ex eorum malis elicit bona. Hinc Augustinus Publicolæ sciscitanti, an

Digitized by Google

liceat uti juramento jurantis per falsos deos, respondit, quod utens juramento ita jurantis, non se sociat peccato illius, sed bono ejus pacto, quo fidem servavit; peccaret autem, si illum induceret ad jurandum per falsos deos.

Da mihi in animo constantiam, ne feminea instabilitate aut mollitie seu formidine vincar aut flectar, *ut contemnam illum,* non in quantum homo est et in officio constitutus, sed in quantum iniquus est ac tyrannus, hostis divini cultus fidelisque populi, *et virtutem,* id est abusum potestatis *ejus, ut evertam illum.* Sic enim (Ps. xiv, 4.) de justo cantatur : Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus. Et justus (Ps. xl, 12.) fatetur : Despexit oculus meus inimicos meos. *Erit enim hoc memoriale nominis tui,* id est opus commemoratione dignissimum, in quo omnipotentiæ ac sapientiæ atque justitiæ tuæ excellentia relucebit ac recoletur, imo laudabitur, *quum manus feminæ dejecerit eum,* id est tam † superbum, crudelem ac superbissimum hominem, cui nullus virorum seu principum potest aut audet resistere : unde apertissime innotescet, hoc esse opus providentiæ tuæ justissimæ, quæ superbos humiliat, et tam arrogantissimum, tam confusibiliter (ut confido) calcabit. Unde Abimelech videns se per mulierem letaliter vulneratum, dixit armigero suo : (Judic. ix, 54.) Evagina gladium tuum, et percute me, ne forte dicatur quod a femina interfectus sim.

Non enim in multitudine est virtus tua, Domine : id est, potestas tua non consistit in copioso exercitu, sicut potestas regis terreni sita est in multitudine adjuvantium eum; sed tu ex te et per te omnipotens es, et tua potestate potes dare triumphum tam bene per unum, sicut per multos : quemadmodum primo Regum libro Jonathas ait, (I Reg. xiv, 6.) Non est Domino difficile salvare in multis vel in paucis. Secundo quoque Paralipomenon Asa rex, (II Par. xiv, 11.) Domine, inquit, non est apud te ulla distantia, utrum in paucis auxilieris, an in pluribus. *Neque in equorum viribus voluntas tua est,* id est, beneplacitum tibi non est in fortitudine equorum, sed in spe et devotione tuorum fidelium : juxta illud Psalmistæ, Non in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibiis viri beneplacitum erit ei. (Ps. cxlvi, 10.) Ideo in Proverbiis asseritur : Equus paratur ad diem belli, Dominus autem salutem tribuet. (Prov. xxi, 31.) *Neque superbi ab initio placuerunt tibi :* imo in prima ætate mundi superbos gigantes, et in principio creationis superbientes angelos dejecisti; (Is. xiv, 9 et seq.) *sed humilium et mansuetorum tibi semper placuit deprecatio :* quum in Ecclesiastico scriptum sit, Oratio humiliantis se nubes penetrabit ; (Eccli. xxxv, 21.) atque in Psalmo, Exaltabit mansuetos in salutem. (Ps. cxlix, 4.) Hæ namque duæ virtutes Deo præcipue placent, et invicem sunt germanæ, ac tantæ excellentiæ, ut eas Christus potissime commendaverit a se esse discendas : Discite, inquiens, a me, quia mitis sum et humilis corde. (Matth. xi, 29.) Unde et divinus Dionysius in epistola ad Demophilum scribit : Moyses, David et Joseph maximam apud Dominum gratiam invenerunt, quoniam mansueti fuerunt. (Num. xii, 3; Ps. cxxxi, 1; Is. lv, 3; Gen. xliv, xlv.)

Deus cœlorum, creator aquarum et Deus totius creaturæ,* (* Dominus) cujus potestati nullus potest resistere, *exaudi me miseram deprecantem,* id est afflictam et populo meo intime condolentem, ac periculo magno expositam, nisi succurras : quia quum pulchra sim, me impii illi in primis fœdarent; *et de tua misericordia præsumentem,* quia per te facere spero, quod meis viribus me posse implere diffido. *Memento, Domine, testamenti tui,* id est pacti quod cum patribus nostris inisti, quibus et promisisti quod posteritati eorum ad te confugienti succurreres; et memor sis observantiæ ac religionis testamenti, quod per Moysen nobis mandasti, ut eas conserves; *et da verbum* efficax, sapientiale et bene sonans, *in ore meo,* dando mihi gratiam sic loquendi, quod propositum meum sortiatur effectum, *et in corde meo consilium corrobora,* ut bene judicem de agendis; *ut domus tua,* videlicet templum, *in*

Digitized by Google

tua sanctificatione, id est in sancto cultu tuo et in consecratione, *permaneat,* nec violetur per impios. *Et omnes gentes agnoscant,* per victoriam nobis tua virtute præstandam, *quoniam tu es Deus, et alius non* (Exod. xx, 2.) A *est præter te,* id est, quod tu solus sis verus Deus, imo quod nullus habeat esse plenum atque perfectum, nisi tu, cujus comparatione omne creatum esse, est velut non esse. (Deut. xxxii, 39; Is. xliv, 10, 11.)

ARTICULUS X

EXPOSITIO CAPITULI DECIMI : FACTUM EST AUTEM QUUM CESSASSET CLAMARE AD DOMINUM.

QUALITER Judith se ornavit, et Holoferni occurrit, hic recitatur. *Factum est autem quum cessasset clamare ad Dominum,* id est, orationem suam complesset : in qua clamavit potius fervore devotionis, quam altitudine vocis; *surrexit de loco in quo jacuerat prostrata ad Dominum, vocavitque abram suam,* id est ancillam, non qualemcumque, sed valde electam, quam noverat aliis ancillis prudentiorem et constantiorem ac multum fidelem. Vel dicitur abra, quia paulo post, eam libertati donavit. *Et descendens in domum suam, abstulit a se cilicium, et exuit se vestimentis viduitatis suæ.* Viduas enim decet humilis, simplex, non curiosus vestitus. Unde in Genesi legitur, Thamar deposuisse vestimenta viduitatis. (Gen. xxxviii, 14.)

Et lavit corpus suum, forsan in balneo, ut capacius fieret unctionis. *Et unxit se myrrho optimo,* id est unguento odorifero facto de myrrha. *Et discriminavit,* id est, divisit et ornate distinxit, *crines capitis sui,* per discriminalia seu pectines : de quibus in Isaia legitur. (Is. iii, 20.) *Et imposuit mitram super caput suum,* id est sertum quoddam caput decorans. *Et induit se vestimentis jucunditatis,* id est vestibus quibus in magnis solenniis utebatur, vel viro suo vivente solebat aliquando uti, sive in nuptiis, et consimilibus jucundis negotiis. *Induitque sandalia pedibus suis,* id est calceamenta pulchra : in quibus solent celebrare Papa et præsules. *Assumpsitque* B *dextraliola,* id est dextræ ornamenta, *et lilia,* id est ornamenta ad caput pendentia, instar liliorum formata, *et inaures,* id est aurium ornamenta, *et annulos,* qui ponuntur in digitis, *et omnibus ornamentis suis ornavit se. Cui etiam Dominus contulit splendorem,* augendo gratiose ejus decorem. *Quoniam omnis ista compositio non ex libidine, sed ex virtute pendebat,* id est ex magnitudine caritatis populi sui, quem cupivit a periculo liberare, et ex plenitudine devotionis qua affectavit cultum Dei C in suo conservare vigore. *Et ideo Dominus in illa hanc pulchritudinem ampliavit, ut incomparabili decore omnium oculis appareret.*

Imposuit itaque abræ suæ ascopam *, id est mensuram seu utrem *vini, et vas olei,* id est vasculum cum oleo, *et polentam,* id est subtilem farinam aut cibum inde confectum; vel est genus leguminis; *et lapates* *, id est cibos de oleribus, vel secundum quosdam de ficubus factos, *et panem et caseum,* ut his interim vescerentur, non gentilium escis; *et profecta est.*

* ascoperam

* palathas

D *Quumque venissent ad portam civitatis* Bethuliæ, *invenerunt exspectantem Oziam et presbyteros civitatis. Qui quum vidissent eam, stupentes, mirati sunt nimis pulchritudinem ejus* Ozias et sacerdotes. *Nihil tamen interrogantes, eam dimiserunt, dicentes : Deus patrum nostrorum det tibi gratiam,* id est prosperum successum in exsecutione tui propositi, *et omne consi-*

Digitized by Google

lium tui cordis sua virtute corroboret, et A *glorietur super te Jerusalem, et sit nomen tuum in numero Sanctorum. Et dixerunt hi qui illic erant, omnes una voce : Fiat, fiat. Judith vero orans Dominum, transivit per portas.*

Factum est autem quum descenderet montem, qui erat extra et prope Bethuliam, *circa ortum diei, occurrerunt ei exploratores Assyriorum,* id est observatores qui per gyrum urbis observabant, ne quis de urbe effugeret, *et tenuerunt eam, dicentes : Unde venis? aut quo vadis? Quæ* B *respondit : Filia sum Hebræorum. Ideo ego fugi a facie eorum, quoniam futurum agnovi quod dentur vobis in deprædationem,* id est, vestræ voluntati exponantur ad deprædandum, *pro eo quod contemnentes vos, noluerunt ultro,* id est sponte, *tradere se ipsos* in manus vestras,*ut invenirent misericordiam in conspectu vestro. Hac de causa cogitavi mecum, dicens : Vadam ad faciem principis Holofernis, ut indicem illi secreta illorum, et ostendam illi, quo aditu,* id est accessu, *possit obtinere eos,* C *ita ut non cadat unus de exercitu ejus. Et quum audissent viri illi verba ejus, considerabant faciem ejus, et erat in oculis eorum stupor, quoniam pulchritudinem ejus mirabantur nimis. Et dixerunt ad eam : Conservasti animam tuam, eo quod tale reperisti consilium, ut descenderes ad dominum nostrum. Hoc autem scias, quoniam quum steteris in conspectu ejus, bene tibi faciet, et eris gratissima in corde ipsius.*

Circa hæc, dubia duo occurrunt. Pri- D mum, an licite ita ornavit se. Et videtur quod non, quum sancti patres testentur, quod vir aut mulier ornate se vestiens seu adornans, et suo ornatu oculos hominum in se provocans, etiamsi nullum damnum inde sequatur, tamen æternum supplicium patietur, quia venenum præbuit, si fuisset qui biberet. Qui enim sic agit, alios, quantum in se est, scandalizat. Et væ homini per quem scandalum venit. Aliud est, an mentita sit, et mentiendo peccaverit, proferendo verba jam tacta. Et videtur evidenter esse mentita et peccasse, falsum scienter et ex proposito proferendo.

Matth. XVIII, 7.

Ad primum horum videtur dicendum, secundum prætacta in præcedenti articulo, quod ornatus ille excusetur a culpa, quia sic decoravit se, ut posset congruenter appeti ab Holoferne in conjugem, et hoc ultra retulit ad populi sui liberationem : quamvis talia non sint passim ad imitationem trahenda, sicut nec alia multa quæ in Scripturis leguntur, et ex inspiratione divina processisse creduntur, nec aliter excusarentur. Ad aliud quidam respondent, quod Judith mystice sit locuta. Alii dicunt, secundum quod littera sonat, quod mentita sit mendacio officioso, venialiterque peccavit. Quibus objici posset, quia mendacium officiosum est, quod est alicui utile et nulli nocivum. Hæc autem verba Judith referebantur ab ea ad Holofernis deceptionem, imo et interfectionem. Verum ad hoc posset responderi, quod Holofernes promeruit sic decipi et occidi, atque utilius ei fuit tolli de medio, quam vivendo diutius tot crimina perpetrare. Videtur quoque dici posse, quod ironice sit locuta, secundum quod tertio Regum Michæas ait ad Achab : Ascende et vade prospere, et tradet Dominus in manu regis. Et tales locutiones sunt etiam in Scripturis frequentes. Tamen, ut probabiliter dicitur, non oportet ipsam Judith a veniali mendacio excusari.

Judith IX.

III *Reg.* XXII, 12, 15.

Duxeruntque illam ad tabernaculum Holofernis. Quumque intrasset ante faciem ejus, statim captus est in oculis suis, id est, mox ut eam vidit, vulneratus est concupiscentia, quæ fuit ei deceptionis et mortis occasio. *Dixeruntque ad eum satellites ejus : Quis contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras habet mulieres, ut non pro his merito pugnare debeamus contra eos?* quasi dicant : Non sunt Hebræi isti tam aspernandi, quin dignum sit nos contra eos pugnare, eo quod uxores eorum ac filiæ sint tam pulchræ. Istud fuit et unum malum, præter intentionem ve-

Digitized by Google

nerabilis Judith, ex ejus ornatu secutum, quod scilicet Assyrii ex ea sic decorata, amplius accendebantur ad invadendum Judæos, et ad violandum eorum filias et uxores. *Videns itaque Judith Holofernem sedentem in conopeo,* id est in throno seu solio suo, ad cujus sedis magnificentiam et ornatum fuit appensum subtilissimum rete, sericumve resticulum, defendens adversus muscarum et culicum morsum, *quod* A *erat ex auro et bysso, et purpura, et smaragdo, et lapidibus pretiosis intextum,* id est insertum. *Et quum in faciem ejus intendisset, adoravit eum* adoratione duliæ; vel ex simulatione, vel ex potestatis ipsius consideratione, quia non est potestas nisi (*Rom.* XIII) a Deo : imo ad procurandum sibi benevolentiam ejus in interitum ipsius; *prosternens se super terram. Et elevaverunt eam servi Holofernis, jubente domino suo.*

ARTICULUS XI

EXPLANATIO CAPITULI UNDECIMI : TUNC HOLOFERNES DIXIT EI : ÆQUO ANIMO ESTO.

RESPONSIO Judith ad Holofernem, hic scribitur. *Tunc Holofernes dixit ei : Æquo animo esto, et noli pavere in corde tuo.* Jam per concupiscentiam victus, cœpit molliter loqui, cupiens feminæ complacere. *Quoniam ego nunquam nocui,* id est læsi, *viro qui voluit* absque omni renisu *servire Nabuchodonosor regi.Populus autem tuus, si non contempsisset me, non allevassem lanceam meam super eum.Nunc autem dic mihi, qua ex causa recessisti ab illis, et placuit tibi ut venires ad nos.*

Et dixit Judith : Sume ancillæ tuæ verba, quoniam si secutus fueris verba ancillæ tuæ, faciet rem perfectam Dominus tecum, id est, perfectum opus justitiæ faciet in te, interficiendo te per me. Hæc fuit intentio Judith. Quæ tamen per verba hæc dedit Holoferni intelligere, quod Deus daret ei perfectam victoriam de Hebræis. Intendebat namque eum decipere, secundum quod in bello justo licet uti insidiis, (*Josue* VIII; *Judic.* IX, XX.) ut Josue ostendit, ac in Judicum libro patet simile. Nam et verbis obscuris licitum est veritatem celare, non autem mentiri. *Vivit enim Nabuchodonosor rex terræ,* non totius terræ, sed magnæ partis ipsius, intelligendo per terram, habitatores ejus; *et vivit virtus ejus quæ est in te,* id est, po- B testas ejus tibi commissa viget, et operatur per te *ad correptionem omnium animarum errantium,* id est ad castigandum et emendandum quosdam de omni genere peccantium, circa quos Holofernes et rex ejus erant flagellum divinæ justitiæ. Dicuntque aliqui, ipsam Judith dixisse hæc verba jurando, sicut consuetudinis est Scripturæ, per hanc formam verborum, Vivit Dominus, jurare. Et sic Joseph legitur per salutem Pharaonis jurasse. (*Gen.* XLII, 15.) Sed contra hoc objicit quidam, quod Judith non excusa- C retur a falso juramento, quod est mortale peccatum. Quæ objectio non apparet idonea : quod enim mox subditur, ad cujus assertionem verba illa inducuntur, est verum, videlicet, *quoniam non solum homines serviunt ei per te, sed et bestiæ agri obtemperant illi.* Quod de hominibus certum est. De bestiis vero, verificatur eo modo, quo per Jeremiam et Ezechielem [Deus] prædixit : Insuper et bestias agri (*Jer.* XXVII, 6.) dedi ei, seu bestiæ agri obedient illi, videlicet Nabuchodonosor regi Chaldæorum. D Dicuntur autem bestiæ obtemperare homini metaphorice.

Nuntiatur enim industria, id est solertia, *animi tui universis gentibus,* id est quibusdam de omnibus, *et indicatum est*

Digitized by Google

omni sæculo, id est cunctis habitantibus nunc in mundo, id est quibusdam de cunctis : ut sit distributio accommoda atque locutio hyperbolica ; *quoniam tu solus bonus et potens es in omni regno ejus,* id est præcipue bonus in tuo officio, et potens in civili regimine, ac summus post regem. Constitutis enim in officio publico solet attribui bonitas dignitatis, quamvis vitiosi exsistant, sicut et Paulus apostolus in Actis
Act. xxvi, 25. ait judici incredulo : Non insanio, optime Feste. *Et disciplina tua,* id est informatio seu increpatio pungitiva circa rebelles, *omnibus provinciis prædicatur.*

Nec hoc latet quod locutus est Achior :
Judith v, 5-25. cujus verba supra habentur ; *nec illud latet, quod jusseris ei evenire :* quod iti-
Ibid. vi, 2-6. dem continetur supra. *Constat enim, Deum nostrum sic peccatis offensum* a populo nostro, *ut mandaverit,* id est insinuaverit, *per Prophetas suos ad populum* Hebræorum, *quod tradat eum* adversariis, *pro peccatis suis.* Hoc simpliciter est verum, si referatur ad tempora præcedentia, seu subsequentia tempus Judith, non autem videtur verificari pro tempore illo. *Et quoniam sciunt se offendisse Deum suum filii Israel, tremor tuus super ipsos est,* id est, in eis est tremor ex consideratione excellentiæ et iracundiæ tuæ adversus eos. *Insuper etiam fames invasit eos; et ab ariditate aquæ,* id est præ siccitate sitis quam patiuntur ex carentia aquæ seu potus : juxta quem modum loquendi fertur in Psalmo,
Ps. cviii, 24. Caro mea immutata est propter oleum, id est ex defectu olei ; *jam inter mortuos computantur,* id est, quasi mortui sunt : sicut de homine agonizante dicimus, quod sit mortuus homo. Unde et primo libro
I Reg. xx, 3. Regum David fatetur : Ego et mors uno tantum gradu dividimur. Ista ad litteram ita erant.

Denique hoc ordinant, ut interficiant pecora sua, et sanguinem eorum bibant :
Lev. vii, 26, 27. quod in Levitico prohibetur. Istud interdum ab obsessis seu in necessitate constitutis legitur factum. Non autem legitur, quod filii Israel ad litteram hoc egerint : quod tamen spiritualiter bene egerunt, bestiales motus exstirpando, et contritione de illis concepta, quasi poculo se replendo. Aliqui autem dicunt eam in his et sequentibus verbis mentitam. Glossa vero ait, quod locuta sit, non adulatorie neque mendaciter, sed mystice atque prophetice. *Et sancta Domini Dei sui, quæ Deus præcepit non contingi,* id est vasa sacra templi, quæ tangere non licebat, nisi templi mi- Num. iv, 19.
nistris, ut quidam exponunt ; vel primitias et decimas sacerdotibus ac Levitis deputatas ; *in frumento, vino et oleo hæc cogitaverunt impendere,* id est in proprium usum redigere, vel alienigenis dare seu commutare pro frumento, vino et oleo ; *et volunt consumere, quæ nec manibus deberent contingere,* scilicet sacra vasa : quod ad litteram verum non fuit. Porro, in necessitate poterant decimæ et primitiæ comedi [tam] ab aliis, quam a templi ministris, quemadmodum David et exsistentes cum eo comederunt panes propositionis, ut primo Regum volumine narratur. *Ergo* I Reg. xxi, 6.
*quoniam hæc faciunt, certum est quod in perditionem tradantur**. Quod secundum superficiem litteræ ita non fuit ; tamen spiritualiter, etiam justi in hac vita perditionibus, id est damnis et tribulationibus ac mortibus, exponuntur.

* dabuntur

Quod ego ancilla tua cognoscens, fugi ab illis, id est, per modum fugientis veni ad te, seu mente recessi a peccatis eorum. *Et misit me Dominus hæc ipsa nuntiare tibi :* quia a Deo inspirata est Judith, ut veniret ad Holofernem. *Ego enim ancilla tua Deum colo, etiam nunc apud te ; et exiet ancilla tua, et orabo Deum, et dicet mihi, quando eis reddet peccatum eorum**, id est, quando infliget eis debitam pœnam pro eorum peccatis, videlicet in particulari ac universali futuro judicio, quantum ad impœnitentes ; *et veniens nuntiabo tibi,* si Deus hoc jusserit mihi. Vel, Nuntiabo tibi mentis meæ conceptum. *Ita ut ego adducam te per mediam Jerusalem. Et habebis omnem populum Israel, sicut oves quibus non est pastor ; et non latrabit vel*

* suum

Digitized by Google

unus canis contra te, quoniam mihi hæc A *dicta sunt per providentiam Dei*. Ironice dicit hoc, vel figurative, vel quia per apprehensionem imaginariam poterat Holofernem sic ducere. Sive ut quidam dicunt, officiosa mendacia protulit.

Placuerunt autem omnia verba hæc coram Holoferne : qui accepit ea secundum quod sonuerunt, et pro ipso esse favorabilia videbantur. *Et mirabantur sapientiam ejus, et dicebant alter ad alterum,* hoc est, servi Holofernis mutuo loquebantur : *Non est talis,* id est tam perfecta, *mulier* B *super terram in conspectu,* id est apparatu venustateque morum, *in pulchritudine et in sensu,* id est sententiositate, *verborum :* quasi dicant, Digna esset conjugio principis nostri. *Et dixit ad illam Holofernes : Bene fecit* [*Deus*], *qui misit te ante populum, ut des illum tu in manibus nostris. Et quoniam bona est promissio tua, si fecerit mihi hoc Deus tuus,* quod promittis, *erit et Deus meus.* Hoc videtur dixisse ex quadam emollitione circa mulierem, cujus amore exstitit victus, ad complacendum eidem. Alias magnum non reputabat filios Israel superare. *Et tu in domo,* id est familia seu palatio, *Nabuchodonosor* regis *magna eris,* videlicet conjux aut concubina mea.

ARTICULUS XII

EXPOSITIO CAPITULI DUODECIMI : TUNC JUSSIT EAM INTROIRE UBI REPOSITI ERANT THESAURI EJUS.

NUNC recitatur, qualiter usque secre- C tum cubiculi Holofernis perducta sit Judith. *Tunc jussit eam introire ubi repositi erant thesauri ejus, et jussit illic manere eam, et constituit quid daretur illi de convivio suo.* Ex quo patet, quod valde honoravit eam, et de ejus fidelitate non dubitavit. *Cui dixit Judith : Nunc non potero manducare ex his quæ mihi præcipis tribui,* scilicet de cibariis tuis, in quibus sunt aliqua lege prohibita, *ne veniat super me offensio,* hoc est, ne Deum meum offendam, et offensus non revelet D mihi, quando daturus sit populum. *Ex his autem quæ mihi detuli, manducabo. Cui Holofernes ait : Si defecerint tibi ista, quid tibi faciemus? Et dixit Judith : Vivit anima tua, domine meus, quoniam non expendet omnia hæc* victualia, quæ mecum portavi, *ancilla tua, donec faciat Deus in manu mea,* id est per obsequium manus meæ seu virtutis operativæ, *ea quæ cogitavi.* Quod fuit impletum, quia antequam omnia illa comedit, Holofernem occidit.

Et induxerunt illam servi ejus in tabernaculum, quo præceperat; et petiit, dum introiret, hoc est, quando incepit ab Holoferne recedere ad locum thesaurorum ejus, rogavit Holofernem, *ut daretur ei copia,* id est libertas et facultas, *nocte et ante lucem egrediendi foras ad orationem, et deprecandi Dominum,* ut instante aurora, oraret devotius sola cum sua ancilla. *Et præcepit* Holofernes *cubiculariis suis, ut sicut placeret,* id est, ipsa Judith ad placitum suum, *exiret et introiret* locum sibi deputatum, *et adoraret* ubi et quando vellet, *Deum suum per triduum :* post quod intendebat dormire cum illa. *Et exibat noctibus in vallem Bethuliæ,* quæ fuit extra urbem illam non longe, *et baptizabat,* id est lavabat *se,* scilicet manus, faciem, seu plura membra, *in fonte,* qui erat ibi, ut mundior oraret secundum consuetudinem Judæorum, et pulchrior re-

Digitized by Google

maneret ob causam præhabitam. *Et ut ascendebat* de fonte, *orabat Dominum Deum Israel, ut dirigeret viam suam, ad liberationem populi sui; et introiens, munda,* id est non inquinata cibis gentilium, aut aliqua legis irregularitate, *manebat in tabernaculo* thesaurorum Holofernis, *usquedum acciperet escam suam in vesperum.* Unde apparet, quod jejunabat illis diebus usque de sero.

Et factum est in quarto die ab exitu Judith de Bethulia, *Holofernes fecit cœnam servis suis* solennem, volens post cœnam cum Judith uniri. Et aliqui putant, quod voluit eam accipere conjugem. *Et dixit ad Vagao eunuchum : Vade et suade,* id est, informa seu induc *Hebræam illam, ut sponte consentiat habitare mecum.* Ex quibus verbis videtur insinuari, quod voluerit eam secum de cetero detinere quasi uxorem. *Fœdum est enim apud Assyrios, ut femina irrideat virum, agendo ut immunis,* id est incognita et non humiliata a viro, *transeat ab eo. Tunc introivit Vagao ad Judith, et dixit : Non vereatur bona puella :* forte putavit eam adhuc virginem esse; *introire ad dominum meum, ut honorificetur ante faciem ejus, et manducet cum eo, et bibat vinum in jucunditate. Cui Judith respondit : Quæ ego sum, ut contradicam domino meo ? Omne quod erit ante oculos ejus bonum et optimum,* id est quædam de omnibus illis, *faciam* quantum ad aliqua, scilicet veniendo ad mensam ejus, et manducando cum ipso, atque intrando cubiculum ejus. *Quidquid autem placuerit illi,* de præambulis ad dormiendum cum ipso, *hoc mihi erit optimum omnibus diebus vitæ meæ,* id est, erit mihi occasio et medium exsequendi in eo quod cupio, scilicet interficiendi eum secrete in suo cubiculo.

Et surrexit, et ornavit se vestimento suo, et ingressa stetit ante faciem ejus. Cor autem Holofernis concussum est, id est, repente impletum motu concupiscentiæ prædominantis et ardore libidinis, statim ut Judith venit ad ejus præsentiam. *Erat enim ardens in concupiscentia ejus. Et dixit ad eam : Bibe nunc, et accumbe,* hoc est comede, *in jucunditate, quoniam gratiam invenisti coram me. Et dixit Judith : Bibam, domine, quoniam magnificata est anima mea hodie præ omnibus diebus meis :* id est, nunquam fui tantum honorata honore mundano, seu a principe tam potente, ut modo. Et hoc ad litteram potuit esse verum. Et præsertim, in quantum honoratio illa fuit ei dispositio valde propinqua ad exsequendum suum intentum in Holoferne, fuit præcipua sublimatio sua. Ipsa tamen tam reverenter, et quasi favorabiliter loquebatur, quatenus Holofernes nequaquam se observaret ab ea. *Et accepit* ipsa Judith, *et manducavit et bibit coram ipso* Holoferne, *ea quæ paraverat ei ancilla ejus. Et jucundus factus est Holofernes ad eam,* id est ex ejus præsentia, præsupponens se mox fruiturum objecto tam concupito. *Bibitque vinum multum nimis, quantum* una die *nunquam biberat in vita sua.* Quod fecit ex immoderata lætitia; et quia impetus passionis suæ concupiscentiæ, et ardor libidinis mentem ejus obcæcaverunt, ita quod sine discretione ingurgitavit se.

Digitized by Google

ARTICULUS XIII

DECLARATIO CAPITULI TERTIIDECIMI : UT AUTEM SERO FACTUM EST.

DESCRIBITUR hic decapitatio Holofernis. *Ut autem sero factum est*, finita jam cœna, *festinaverunt servi ejus ad hospitia sua*, hoc est tentoria in quibus repausabant. *Et conclusit Vagao ostia cubiculi*, Holoferne et Judith exsistentibus in cubiculo, *et abiit. Erant autem omnes*, videlicet Holofernes et servi ejus, *fatigati a vino*, id est valde inebriati seu ingurgitati. *Eratque Judith sola in cubiculo* cum Holoferne. *Porro Holofernes jacebat in lecto nimia ebrietate sopitus*, hoc est, graviter dormiens. *Dixitque Judith puellæ suæ, ut staret foris ante cubiculum, et observaret* an aliquis adveniret, quatenus sibi hoc insinuaret. Hoc dixit abræ suæ antequam introivit in cubiculum Holofernis. Vel, egresso Vagao eunucho, aperuit ostium cubiculi, et paulisper egrediens, dixit istud ancillæ suæ.

Stetitque Judith ante lectum Holofernis, *orans cum lacrimis, et labiorum motu in silentio, dicens : Confirma me, Deus Israel, et respice in hac hora ad opera manuum mearum, ut sicut promisisti, Jerusalem civitatem tuam erigas*, etc., hoc est, ab Assyriorum istorum invasione eripias, et eam exaltes, seu reædificari perfectius facias. Quemadmodum enim Isaias, Jeremias, Ezechiel prænuntiaverunt urbis illius destructionem ante Babylonicam captivitatem, sic prædixerunt ejus reparationem post reditum ab eadem captivitate futuram. *Et quum hæc dixisset, accessit ad columnam, quæ erat ad caput lectuli. Et pugionem ejus exsolvit*, id est, ensem parvum bis acutum Holofernis dissolvit. *Quumque evaginasset illum, apprehendit comam capitis ejus, et ait : Confirma me, Deus, in hac hora. Et percussit bis in cervicem*, hoc est collum *ejus ; et abscidit caput ejus*. Unde constat quod fortiter viriliterque percussit. *Et abstulit conopeum ejus*, videlicet ipsius Holofernis : de quo conopeo dictum est supra ; quod secum portavit, ut infra elucescit. *Et evolvit corpus ejus truncum*, hoc est, corpus Holofernis capite truncatum traxit a lecto in terram, ut patet sequenti capitulo, quatenus cubicularius, ingressurus ante alios cubiculum, majori concuteretur horrore, viso cadavere.

(Is. XXIX ; Jer. XVI, XIX, XXI ; Ezech. IV, XII, XV. — Is. LXII, LXV ; Jer. XLVI, L ; Ezec. XXVIII, XXXVI. — Judith X 19. — Ibid. XIV, 14.)

Et post pusillum exivit, et tradidit caput Holofernis ancillæ suæ, et jussit ut mitteret illud in peram suam. Et exierunt duæ secundum consuetudinem suam, quasi ad orationem, hoc est, quasi ad orandum in valle Bethuliæ, sicut jam ante fecerunt noctibus tribus ; *et transierunt castra*, id est, tentoria ac militiam Assyriorum pertransierunt : ita quod exploratores seu vigiles Assyriorum eas non accesserunt, nec interrogaverunt, quoniam data fuit libertas exeundi ad orationem ipsi Judith ab Holoferne, saltem per tres noctes ; et forsan non viderunt eam. *Et gyrantes*, id est circumeuntes, *vallem* Bethuliæ, *venerunt ad portam civitatis* remotiorem a circumjacente Assyriorum exercitu. *Et dixit Judith a longe custodibus murorum :* quibus præ gaudio acclamavit, certa quod ab Assyriis audiri non posset : *Aperite portas, quoniam nobiscum est Deus*, per specialem effectum misericordiæ atque potentiæ suæ. Ideo subditur : *Qui fecit virtutem in Israel*, id est, per me feminam Israelitam, fecit magnum et potentem effectum.

Et factum est quum audissent viri vocem ejus, vocaverunt presbyteros civitatis ac ceteros principales ; et concurrerunt ad

eam omnes, a minimo usque ad maximum, quoniam speraverunt, id est, timuerunt paulo ante, *eam jam non esse venturam.* Sicque Sperare, quod proprie sumptum, est præstolatio de bono futuro, sumitur hic multum improprie pro Timere. Itaque timuerunt eam non esse reversuram, sed ab Assyriis detentam et violatam, aut ob suam renitentiam interfectam. *Et accendentes luminaria, congyraverunt,* id est, in circuitu steterunt, *circa eam universi,* cupientes nova audire in tam arduo casu.

Illa autem ascendens in eminentiorem locum, ut videretur et audiretur a cunctis, *jussit fieri silentium. Quumque omnes tacuissent, dixit Judith : Laudate Dominum Deum nostrum, qui non deseruit sperantes in se,* videlicet nos, qui in tanto periculo cum fiducia invocavimus eum, *et in me ancillam suam adimplevit misericordiam suam,* id est, multiplicem effectum suæ pietatis copiose exhibuit mihi, *et interfecit in manu mea,* id est per obsequium manuum mearum, quarum una tenuit comam Holofernis, alia intulit ictum, *hostem populi sui in hac nocte. Et proferens de pera caput Holofernis, ostendit illis, dicens : Ecce caput Holofernis principis militiæ Assyriorum. Ecce conopeum illius,* quod fuit expansum ante lectum ipsius ad repellendum muscas et culices, *in quo recumbebat,* id est, infra quod jacebat, *in ebrietate sua.* Deinde jurat se intactam rediisse, sicut patet in textu qui planus est.

Universi autem adorantes Dominum cum laude et gratiarum actione, quemadmodum jam Judith admonuit, *dixerunt : Benedixit te Dominus in virtute sua,* id est, in omnipotentia sua multiplicavit in te dona et beneficia sua, per quæ fecit te benedictam, atque ab omnibus benedicendam, *quia per te ad nihilum redegit inimicos nostros,* id est, cœpit redigere, et mox plenius rediget. Jam enim præsupponebant se prævalituros exercitui, cujus princeps fuit occisus.

A *Porro Ozias princeps populi Israel, dixit ad eam : Benedicta es tu, filia, a Domino Deo excelso, præ omnibus mulieribus* divisim acceptis, *super terram* exsistentibus tempore isto. Verumtamen an tempore illo non fuerit aliqua mulier in hoc mundo sanctior quam hæc Judith, videtur incertum ; nec Ozias scire hoc potuit sine revelatione divina. Sed constat, quod quantum ad specialia quædam beneficia, et quoad aliqua bellica gesta, fuerat pro tunc præ ceteris mulieribus benedicta. Quo modo de
B quolibet sancto dicitur confessore : Non est Eccli. XLIV, 20.
inventus similis illi. *Benedictus Dominus, qui creavit cœlum et terram, qui te direxit in vulnera capitis principis inimicorum nostrorum,* id est ad vulnerandum et amputandum caput principis inimicorum nostrorum ; *quia hodie,* id est in hac nocte, *nomen tuum,* id est te ipsam, *ita magnificavit,* per præclarissimos actus, quos fecit per te, et ad quos agendos te inspiravit, direxit, corroboravit, *ut non recedat laus tua de ore hominum, qui memores*
C *fuerint virtutis Domini in æternum, pro quibus non pepercisti animæ tuæ propter angustias tribulationum generis tui, sed subvenisti ruinæ ante conspectum Dei nostri. Et dixit omnis populus, Fiat, fiat :* sicut videmus impletum.

Porro Achior vocatus venit. Gentilis namque et incircumcisus exsistens, non se ingessit in populum Dei, nisi vocatus. *Et dixit ei Judith : Deus Israel, cui tu testimonium dedisti quod ulciscatur se de inimicis suis, ipse caput omnium incredulorum*
D *incidit hac nocte in manu mea. Videns autem Achior caput Holofernis, angustiatus,* id est horrore concussus ex tam inopinato et arduo facto, *præ pavore,* id est admiratione et quadam formidine, *cecidit in faciem suam super terram.* Tales etenim vehementes passiones partis sensitivæ fiunt cum grandi et immoderata alteratione corporalis naturæ, sicque debilitatem inducunt et casum. *Et æstuavit anima ejus,* id est, ad anxietatem, sudorem, ecstasim quamdam devenit anima

Digitized by Google

ejus, quia et omnipotentiam ac providentiam Dei in isto intuebatur negotio. *Postea vero quam reassumpto spiritu recreatus est,* id est rationis judicio et viribus paulatim recuperatis, *procidit ad pedes ejus,* videlicet Judith, *et adoravit eam* adoratione duliæ, propter eminentiam virtuositatis ac sapientiæ suæ. *Et dixit : Benedicta tu a Deo tuo,* id est a Deo vero, et ad ejus honorem et laudem, *in omni tabernaculo Jacob,* id est tota posteritate Jacob patriar- A chæ, *quoniam in omni gente quæ audierit nomen tuum,* id est, gesta tua perceperit, *magnificabitur Deus Israel super te,* id est, Deus omnipotens magnifice laudabitur ex consideratione beneficiorum quæ contulit tibi, et mirabilium quæ fecit per te. Ecce quam infinita est perfectio providentiæ ac sapientiæ Dei : qui cuncta tam præclare disponit, et superbos humiliat, imo eos qui animosius se extollunt, confusibilius dejicit. *Ps.* xvii, 28; *Is.* x, 33; *Ezech.* xvii; *Dan.* iv; *Luc.* xiv, 11.

ARTICULUS XIV

EXPOSITIO CAPITULI QUARTIDECIMI : DIXIT AUTEM JUDITH AD OMNEM POPULUM.

CONGRESSUS Hebræorum contra Assyrios hic recitatur. *Dixit autem Judith ad omnem populum : Audite me, fratres ; suspendite caput hoc super muros vestros**, in signum divini subsidii, et ut capitis hujus intuitione concipiatis majorem contra hostes audaciam : quemadmodum secundo Machabæorum fertur de Juda Machabæo : Suspendit autem caput Nicanoris in summa arce, ut esset manifestum signum adjutorii Dei. *Et erit, quum exierit sol* de hemisphærio inferiori ad hemisphærium superius, scilicet valde mane, *unusquisque* aptus ad prælium, scilicet vir qui sit viginti annorum, prout describitur in libro Numerorum, *accipiat arma sua, et exite cum impetu,* id est audacter et cito, quasi nihil timentes, *non ut descendatis deorsum,* eundo tarde et timide, *sed quasi impetum facientes. Tunc exploratores necesse erit ut fugiant, ad principem suum excitandum ad pugnam. Quumque duces eorum cucurrerint ad tabernaculum Holofernis :* quoniam sine scitu, nutu et dispositione principis militiæ, non audebant prælium inchoare aut gerere ; *et invenerint eum truncum,* id est capite truncatum, *decidet super eos timor. Quumque cognoveritis fugere eos, ite post eos securi* B de victoria, *quoniam Dominus conteret eos sub pedibus vestris.*

* nostros

II *Mach.* xv, 35.

Num. i, 3.

Tunc Achior, videns virtutem quam fecit Deus Israel, id est magnificum illum effectum Dei, *relicto gentilitatis ritu,* id est cultu idolorum, *credidit Deo,* id est, legem Moysis acceptavit, credens contentis in ea. *Et circumcidit carnem præputii sui,* id est, circumcidi fecit secundum legis tenorem ; *et appositus est ad populum Israel, et omnis successio generis ejus.* Præterea quæri potest, qualiter licuit Hebræis C ipsum Achior ad suam communionem ita suscipere, quum in Deuteronomio jusserit Dominus : Ammonites et Moabites etiam post decimam generationem non intrabunt in Ecclesiam Dei in æternum. Respondetur, quod illud præceptum dispensationem admisit ex inspiratione divina in certis personis, propter earum præcipuam devotionem et benevolentiam circa Deum legis et populum ejus, sicut in Ruth Moabitide, et isto Achior Ammonite : prout Thomas in prima secundæ magis declarat. *Deut.* xxiii, 3. *Ruth* iv.

D *Mox autem ut orta est dies.* Hic refertur, qualiter exsecuti sint filii Israel jussionem Judith ; nec est difficultas in littera, idcirco nec immorandum. *Quod videntes exploratores, ad tabernaculum Holofernis*

Digitized by Google

cucurrerunt; vel ad tentoria Assyriorum, intelligendo plurale per singulare. *Porro hi qui in tabernaculo erant* Holofernis, *ante ingressum cubiculi perstrepentes,* et sonitum facientes cum motu pedum, ac aliis signis, *inquietudinem arte moliebantur, ut non ab excitantibus, sed a sonantibus Holofernes evigilaret,* id est, cum industria exercebant resonantiam quamdam. *Nullus enim audebat tabernaculum virtutis Assyriorum,* id est ædem, cameram seu cubiculum regis aut principis Assyriorum, *pulsando aut intrando* per januam, *aperire. Sed quum venissent duces,* qui singulis præerant aciebus, *et tribuni,* qui dicuntur præfuisse mille viris, *dixerunt cubiculariis,* qui confidentius intrant cubilia dominorum suorum : *Intrate, et excitate illum, quoniam egressi mures de cavernis,* id est latibulis *suis, ausi sunt nos provocare ad prælium.* Tam aspernanter locuti sunt Assyrii de Israelitis ex magnitudine elationis, ideo meruerunt ab his, quos pro nihilo reputabant, dejici.

Tunc Vagao ingressus cubiculum ejus, stetit ante cortinam, et plausum fecit ma-

A *nibus suis : suspicabatur enim illum cum Judith dormire. Sed quum nullum motum jacentis sensu aurium caperet, accessit proximans ad cortinam. Et elevans eam, vidensque cadaver absque capite Holofernis in suo sanguine tabefactum,* id est infectum atque fœdatum, *jacere super terram, exclamavit voce magna cum fletu, et scidit vestimenta sua ; et ingressus tabernaculum Judith, non invenit eam. Et exsilivit foras ad populum, et dixit : Una mulier Hebræa fecit confusionem,* id est confusi-
B bile homicidium, occidendo principem nostrum, *in domo regis Nabuchodonosor,* id est in populo ejus. *Ecce enim Holofernes jacet in terra, et caput ejus non est in illo. Quod quum audissent principes virtutis,* id est exercitus seu acierum, *Assyriorum, sciderunt vestimenta sua* præ dolore. *Et intolerabilis timor et tremor cecidit super eos, et turbati* [*sunt*] *animi eorum valde. Et factus est clamor incomparabilis in medio castrorum eorum.* Audientes enim principem suum esse occisum a muliere Hebræa,
C non confidebant se posse resistere viris Hebræis contra se venientibus et armatis.

ARTICULUS XV

DECLARATIO CAPITULI QUINTIDECIMI : QUUMQUE OMNIS EXERCITUS DECOLLATUM HOLOFERNEM AUDISSET.

FUGA et debellatio Assyriorum hic describuntur. *Quumque omnis exercitus* Assyriorum *decollatum Holofernem audisset, fugit mens,* id est usus rationis quoad multa, *et consilium ab eis :* ita quod non conferebant, nec inquirebant de modo resistendi Hebræis, qui respectu Assyriorum paucissimi erant, ac ulciscendi tam confusibilem mortem principis sui. *Et solo tremore et metu agitati, fugæ præsidium sumunt,* id est, fugam pro remedio ac subsidio assumpserunt, *ita ut nullus loqueretur cum proximo suo, sed inclinato*

capite, relictis omnibus, evadere festina-
D *bant Hebræos, quos armatos super se venire audierant**. Sic enim timor prædomi- *audiebant
nans et perturbatio obtenebraverant corda eorum; nec egerunt quemadmodum primo Machabæorum exercitus Jonathæ narratur fecisse : qui cognoscens Jonathan domi- I Mach. XII, 50.
num suum perisse, hortati sunt se mutuo ad resistendum hostibus suis super se venientibus, et ipsos hostes verterunt in fugam. *Fugientes* Assyrii *per vias camporum et semitas collium :* fugientes enim de bello, divisim per diversas fugiunt vias. *Ita-*

Digitized by Google

que filii Israel [*fugientes secuti sunt...*] *ululantes,* id est alte clamantes, *post ipsos* Assyrios fugientes. *Et quoniam Assyrii non adunati, in fugam ibant præcipites,* id est huc illucque ruentes seu vacillantes; *filii autem Israel uno agmine,* id est pariter adunati *persequentes* Assyrios, *debilitabant,* vulnerando aut occidendo, *omnes quos invenire potuissent.*

Misitque nuntios Ozias per omnes civitates et regiones, id est per terras duodecim tribuum *Israel. Omnis itaque regio* illa, *omnisque urbs electam juventutem,* id est elegantes robustosque juvenes bellatores, *armatam misit post eos,* id est ad insequendum Assyrios; *et persecuti sunt eos in ore gladii, quousque pervenirent ad extremitatem finium suorum. Reliqui autem qui erant in Bethulia, ingressi sunt castra Assyriorum, et prædam abstulerunt. Hi vero qui victores reversi sunt* ab insecutione Assyriorum, *omnia quæ erant illorum,* quæ scilicet Assyrii fugientes reliquerunt in campis atque tentoriis, *abstulerunt.*

Joachim autem summus pontifex : qui supra vocatus est Eliachim, secundum probabiliorem opinionem; *venit in Bethuliam cum universis presbyteris suis, ut videret Judith.* Naturale namque est homini, libenter videre eos qui magna et mira atque insolita operantur. Nam et in ipsis auctoribus mirabilia gesta eorum quodammodo conspiciuntur, sicut effectus in sua causa. Similiter homines eminenter sapientes et sancti, libenter videntur, sicut et cetera quæ magnæ excellentiæ sunt.

(Judith IV, 11.)

Quæ quum exisset ad illum, benedixerunt, id est laudaverunt, *illam omnes,* videlicet pontifex et sacerdotes, *una,* id est consona *voce, dicentes,* seu uno verba alterius approbante et confirmante : *Tu gloria Jerusalem,* id est objectum, causa et materia gloriæ et honoris civitatis Jerusalem et habitatorum ipsius, quoniam eruisti eam et templum ac habitantes in ea a magnis periculis, et a violatione divini cultus. Sic quoque *tu es lætitia Israel,* id est Israeliticæ plebis, quam nunc magnifice lætificasti. *Tu honorificentia populi tui*,* id est causa et materia honoris et sublimationis tuorum concivium, propinquorum et amicorum. *Quia fecisti viriliter,* non muliebriter, et gratiam sic agendi accepisti a Domino, *et confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaveris* vidualem ex caritate, hoc est Dei intuitu et amore, sine quo nihil est meritorium apud Deum, *et post virum tuum alterum nescieris,* quum tamen sis juvenis, pulchra, opulenta, nobilis, et multam familiam habens. *Et ideo manus Domini confortavit te,* ad faciendum opus tam magnum. *Et eris benedicta in æternum,* id est, in Ecclesia militante laudaberis usque in finem mundi, atque in triumphante Ecclesia eris perpetue gloriosa.

* nc i

Per dies autem triginta vix collecta sunt spolia Assyriorum a populo Israel. Porro universa quæ Holofernis peculiaria fuisse probata sunt, id est, cuncta quæ Judith et populus certe aut probabiliter cognoverunt proprie pertinuisse ad Holofernem et usum ipsius, *dederunt Judith in auro et argento, et vestibus, et gemmis, et omni supellectili, et tradita sunt illi omnia a populo,* tanquam victrici principis tanti, et procuratrici totius victoriæ.

ARTICULUS XVI

ELUCIDATIO CAPITULI SEXTIDECIMI : TUNC CANTAVIT CANTICUM HOC DOMINO JUDITH.

FINALITER introducitur hic laus et gratiarum actio Judith, quam obtulit Deo in recognitionem beneficiorum suorum ac tanti triumphi. Consuetudo autem fuit Judæis, de magnis beneficiis atque victoriis canticum Deo offerre. *Tunc cantavit*

Digitized by Google

canticum hoc Domino Judith, dicens : Incipite Domino in tympanis, id est, cum talibus musicis instrumentis incipite Deum laudare, quatenus ex melodia musicorum provocemini ad devotionem majorem ; et eadem ratione, *cantate Domino in cymbalis.* Porro tympanum est pellis seu corium super lignum extentum ex una parte : et significat carnis castigationem ac mortificationem, spiritualemque jucunditatem in tali virtuoso exercitio consistentem. Cymbalum vero est musicum instrumentum, ex permixtis metallis sonum B reddens acutum : per quod unanimis plurima psalmodia, seu laus Deo oblata, exprimitur. Idcirco qui carnem suam cum (Galat. v, 24.) vitiis et concupiscentiis crucifigit, atque cum aliis concorditer psallit, spiritualiter cantat Domino Deo in cymbalis, juxta illud ad Romanos : Unanimes uno ore honorificetis Deum. (Ps. cl, 5. Rom. xv, 6.) *Modulamini,* id est, cantate *illi, psalmum novum,* id est recens præconium pro novis beneficiis istis. *Exsultate* spirituali lætitia, *et invocate nomen ejus,* id est, ex intimo cordis affectu ipsum C orate.

Dominus conterens bella, id est, bellatores et bella injusta contra populum suum insurgentia destruens, dando victoriam suis fidelibus, sicut in Exodo, Josue, Judicum, librisque Regum, Paralipomenon et Machabæorum, copiose describitur. Invisibilium quoque hostium tentamenta et prælia facit superari ac destrui, juxta illud ad Romanos : Deus conteret Satanam sub pedibus vestris velociter. (Ibid. xvi, 20.) *Dominus nomen est illi. Qui posuit castra sua,* id est tentoria D seu exercitus suos, vel angelorum subsidia : de quibus Joel, Multa (inquit) sunt nimis castra Dei, fortia et facientia verbum ejus. (Joel ii, 11.) Unde visis angelis sibi obviantibus, Jacob ait in Genesi : Castra Dei sunt hæc. (Gen. xxxii, 2.) *In medio populi sui, ut eriperet nos de manu omnium inimicorum nostrorum* visibilium et invisibilium : juxta illud in Psalmo, Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. (Ps. xc, 11.) De quibus et quarto Regum libro loquitur Eliseus : Plures nobiscum sunt quam cum illis, id est cum pravis hominibus. (IV Reg. vi, 16.)

Venit Assur, id est exercitus Assyriorum cum principe suo, *ex montibus ab aquilone,* id est per loca montuosa a plaga septentrionali secundum unum respectum, ut tactum est supra, *in multitudine fortitudinis suæ : cujus multitudo obturavit torrentes,* eos terra replendo aut epotando per se et per sua jumenta. *Dixit se incensurum fines meos,* id est oppida, villas, castella terræ promissionis, *et juvenes meos occisurum gladio, infantes meos dare in prædam, et virgines in captivitatem. Deus autem omnipotens :* qui ait in Jeremia : Quis similis mei ? et quis sustinebit me ? et quis est iste pastor qui resistat vultui meo ? (Jer. xlix, 19.) *nocuit,* id est læsit, *eum* (secundum antiquam grammaticam), *et tradidit in manus feminæ* principem Assyriorum. *Et confudit eum,* id est, confusibiliter fecit occidi.

Non enim cecidit potens eorum a juvenibus, id est Holofernes, princeps et potentior inter suos. Quemadmodum enim naturale robur corporis præcipue consistit in corde, sic fortitudo exercitus in principe militiæ. Hinc libro de Re militari ait Vegetius, quod sicut cor est in medio corporis, sic princeps militiæ esse debet in medio sui exercitus. Itaque potens ille non cecidit a juvenibus, id est, interfectus non est manu juvenum, qui in bellis frequenter se exponunt periculis, ut magnum aliquid agere videantur, et probitatem ostendant. Unde secundo libro Regum Abner dixit ad Joab : Surgant pueri et ludant coram nobis. (II Reg. ii, 14, 16.) Quorum unusquisque defixit gladium suum in latus contrarii. Et vocatus est locus ille, ager Fortium. *Nec filii Titan percusserunt eum.* Filii Titan dicuntur quidam Græcorum valde excellentes in viribus, qui interdum vocantur Titanes. Titan quoque nonnunquam pro sole accipitur : a quo dicuntur Titanes, quasi mundum sua proprietate illuminantes. Idcirco inepta videtur expositio intelligentium per filios Titan, filios gigantis sive gigantum.

Digitized by Google

De quibus et subditur : *Nec excelsi gigantes opposuerunt se illi.*

Sed Judith filia Merari : cujus genealogia supra descripta est ; (Judith viii, 1.) *in specie faciei suæ dissolvit eum,* (Ibid. x, 17.) hoc est, per pulchritudinem traxit eum in laqueum mortis, juxta sensum introductum : ex qua expositione patet sensus verborum sequentium, *Exuit se vestimento viduitatis,* usque ibi, *Amputavit cervicem ejus pugione,* id est gladio brevi pungenti. *Horruerunt Persæ constantiam ejus,* hoc est, horror invasit corda Persarum, ex consideratione constantiæ B Judith, quæ tantum principem ausa fuit invadere, *et Medi audaciam ejus.* Hi Persæ et Medi fuerunt in Assyriorum exercitu, qui cum stupore timuerunt tam horrendam sui principis mortem a femina attentatam.

Tunc ululaverunt castra Assyriorum, hoc est, acies eorum miserabiliter clamaverunt, sicut in quartidecimi fine capituli legitur : (Ibid. xiv, 18.) Factus est clamor incomparabilis in medio castrorum eorum ; *quando apparuerunt humiles mei,* hoc est filii Israel, præsertim habitatores Bethuliæ ad Deum C humiliter clamitantes, *arescentes in siti,* hoc est aridi præ potus inopia. *Filii puellarum compunxerunt eos,* id est, filii Israel ex Hebræis puellis nati, simul vulneraverunt et punxerunt fugientes Assyrios. *Et perierunt* Assyrii *in prælio a facie Domini mei,* hoc est, ab adspectu et adjutorio Dei occisi sunt Assyrii, in illa impugnatione eis ab Hebræis illata.

Hymnum cantemus Domino ; hymnum novum cantemus Deo nostro. Adonai Domine, magnus es tu. Adonai, est nomen D Hebraicum, quod interpretatur Dominus. Sicque duo hæc nomina, idem significant; et unum est expositivum alterius, sicut quum dicitur, Abba pater. (Marc. xiv, 36 ; Rom. viii, 15; Galat. iv, 6.) Atque, ut asserit Glossa, Adonai est unum de decem nominibus Dei apud Hebræos. Præterea aliqui libri habent : Adonai Domine Deus. Et sic Magister in historiis ponit, addens : Super hoc canticum invenis, quod dicit Hieronymus super Psalmum, (Ps. viii, 2.) Domine Dominus noster : quia quum in Hebræo legitur nomen

A Domini geminatum, sicut hic, Adonai Domine Deus, primum est τετραγράμματον, apud Hebræos ἄῤῥητον, hoc est ineffabile; secundum vero est nomen Domini commune. Itaque, Adonai Domine, magnus es tu, non corporis quantitate, sed incircumscriptibili majestate, et prorsus infinita perfectione. *Et præclarus in virtute tua,* hoc est excellentissimus potestate et sanctitate, ac in te ipso supersplendidissimus et superpulcherrimus, inaccessibilem lucem inhabitans. (I Tim. vi, 16.)

Tibi serviat omnis creatura tua : quia dixisti, et facta sunt ; misisti spiritum tuum, et creata sunt, id est, imperium effudisti, seu Spiritus Sancti potestatem in opus procedere voluisti : juxta illud Psalmistæ, Verbo Domini cœli firmati sunt, (Ps. xxxii, 6.) et spiritu oris ejus omnis virtus eorum. *Et non est qui resistat voci tuæ,* hoc est tuo imperio, quo absolute vis aliquid fieri. Nullus quoque potest verbis divinarum jussionum de jure resistere : quibus tamen de facto multi resistunt. *Montes a fundamentis movebuntur cum aquis,* quando tu jusseris : juxta illud, Qui respicit terram, (Ps. ciii, 32.) et facit eam tremere ; qui tangit montes, et fumigant. *Petræ sicut cera liquescent ante faciem tuam,* hoc est ex majestatis tuæ præsentia et præcepto. Quod tamen imminente futuro generali judicio, maxime fiet per ignem conflagrationis, secundum illud, Ignis ante ipsum præcedet ; (Ps. xcvi, 3.) itemque, Montes sicut cera fluxerunt a (Ibid. 5.) facie Domini. Hinc fertur in Job : Qui transtulit montes, (Job ix, 5, 6.) et nescierunt hi quos subvertit ; qui commovet terram de loco suo, et columnæ ejus concutientur. Ecclesiasticus quoque ait : Ecce cœlum et cœli cœlorum, (Eccli. xvi, 18, 19.) abyssus et universa terra, et omnia quæ in eis sunt, in conspectu Dei commovebuntur ; montes simul et colles, et fundamenta terræ, et quum conspexerit illa Deus, tremore concutientur. *Qui autem timent te* filiali timore, perseveranter usque in finem, *magni erunt apud te per omnia :* quia fulgebunt sicut sol in regno suo, et nihil deerit eis. (Dan. xii, 3; Matth. xiii, 43.)

Digitized by Google

Væ genti insurgenti super genus meum, id est contra filios Israel, et nunc contra Christianos injuste se erigenti. *Dominus enim omnipotens vindicabit in eis* peccata eorum contra fideles commissa : juxta illud Deuteronomii, *Deut.* XXXII, 43. Quia sanguinem servorum suorum ulciscetur, et vindictam retribuet in hostes eorum. *In die judicii* generalis ac particularis *visitabit illos,* visitatione pœnæ et condemnationis. De qua loquitur per Sophoniam : *Soph.* I, 9, 12. Visitabo super omnem qui arroganter ingreditur; et visitabo super viros defixos in fæcibus suis. De qua visitatione loquitur Isaias, *Is.* XXIV, 22. Post dies multos visitabuntur : quia damnati post quamcumque seu quantumlibet longam durationem punientur. *Dabit enim ignem et vermes in carnes eorum :* juxta illud Isaiæ, *Ibid.* LXVI, 24. Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur. Ideo subditur : *ut urantur et sentiant usque in sempiternum.* Et de igne illo nulla est dubitatio, quin vere sit corporalis et acerrime puniens, sed non consumens. Porro de verme communiter dicitur, quod sit spiritualis, videlicet remorsus synderesis. Verum, quia hic dicitur, Dabit ignem et vermes in carnes eorum; aliqui, ut Haymo et eum sequentes, de corporalibus, edacibus, horrendissimis ac monstruosissimis vermibus istud exponunt. De quo nuper plenius scripsi super illud Ecclesiastici, *Eccli.* VII, 19. Humilia valde spiritum tuum, quoniam vindicta carnis impii, ignis et vermis : idcirco hoc loco pertranseo.

Amplius, veneranda hæc Judith ac populus, non laudibus tantum, sed et sacrificiis Deum honoraverunt, sicut subjungitur. *Et factum est post hæc, omnis populus,* id est quidam de omnibus, præsertim majores ac bellatores, *post victoriam venit ad Jerusalem,* ubi erat locus sacrificiorum, *adorare Dominum :* quem in omni loco poterant adorare, sed adorare cum sacrificiis non licebat nisi in templo, nisi ex inspiratione et dispensatione divina. *Et mox ut purificati sunt omnes,* secundum legem. De purificatione autem redeuntium a bello, legitur in Numerorum libro : *Num.* XXXI, 19-24. qui purificabantur adspersione aquæ lustrationis, de qua iterum Numerorum libro habetur. *Ibid.* XIX, 2-9. *Obtulerunt holocausta :* quæ ad divinæ majestatis honorem totaliter incendebantur, in signum quod rationalis creatura debet se totam Deo offerre, ac divino mancipare obsequio; *et vota,* id est votivas seu spontaneas hostias, *et repromissiones suas,* id est oblationes quas facere promiserunt. De quibus omnibus in Levitico legitur. *Porro Judith universa vasa,* id est arma, *bellica Holofernis, quæ dedit illi populus, et conopeum,* de quibus jam dictum est, *obtulit Deo* totius victoriæ donatori, in recognitionem et jugem commemorationem beneficiorum ipsius. Propter quod subditur : *in anathema oblivionis,* id est ad condemnationem et exclusionem immemorationis beneficiorum tantorum. Fecit enim ea suspendi vel reservari in templo, ut filii Israel ea intuendo, memores semper essent beneficiorum istorum.

Erat autem populus jucundus secundum faciem sanctorum, id est spirituali lætitia secundum apparatum hominum virtuosorum, et sicut in faciebus sanctorum virorum solet ex interiori sinceritate et jucunditate interna, jucunditas quædam forinsecus ac claritas relucere. *Et per tres menses gaudium hujus victoriæ celebratum est cum Judith. Post dies autem illos unusquisque rediit in sua.*

Et Judith magna facta est in Bethulia, quia crevit quotidie in sapientia et virtute, et in honore habebatur præcipuo, *et præclarior erat universæ terræ Israel,* id est clarissima mulierum Israelitarum tempore illo. *Erat autem virtuti castitas adjuncta, ita ut non cognosceret virum omnibus diebus vitæ suæ, ex quo defunctus est Manasses vir ejus. Erat autem festis diebus procedens cum magna gloria :* non utique cum fastu et pompa, sed ex devotione, et pro Dei honore, qui eam sic exaltavit, et cujus gratia considerabatur in ea. Processit autem cum decenti ornatu atque familia, prout decuit excellentiam; et glo-

Digitized by Google

riabatur in Domino. *Mansit autem in domo viri sui annis centum et quinque :* non quod tot annis habitaverit in domo mariti defuncti, sed tamdiu quod pervenit ad annos vitæ suæ centum et quinque. *Et dimisit abram suam liberam,* id est, liberavit, imo et locupletavit eam abunde : quam dilexit ut filiam, juxta illud Ecclesiastici, *Eccli.* XXXIII, 31. Servus fidelis sit tibi dilectus quasi anima tua, et quasi filium tracta eum. *Et defuncta est, ac sepulta cum viro suo in Bethulia, luxitque eam populus diebus septem,* *Ibid.* XXII, 13. sicut in Ecclesiastico scriptum est : Luctus mortui, dies septem ; luctus autem fatui et iniqui, omnes dies vitæ eorum.

In omni autem spatio vitæ ejus non fuit qui perturbaret Israel. Hoc non potest intelligi sicut sonat, quum ea vivente Assyrii gravissime perturbaverint Israelem. Sed sensus est, quod in spatio vitæ ejus post præfatam victoriam, nullus generalem persecutionem Israelitico intulit populo. *Et post mortem ejus multis annis :* et hoc meritis sanctæ feminæ hujus. *Dies autem victoriæ hujus festivitatis, ab Hebræis in numero sanctorum et festivorum dierum accipitur, et colitur a Judæis ex illo tempore usque in præsentem diem ;* atque, ut in Scholastica historia fertur, Cambysa est vocata a Cambyse seu Nabuchodonosor rege, ad Dei honorem ac impii regis confusionem.

Sensus spiritualis. Præterea constat, hanc magnanimem, castam et fervidam Judith, fuisse figuram Virginis gloriosæ atque Ecclesiæ; Holofernem autem et ejus exercitum, designasse diabolum et angelos tenebrarum, qui semper impugnant Ecclesiam. Beatissima autem Maria virgo prorsus devicit diabolum, sicut de ea Deus prædixit illi iniquo : Inimicitias ponam inter te et mulierem, ipsa conteret caput tuum. *Gen.* III, 15. Et quanto Christifera Virgo et sancta Ecclesia in omni virtute et gratia pulchriores exsistunt, tanto plus impius ille eas subvertere nisus est. Sed ipsæ prostraverunt eum proprio pugione ipsius, dum tentamenta illius penitus confutantes, per ea sibi ipsis meruerunt coronam, et illi procuraverunt confusionem; cunctis quoque fidelibus formam resistendi dæmonibus ostenderunt, ita quod fideles exemplis et documentis Virginis benedictæ et almæ matris Ecclesiæ succensi ac roborati, fugaverunt et vicerunt dæmones tentatores, suamque victoriam Deo cum omni humilitate, laude, gratiarumque actione, et sacrificio evangelicæ legis attribuerunt et obtulerunt. Pretiosissimas demum opes, id est animas deceptas, quas abstulerunt Holoferni, id est diabolo, incorporaverunt Domino Jesu Christo in anathema oblivionis, quatenus nunquam obliviscamur beneficiorum Salvatoris. Sed et Virgini benedictæ optime convenit laus illa : Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi tui.

Postremo, de præfato Nabuchodonosor seu Cambyse in Historiis recitatur : Cambyses post prædicta cum grandi exercitu intravit et vastavit Ægyptum, et abominatus religionem Ægypti, cærimonias ejus ac templa deposuit, ædificavitque urbem Babylonem in Ægypto : a qua dum regrederetur, ægrotavit ac ferebatur cervicibus regum, et mortuus est in Damasco; reddente illi quod meruit Judice summo, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

FINIS COMMENTARIORUM LIBRI JUDITH

Digitized by Google

ENARRATIO
IN LIBRUM ESTHER

Digitized by Google

Digitized by Google

PROŒMIUM

SICUT *sol oriens in mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonæ species in ornamentum domus suæ.* Eccli. XXVI, 21.

Potest hoc verbum de sancta et speciosissima Esther convenienter exponi, cujus domus fuit Synagoga seu familia Judæorum. Itaque, sicut sol claritatis suæ splendore tenebras fugat, terram fecundat, ac totum venustat sensibilem mundum, et reddit eum visibilem; sic electissima Esther desolatissimum populum suum a nebulis tristitiarum eripuit, suisque precibus ac beneficiis exhilaravit, et de paupere fecit ditissimum, atque virtutibus suis, sapientia et doctrina ornavit, populum illum ad Creatoris amorem et cultum succendit, et ab extrema adversitate ad maximam prosperitatem perduxit. Et omnia ista per eam egit Omnipotens, cujus sapientiæ non est finis, *Ps.* CXLVI, 5. et cujus potentia nec terminum habet neque mensuram, qui et infirma elegit, ut per *I Cor.* I, 27. ea operetur maxima bona, quemadmodum in historia libri jam exponendi monstratur.

Digitized by Google

Digitized by Google

ENARRATIO
IN LIBRUM ESTHER

ARTICULUS PRIMUS

EXPOSITIO CAPITULI PRIMI : IN DIEBUS ASSUERI REGIS.

LIBER Esther inter Scripturas computatur canonicas, atque in ordine Hagiographorum reponitur. Accidit quoque historia ista post reditum filiorum Israel a Babylonica captivitate : et primo isto narratur capitulo, qualiter Assuerus rex suam repudiavit uxorem ; secundo, qualiter puellam nomine Esther, natione Hebræam, duxit in conjugem ; deinde qualiter per eamdem procurata sit liberatio Judæorum a mortis periculo.

In diebus Assueri, qui regnavit ab India usque Æthiopiam super centum viginti septem provincias. Assuerus iste rex fuit Persarum atque Medorum : quem aliqui dicunt fuisse octavum post Cyrum regem, qui monarchiam obtinuit, omissis duobus magis, id est sapientibus, qui post Cambysem filium Cyri regis regnasse dicuntur septem mensibus tantum, ut quidam hic scribit. Quod non apparet idonee dictum, quia (ut Magister in historiis narrat) primus illorum duorum sapientium regnavit mensibus septem, et post eum frater ipsius modico tempore, ita quod duratio regnationis eorum non se extendebat ad annum unum. Hujus opinionis, quod scilicet Assuerus fuit octavus post Cyrum, fuit auctor Scholasticæ historiæ, dicens quod post duos magos illos regnavit Darius filius Hystaspis, unus sep- A tem sapientium seu magorum, qui post regem judicabant et administrabant regnum Persarum ; post Darium, filius ejus Xerxes, post quem, filius ejus Artaxerxes ; post hunc, filius ejus Xerxes secundus, cui successit Sogdianus, et Sogdiano Darius cognomento Nothus, huicque Dario Artaxerxes, alio nomine Assuerus, sub quo contigit historia Esther. Alii dicunt, quod Assuerus iste fuit quartus post Cyrum : quod Josephus sensisse videtur undecimo libro Antiquitatum, affirmans B post Cyrum regnasse filium ejus Cambysem ; post Cambysem, Darium filium Hystaspis, qui Darius non fuit de semine Cambysis; post Darium autem, filium ejus Xerxem; post Xerxem, filium ejus Artaxerxem. Quidam vero opinantur, quod Assuerus iste successit immediate Cyro regi Persarum, vel saltem Cambysi filio Cyri.

Præterea Nicolaus de Lyra positiones has recitans, dicit quod tertia verisimilior videatur ; et addit, quod Rabbi Salomon uno loco dicit Assuerum hunc immediate C Cyro successisse, et tamen super Danielem tenet, quod Cambyses fuit medius rex inter ipsos. Ratio autem quæ movit Lyram ad reprobandum duas primas positiones est, quoniam præsupposuit, quod Mardochæus captus fuit cum Jechonia rege Juda : quod infra dicit patere. Sicque per *Esther* II, 6.

durationem Babylonicæ captivitatis, et per A tempora quibus præfati reges Persarum regnaverunt, probat quod Mardochæus primo anno regni Assueri fuit ad minus ducentorum quinque annorum, et adhuc alii multi anni essent addendi. Non est autem probabile, quod tam diu vixerit, aut in tanta ætate facere potuisset quæ legitur infra fecisse. Secundam quoque positionem redarguit, quia secundum eam Mardochæus in principio regni Assueri fuisset centum quinquaginta sex annorum, imo et plurium. Itaque tertiam sequens positionem, B dicit quod Mardochæus in principio regni Assueri fuit circiter centum annorum.

Verum Rabbi Paulus omnia ista argumenta Lyræ conatur cassare una solutione. Lyra namque se fundat in eo quod *Esther* II, 5, 6. sequenti habetur capitulo : Erat autem vir Judæus in Susis civitate, vocabulo Mardochæus, filius Jair, filii Semei, filii Cis de stirpe Jemini, qui translatus fuerat de Jerusalem, eo tempore quo Jechoniam regem Juda Nabuchodonosor rex Babylonis transtulerat. In hac auctoritate hoc relati- C vum, Qui, Lyra refert ad Mardochæum, quod Rabbi Paulus dicit posse referri ad Cis proavum Mardochæi : velut si dicamus, David fuit filius Jesse filii Obed filii Booz, qui contraxit cum Ruth Moabitide, relativum hoc, Qui, refertur ad Booz, non ad David. Verumtamen ista solutio Rabbi Pauli non invenitur idonea. Quamvis enim quod ait de relatione relativi, possit salvari, sumendo præinducta verba secundum se, tamen si attendantur verba sequentia, veritatem non habent, quia secundo D capitulo post præallegata verba immediate *Ibid.* 7. subjungitur, Qui fuit nutricius filiæ fratris sui Edissæ, quæ altero nomine Esther vocabatur. Quo constat, quod utrumque hoc relativum, Qui, seu unum repetitum, ad Mardochæum sit referendum.

Sed his obviare videtur quod Magister in historiis refert : Erat tunc in Susis Judæus vocabulo Mardochæus de tribu Jemini, qui descenderat de transmigratione Jechoniæ : hic erat nutricius Esther. Ex quibus verbis apparet, quod per nativitatem descenderit de aliquo transmigrato cum Jechonia, præsertim quum glossa ejusdem historiæ dicat, Descenderat de transmigratione non immediate, sed per successiones, quia pater ejus vel avus vel proavus descenderat. Ad quod dicendum, quod in Scholastica historia in libro correspondente quarto Regum, manifeste habetur, quod Nabuchodonosor transtulit *IV Reg* XXIV. cum Joachin seu Jechonia in summa quasi decem millia, inter quos erant Mardochæus et Ezechiel. Et sic magis standum videtur textui, quam glossæ illius, et præsertim textui libri hujus canonici.

Itaque veriorem puto primam positionem, quam Magister in historiis sequitur, et quod Josephus aliquos omisit. Nam secundus Xerxes quem omisit, regnavit duobus mensibus ; Sogdianus vero quem omisit, mensibus septem. Quid autem de Mardochæo senserit Josephus, in libro Antiquitatum non reperi, nisi quod undecimo libro Antiquitatum narrat Darium re- *Ant. Jud* lib. XI, c. 4 gem scripsisse Samaritis : Zorobabel et Ananias et Mardochæus legati Judæorum vos accusant. Quod tamen de isto Mardochæo non arbitror dictum, sed de alio quodam ad Judæam a Babylone reverso : ad quam Judæam Mardochæus non rediit, nisi forsan dicatur ad tempus rediisse, et rursus in Babylonem reversus.

Verum juxta hæc, remanet quæstio, qualiter potuerit Mardochæus tam diu vixisse, et in senectute tam magna egisse quæ infra de eo narrantur. *Esther* IV *et seq.* Ad quod faciliter poterit responderi, si ad omnipotentiam Dei respiciatur, qui per Mardochæum voluit Israelitico populo subvenire. Imo infra tempus evangelicæ legis leguntur quidam vixisse usque ad quadringentos annos, sicut in Chronicis Martini recitatur de quodam, qui ob senium vocabatur Joannes de Tempore. Et nuper fuit in ducatu Hollandiæ quidam, qui supra centum multis annis vixisse asseritur. Tamen de his quæ infra certitudinem sunt, non convenit multum assertorie loqui.

Digitized by Google

Itaque, In diebus Assueri, *quando sedit in solio,* id est regio throno, *regni sui,* tanquam receptus et roboratus, *Susa civitas* regni Persarum, *regni ejus exordium fuit,* id est caput atque metropolis. *Tertio ergo anno imperii sui fecit grande convivium cunctis principibus et pueris suis,* id est ministris, *fortissimis Persarum, et Medorum inclytis, ac præfectis provinciarum coram se, ut ostenderet divitias gloriæ regni sui, centum et octoginta diebus.* Circa hoc dicit quidam, non esse verisimile quod homines, præsertim qui a remotis venerunt, tot diebus vacaverint : ideo dicit, hos centum octoginta dies esse referendos ad tempus præparationis convivii ; nec exhibuisse regem populo suo, nisi convivium septem dierum, de quo subditur : *Quumque implerentur dies convivii, invitavit omnem populum qui inventus est in Susis, a maximo usque ad minimum, et septem diebus jussit convivium præparari in vestibulo horti et nemoris.*

Sed istud ineptissime dictum censeo, præsertim quum nec auctoritate, nec idonea ratione probetur, et textus manifeste dicat oppositum. Nec mirum, quod ad instantiam tanti regis vacaverint tot diebus, quum interim gratis lautissime reficerentur. Nec verum est, nec ullam apparentiam habet, quod præparatio convivii duraverit centum octoginta diebus, quum omnia necessaria haberentur copiose, imo copiosissime ad manum, quum in textu dicatur, quod exhibuit istud convivium, ut ostenderet divitias regni sui. Insuper, textus evidenter inter convivia ista distinguit, tam quoad locum, quam quantum ad tempus, et item quantum ad invitatos. De primo namque convivio ait, Fecit grande convivium *multo tempore,* scilicet centum et octoginta diebus ; nec fit mentio ibi de speciali loco. Deinde tractat de convivio septem dierum. Nec in descriptione primi convivii ulla fit mentio de præparatione convivii, sed de exhibitione dumtaxat. Imo in descriptione convivii septem dierum, fit verbum de præparatione convivii, et A nihilo minus exponitur hoc de convivii exhibitione : ergo potius primum. Rursus, descripto primo convivio, adjungitur, Quumque implerentur dies convivii ; et consequenter tractat de secundo convivio, quod affirmat septem durasse diebus. Iterum, primum convivium asserit factum cunctis principibus et pueris regis, fortissimis Persarum, et Medorum inclytis, et præfectis provinciarum. Secundum vero convivium asserit factum omni populo in civitate Susis invento.

B Et hæc omnia etiam Josephus libro Antiquitatum undecimo protestatur : qui etiam scribit, quod rex misit per omnes provincias, denuntians ut opera relinquerent, et multis diebus pro ejus imperio lætarentur : quo patet, quod diu vacabant. Quibus concordat omnino Scholastica historia, quæ fatetur primum convivium factum esse in domo illa mirabili, de qua legitur in historia Alexandri, cujus columnæ erant argenteæ, tectum instar firmamenti concameratum, habens gemmas diversicolores C in figuram siderum et signorum dispositas. De hoc narrat et Josephus : Tabernaculum fixerat rex aureis argenteisque columnis, vela purpurea super eas extendens, ut multa millia discumbentium operirent.

Secundum autem convivium, juxta prætacta, factum est *in vestibulo horti et nemoris,* id est pomœrii nemorosi, *quod regio cultu et manu,* id est regali ornatu ac artificio, *consitum fuit,* id est consertum ac decoratum aromaticis fructiferisD que arboribus, prout tanti imperatoris decuit claritatem. De hoc in Historiis legitur : Post hos centum octoginta dies invitavit omnem populum qui erat in Susis, et discubuerunt extra domum septem diebus in vestibulo horti deliciarum : in quo fuit vinea habens stipites argenteos, palmites aureos, et botros ex varietate gemmarum distinctos. *Et pendebant ex omni parte tentoria aerii,* id est albi et clari, *et carbasini,* id est aurei, *et hyacinthini,* id est cœlestis, *coloris :* color enim hyacinthi,

similis perhibetur dispositioni cœlestis orbis A seu sphæræ cœlestis; *sustentata funibus byssinis et purpureis,* id est extensa funibus factis de bysso seu candidissimo lino et de purpura, *qui eburneis circulis inserti erant,* id est circulis factis de ebore, quod satis forte fuit ad onus illud, *ac columnis marmoreis,* utpote de marmore lapide factis, *fulciebantur,* id est, sustentabantur ex parte utraque. *Lectuli quoque aurei et argentei dispositi erant,* id est loca ad sedendum instar lectulorum mollia, atque operta tincturis et mixturis ex auro et B argento formatis, *super pavimentum* vestibuli *smaragdino et Pario stratum lapide,* id est complanatum lapidibus de insula Paro, et similibus in colore seu dispositione gemmæ quæ smaragdus vocatur, *quod mira varietate pictura decorabat.*

Bibebant autem aureis poculis, id est ex vasis seu scyphis aureis; atque (ut Josephus addit) vasis illis inserti erant lapides pretiosi ad delectationem et spectaculum præparati; *et aliis atque aliis vasis cibi inferebantur,* id est, in vasis et scutellis C ex materiis diversarum specierum aut dispositionum pretiosis, et juxta diversitatem ferculorum fuit diversitas utensilium seu vasorum. *Vinum quoque, ut magnificentia regia dignum erat, abundans et præcipuum ponebatur. Nec erat qui nolentes* bibere *cogeret ad bibendum,* importune invitando, vel ad æquales haustus hortando, ut quidam brutaliter faciunt: [quod] et in jure valde vituperatur, sanitatique mentis ac corporis adversatur; *sed sicut rex statuerat, præponens mensis singulis* D *de principibus suis, ut unusquisque quod vellet acciperet* de cibo et potu cum libertate et urbanitate. Nam et naturaliter delectabile est uti libertate. Et tamen, ut Josephus refert, solitum fuit Persis cogere ad potum convivantes.

Vasthi quoque regina fecit convivium feminarum in palatio regis. Sicque feminæ vescebantur seorsum: quod fuit honestum, atque occasio vitandi multa peccata. Feminis quoque specialiter obest, ex virorum consortio vino repleri. Quo constat quam ineffabiliter detestabile sit, quod etiam in quibusdam urbibus Christianorum, viri et feminæ in eisdem stuphis repræsentant se nudos, et in stuphis aut balneis mulierculæ serviunt viris.

Itaque die septimo hujus secundi convivii, sumendo convivium pro congerie conviviorum tot dierum, *quum rex esset hilarior, et post nimiam potationem incaluisset mero:* vinum enim lætificat cor hominis; *Eccli.* xl, 20; *Ps.* c... 15. *præcepit septem eunuchis, qui in conspectu ejus ministrabant* familiarius et in mensa, *ut introducerent reginam Vasthi coram rege, ut ostenderet cunctis populis et principibus* adhuc ibi præsentibus, *illius pulchritudinem. Erat enim pulchra valde.* Quamvis enim secundum illud convivium specialiter factum sit civibus Susis, ut apparet ex littera, multi tamen ibi erant ex principibus et gentibus provinciarum regis, ut innuit Josephus: idcirco ex isto non sequitur, quod non fuit nisi unum convivium. *Quæ renuit, et ad regis imperium quod per eunuchos mandaverat, venire contempsit.* Hujus contrarium videtur Josephus insinuare, dicendo: Quæ pro legum Persarum custodia, prohibentium ab extraneis alienas conjugales videri, non accessit ad regem. Ex quo elicitur, quod non ex contemptu, sed potius ex pudicitia et observantia legis Persarum, prohibentis conjuges eorumdem ab alienis viris videri, non venit ad regem. Hinc aliqui dicunt in Hebræo haberi: Et renuit regina Vasthi venire secundum verbum regis in manu eunuchorum. Verum ad hoc ex verbis Josephi patet responsio. Etenim ait, quod rex sæpe misit pro ea, et tamen non acquievit: quod contemptum includebat. Rex enim in tali lege potuit dispensare.

Unde iratus rex, et nimio furore succensus. Vitanda autem est regum ira, quantum rationabiliter fieri potest: quia ut in Proverbiis Salomon loquitur, Sicut fremitus leonis, ita et ira regis; *Prov.* xi.. 12; xx. 2. qui provocat eum, peccat in animam suam. Et rursus: Nuntii mortis, ira regis. *Ibid.* xvi. 14. *Interrogavit sa-*

Digitized by Google

pientes, qui ex more regio ei semper ade- A *rant.* Nam et Philosophus docet, quod rex seu princeps debet sibi associare multos sapientes, ut habeat quasi oculos multos, quorum directione juvetur : quia plus vident oculi multi, quam unus. Et sic fecit Assuerus. Nam additur : *et illorum faciebat cuncta consilio, scientium leges ac jura majorum,* id est instituta a sapientioribus et supremis principibus. *Erant autem primi et proximi septem duces Persarum atque Medorum.* Talibus committenda est gubernatio subditorum, videlicet peritis et B expertis in omnibus, qui quærant bonum commune, non propria commoda, et justi sint ac prudentes. Et quamvis rex fuit iratus, non tamen sine horum consilio voluit ad ultionem procedere, quia ira oculum cordis excæcat. Propter quod Seneca : Nihil (inquit) volo tibi irascenti licere, quoniam tibi irato omnia licita esse videntur, quæ scilicet ira persuadet. *Qui videbant faciem regis,* id est, familiariores ei fuerunt et magis contubernales, *et primi post eum residere soliti erant,* sive in eadem, sive C in alia mensa, et in consiliis et consimilibus causis. *Cui sententiæ Vasthi regina subjaceret.*

Responditque Mamuchan, qui inter septem sapientes in littera ultimo ponitur, *audiente rege atque principibus : Non solum regem læsit regina,* derogando regis honori, et hoc publice coram cunctis : per quod scandalizavit quamplurimos, et ejus exemplo feminæ spernent maritorum suorum præcepta, nisi ipsa tam acriter puniatur, quod ceteræ matronæ inde terrean- D tur, et a consimili compescantur. Et hoc est quod prolixe narratur in textu qui planus est. *Placuit consilium ejus,* id est eunuchi istius, *regi et principibus,* ut scilicet regina Vasthi ultra non ingrederetur ad regem, *sed regnum illius,* id est communionem in regno convenientem uxori regis, *altera quæ melior est illa, accipiat, et cunctæ uxores deferant maritis suis honorem.* Hinc rex omnibus suis provinciis scripsit, *viros esse principes ac majores in domibus suis.*

Unde et juxta Apostolica documenta, vir caput est mulieris. Et viri est, instruere ac dirigere conjugem in agendis, ac errantem corripere. Hinc in Genesi legitur dictum primæ mulieri a Domino : Sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui. Ideo et beatissimus princeps apostolici chori, in prima sua Canonica ait : Similiter mulieres subditæ sint viris suis, sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans. Verumtamen principatus viri in uxorem, non est per omnia, sicut principatus domini ad servum, ut etiam docet Philosophus : imo in multis ad paria judicantur. Sed in principalibus et arduis rebus ac causis, vir principalior est : nam et sexus femineus est sexus subjectionis. Et communiter viri in naturalibus et judicio rationis atque constantia cordis, perfectiores sunt feminis, quamvis interdum contingat oppositum.

Ephes. v, 23; I *Cor.* xi, 3.

Gen. iii, 16.

I *Petr.* iii, 1, 6; *Gen.* xviii, 12.

Postremo quidam spiritualizant istam historiam, intelligentes Christum per Assuerum : de qua expositione supersedere melius puto.

ARTICULUS II

EXPOSITIO CAPITULI SECUNDI : HIS ITAQUE GESTIS, POSTQUAM REGIS ASSUERI INDIGNATIO DEFERBUERAT.

HIC describitur, qualiter Esther facta A est conjux regis. *His itaque gestis, postquam regis Assueri indignatio deferbuerat,* id est, fervere desiit, et mitescere cœpit cor ejus circa abjectam uxorem. Ira enim, sicut et ceteræ passiones appetitus sensitivi, fit cum corporali transmutatione : qua sedata, sedatur et passio, saltem a vehementia sua. Et specialiter generatur cum sanguinis ebullitione, fellis evaporatione, inflammationeque choleræ : quibus cessantibus, ira mitescit. *Recordatus est Vasthi,* prioris uxoris, *et quæ fecisset,* id B est inobedientiam ejus, *et quæ passa esset,* videlicet libellum repudii seu repudiationem ; et cœpit in corde suo ejus inobedientiam quodammodo excusare, propter causam in præcedenti articulo introductam. Sicque apparuit ei, quod ultra condignum esset punita : quod non videbatur regiam decere majestatem, ad quam constat præcipue spectare clementiam, juxta
Prov. xx, 28. illud Proverbiorum, Roboratur clementia thronus regis. Quamvis autem in præce-
Esther I, 21. denti capitulo dictum sit, quod regi Assu- C ero placuit eunuchi consilium de Vasthi abjectione, Josephus tamen undecimo Antiquitatum libro enarrat, quod consilium eunuchi rex graviter tulit, detentus amore uxoris, et reminiscens ipsius decorem, et tristabatur quod propter irrevocabile suum edictum eam non potuit revocare. Idcirco in sollicitudinibus et mœrore permansit. Quem videntes amici nimio mœrore confectum, persuadebant ut amorem pristinæ
* mœrorem conjugis et amorem* nil profuturum deponeret, et quæreret per universam terram D virgines decoras, ex quibus pulchriorem haberet uxorem, arbitrantes sic posse extingui prioris cupidinem, alia introducta, et desiderium a muliere projecta subtractum, paulatim posse ad cohabitantem converti. Hoc est ergo quod subditur.

Dixeruntque pueri, id est familiares et cari, *regis, atque ministri* domestici sive præcipui : *Quærantur regi puellæ virgines speciosæ, et tradantur in domo feminarum,* ad usum regis deputatarum, *sub manu Egei eunuchi.* Eunuchus in Scripturis quandoque accipitur pro castrato : et sic videtur hic accipi. Interdum vero, pro continente et probo in moribus : sicque sumitur præcedenti capitulo, quum dicuntur Esther I, 10.
septem eunuchi in conspectu regis ministrasse. *Qui est præpositus et custos mulierum regiarum,* quæ usui regis deputantur : quibus ille eunuchus habuit providere de ornatu et victu atque custodia ; *et accipiant mundum muliebrem,* id est apparatum ad ornatum et corporis mundificationem pertinentem, *et cetera ad usus feminarum ac cultum earum, necessaria. Et quæcumque inter omnes oculis regis placuerit* præ ceteris, *ipsa regnet pro Vasthi. Placuit sermo regi ; et ita ut suggesserant, jussit fieri.*

Erat autem vir Judæus in Susis civitate, vocabulo Mardochæus, de stirpe Jemini : de qua et Saul primo Regum fuisse asseritur; I Reg. ix, 1
qui translatus fuerat : hoc præcedenti articulo expositum est ; *nutricius Esther,* quam, defunctis Esther parentibus, *adoptavit in filiam :* nam filia fuit fratris sui *Esther, inter ceteras puellas tradita* eunucho. Secundum Josephum, de Babylonia fuit adducta, et Mardochæus ejus amore secutus est eam, et sic habitavit in Susis. *Quæ placuit ei,* puta eunucho, *ut accelera-*

Digitized by Google

ret mundum muliebrem, id est, mox festinavit eam ornare, habens spem firmam, quod rex eam eligeret in uxorem. Nam, ut Josephus contestatur, gratia vultus sui respicientium delectabat magis adspectum. *Et traderet ei partes suas,* id est ea quæ ad ejus pertinebant decorationem, *et septem puellas speciosissimas,* id est valde pulchras, minus tamen quam Esther; *et tam ipsam quam ejus pediseguas ornaret atque excoleret,* id est, valde exquisite componeret, cupiens ejus promotionem, et ut ipse per hoc consequeretur favorem illius. *Quæ noluit ei indicare populum et patriam suam. Mardochæus enim præceperat ei, ut de hac re omnino reticeret.* Judæi quippe tunc erant ibi captivi, et a multis contempti, ac singularis religionis.

Quum autem venisset tempus singularum per ordinem puellarum, ut intrarent ad regem. Ad quiescendum cum illo, intrabant successive, seu quælibet die suo. Unde Josephus ait : Per singulos dies ad concubitum unam regi mittebat. *Expletis omnibus quæ ad cultum muliebrem pertinebant,* scilicet in balneationibus, unctionibus, aromatumque applicationibus et vestimentorum decore, *mensis duodecimus vertebatur :* quia per integrum annum præparabantur ad regis conjunctionem; *ita dumtaxat, ut sex mensibus ungerentur oleo myrtino,* id est humore, gutta seu lacrima fluente de arbore quæ myrtus vocatur, cujus oleum carnem mundificat, *et aliis sex mensibus quibusdam pigmentis,* id est confectionibus, *et aromatibus uterentur,* ad reddendum corpus feminæ magis suave et molle ad tactum, ne quid inconvenientis odoris inveniretur in aliqua. *Ingredientesque ad regem* de die in palatium, *quidquid postulassent ad ornatum pertinens, accipiebant* ab aliquo a rege ad hoc deputato; *et ut eis placuerat, compositæ,* id est ad proprium libitum excultæ et decoratæ, *de triclinio,* id est aula seu palatio *feminarum, ad regis cubiculum transibant. Et quæ intrabat vespere, egrediebatur mane, atque inde in secundas ædes,* id est

A mansiones, *deducebatur, quæ sub manu Susagari eunuchi erant, qui concubinis regis præsidebat.* Aliqui opinantur, quod rex universas puellas secum dormientes duxit uxores, et tamen concubinæ vocentur, tanquam conjuges secundariæ, minusque principales, sicut in Genesi Zelpha et Bala quandoque vocantur uxores Jacob, aliquando concubinæ. (*Gen.* xxx, 4, 26; xxxv, 22.) Alii magis tenent oppositum. Nam et gentiles pro magna parte, concubitum simplicis fornicationis non reputabant peccatum : imo, ut dictum
B est in libro Judith, fœdum fuit apud Assyrios, ut femina irrideat virum, agendo ut immunis transeat ab eo. (*Judith* xii, 11.)

Evoluto autem tempore, instabat dies quo Esther intrare debebat ad regem. Quæ non quæsivit muliebrem cultum. Non enim adspirabat ad regis complacentiam atque conjugium, ut infra patebit : ideo commisit ornatum suum eunucho. Hinc subditur : *Sed quæcumque voluit Egeus eunuchus, hæc ei ad ornatum dedit. Erat enim formosa valde et incredibili pulchritudi-*
C *ne, omniumque oculis gratiosa et amabilis videbatur :* quod totum ex divina providentia factum est, ut per eam populus Israel liberaretur. Ecce qualis artifex est omnipotens Deus, et quam pulcher, pulcherrimus, incomparabiliter pulcher et superpulcherrimus, atque ad intuendum superdeliciosissimus, infiniteque gratiosus, superamabilis est ille in semetipso, et ad fruendum superdulcissimus, qui in tam modica corporis parte, in fragili vasculo, in mortali materia vilique gleba tantam
D pulchritudinem, amabilitatem et delectabilitatem constituit. Denique pulchritudinem illam corporalem mirabiliter venustavit et auxit supernaturalis pulchritudo mentis in donis gratiæ ac virtutum, redundans ac resplendens in corpore; pulchritudo quoque moralis, in venustissimis moribus, apparatu et compositione exteriori consistens.

Ducta est itaque ad cubiculum regis mense decimo, qui vocatur Tebeth, id est Januarius apud nos : non utique decimo

Digitized by Google

mense suæ expolitionis et præparationis ad regis accessum ; sed decimo mense septimi anni regni Assueri. *Et adamavit eam rex plus quam omnes mulieres,* vel divisim vel conjunctim acceptas, loquendo de maritali affectu. Et quia tantam virtuositatem, pudorem et honestatem consideravit in puella, *posuit diadema regni in capite ejus, fecitque eam regnare loco Vasthi. Et jussit convivium præparari permagnificum cunctis principibus et servis suis :* quod secundum Josephum, Scholasticamque historiam, duravit per integrum mensem. *Et dedit requiem in universis provinciis,* id est, a subditis suis non exegit solita tributa sive obsequia anno illo aut circiter. Vel sensus est, quod fecit eos ad tempus a manualibus cessare laboribus, puta per mensem, quum Josephus dicat, quod præcepit eis festa pro suis nuptiis celebrare. *Ac dona largitus est* suis officiatis, cognatis, amicis, domesticis, *juxta magnificentiam principalem,* id est regalem et imperialem, videlicet liberaliter valde. Quod est contra præsidentes, qui in nuptiis suis aut sobolis suæ, gravant subditos suos exactionibus seu munerum exhibitionibus quas requirunt.

Quumque secundo quærerentur virgines et congregarentur, Mardochæus manebat ad januam regis. Cur jam post initum cum Esther connubium, virgines quærebantur ? Putant quidam, quod ad concubinatum ; alii dicunt quod ipsa Esther nequaquam volente prodere genealogiam suam, rex simulavit se velle ducere aliam, et simulatorie fecit virgines quæri, quatenus sic extorqueret a conjuge genus ipsius. Ad quod referunt quod sequitur. *Necdum prodiderat,* id est manifestaverat, *Esther patriam et populum suum, juxta mandatum ejus,* id est Mardochæi. *Quidquid enim ille præcipiebat, observabat Esther, et ita cuncta faciebat, ut eo tempore solita erat, quo eam parvulam nutriebat :* in quo patent humilitas et obedientia Esther. Quidam vero paululum promoti, mox intumescunt, et obedire despiciunt suis

A parentibus aut magistris, seu his a quibus sunt instituti.

Eo igitur tempore quo Mardochæus ad januam regis morabatur, irati sunt duo eunuchi regis, volueruntque insurgere in regem, et occidere eum. Cujus rei causa nescitur, nisi quod servi sæpe ex indignatione, ambitione, traditione machinantur in mortem principis sui, quemadmodum patet tertio et quarto Regum, ubi reges Israel a servis suis occisi leguntur. *Quod Mardochæum non latuit.* Dicunt nonnul- (III *Reg.* xv, 27-29; xvi, 9-11; IV *Reg.* xv, 10, 14, 25, 30.)
B li, quod eunuchi audiente Mardochæo, contulerunt de regis interfectione in lingua quam putabant non intelligere Mardochæum. Josephus vero dicit, quod unus eunuchorum habuit servum Judæum, cognoscentem domini sui insidias, et retulit Mardochæo. *Statimque nuntiavit reginæ Esther, et illa regi ex nomine Mardochæi. Quæsitum est, et inventum ; et appensus est uterque in patibulo.* Et ita rex sapienter processit, non statim incaute credendo, sed examinando negotium. *Et*
C *jussit rex ut in libro memoriali scriberetur, ut pro vita sua aliquid repensaret ei. Mandatumque est historiis,* id est in libris historialibus scriptum, *et annalibus traditum coram rege.* Annales vocantur libri historici, in quibus scribuntur quæ singulis annis contingunt sub regibus, ut reges talia recolendo, ex memoria præteritorum caute se habeant per considerationem præsentium, ac providentiam futurorum.

Circa capitulum istud aliqua possent
D inquiri : an scilicet regi licuit suam sic abjicere conjugem, quum inseparabilitas dicatur esse de ratione matrimonii ; et an illa repudiata atque vivente, licuit ei ducere aliam. Item, an licuit ipsi Esther cum rege gentili contrahere, quum hoc fuerit prohibitum lege ; et an fuerit vera uxor (*Deut.* vii, 3.) regis, quum dispar cultus impediat matrimonium contrahendum, dirimatque contractum. Ad quæ longum est plenarie respondere. Breviter autem tangendo dici potest, non oportere Assuerum excusare a

Digitized by Google

culpa ; ipsamque Esther ex divina præordinatione ac dispensatione contraxisse cum illo, sicut Samson cum Philistæa, ut patet (Judic. xiv, 4.) in libro Judicum, ubi habetur quod res A illa agebatur a Domino ; et Salomon adhuc bonus cum filia Pharaonis, ut patet tertio (III Reg. iii, 1.) Regum. Horum autem magistralis discussio, ad quartum spectat Sententiarum.

ARTICULUS III

ELUCIDATIO CAPITULI TERTII : POST HÆC REX ASSUERUS EXALTAVIT AMAN.

Capitulo isto describitur, qualiter Aman exaltatus a rege, procuravit ab eodem populum Judæorum morti adjudicari. *Post hæc rex Assuerus exaltavit Aman filium Amadathi, qui erat de stirpe Agag* regis Amalecitarum : quos Saul vastavit, et quorum regem jam nominatum, (I Reg. xv, 33.) Samuel propheta concidit in frusta, ut primo Regum libro legitur ; *et posuit solium ejus super omnes principes, quos habebat,* id est super ceteros, qui sub ipso (Gen. xli, 40.) rege præerant populo, sicut Pharao exaltavit electum Joseph. Et sic Aman fuit primus post regem. Verumtamen infra legitur, (Esther xvi, 10.) quod Aman fuit animo et gente seu genere Macedo. Ex quo apparet, quod non fuit Amalecites. Ad quod respondebitur ibi. *Cunctique servi regis flectebant genu, et adorabant Aman. Sic enim jusserat eis imperator. Solus Mardochæus non flectebat genu,* ad reverentiam Aman, *neque adorabat eum,* ne honorem Deo debitum, homini exhiberet : quia ut dicitur, Aman superbissimus voluit sibi non solum duliæ, sed et latriæ adorationem impendi. Siquidem cultus duliæ poterat ei exhiberi, tanquam personæ excellenti in officio regiminis constitutæ. Aman autem super hominem impiissime se extollens, voluit (Judith iii, 13.) adorari ut Deus : quemadmodum Nabuchodonosor rex Assyriorum, videlicet Cambyses, et Caius imperator, ut legitur.

Quod quum audisset, quod scilicet Mardochæus esset Judæus, *nec se adoraret, iratus est valde.* Oderat enim Judæos, a B quibus cognovit progenitores et prædecessores suos fuisse occisos. (Exod. xvii, 13 ; I Reg. xv, 7, 8.) Hinc servi regis annuntiaverunt ipsi Aman de Mardochæo, *cupientes scire, an Mardochæus perseveraret in sententia,* id est in responsione qua se dixit esse Judæum, et ideo non posse se hominem adorare. Et quoniam servi regis noverant Judæos esse exosos huic Aman, cupiebant scire ex quadam curiositate, an Mardochæus auderet hoc evidenter fateri, ipso Aman sciente aut audiente. *Et pro nihilo duxit in unum,* videlicet C *Mardochæum, mittere manus suas* ultrices ; *magisque voluit omnem Judæorum perdere nationem, quæ erat in regno Assueri. Mense primo, cujus vocabulum est Nisan* apud Judæos, et apud Latinos Aprilis, quamvis interdum concurrat partim cum Martio, *missa est sors in urnam, quæ Hebraice dicitur Phur :* id est, ipse Aman invidiosus sortilegus, misit sortem in vas quoddam, quod urna vocatur, ad sciendum per sortis oraculum, *quo die* mensis, *et quo mense gens Judæorum deberet interfici ; et exivit* per sortis ostensionem D *mensis duodecimus, qui vocatur Adar* secundum Hebræos, et Martius secundum Latinos. Exivit quoque per sortem tertiusdecimus dies mensis ejusdem.

Hæc fecit Aman ex vehementi indignatione et ira nequissima, tantam volens exercere vindictam in totum populum Judæorum, propter unius delictum, secundum suum judicium : quod tamen revera non fuit delictum, sed virtus. Superbi enim

Digitized by Google

injuriam sibi factam, quamvis parvam, reputant valde gravem : idcirco in ulciscendo excedunt mensuram, et agunt contra justitiam. Denique, sciens se apud regem audientiam habere præcipuam, præsupponit se faciliter acquisiturum a rege judicium mortis contra Judæos.

Dixitque Aman regi : Est populus per omnes regni tui provincias dispersus, novis utens legibus et cærimoniis, colendo unum solum Deum, non deos, quos ab antiquis temporibus coluerunt gentiles. Nihilo minus lex Judæorum a tempore Moysis usque ad Assuerum perdurans, non fuit penitus nova, quamvis Aman sic dixerit ad inflammandum regem contra Judæos. *Insuper et scita,* id est decreta, *regis contemnens.* Unde dicitur plebiscitum. *Et optime nosti quod non expediat regno tuo,* scilicet bono communi et paci, *ut insolescat,* id est, contra solitum legum regni tui se habeat, *per licentiam,* id est permissionem manendi in vita et observantia sua. *Si tibi placet, decerne,* id est judica, *ut pereat,* id est occidatur, *et decem millia talentorum appendam arcariis gazæ tuæ,* id est custodibus thesaurorum tuorum. Hoc addidit Aman, ut videretur multum zelari pro rege et pro pace communi, cujus noverca et corruptrix solet esse dissimilitudo ac dispar cultus; et ne rex retraheretur a sententia mortis in Judæos dictanda, propter damnum tributorum quæ sibi a Judæis dabantur.

Tulit ergo rex annulum quo utebatur, non solum ad manus suæ ornatum, sed item ad litteras sigillandas, sicut tunc moris fuit. In annulis demum talibus fuit signum formatum ad imprimendum et si-

A gnandum epistolas. *De manu sua, et dedit eum Aman,* ut juxta suum conceptum dictaret et sigillaret ex nomine regis litteras mortis contra Judæos. Credidit Assuerus nimis impio Aman, non inquirens accusationis veritatem. Facilitas autem credulitatis decipit multos, et in præsidentibus periculosa est subditis, etiam bonis. *Vocatique sunt scribæ,* id est scriptores, *regis.* Scriba tamen frequenter accipitur pro sapiente seu doctore, vel legisperito. *Et litteræ missæ sunt per cursores regis ad*
B *universas provincias* regni ejus, *ut occiderent omnes Judæos a puero usque ad senem,* id est universos, etiam infantulos atque decrepitos, *et mulieres,* id est cunctas personas feminei sexus. Et ut proniores essent gentiles hoc facere, dabatur facientibus illud licentia diripiendi ac retinendi bona Judæorum, quos trucidarent. Ideo subditur, *et bona eorum diriperent.* Sic quippe filii Israel vastaverunt Amalecitas; tamen (1 *Reg.* 7-9.) contra præceptum Dei, pepercerunt pecoribus Amalec, sicut primo Regum fertur.

C *Statimque in Susis* metropoli regni, *pependit edictum :* id est, ex dispositione Aman, appensum est decretum in scriptis de Judæorum interitu, ne rex suam revocaret sententiam, sicut nec eam de Vasthi abjectione revocare audebat. Hoc loco ponit Josephus formam epistolæ prætactæ ex nomine regis cunctis ejus provinciis missæ : quæ infra continetur. *Rege et* (*Esther* 1-7.) *Aman celebrante convivium,* tanquam rem communitati saluberrimam ordinassent, *et cunctis Judæis qui in urbe Susis erant,*
D *flentibus :* imo, ut Josephus scribit, etiam civitas turbabatur, utpote Judæis captivatis compatiens.

Digitized by Google

ARTICULUS IV

EXPOSITIO CAPITULI QUARTI : QUÆ QUUM AUDISSET MARDOCHÆUS, SCIDIT VESTIMENTA SUA.

A REFERTUR hic, qualiter Mardochæus Esther reginam induxit ad intercedendum coram rege pro liberatione plebis Judaicæ. *Quæ quum audisset Mardochæus, scidit vestimenta sua,* ut moris fuit Judæis, imo et quibusdam gentilibus, sicut in libro
Job I, 20; II, 12. Job, ipse Job et amici ejus leguntur vestimenta sua scidisse, *et indutus est sacco,* id est aspera saccinaque veste, in signum contritionis, *spargens cinerem capiti,* ad humiliandum se coram Deo, quasi pulverem se recognoscens ac cinerem; *et in platea mediæ civitatis voce magna clamabat, ostendens amaritudinem animi sui :* præsertim quia pensabat se esse occasionem tanti periculi, ac desolationis dijudicationisque populi sui; *et hoc ejulatu usque ad fores,* id est januas, *palatii gradiens. Non enim erat licitum, indutum sacco aulam regis intrare.* Unde secundum Josephum, usque ad aulam pervenit, et ante ipsam stetit : quam cum tali habitu ingredi, fuit prohibitum, ne hujuscemodi vestis, aut sic vestitus, miserabilisque apparens, horrorem incuteret regi, aut ejus magnificentiæ derogaret. *In omnibus quoque provinciis, oppidis ac locis, ad quæ crudele regis dogma,* id est præfatum edictum quasi doctrinaliter et apparenter dictatum, *pervenerat, planctus ingens erat apud Judæos, plurimis sacco et cinere pro strato utentibus,* ad impetrandum auxi-
Jer. VI, 26. lium Dei, juxta illud Jeremiæ : Accingere cilicio, conspergere cinere.

Ingressi sunt autem puellæ Esther et eunuchi, id est pedisequæ ejus, et cubicularii qui erant castrati. Et apparet quod isti secrete noverunt Mardochæum et Esther esse cognatos. *Nuntiaveruntque ei. Quod audiens* Esther, *consternata est,* id est, mœrore oppressa; *et misit vestem Mardochæo, ut indueret eam,* sicque honeste vestitus, aulam intraret; *quam accipere noluit* Mardochæus, quia nondum finitum fuit malum illud pœnale, propter quod evadendum, induerat saccum. *Accitoque Athach eunucho præcepit ut iret ad Mardochæum, et disceret cur hoc faceret. Egressusque Athach, invenit eum in platea civitatis : qui indicavit per eunuchum ei,* scilicet Esther reginæ, *omnia quæ acciderant* in hoc casu, *ut intraret ad regem, et de-* B *precaretur pro populo suo.* De quo faciendo excusat se, quia edictum fuit, quod quicumque non vocatus ingrederetur atrium regis, mox moreretur, nisi rex auream virgam quam tenebat in manu, ad sic introeuntem extenderet pro signo clementiæ. Hinc addidit : *Ego igitur quomodo ad regem intrare potero, quæ triginta diebus non sum vocata ad eum?* Habuit enim extra et alia multa deliciarum suarum objecta : et Deus omnipotens devotæ reginæ providit de tali continentia et quiete.

C *Quod quum audisset Mardochæus, rursus mandavit Esther* reginæ, solita auctoritate loquens ad eam increpatorie et audacter, certus quod ipsa virtuosa domina patienter, non indignanter acciperet, *dicens : Ne putes quod animam tuam tantum liberes, quia in domo es regis præ cunctis Judæis,* id est, noli putare quod a sententia mortis contra Judæos promulgata, præserves propriam vitam dumtaxat per hoc, quod facta es contubernalis et conjux regis, et ideo non cures pro po- D pulo tuo rogare. *Si enim nunc silueris,* non rogando regem pro tuis, *per aliam occasionem liberabuntur Judæi,* id est, Deus aliis modis ac viis, eis (ut spero) succur-

Digitized by Google

ret; *et tu et domus tua peribitis,* id est, A Deus justo judicio permittet te, et domesticos seu cognatos tuos occidi, eo quod neglexeris populo tuo in tanto periculo subvenire. *Et quis novit, utrum idcirco ad regnum perveneris,* id est, consors et contoralis regis effecta sis, *ut in tali tempore parareris,* id est, ut disponaris venire ad prætactam ruinam in tempore persecutionis istius, in quo deseris tuos? Vel sensus est: Quis novit, etc.? ac si dicat: Quamvis occulta sint Dei judicia, forsitan tamen idcirco imperatrix et regina facta es, qua- B tenus ex præordinatione divina pares te succurrere nobis.

Rursumque Esther Mardochæo mandavit : Congrega omnes Judæos utriusque sexus, *et orate pro me,* ut communitatis oratio mihi prosperum mereatur successum. *Non comedatis et non bibatis tribus diebus et tribus noctibus,* nisi eo modo quo jejunantes solent non manducare, videlicet solum semel in die; vel tam parce et sobrie comedatis in die, ut quasi nil reputetur : sicut de eo qui parum comedit, dicimus, Nihil manducavit. *Et ego cum ancillis meis similiter jejunabo.* Sicque ancillæ istæ videntur fuisse fideles, et forsan conversæ per suam reginam. *Et tunc ingrediar ad regem,* sperando quod Deus misericorditer mecum disponet, et mentem regis mihi propitiam exhibebit, *contra legem faciens,* intrando ad regem *invocata,* id est non vocata, *tradens me morti,* id est periculo mortis, pro liberatione populi mei, nisi Deus gratiose provideat et succurrat. *Ivit itaque Mardochæus* ad exsequendum reginæ præceptum.

ARTICULUS V

EXPLANATIO CAPITULI QUINTI : DIE AUTEM TERTIO INDUTA EST ESTHER REGALIBUS VESTIMENTIS.

EXORDIUM petitionis Esther reginæ hic C recitatur. *Die autem tertio induta est Esther regalibus vestimentis :* et sic regem accessisse videtur tertio die suæ jejunationis et orationis, orantibus adhuc pro ea, et jejunantibus cunctis Judæis in Susis manentibus. Ipsa quoque in lugubri veste oravit ac jejunavit : qua deposita, ornavit se pretiosissimis atque pulcherrimis quæ habuit vestimentis. Propter quod infra le-
Esther xv. 4. gitur, quod circumdata est gloria sua, et deposuit vestimenta ornatus sui : quia et communia ornamenta seu quotidiana ve- D stimenta, quamvis pretiosa et decora, deposuit; vestimenta quoque lugubria, in quibus interiori ornatui, scilicet compunctioni, orationi, jejunationi vacavit. *Et stetit in atrio,* id est, a camera sua processit usque ad atrium, *domus regiæ, quod erat interius contra basilicam,* id est ex opposito regiæ aulæ. *At ille sedebat super solium suum in consistorio,* id est loco judicii ubi ad judicium statur, *palatii, contra ostium domus,* in qua rex sedit, ex qua potuit eam videre. Et antequam venit ad illum locum, ivit per januas multas, secundum quod infra legitur : Ingressa *Esther* xv. 9.
cuncta per ordinem ostia, etc.

Cumque vidisset rex Esther reginam stantem, placuit oculis ejus. Erat enim pulcherrima, speciosissime quoque vestita, roseo colore vultu perfusa, gratis ac ni- *Ibid.* 8.
tentibus oculis pallens, sicut infra legitur. *Et extendit contra,* id est versus, *eam virgam auream* pro signo clementiæ et amoris, *quam tenebat in manu. Quæ accedens, osculata est summitatem virgæ,* ad reverentiam regiæ dignitatis. Eratque vir-

Digitized by Google

ga illa sceptrum regis. Sed his contrariari A
Esther xv, 10. videtur, quod infra legitur : Quumque ele-
vasset rex faciem, et ardentibus oculis fu-
rorem pectoris indicasset, regina corruit,
et in pallorem colore mutato, lassum super
ancillam reclinavit caput. Josephus quo-
que : Rex (inquit) adspexit eam asperius,
iracundoque vultu ; et tunc apprehendit
reginam membrorum debilitas, et super
ancillas quæ prope latera ejus erant, re-
pente collapsa est. Et simili modo Magi-
ster in historiis refert. Et respondendum,
quod ea quæ in isto libro habentur ab eo B
Ibid. x, 4. loco, Dixitque Mardochæus, A Deo facta
sunt ista, non habentur in Hebræo, ut di-
cit Hieronymus, et infra patebit, sed in
editione vulgata sunt, et ex Josepho sum-
pta. Idcirco dicendum pro horum concor-
dia, quod rex primo adspectu visa regina,
fuit contra eam commotus, eo quod non
vocata venisset; sed visa ejus discolora-
tione, verecundia, debilitatione, declina-
Ibid. xv, 11 et seq. tione, rex subito fuit animo alteratus, et
reginæ compassus, timens de morte ejus
improvisa, prout hoc infra plenius enar- C
ratur : sicque regina, quum consolata fuis-
set et roborata ex verbis regis, osculata est
virgam.

*Dixitque ad eam rex : Quid vis, Esther
regina? Quæ est petitio tua? Etiamsi di-
midiam regni mei partem petieris, dabi-
tur tibi* a me. Quamvis enim fuit regina,
regnum tamen pertinebat ad regem ; nec
sine regis scitu et voluntate regina potest
urbem aut partem regni alienare, aut al-
teri dare. *At illa respondit : Si regi pla-
cet, obsecro ut venias ad me hodie, et* D
Aman tecum, ad convivium quod paravi
per ministrantes. Ideo regem invitavit, ut
quum factus esset rex potu solito more
hilarior, proponeret ei suam petitionem.
Ipsum quoque Aman invitavit, quia in
ejus præsentia voluit eum regi accusare,
ut rex contra præsentem magis incitare-
tur. Aliqui vero dicunt, quod ideo, ut alii
principes incitarentur odio et invidentia
contra Aman, eo quod sic honoraretur
præ ipsis, etiam a regina ; sed hoc, ut ap-
paret, fuisset culpabile, nec apparentiam
videtur habere. *Venit itaque rex et Aman
ad convivium* reginæ : quæ tunc regem
rogavit, ut die sequenti, ipse et Aman rur-
sus ad suum venirent convivium. Quod
sic Deo ordinante peractum est, ut inte-
rim cor regis magis afficeretur ad Mardo-
chæum quam ad Aman, et ipse Aman sibi
ipsi foveam in quam caderet, præpararet. Ps. vii, 16.

Egressus est itaque Aman a præsentia
regis ac reginæ, *illa die lætus et alacer* ex
tanta sua prosperitate, ut æstimavit, in die Eccli. xi, 27.
bonorum non exsistens memor malorum,
nec providus periculorum sibi evenire po-
tentium. Propter quod non implevit quod
scriptum est : Sapiens in omnibus metuit. Ibid. xviii, 27.
*Quumque vidisset Mardochæum, non so-
lum non sibi assurrexisse, sed nec motum
de loco, indignatus est valde,* reputans se
sic parvipendi ab illo : quod superbissi-
mus ferre non potuit, sed vehementer ira-
tus fuit. Ira namque est appetitus vindictæ
propter parvipensionem irascenti illatam,
secundum Philosophum. *Et dissimulata
ira :* quam per signa monstrare, inhone-
stum ac stultum est, juxta illud Ecclesia-
stæ, Ira in sinu stulti requiescit. Et ite- Eccle. vii, 10.
rum Salomon loquitur : Fatuus statim Prov. xii, 16.
indicat iram suam ; qui autem dissimulat
injuriam, callidus est. *Reversus est in do-
mum suam,* et exposuit suis omnem suam
prosperitatem, addens quod quamdiu vi-
deret Mardochæum Judæum sibi odiosissi-
mum ante fores palatii, miserum se arbi-
traretur. Moxque de consilio amicorum et
conjugis fecit erigi trabem, id est crucem
seu patibulum quinquaginta cubitorum,
quatenus procuraret a rege ipsum Mardo-
chæum suspendi in eo, et sic lætus ad con-
vivium iret. Nam passio iræ sicut a tristitia
inchoatur, sic ultione illata, ad delectatio-
nem (secundum Philosophum) terminatur.
Placuitque ei consilium tanquam suæ pas-
sioni atque invidiæ consonum, *et jussit
parari crucem excelsam.*

Circa hæc quæritur, anne peccaverit
Mardochæus, nullum penitus exhibendo
honorem huic Aman. Et videtur quod imo,

Digitized by Google

quia hoc fuit contra regis præceptum, et habuit speciem mali; scandalizativum quoque exstitit aliorum, imo et inflammativum ipsius Aman ad persequendum Judæos. Insuper, Mardochæus licite poterat aliquam saltem reverentiam facere Aman, in assurgendo seu alio modo, absque derogatione honoris soli Deo exhibendi. Et
I Petr. II, 14, 18; *Eph.* VI, 5; *Tit.* II, 9. secundum apostolica documenta, obediendum est dominis etiam dyscolis, et ducibus a rege missis, quamdiu non transcendunt limites suæ auctoritatis in præcipiendo.

Ad hæc posset quis dicere juxta præhabita, quod Mardochæus ita se habuit, quia
Esther III, 2. Aman voluit adorari et honorari ut Deus, secundum quod Lyra ad hoc allegat glossam Hebraicam. Sed hoc Rabbi Paulus multipliciter reprobat. Non enim, ut apparet, voluit altius honorari, quam rex Assuerus, qui non voluit adorari ut Deus; et si voluit sibi usurpare honorem divinum, derogasset regio honori: quod ex timore Assueri ausus facere non fuisset. Hinc addit Rabbi Paulus, quod glossa illa non tenetur ut authentica ab Hebræis; et quod sint duæ Hebræorum opiniones, cur Mardochæus noluit flectere genua coram Aman: una dicentium, quod Aman gerebat ad collum suum idolum quoddam, ideo noluit eum adorare, ne adorare illud idolum videretur; alia, quia Deus præcepit filiis
Deut. XXV, 17. Israel in Deuteronomio, ne obliviscerentur injuriæ eis ab Amalecitis illatæ. Et quoniam Aman fuit de stirpe illorum, noluit signa amicitiæ aut reverentiæ ipsi Aman ostendere. Verumtamen glossæ Hebraicæ

A consonat, quod infra Mardochæus in oratione loquitur Deo: Cuncta nosti et scis, *Esther* XIII, 12-14.
quia non pro superbia fecerim hoc ut non adoraverim Aman superbissimum. Libenter enim pro salute Israel etiam vestigia pedum ejus deosculari paratus essem; sed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, et ne quemquam adorarem excepto Deo meo. Verum ad hoc Rabbi Paulus respondet, illud non haberi nec recipi ab Hebræis, qui de isto libro non habent nisi usque ad decimum capitulum inclu- *Ibid.* X, I.
B sive.

Verumtamen mihi apparet, quod his non obstantibus, Mardochæus potuisset licite aliquem exhibere honorem Aman in assurgendo, vel simili modo, nec ex Deuteronomio illud fuit ei illicitum, quia Dominus jussit ne obliviscerentur filii Israel *Deut.* XXV, 17.
expugnare Amalecitas: quod jam fuit impletum per Saul et Samuelem. Propterea *I Reg.* XV.
non videtur, qualiter Mardochæus excusetur de hoc, quod nullam voluit facere reverentiam impio Aman, nisi dicatur, quod
C ex occulto instinctu Spiritus Sancti se ita habuerit. Per quem modum plurima excusantur, quæ alias fuissent illicita: sicut quod Samson cum Philistæis occidit se ip- *Judic.* XVI, 30.
sum; et quædam feminæ sanctæ submerserunt se, ne a perfidis violarentur, prout libro de Civitate Dei Augustinus declarat. Hinc dicendum apparet, quod Deus qui voluit arrogantiam hujus Aman per Mardochæum et Esther dejicere, movit cor Mardochæi ad talem rigorem et irreverentiam circa Aman.

ARTICULUS VI

DECLARATIO CAPITULI SEXTI: NOCTEM ILLAM REX DUXIT INSOMNEM.

EXALTATIO Mardochæi hic describitur. *Noctem illam*, postquam rex et Aman
Esther V, 5. comederunt primo cum Esther, *rex duxit insomnem*, Deo sic ordinante pro sublima-
D tione Mardochæi. Unde Josephus ait: Deus malignam spem Aman deridebat. Nam regi somnum per illam abstulit noctem: qui rex nolens in otio vigilias perdere, sed ad

Digitized by Google

gubernationem sui principatus eas habere, scribam jussit libros afferre. Hoc est quod subditur : *Jussitque sibi afferri historias,* id est libros historiales, *et annales priorum temporum :* quod supra expositum est. (Esther II, 23.) *Quæ quum illo præsente legerentur, ventum est ad illum locum, ubi scriptum erat quomodo nuntiasset Mardochæus insidias eunuchorum, regem Assuerum jugulare,* id est occidere, *cupientium.* Et quum scriba voluisset legendo procedere, detinuit eum rex, ut Josephus addit. *Ait rex : Quid pro hac fide,* id est fidelitate mihi a Mardochæo exhibita, *honoris ac præmii consecutus est Mardochæus? Dixerunt illi servi ejus : Nihil omnino.* His videtur obviare quod infra scriptum est : (Ibid. XII, 5.) Præcepit ei, scilicet Mardochæo rex, ut in aula palatii moraretur, datis ei pro delatione muneribus. Ad quod poterit responderi, quod munera illa respectu beneficii tanti, tantoque regi exhibiti, modica erant, et quasi nullius momenti : ideo nil recepisse asseritur. Josephus tamen refert Assuerum interrogasse, an aliquid scriptum esset in libris qui legebantur de remuneratione Mardochæo facta. Responditque scriba : Nihil. Et tunc rex jussit scribam tacere, et interrogavit quæ sit hora noctis; et audiens quod dilucesceret, jussit ut sibi nuntiarent, quem amicorum ante aulam invenirent. Hoc est quod sequitur.

Statimque rex : Quis est, inquit, in atrio? Responderunt : Aman stat in atrio. Nam solito manius venit, ut suggereret regi de suspendio Mardochæi. Verum, ut Salomon ait : (Prov. XXI, 30.) Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum, qui dissipat consilia malignorum, (Job V, 12.) ne possint implere manus eorum quæ cœperant. *Dixitque rex : Ingrediatur. Quumque esset ingressus, ait* rex *illi,* scilicet ipsi Aman : *Quid debet fieri viro, quem rex honorare desiderat* honore præcipuo?

Cogitans Aman, quod nullum alium rex, nisi se, vellet honorare : quia jam sæpe fuit expertus favorem regis ad se; et quia superbi reputant se honore prædi- A gnos, et frequenter æstimant se tales ac tantos ab aliis reputari, quales et quanti reputantur a se ipsis, quum longe sit aliter; *respondit : Homo quem rex honorare cupit, debet indui vestibus regiis, et imponi super equum qui de sella regis est,* id est quem rex solet equitare. Unde in Scholastica historia dicitur, Super equum regis. Josephus quoque narrat ipsum Aman dixisse : Induatur veste tua, quem honorare desideras. *Et accipere regium diadema.* Ex hoc Lyra concludit, quod Aman adspiraB verit ad regnum, sed Rabbi Paulus contradicit, et dicit non esse intelligendum, quod homo ille quem rex vellet honorare, accipiat regium diadema, sed quod equus ille qui de sella regis erat, esset de illis qui consueverunt regium diadema portare, quando rex equitavit in illis. Huic autem objectioni repugnat, quod subditur, *super caput suum ;* sicque Magister in historiis refert. Quod autem Aman adspiravit ad regnum, apparentiam habet ex hoc, quod infra Assuerus rex protestatur : C Qui, scilicet Aman, in tantum arrogantiæ tumorem sublatus est, ut regno nos privare niteretur et spiritu. (Esther XVI, 12-14.) Nam Mardochæum et Esther expetivit in mortem, ut illis interfectis, insidiaretur nostræ solitudini, et regnum Persarum transferret in Macedonas. Idem apparet ex eo, quod inferius denuo legitur, Aman voluit nocere Mardochæo pro duobus eunuchis regis qui fuerant interfecti. (Ibid. XII, 6.) *Et primus de regis* principibus ac tyrannis,* id est majoribus ac fortibus. Olim enim dicebatur tyrannus, D rex, aut princeps fortis a τύρος, quod est fortis. Nunc vero vocatur τύραννος, violentus et irrationalis, qui sequitur voluntatem, non rationem. *Teneat ejus equum.*

* regiis

Dixitque rex : Fac, sicut dixisti, Mardochæo Judæo sumpta stola,* id est regia veste, *et equo.* Dicunt aliqui, quod rex tacuit de regio diademate, quia non videbatur sibi competere, quod alter a rege uteretur diademate regio. Sed his obviare videtur, quod rex dixit ad Aman : *Cave, ne quidquam de his quæ locutus es, præ-*

* ut locutus es

Digitized by Google

Esther VIII, 15. *termittas.* Infra quoque habetur, quod Mardochæus egrediens de conspectu regis, coronam auream portavit in capite. *Tulit itaque Aman stolam et equum,* ad faciendum juxta regis præceptum. Et, sicut Josephus refert, quum invenisset Aman Mardochæum saccum indutum, et jussisset eum sacco exutum, circumdari purpura, Mardochæus putans sibi illudi, dixit ad Aman : Pessime omnium hominum, sic nostram calamitatem derides ? Veritate autem cognita, acquievit.

Expleto demum regis præcepto, *Aman festinavit ire in domum suam, lugens et operto capite,* ex confusione atque tristitia. *Narravitque amicis et uxori. Cui responderunt sapientes, quos habebat in consilio, et uxori * : Si de semine Judæorum est Mardochæus, ante quem cadere cœpisti,* id est humiliari et dehonorari, *non poteris resistere ei.* Unde apparet, quod isti noverunt aliquid de libris et historiis Judæorum, quorum libri erant translati ad aliam linguam ; vel ex Judæorum inter se commorantium relatione. Atque (ut dicunt Hebræi) legerunt, quod filii Israel comparantur stellis cœli et pulveri terræ, ut patet sæpe in Genesi et Deuteronomio. Ideoque dixerunt : Dum incipiunt cadere, prosternuntur et suppeditantur ut pulvis ; dum vero incipiunt prævalere, exaltantur ut sidera. Hoc recitative commemoro.

* uxor ej

Gen. XI 16 ; XV. ; XXII, 17 ; XXVI, 4 ; XXVIII. 14 Exod. XXXII, 13 Num. XX 10 ; Deut. 10.

ARTICULUS VII

EXPLANATIO CAPITULI SEPTIMI : INTRAVIT ITAQUE REX ET AMAN, UT BIBERENT CUM REGINA.

FORMA petitionis Esther reginæ hic ponitur. *Intravit itaque rex et Aman, ut biberent cum regina :* imo ut etiam manducarent cum ea ; sed per unum designatur utrumque, sicut et nomine comestionis, communiter ipsa quoque potatio insinuatur. *Dixitque ei rex : Quæ est petitio tua, Esther ? Respondit : Si inveni gratiam in oculis tuis, o rex, dona mihi animam meam pro qua rogo,* id est, vitam meam conserva, atque a mortis laqueo eripe, *et populum meum pro quo obsecro,* id est, ad instantiam meam præserva a mortis periculo jam propinquo, nisi subvenias, populum de quo nata sum, et cujus membrum exsisto. *Traditi enim sumus ego et populus meus, ut conteramur, jugulemur et pereamus. Atque utinam in servos et famulas venderemur,* id est, venditio ista esset eligibilior, quam sic jugulari ; *esset tolerabile malum :* quia tolerabilior est mors civilis, videlicet servitus, quam mors corporalis, et generalis etiam parvulorum ac feminarum ; *et gemens tacerem,* id est, habendo patientiam, et sustinendo pro culpa mea, etiam mei ipsius dejectionem a regali excellentia ad statum ancillarem, quia invite propono querimoniam. *Nunc autem hostis noster est, cujus crudelitas redundat in regem.* Vir namque et uxor sunt una caro : ideo occisio uxoris redundat in virum. Esther autem fuit pars populi, quem Aman procuravit morti adjudicari. Dictum est quoque supra, quod Aman adspiravit ad regnum, et cogitavit mala in regem. Poterat item rex emolumenta pecuniarum et commoda consequi, ex Judæorum venditione, seu occupatione in servitiis regis, quemadmodum in Ægypto servierant Pharaoni : idcirco eorum occisio regi damnosa fuisset. *Hostis et inimicus noster pessimus iste est Aman,* qui adversatur vitæ nostræ ac regno.

Gen. II, 24 Esther II 7 ; III, 8-15 Ibid. VI. Exod. I, 11

Quod ille audiens, illico obstupuit, id est, præ admiratione rei insuspicatæ, territus fuit valde, et quasi defecit, *vultum*

Digitized by Google

regis ac reginæ iratum *ferre non sustinens,* ex pavore et confusione. *Rex autem surrexit, et intravit in hortum arboribus consitum,* id est ornatum et complantatum, pro refrigeratione iracundiæ suæ, et ne in impetu iræ ferret sententiam. *Aman quoque surrexit, ut rogaret Esther pro anima,* id est pro vita *sua* conservanda. Nam rege surgente, regina etiam surgens, ex debilitate, quam incurrit ex immoderata suæ teneritudinis alteratione, projecit se super lectum ad repausandum. *Intellexit enim a rege sibi paratum malum,* id est, ex dispositione et ira regis, considerravit sibi imminere periculum mortis. (ov. xxvii,) Ira enim non habet misericordiam, nec erumpens furor. Et impetum concitati spiritus sustinere quis poterit? Atque, ut iterum Salomon fassus est : (bid. xix, xvi, 14.) Quemadmodum hilaritas regis est quasi ros super herbam, sic iracundia ejus est tanquam fremitus leonis, et nuntius mortis.

Qui rex *reversus, reperit Aman super lectulum corruisse, in quo,* id est super quem,*jacebat Esther* cum vestibus. Dicunt aliqui, quod Aman ex debilitatione corruit super lectum : quia ex tantis et tam inopinatis adversitatibus et obstupefactione ac formidine debilitabatur in corpore. Josephus vero ait, quod procidit super lectum, rogans reginam. *Et ait rex* ex suspicione : *Etiam reginam vult opprimere, me præsente,* id est strangulare, ut quidam exponunt, vel violenter cognoscere. Unde Josephus narrat regem dixisse : Pessime omnium, uxori meæ violentiam inferre conaris? *Et statim operuerunt faciem ejus,* tanquam protinus condemnandi, et jam quasi condemnati ad mortem. Sic enim

A in aliquibus terris, solent damnatis ad mortem oculi operiri.

Dixitque unus de eunuchis : En lignum, hoc est patibulum, *quod paraverat* Aman *Mardochæo, stat in domo,* id est infra septa domus *Aman.* Iste eunuchus, fuit unus eorum qui iverunt pro Aman vocando ad mensam reginæ, et viderat illud patibulum, ac petivit, cui esset paratum ; cui respondit unus servorum, quod Mardochæo : ut Josephus refert. *Cui dixit rex : Suspendite eum in eo,* id est ligno,

B per manus tortoris. *Suspensus est itaque Aman.* In qua re patet fallacia prosperitatis mundanæ, incertitudo et instabilitas favoris humani, præsertim principum mundanorum ; et qualiter Deus sanctus et justus, superbis resistat, qui mentem Assu- (I *Petr.* v, 5.) eri affecit, et vertit ad beneplacita sibi in isto negotio, quemadmodum scriptum est in Proverbiis : Cor regis in manu Dei (*Prov.* xxi, 1.) est ; quocumque voluerit, inclinabit illud. Estque impletum in Aman illud Ecclesiastici, Facienti nequissimum consilium, su- (*Eccli.* xxvii, 30, 31.)

C per ipsum devolvetur, et non cognoscet unde illi advenit illusio ; et quod ait Psalmista, In laqueo isto quem absconderunt, (*Ps.* ix, 16.) comprehensus est pes eorum ; illud quoque Proverbiorum, Qui fodit foveam in- (*Prov.* xxvi, 27.) cidet in eam, et qui volvit lapidem ad eum revertetur.

Hinc Josephus circa hæc scribit : Contigit mihi mirari in isto sapientiam Dei, quod non solum malitiam Aman punivit, sed quod excogitata ab eo contra alium tormenta, in ipsum convertit, et ceteros

D hoc sentire permisit, quoniam qui contra alium molestus fuerit, hæc in se primum cognoscat parata.

Digitized by Google

ARTICULUS VIII

EXPOSITIO CAPITULI OCTAVI : DIE ILLO DEDIT REX ASSUERUS ESTHER REGINÆ.

LIBERATIO Judæorum, ad instantiam A Esther facta, hic recitatur. *Die illo dedit rex Assuerus Esther reginæ domum Aman,* cum facultatibus quibus ipse Aman privari promeruerat in se et in sobole sua, utpote reus criminis læsæ majestatis ; *et Mardochæus ingressus est ante faciem regis,* tanquam amicus et successurus in loco, dignitate, principatuque Aman. *Confessa enim est ei,* scilicet regi, *Esther, quod esset patruus suus. Tulitque rex annulum, quem ab Aman recipi jusserat, et tradidit Mardochæo.* Dederat quippe rex annulum B suum Aman ad signandum : quem abstulit ei, dum eum a pristina dignitate deposuit, et contulit Mardochæo ad eosdem usus, ad quos datus fuerat ipsi Aman.

Esther autem procidit ad pedes regis, et locuta est : Obsecro, ut novis epistolis veteres litteræ Aman factæ de Judæorum occisione, *corrigantur,* id est, reprobentur et revocentur. *Responditque rex Esther reginæ et Mardochæo : Scribite Judæis sicut vobis placet, ex regis nomine.* Hanc auctoritatem rex dedit conjugi suæ et ejus C patruo, quoniam de eorum justitia, prudentia, fidelitate fuit certificatus.

Accitisque scribis et librariis regis, id est, dictatoribus atque scriptoribus epistolarum ac librorum vocatis, *epistolæ sunt scriptæ ut Mardochæus voluerat, et missæ per veredarios,* id est nuntios, qui secundum Josephum equites erant. Harum epistolarum formam ponit Josephus in hoc
Esther xvi, 1 et seq. loco : quæ infra continetur. *Quibus* veredariis *imperavit rex, ut convenirent,* id est alloquerentur, *Judæos per singulas ci-* D *vitates, et in unum præciperent congregari* ipsos Judæos, *ut starent pro animabus suis,* id est pro defensione vitæ suæ, *et omnes inimicos suos cum conjugibus et liberis et universis domibus,* id est familiis seu cognatis, *interficerent,* inferendo illis, quod illi decreverant inferre ipsis Judæis. Esther ii, 13.
Et constituta est per omnes provincias una ultionis dies, id est tertiadecima mensis duodecimi nomine *Adar :* quo die jusserat Aman Judæos occidi. Sicque ordinante divina justitia, eo die prostraverunt Judæi adversarios suos, quo adversarii ipsos occidere decreverunt. *Summaque epistolæ,* id est tenor et sententia epistolarum prædictarum, *summatim,* id est breviter, *fuit,* quarum sententia infra diffuse habetur : Ibid. xvi.
paratos esse debere *Judæos ad capiendam,* imo et exercendam, *vindictam de hostibus suis* fautoribus Aman, cujus edictum exsequi intendebant. Denique epistolæ illæ materialiter erant multæ, sed una in forma et sensu fuit, hoc est una in specie. *Egressique sunt veredarii celeres nuntios perferentes,* id est, veloces ambasiatas secum portantes.

Mardochæus autem de palatio et de conspectu regis egrediens, fulgebat vestibus regiis, hyacinthinis, id est purpurei coloris, *et aerinis,* hoc est coloris aerii clari et albi, *coronam auream portans in capite, amictus pallio serico atque purpureo.* In tali apparatu, decore, et gloria fecit eum rex egredi, ut cunctis pateret auctoritas et potestas sibi commissa. Tamen aurea illa corona in pretiositate et forma a diademate regis distabat.

Omnisque civitas exsultavit, atque gavisa est,* hoc est tota urbs Susa, nisi forsan * lætata
paucis fautoribus Aman exceptis. Vel, Omnis, id est quælibet civitas regis, ad quam rumor horum devenit. Noverant enim superbiam Aman, et Mardochæi virtutem.

Digitized by Google

Ideo de illius dejectione, et hujus promotione gloriabantur. In quibus verificatum est illud Proverbiorum : In multiplicatione justorum lætabitur vulgus ; quum impii sumpserint principatum, gemet populus. *Judæis autem nova lux oriri visa est,* id est copiosa materia jucunditatis et clarificatio oculorum. Ideo undique multipliciter lætabantur, *in tantum, ut plures,* id est multi gentilium et idololatrarum, *eorum religioni et cærimoniis jungerentur,* id est, A ad Judaismum converterentur, colentes de cetero verum Deum per observantias cærimonialium præceptorum, imo et moralium et judicialium mandatorum, percipientes quod Deus Israel sic subvenisset populo suo, ejusque adversarios trucidasset tam inopinate atque celerrime. *Grandis enim cunctos* Assuero *subjectos Judaici nominis terror invasit,* ita quod nomine Judæorum audito, perterrebantur, quorum Deum credebant summum et omnipotentem.

Prov. xxix, 2.

ARTICULUS IX

DECLARATIO CAPITULI NONI : IGITUR DUODECIMI MENSIS, QUEM ADAR VOCARI ANTE JAM DIXIMUS, TERTIADECIMA DIE.

Exsecutio ultionis, quam Judæi in hostes suos exercuerunt, hic narratur, nec est difficultas in textu. Primo enim exprimitur tempus, quo ulti sunt suam injuriam in eos, qui concordaverunt, juxta voluntatem Aman, occidere ipsos Judæos et eorum diripere opes. *Fama* Mardochæi *crescebat quotidie :* quia virtuose et sapienter regebat, et res publica præ solito prosperabatur sub eo ; et divulgabatur quod erat patruus reginæ, ipsumque regem sua fidelitate præservasset a morte : ideo principes et præfecti provinciarum, *extollebant Judæos timore Mardochæi, quem principem esse palatii* post regem, vel magistratum curiæ, *et plurimum posse cognoverant,* quia rex honoravit et habuit eum ut patrem. *Ita ut in Susis* metropoli regni, *quingentos viros* Judæi *occiderint*, extra,* id est præter et ultra, *decem filios Aman. Quos quum occiderunt, prædas de eorum substantiis agere noluerunt,* id est, nihil de possessionibus occisorum converterunt in proprium usum : quod fuit honestum, ne ex cupiditate, non æquitate, viderentur se vindicare.

* interficerent

B *Qui,* scilicet rex, *dixit reginæ : Quid ultra postulas ? Cui illa : Detur Judæis potestas, ut sicut hodie fecerunt, sic et cras faciant in Susis* solum. In ipsa etenim urbe plures et potentiores fuerunt adversarii Judæorum, in qua et Aman personaliter habitavit. Ideo Esther rogavit ibi fieri ultionem per duos dies, et factum est ita. In ceteris vero urbibus percusserunt adversarios suos tertiadecima die mensis Adar, *et quartadecima die cædere desierunt,* ita quod illa die neminem occiderunt. Juxta C quem sensum, in Susis cessaverunt percutere quintadecima die mensis Adar.

Scripsit itaque Mardochæus omnia hæc in libro isto, cujus auctor est ipse, quamvis vocetur liber Esther, quia principalius tractat de ea, et ipsa principalior fuit in procuratione liberationis Judæorum ; *et litteris comprehensa, misit ad Judæos* per totum Assueri imperium, *ut quartamdecimam et quintamdecimam diem mensis Adar pro festis susciperent,* id est, de cetero festivos haberent in memoriam benefi- D ciorum Dei et victoriæ eis concessæ ; *quia in ipsis diebus se ulti sunt de inimicis suis,* id est, quartadecima die mensis il-

Digitized by Google

lius cessaverunt ab ultione Judæi extra Susa habitantes. Judæi autem in Susis habitantes, cessaverunt ab ultione quintadecima die : ideo voluit Mardochæus utrumque diem haberi solennem, ut vacarent epulis, sobrie tamen, et gaudio spirituali Deo regratiantes atque conviviis moderatis.

Consequenter ponitur recapitulatio prædictorum. *Aman enim filius Amadathi,* etc. *Atque ex illo tempore* institutionis solennitatis istius, *dies isti* festivi, scilicet quartusdecimus et quintusdecimus mensis Adar, *appellati sunt* a Mardochæo et sequacibus ejus, PHURIM, *id est sortium, eo quod* PHUR, *id est sors, in urnam missa* Esther III, 7. *fuerit,* non a Judæis, sed ab Aman, ut supra expositum est. Fuitque una sors in communi, sed duæ in particulari, ut tactum est ibi. Ideo hic dicitur, Dies sortium, in plurali; et additur, Eo quod sors, in singulari. Itaque dicti sunt dies Sortium, ab eventu, non proprie a materia; et quia sors illa fuit occasio ultionis seu victoriæ, de qua principaliter fuit ista celebritas. Ant. Jud. lib. XI, c. 6 in fine. Verumtamen Josephus refert, quod Judæi vocant hos dies, conversatores, quia videlicet in eis de mœrore gravissimo in gaudium sunt conversi; vel quia tunc pariter conversantur in epulis et ferculorum mutuis transmissionibus ac donorum largitionibus. *Susceperunt itaque Judæi super se,* id est, concorditer obligaverunt se ad celebrandum hos dies. Consensus enim exigitur ad novæ legis seu jussionis robur, auctoritatem et ratificationem. *Isti sunt dies, quos nulla unquam delebit oblivio, et cunctæ quæ in toto orbe sunt provinciæ, celebrabunt,* id est Judæi habitantes in cunctis provinciis mundi : quod per hyperbolen dictum est.

Scripseruntque Esther et Mardochæus etiam secundam epistolam, ut omni studio dies ista, id est solennitas duorum dierum istorum, *sanciretur,* id est firmiter servaretur, *in posterum,* durante cursu veteris Testamenti. *Et miserunt* epistolam istam secundam, *ad omnes Judæos* imperii Assueri, *ut haberent pacem* internam cum Deo, et pacem externam inter se invicem et cum gentilibus, inter quos versabantur, non se extollendo aut insolescendo, eo quod regina et princeps palatii essent de natione eorum, *et susciperent veritatem,* acquiescendo veritati, doctrinæ atque justitiæ; vel, ut quidam exponunt, accipiendo hunc librum inter libros canonicos sacræ Scripturæ. *Observantes* etiam *jejunia atque clamores,* id est memoriam jejuniorum et clamorosarum orationum, quibus postulaverunt auxilium Dei adversus pericula eis ab Aman parata, antequam prævaluerunt modo prætacto. Porro Rabbi Paulus dicit istud ab Hebræis ita exponi, quod Esther et Mardochæus ordinaverunt, ut Judæi ante solennitatem hanc Sortium, vacarent orationibus et jejuniis pro gratia devotionis, et ad recordationem quod Esther, Mardochæus et alii Judæi, orando et jejunando, clamaverunt ad Dominum pro causa prædicta. Susciperentque ut observarent omnia *quæ libri hujus, qui vocatur Esther, historia continentur,* id est, crederent et approbarent universa, quæ in libro hoc, qui intitulatur liber Esther, sunt scripta.

Digitized by Google

ARTICULUS X

EXPOSITIO CAPITULI DECIMI : REX VERO ASSUERUS.

DEUS qui nullum bonum deserit irremuneratum, Assuero regi magnam contulit prosperitatem terrenam, pro pietate sua circa Israelitas, et pro justitia quam in adversarios eorum exercuit. An vero fuerit tandem ad verum Deum ab idololatria per Esther et Mardochæum conversus, nescitur : quamvis infra satis monstretur habuisse notitiam quamdam veri Dei et providentiæ ac judicii ejus, beneficiorum quoque ipsius. *Rex vero Assuerus omnem terram et cunctas maris insulas fecit tributarias,* id est sub tributo sibi deservientes : quod per modum hyperbolici sermonis est intelligendum, ad insinuandum quod valde magnam terræ partem et plurimas insulas, non tamen simpliciter omnes, sibi subjecit, intelligendo per terram et insulas, habitatores earum. *Cujus fortitudo,* qua inimicis rebellibusque prævaluit, *et imperium* super subjectos, *et dignitas* monarchica, *atque sublimitas qua Mardochæum exaltavit, scripta sunt in libris Medorum atque Persarum,* quorum specialiter hereditarius rex fuisse refertur : ideo illi gesta illius specialius ac diffusius habebant descripta ; *et quomodo Mardochæus secundus a rege,* id est primus post regem in ordine principum, *fuerit, et magnus apud Judæos* auctoritate, sapientia, bonitate, *quærens bona populo suo,* quia sollicitus fuit pro communi populi sui bono, *et loquens quæ ad pacem sui seminis pertinerent.* Sicque Deus per eum consolabatur Judæos dispersos.

Hucusque, seu usque ad hæc verba inclusive, liber Esther in Hebræo habetur. Idcirco Hieronymus mox subjungit : *Quæ habentur in Hebræo, plena fide expressi. Hæc autem quæ sequuntur, scripta reperi* A *in editione vulgata,* id est translatione inventa et publicata, cujus auctor ignoratur, *quæ Græcorum lingua et litteris,* id est sermone et libris, *continentur; et interim,* id est medio spatio, *post finem libri istius hoc capitulum ferebatur,* id est, pars hujus capituli exprimebatur, videlicet verba immediate sequentia, Dixitque Mardochæus ; *quod juxta nostram consuetudinem obelo, id est veru, prænotavimus,* id est, ante hæc verba posuimus similitudinem veru seu virgulæ, ad innuendum quod ista se- B quentia non sunt authentica seu canonica, sed transfodiuntur, hoc est, ab Hebræis non recipiuntur, imo tanquam superflua abscinduntur a canone Scripturarum.

Dixitque Mardochæus, post ipsius Aman suspensionem et suam promotionem : *A Deo facta sunt ista.* Tunc namque intellexit visionem quam ante habuerat, per rerum eventum et evidentiam facti : idcirco non fuit propheta ex visione hujusmodi, quia intelligentia est opus in visione. *Recordatus sum somnii quod videram,* (Dan. x, 1.) *hæc* C *eadem* quæ jam gesta sunt *significantis ; nec eorum quidquam irritum fuit,* id est, nihil horum quæ vidi in somnio illo, inane fuit aut cassum. Vidit autem in somno parvum fontem, qui paulatim videbatur crescere et augeri atque exuberare in fluvium, et converti in lucem et solem. Vidit quoque duos dracones et duas gentes. Et per fontem parvum significata est Esther quæ crevit sapientia, virtute, auctoritate et fama, ita quod instar lucis ac solis lætificavit et clarificavit populum suum. Hoc est D quod dicitur :

Parvus fons qui crevit, in imaginaria visione, *in fluvium, et in lucem solemque conversus est, et in aquas plurimas re-*

Digitized by Google

dundavit, Esther est, id est, ipsam Esther designat. *Duo dracones, ego sum et Aman* per significationem et proprietatem, ita quod comparamur draconibus, non tamen conformiter : quoniam ille dicitur draco per potestatis suæ abusum et venenatam impietatem, aliorumque pestiferam infectionem; ego autem per potestatis valorem et caritatis fervorem. Draco enim est ignea fera. Sic Christus significatur per leonem ratione fortitudinis, et diabolus ratione ferocitatis. *Gentes quæ convenerant* cum uno dracone, *hi sunt qui conati sunt delere nomen Judæorum,* puta fautores ipsius Aman, volentes vitam et memoriam Judæorum omnino exstinguere. *Gens autem mea, Israel est,* id est Israeliticus populus me sequens draconem, *quæ clamavit ad Dominum, et salvum fecit Dominus* A *populum suum* ab insidiis Aman ; *et fecit signa magna atque portenta inter gentes,* dejiciendo Aman cum suis, et nos humiles exaltando ; *et duas sortes esse præcepit,* id est partes seu eventus vel distinctiones, *unam populi Dei,* videlicet Judæorum fidelium, *et alteram cunctarum gentium,* hoc est infidelium idololatrarum. *Venitque utraque sors in statutum ex illo jam tempore coram Deo universis gentibus,* id est, ex decreto divini judicii quælibet gens accepit suam mercedem, et salvata est una, B quæ clamavit ad Dominum, ac perdita altera. Ideo subditur : *Et recordatus est Dominus populi sui,* id est, ostendit se memorem Judæorum, eos pie exaudiendo, *ac misertus hereditatis suæ,* hoc est hereditariæ plebis suæ : de qua ait per Isaiam, Hereditas mea Israel. *Is.* xix, 2

ARTICULUS XI

DECLARATIO CAPITULI UNDECIMI : ANNO QUARTO, REGNANTIBUS PTOLEMÆO ET CLEOPATRA.

HOC capitulum undecimum modice differt a præcedenti, quia ejusdem somnii descriptio est. Itaque, *Anno quarto, regnantibus Ptolemæo* rege Ægypti, *et Cleopatra* conjuge, *attulerunt Dositheus et filius ejus hanc epistolam phurim,* id est sortium. *Vidit somnium Mardochæus :* quod
Esther x, 5-12. præcedenti articulo expositum est, sed hic aliqua verba adduntur. *Erat autem* Mardochæus *de eo numero captivorum, quos transtulerat Nabuchodonosor cum Jecho-*
Ibid. II, 5, 6. *nia rege Juda,* prout supra expositum est. Et ex isto patet verum esse quod dictum est ibi, videlicet Mardochæum cum Jechonia fuisse captum.

Et hoc ejus somnium fuit : Apparuerunt in somno imaginaria visione *voces,* id est clamores, *et tumultus et tonitrua et terræ motus, et conturbatio* magna *super terram :* per quæ omnia præfigurabatur C tempestas, inquietudo et vehementia tribulationis imminentis populo Judæorum in regno Assueri sub tempore Mardochæi et Aman. Talia quoque apparuerunt non imaginarie tantum, sed vere realiter in nativitate Alexandri regis, ad præsignandum vehementiam tribulationum imminentium orientalibus regnis atque provinciis ab Alexandro tunc nato.

Et ecce duo dracones magni, paratique contra se in prælium, scilicet Mardochæus et Aman, juxta præhabitam in præcedenti *Esther* x,
D articulo expositionem ; *ad quorum clamorem* contra se invicem, *cunctæ concitatæ sunt nationes,* id est quædam de omnibus, regni præsertim Assueri, adhærentes impio Aman, *ut pugnarent contra gentem justorum,* id est, Judæos veri Dei cultores occiderent. *Fuitque dies illa,* id est tempus designatum per somnium illud, *tene-*

Digitized by Google

brarum, id est tristitiarum, *et discriminis,* id est periculi, *tribulationis et angustiæ, et ingens formido super terram :* et hoc (Esther III, 15; IV, 1-3.) primo in populo Judæorum, promulgato edicto de eorum occisione ; postea autem (Ibid. VIII, 1; IX, 1-17.) in fautoribus Aman, misso decreto, quod a Judæis essent interimendi. *Conturbataque est gens justorum,* scilicet Judæorum, *timentium mala sua,* id est adversa eis instantia, prout dictum est jam plenius, *et præparata ad mortem,* id est tradita et exposita periculo mortis ex machinationibus Aman.

Clamaveruntque ad Deum ; et illis vociferantibus in oratione, fletu, et gemitu, *fons parvus crevit in fluvium maximum,* id est, humilis Esther, origo consolationis (Ibid. VIII, IX.) et gaudii Judæorum, exaltata est valde et exaudita a rege in tantum, quod toti populo suo impetravit abundantiam exhilarationis, pacis et prosperitatis. Hinc subditur : *Lux et sol ortus est,* id est, Esther surrexit, et jucunditatem ac clarificatio- A nem procuravit Judæis. Quod et de Mardochæi elevatione potest intelligi : quo exeunte de regis conspectu cum regiis vestibus, coronaque aurea, visa est Judæis (Esther VIII, 15, 16.) lux nova oriri. *Humiles exaltati sunt,* scilicet Esther, Mardochæus et Judæi, qui ad Deum humiliter confugerunt, *et devoraverunt inclytos :* quia penitus superaverunt principem Aman, et filios ac fautores ipsius.

Quod quum vidisset Mardochæus in somno et visione imaginaria : quam ta- B men tunc non intellexit. Nam subditur, *et surrexisset de strato,* id est lecto suo, *cogitabat quid Deus facere vellet ; et fixum habebat in animo* id quod vidit, tenens pro certo, quod futurorum esset præsagium, et ardua designaret : ideo fuit *cupiens scire quid significaret somnium :* quod Deus sibi ostendit diu antequam res designata evenit, quatenus ea impleta, Mardochæus certius nosceret id ex divina providentia contigisse.

ARTICULUS XII

ELUCIDATIO CAPITULI DUODECIMI : MORABATUR AUTEM EO TEMPORE IN AULA REGIS.

CONSEQUENTER in hoc duodecimo capitulo recitatur, qualiter Mardochæus significavit Assuero insidias eunuchorum, (Esther II, 21, 22.) prout supra est conscriptum. *Morabatur autem* Mardochæus *eo tempore in aula regis, cum eunuchis regis qui janitores erant palatii,* et in primo palatii limine præsidebant. *Quumque intellexisset cogitationes eorum* per signa et facta quædam exteriora, vel per verba alterius linguæ, quam illi putabant Mardochæum non intelligere, (Ibidem.) sicut supra patuit : ubi ex Josepho allegatum est, quod servus unius eunuchorum illorum, natione Judæus, revelavit id Mardochæo : cui ille non credens, caute personaliter consideravit et observavit conatus C eorum. Secundum quod subditur : *et curas diligentius pervidisset, didicit quod conarentur in regem Artaxerxem,* id est Assuerum, *manus mittere* violentas ad occidendum. *Et nuntiavit super eo regi,* id est, de hac re significavit Assuero veritatem per Esther reginam.

Rex autem quod gestum erat, scripsit in commentariis, id est, scribi fecit in libris memorialibus, in quibus continebantur res dignæ memoria ; (Esther II, 23.) *datis ei,* scilicet Mardochæo, *pro delatione,* id est accusatio- D ne eunuchorum, *muneribus :* quod qualiter intelligendum sit, in expositione superiorum est expressum. (Ibid. VI, 3.)

Aman vero gloriosissimus, id est hono-

Digitized by Google

ratissimus et famosissimus, *erat coram* A
Esther III, 1. *rege* Assuero, qui fecit eum talem ac tantum, videlicet summum post se; *et voluit nocere Mardochæo et populo ejus,* procurando eorum occisionem, *pro duobus eu-*
Ibid. 5, 6. *nuchis.* Supra dictum est, quod voluit eos occidere, quoniam Mardochæus non flectebat genua coram ipso Aman. Hic vero innuitur alia causa : quia videlicet Aman ægre tulit, quod Mardochæus accusavit eunuchos regi, et occasio fuit interfectionis illorum, qui erant amici Aman, atque (ut aliqui opinantur) cupiebant promotionem ipsius Aman in regem.

ARTICULUS XIII

ELUCIDATIO CAPITULI TERTIIDECIMI : REX MAXIMUS ARTAXERXES.

CAPITULUM præsens includit epistolam, quam misit Aman ex nomine regis Assueri de occidendis Judæis, orationemque Mardochæi. Epistolæ autem hoc exemplar fuit, et sumptum est istud ex Josepho, qui undecimo Antiquitatum libro hanc ponit epistolam quasi de verbo ad verbum, sicut habetur hic, et insertum ac additum fuit editioni seu translationi vulgatæ, cujus auctor nescitur.

Rex maximus Artaxerxes, alio nomine Assuerus, pro tunc monarcha, *ab India usque Æthiopiam,* etc. *Quum plurimis* C *gentibus imperarem, et universum orbem meæ ditioni,* id est imperio, *subjugassem :* quod per hyperbolen dictum esse, tactum est sæpius. Non enim occidentalibus et citramarinis præfuit regnis. *Volui nequaquam magnitudine abuti potentiæ.* Hoc enim esset tyrannicum, abuti potentia.
Prov. XXVIII, 15. Propter quod in Proverbiis inducitur : Leo rugiens, et ursus esuriens, princeps impius super populum pauperem. Itemque :
Ibid. 16. Dux indigens prudentia, multos opprimet per calumniam. Istud pulchrum prooe- D mium præmisit impius Aman ex nomine regis, ne Judæorum occisio crudelitati adscriberetur. *Sed clementia et lenitate,* id est mansuetudine, *gubernare subjectos.* Ro-
Ibid. XX, 28. boratur namque clementia thronus regis ; et mansuetudo maxime condecet præsidentes, quoniam ira excæcat et obruit oculum B mentis, quem oportet in præsidentibus esse perlimpidum et tranquillum ad efficaciter judicandum. *Ut absque ullo timore* * inordinato, *vitam silentio transigentes,* id est quiete pertransientes, *optata cunctis mortalibus pace fruerentur.* Omnia enim naturaliter appetunt suo modo pacem. Nam et motus tendit ad quietem, et bella ordinantur ad pacem ; et sicut gravia deorsum, levia vero sursum quiescunt, sic appetitus humanus quiescit in pace. Sic et Apostolus Timotheum affatur : Obsecro I Tim. II, 1-2. fieri orationes, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate. Nihilo minus quidam ex corruptione naturæ seu habitu vitioso vel suggestione iniqua ad inquietudinem inclinantur, Isaia dicente : Impii quasi mare fervens quod quiescere Is. LVII. 20 non potest.

* terrore

Quærente autem me a consiliariis meis, quomodo hoc posset impleri, unus qui sapientia et fide, id est fidelitate, *ceteros præcellebat.* Hoc Aman ex nomine regis scripsit de se ipso ; quum tamen in vitiosis et passionatis non sit vera prudentia, quæ est virtus, neque sapientia salutaris, quamvis possit esse in eis versutia quædam et scholastica notitia ac informis cognitio. *Indicavit mihi in toto orbe terrarum populum esse dispersum,* etc. *Quod quum didicissemus, videntes unam gentem rebellem adversus omne hominum genus,*

* ut etc., *jussimus ut deleantur : quatenus* nefarii,* hoc est detestabiles et nominatione indigni *homines, una die ad inferos descendentes* quantum ad animas : quarum immortalitatem multi gentilium crediderunt seu cognoverunt; *reddant,* id est, auferre desistant, *imperio nostro,* id est subditis nostro dominio ac nobis, *pacem quam turbaverant.*

Ecce sceleratissimus iste Aman quam apparenter dictavit istam epistolam, et suam coloravit ferocitatem atque invidiam. Quem in hoc multi usque in præsens sequuntur, qui sub specie boni et optimi, mala et pessima tegunt, proponunt et practicant. Ideo simulatores et callidi, specialiter et enormiter provocant iram Dei; et illusores Deus illudet, corruentque fallaces in laqueum, quem aliis texunt. (Job xxxvi, 13. Prov. iii, 34. Ps. vii, 16.)

Sequitur oratio Mardochæi. *Mardochæus autem deprecatus est Dominum,* post promulgationem epistolæ præscriptæ et decreti, *memor omnium operum ejus,* in generali, vel quorumdam de omnibus, seu operum naturæ et gratiæ ac gloriæ. Sicque ait Psalmista : Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis. Specialiter vero consideravit Mardochæus opera et beneficia Dei, Israelitis ab antiquis diebus exhibita. (Ps. cxlii, 5.)

Et dixit : Domine Deus, rex omnipotens. De quo loquitur Isaias : Dominus legifer noster, Dominus judex noster, Dominus rex noster. Cui dicit Jeremias : Non est similis tui, Domine; magnus es tu, et magnum nomen tuum in fortitudine. Quis non timebit te, o Rex gentium? *In ditione tua,* id est in tua potestate atque dominio, *cuncta sunt posita,* quum sis universorum creator : cujus conceptioni, jussioni ac nutui necessario subest et paret omnis natura creata, jure creationis et auctoritate creantis; *et non est qui possit resistere tuæ voluntati,* qua vis aliquid absolute et volitione exsistente in te : quæ nunquam ab effectu sibi placito impeditur, sicut per Isaiam testatus es : Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet. Et rursus [in] Job dicit : Quis resistere potest vultui meo? omnia enim quæ sub cœlo sunt, mea sunt. *Si decreveris,* id est deliberaveris, *salvare Israel,* id est Israeliticam plebem ab imminente periculo; nullus poterit impedire, et continuo liberabitur a te. *Tu fecisti cœlum et terram, et quidquid cœli ambitu continetur. Dominus omnium es* auctoritate et jure creationis, conservationis, gubernationis et finalis dispositionis : ideo cunctis inest obedientialis potentia ad obediendum tibi tam naturaliter quam supernaturaliter, nec limitatur tua potestas immensa ad naturalem cursum ac ordinem rerum. (Is. xxxiii, 22. Jer. x, 6, 7. Is. xlvi, 10. Job xli, 1, 2.)

Cuncta nosti, et scis quia non pro, id est ex, *superbia,* vel pro obtinenda excellentia aliqua, *et contumelia* alicui inferenda, *fecerim hoc, ut non adorarem Aman superbissimum,* etc. Istud supra expositum est. (Esther iii, 2.)

Et nunc, Domine, Deus Abraham, miserere populi tui, quia volunt nos inimici nostri, scilicet Aman et sui, *perdere, et hereditatem tuam delere. Ne despicias partem tuam,* id est Israeliticam plebem, quæ est parva in hominum universitate; *quam* plebem ad tuum cultum præ ceteris gentibus elegisti, *redemisti ex Ægypto* in patribus suis sub Moyse. Vel, Quam, cujus patres sic redemisti. Interdum enim loquitur Scriptura de pluribus seu diversis, quasi de uno aut eisdem. *Exaudi deprecationem meam, et propitius esto sorti et funiculo tuo,* id est populo tibi sequestrato ac partito : sicut per sortem venit alicui pars de toto, quod tamen ex tua providentia, non fortuitu, factum est ita. *Et converte luctum nostrum in gaudium,* eripiendo nos de imminente adversitate, *ut viventes* vita naturæ et gratiæ, *laudemus nomen tuum* nominatum, id est te ipsum, *Domine,* gratias referendo; *et ne claudas ora te canentium,* id est, ora nostra te laudantia in hymnis et psalmis, in lege et Prophetis, non permittas claudi per mortem violentam, nobis certissime imminentem nisi tu pie succurras. (Deut. vii, 6. Exod. xii, xiv.)

Digitized by Google

ARTICULUS XIV

EXPOSITIO CAPITULI QUARTIDECIMI : ESTHER QUOQUE REGINA CONFUGIT AD DOMINUM.

FORMA orationis Esther reginæ hic ponitur. *Esther quoque regina confugit ad Dominum,* id est, ad implorandum misericordiam subventionemque Dei se convertit. Itaque mentis conversione, non loci mutatione, ad Deum incircumscriptum ubique præsentem confugitur. *Et pro unguentis variis,* quibus aliquando utebatur, non ex carnali affectu, sed necessitate, ne regem offenderet, cui propter commune bonum populi sui placere habebat, *cinere et stercore implevit caput, et corpus suum humiliavit jejuniis,* id est, capiti suo superjecit cinerem, et corpus suum prostravit in terram, nec ab immunditiis illud more solito lavit : et forsan luto aut alia vili materia illud linivit, pro majore sui humiliatione, ad impetrandum auxilium pietatis divinæ. *Omniaque loca in quibus ante lætari consueverat.* Infra habetur in fine hujus capituli, quod non sit læta in palatio regis, nisi in Deo Israel. Ideo sensus est : Omnia loca in quibus ante lætari consueverat, id est signa alicujus lætitiæ demonstrare, seu per modum lætantis forinsecus se habere. Potest quoque exponi de spirituali jucunditate, quam in actibus habuit virtuosis ; sed hac vice intenta fuit doloribus. *Crinium laceratione complevit,* præ dolore extrahendo pro parte capillos capitis sui, quemadmodum et Esdras vel Nehemias se fecisse testatur. [1 Esdr. IX, 3.] Complevit autem sic loca illa, id est, præ solito occupavit, ut sit hyperbolicus sermo.

Et deprecabatur Dominum Deum Israel, dicens : Domine mi, per specialem devotionem mei ad te, et per gratiosam providentiam tui ad me, *qui rex noster es solus,* quia pro nunc non habemus proprium regem terrenum. Et, tu solus rex noster es, per spiritualem gubernationem, regendo nos intus per fidem et gratiam ac directionem internam. Unde ait Psalmista : Deus autem rex noster ante sæcula ; et : [Ps. LXXIII, 12.] Dominus regit me, et nihil mihi deerit. [Ps. XXII, 1.] *Adjuva me solitariam,* id est humana consortia evitantem, et tibi quantum mihi possibile est in secreto vacantem, atque eorum de quibus nata sum, societate privatam ; *et cujus præter te nullus auxiliator est alius,* id est, in isto periculo nullus mihi potest efficax adjutorium præbere, nisi tu per modum tibi placentem. *Periculum meum in manibus meis est,* id est, de proximo imminet, et quasi tam præsens et certum, sicut id quod manu tenetur, nisi tu aliter ordines.

Audivi a patre meo, quod tu, Domine, tulisses Israel de cunctis gentibus, id est, a ceteris nationibus separasti Israeliticum populum, mancipando eum tuo obsequio : juxta illud Deuteronomii, Te elegit Dominus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis qui sunt super terram ; [Deut. VII, 6.] *et patres nostros ex omnibus retro majoribus suis,* id est, Patriarchas Abraham, Isaac, Jacob applicuisti tibi, relictis prædecessoribus progenitoribusque eorum qui idolis servierunt. Hinc scriptum est in Deuteronomio : Patribus tuis conglutinatus est Dominus, et elegit eos. [Ibid. X, 15.] Josue quoque in fine libri sui ait : Trans fluvium (inquit) habitaverunt patres vestri, Thare pater Abraham et Nachor, servieruntque diis alienis. [Josue XXIV, 2.] *Ut possideres hereditatem sempiternam,* id est, quatenus Israeliticum populum haberes tibi jugiter servientem, et a te gratiose possessum : sicut in Deuteronomio legitur sæpe. [Deut. IV, 20; VII, 6; XIV, 2; XXVI, 18; XXXII, 9.]

Peccavimus in conspectu tuo. Hoc Esther loquitur in persona populi sui, con-

Digitized by Google

numerando se transgressoribus ex humilitate, quia fuit membrum plebis illius. Et (I *Esdr.* IX, 6.) simili modo loquitur Esdras : Peccata nostra creverunt usque ad cœlum. *Et idcirco tradidisti nos in manus inimicorum nostrorum. Coluimus enim deos eorum,* puta gentilium, quibus nos tradidisti captivos : (IV *Reg.* XVII, 7-23; XXIV; XXV; *Jer.* LII. *Judic.* II, 11-19; III, 6; VIII, 33; X, 6.) quoniam multi ex filiis Israel fuerunt idololatræ quando ab Assyriis et Chaldæis capti fuerunt, et ante frequenter temporibus Judicum.

Et nunc non eis sufficit, quod durissima nos opprimunt servitute in captivitate, quæ B est mors civilis; *sed robur manuum suarum, idolorum potentiæ deputantes,* id est potestatem quam habent a te Deo vero, a (*Rom.* XIII, 1.) quo omnis potestas, suis diis atque simulacris adscribentes tanquam datoribus potestatis, *volunt tua mutare promissa,* id est, volunt nos privare tuæ pietatis effectibus, quos nobis pœnitentiam agentibus (*Deut.* XXX, 4, 10.) promisisti, dicens in Deuteronomio : Si ad cardines cœli fueris dissipatus, inde retrahet te Dominus Deus tuus, si conversus fueris ad eum in toto corde tuo; *et delere* C *hereditatem tuam,* id est, plebem Israeliticam omnino exstinguere, cujus posteritatem promisisti usque in finem sæculi con- (*Jer.* XXXI, 35, 36.) servare, dicens per Jeremiam : Hæc dicit Dominus, qui dat solem in lumine diei, ordinem lunæ et stellarum in lumine noctis : Si defecerint leges istæ coram me, et semen Israel deficiet, ut non sit gens coram me cunctis diebus; *et claudere ora te laudantium,* interficiendo tuos cultores, *atque exstinguere gloriam templi et altaris tui,* id est cultum sacrificiorum tuorum, D qui fit in templo tuo, et obsequium quod tibi ibidem impenditur, impedire : sicut (*Judith* III, 13.) tempore Judith Holofernes conatus est facere; *ut aperiant ora gentium,* dando eis occasionem et materiam blasphemandi te et cærimonias tuas, *et laudent idolorum fortitudinem,* adscribendo eis victoriam qua prævalent nobis, quum tamen ex tua promissione, imo et efficientia id contingat propter nostra peccata, *et prædicent carnalem regem in sempiternum,* id est, A regem nos omnino exstinguentem et auferentem commendent perpetue et inter deos transferendum annuntient, tanquam qui optime fecerit nos tollendo, quia superstitiosos et turbatores pacis communis nos asserunt.

Ne tradas, Domine, sceptrum tuum, id est regiam potestatem super nos, *his qui non sunt,* id est impiis et sceleratissimis hominibus, qui protinus morientur, et spiritualiter nihil sunt, ac comparatione fidelium virtuosorumque hominum, nullius B sunt momenti : secundum quod Apostolus ait, Qui se putat aliquid esse, quum nihil sit (*Galat.* VI, 3.); *ne rideant ad ruinam nostram ; sed converte consilium eorum super eos,* id est, læsionem quam suo consilio machinantur nobis infligere, fac eis infligi. Sic et Propheta oravit, Averte mala inimicis (*Ps.* LIII, 7.) meis, in veritate tua disperde eos : ut impleatur in eis illud Ecclesiastici, Facienti (*Eccli.* XXVII, 30.) nequissimum consilium, super ipsum devolvetur. *Et eum qui cœpit in nos sævire, disperde,* id est, ipsum Aman qui cœpit C in nos crudelissime agere, contere. Hoc zelo justitiæ est petitum contra hostes boni communis atque divini cultus, et ut in præsenti puniantur, et per mortem sublati, cessent sibi damnationem peccando augere.

Memento, Domine, id est, per effectum declara te memorem nostri in bono, *et ostende te nobis,* per gratiosam exauditionem et illuminationem internam, *in tempore tribulationis nostræ :* sicut dixisti, Cum ipso sum in tribulatione (*Ps.* XC, 15.); *et da mi-* D *hi fiduciam,* id est mentis constantiam et confidentiam plenam in te, *Rex* Judæorum, qui tibi fideliter confitentur, *et universæ Domine potestatis,* id est dominator, dator et conservator omnium potestatum quæ respectu tuæ majestatis sunt servitutes et imbecillitates. *Tribue sermonem compositum,* id est ornatum ac audienti bene placentem, *in ore meo :* non ob laudem et gloriam meam, sed propter liberationem populi tui; *in conspectu leonis,* id est Assueri regis : qui ob eminentiam suæ pote-

Digitized by Google

statis ac regiæ dignitatis leo vocatur, et (Esther III, 8-13.) quia ex instigatione Aman crudele edictum contra Judæos emisit; *et transfer cor ipsius in odium hostis nostri :* ita ut odiat ipsum Aman, in quantum tam impius est, non in quantum est homo. Quod odium non (Ps. CXXXVIII, 22.) est caritati contrarium : de quo fertur, Perfecto odio oderam illos. *Ut et ipse pereat,* id est, temporaliter puniatur per mortem, *et ceteri qui ei consentiunt* ad interficiendum nos : quoniam morte digni sunt, non (Rom. I, 32.) ipse tantum, sed et consentientes eidem, quos ignorantia non excusat.

Adjuva me ancillam tuam, nullum aliud auxilium habentem, nisi te, Domine, qui habes omnium scientiam, et nosti quia oderim gloriam iniquorum, id est vanam eorum gloriationem, ambitionem, jactantiam, *et detester cubile incircumcisorum et omnis* (Deut. VII, 3.) *alienigenæ,* id est idololatræ, sicut lex continet, et quantum in me est, quamvis propter rationabiles causas illud admittam. Ideo additur : *Tu scis infirmitatem meam* : quia per me, sine favore regis, nequeo plebi meæ succurrere ; *et necessitatem meam,* qua compellor regi misceri : quæ in hoc conjugio causa est dispensationis ; *et quod abominer signum superbiæ et gloriæ meæ, quod est super caput meum,* id est regium diadema, quod est signum excellentiæ atque honoris mei, *in diebus ostentationis meæ,* quando procedo in publicum, ut ostendatur populo pulchritudo et eminentia mea ; *et detester* illud *quasi pannum menstruatæ :* quo quid sordidius invenitur ? *et non portem* illud *in diebus silentii mei :* dum permittor in secreto thalami mei Deo vacare in tranquillitate, silentio et contemplatione, quoniam femineam quoque loquacitatem abhorreo ; *et quod non comederim in mensa Aman,* eundo ad ejus convivia, sicut frequenter optavit, quam(Esther V, 4, 8.)vis ex necessaria causa bis invitaverim eum ad mensam meam ; *nec mihi placuerit convivium regis :* propter cibos qui in eo ponuntur, lege prohibitos, et propter varias pompas, dissolutiones et apparatus

A ibi admixtos ; *et non biberim vinum libaminum,* id est sacrificiorum, videlicet vinum idolis immolatum ; *et nunquam læata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum* a terra Babyloniæ (ut dictum est ante), (Esther II, 6, 7.) *nisi in te, Domine, Deus Abraham :* qui licet sis omnium Deus, tamen ad Moysen (Act. X, 36.) es locutus : Hæc dices filiis Israel : Deus (Exod. III, 15.) Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob misit me ad vos. Hoc nomen est mihi in æternum.

Deus fortis super omnes : quia solus om-B nipotens, et infinite universis potentior ; *exaudi vocem illorum qui nullam aliam spem habent,* quam in te, seu nullum in quo confidant, nisi te, Domine ; *et erue me a timore meo,* id est a periculo quod timeo, et ab isto timore quo affligor.

Ecce quam devota, fervens et profunda oratio ; et o quanta ex his probatur fuisse hujus electæ reginæ perfectio, quæ in tanta opulentia, honorificentia et frequentia constituta, tam virtuose, timorate et ordinate se habuit ; quæ omnem gloriam mun-C di, voluptatem, dignitatem, vanitatesque sæculi tam plenissime sprevit, ita ut nunquam nisi in Deo sit gloriata in regali palatio ! Nonne Spiritus ubi vult spirat, et (Joann. III, 8.) Omnipotens corda suorum ubique juxta placitum suum immutat, afficit et gubernat ? Quid ad hæc nos pusilli dicemus, qui ex levi et volatili verbo, signo aut facto inaniter gloriamur aut pueriliter conturbamur, et sumus ut pulvis quem projicit (Ps. I, 4.) ventus a facie terræ ? Instruamur ergo perfectione virtutum feminæ hujus sanctæ ; D et qui gloriatur, in Domino glorietur. Nec (I Cor. I, 31; II Cor. X, 17.) ostentari, apparere, famari optemus, neque in vestitu aut ornamentis unquam lætemur. In omni quoque tribulatione confugiamus ad Deum, et reos nos esse ex cordis intima compunctione confiteamur, ac divinam commendemus justitiam. Postremo, quod sancta hæc Esther sic commemorat suas virtutes, fecit ad Dei honorem et nostram ædificationem, præsertim ad augendam confidentiam suam in Deo.

Digitized by Google

ARTICULUS XV

EXPOSITIO CAPITULI QUINTIDECIMI : ET MANDAVIT EI (HAUD DUBIUM QUIN ESTHER) MARDOCHÆUS.

EA quæ scripta sunt tertio et quarto A capitulis, hic plenius recoluntur. *Et mandavit ei* (*haud*, id est non, *dubium quin Esther* reginæ) *Mardochæus* per eunuchum, ut scriptum est supra, *ut ingrederetur ad regem, et rogaret pro populo suo* captivo, *et pro patria sua,* id est pro populo patriæ, ne et habitantibus in Judæa, Aman tandem induceret vastitatem et læsionem, ac cultus divini destructionem. *Memor (inquit) esto dierum humilitatis tuæ,* id est parvi et humilis status tui, in quo eras quando te enutrivi. Ideo B subditur, *quomodo nutrita sis in manu mea,* id est sub dispositione regiminis mei, qui te corporaliter spiritualiterque nutrivi in timore Dei, devotione et Scripturis te instruens.

Esther iv, 13.

Die autem tertio deposuit vestimenta ornatus sui, id est vestimenta quotidiani ornatus, vel lugubria ornamenta, quibus se spiritualiter decoravit, orando et jejunando, *et circumdata est gloria sua,* hoc est pretiosioribus ac pulchrioribus suis vestimentis ac ornamentis. Et *assumpsit duas* C *famulas, et super unam* quæ præcedebat, *innitebatur,* id est, modice apodiabat, *quasi præ deliciis et nimia teneritudine corpus suum ferre non sustinens,* id est, portare non valens, quasi onus proprii corporis deferre, teneritudini ac deliciis ejus opponeretur. *Altera autem famularum sequebatur dominam, defluentia in humum,* id est in terram, *indumenta sustentans.* Ex hac cauda vestimentorum virtuosæ Esther, non excusantur vanæ et fatuæ feminæ, quæ vestibus nimium longis D utuntur. Nam illa ex necessitate quadam, cum tædio cordis absque omni complacentia vana, talibus vestibus utebatur. Legitur autem secundo Regum libro, quod filiæ sancti David eximii regis, vestibus induebantur talaribus, usque ad talos pertingentibus. Hoc utique consideratione et imitatione dignissimum est.

II Reg. xiii, 18.

Ipsa autem roseo vultu colore perfusa, gratis ac nitentibus, id est splendentibus, *oculis, tristem celabat animum, et nimio timore contractum,* id est constrictum. Quemadmodum enim delectatio cor dilatat, sic timor, dolor, tristitia, contrahunt illud. Verumtamen dispositio cordis solet relucere et apparere in facie, præsertim in oculis, juxta illud Ecclesiastici : Ex visu cognoscitur vir, et ab occursu faciei cognoscitur sensatus. Tamen per gratiam et virtutes potest, qui tristis et timens est, vultum et visum quasi jucundum prætendere et monstrare. Virtus enim moralis reprimit passionem, et gratia vincit naturam. Ratio quoque sensitivo appetitui dominatur : imo et multi per industriam vel versutiam, sciunt cordis dispositionem celare in facie, et signa oppositæ dispositionis ostendere.

Eccli. xix, 26; xiii, 31.

Ingressa ergo cuncta per ordinem ostia, stetit contra regem, id est ex opposito versus faciem ejus, *ubi ille residebat indutus vestibus regiis, auroque fulgens et pretiosis lapidibus,* ut sic suo apparatu intuentibus incuteret reverentiam, et timorem regiæ ac imperatoriæ majestatis. Unde subjungitur : *eratque terribilis adspectu. Quumque elevasset faciem, et ardentibus oculis furorem pectoris indicasset, regina corruit,* quia vehementia passionis vehementis timoris, valde debilitat corpus, potissimum in tenerrima muliere, facitque sanguinem a membris ad cor decurrere, et sic

Digitized by Google

pallorem generat ac tremorem. Propterea subditur : *et in pallorem colore mutato, lassum super ancillam reclinavit caput.*

Convertitque Deus spiritum, id est indignationem seu animum, *regis in mansuetudinem.* Ipse enim Omnipotens immutat cor principum terræ, atque ut allegatum est, Cor regis in manu Dei est, et quocumque voluerit, inclinabit illud. (*Prov. xxi, 1.*) Nam et omnipotenti Deo proprium perhibetur, immediate agere in apicem voluntatis. Hinc ait et Josephus : Rex, ut arbitror, voluntate Dei mentem mutavit. *Et festinus ac metuens,* ne regina deficeret, aut mali quid pateretur, *exsiliit de solio, et sustentans eam ulnis suis, donec rediret ad se, his verbis blandiebatur : Quid habes, Esther ? Ego sum frater tuus; noli metuere. Non morieris : Non enim pro te, sed pro omnibus,* id est pro ceteris cunctis præter te, *lex hæc constituta est,* id est præceptum, ut nullus intret ad me non vocatus. Quasi dicat : Dispensare possum in lege hac, et dispenso. *Quumque illa reticeret, tulit auream virgam, et posuit super collum ejus, et osculatus est eam, et ait : Cur mihi non loqueris ?*

Quæ respondit : Vidi te, domine, quasi angelum Dei, videlicet in grandi splendore terribilique adspectu, sicut angeli solent hominibus apparere, *et conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ,* id est regiæ majestatis : quam offendere, est sibi ipsi mortis periculum procreare, juxta quod Salomon ait in Proverbiorum volumine : Sicut rugitus leonis, ita et terror regis; qui provocat eum, peccat in animam suam. (*Prov. xx*) *Valde enim mirabilis es, domine,* id est multum excellens, ita ut mirum sit, quod unus homo ita præmineat ceteris : quod tamen ex divina ordinatione procedit ; *et facies tua plena est gratiarum,* id est, pietate redundat in eos, quibus se vult exhibere propitium : sicut et Jacob in Genesi ait ad Esau, Sic vidi faciem tuam quasi viderim vultum Dei. (*Gen. xxx 10.*) Circa quod loquitur Augustinus : Utrum verba Jacob paventis ac perturbati usque ad adulationem hanc proruperunt ; an sine peccato hæc dici potuerunt ? Et forsan, quod imo : quia et dii gentium dicti sunt. (*Ps. xcv.*) Et judices et prælati dii vocantur : de quibus (*Ps. lxxx*) præcipitur, Diis non detrahes. (*Exod. xx 28.*) Sic et in proposito dici potest, quod Esther secundum pium intellectum tam commendatorie potius quam adulatorie locuta sit regi.

Quumque loqueretur, rursus corruit ex pavore, non ex simulatione, *et pene exanimata est,* id est, sine anima quasi effecta ex virium defectione : quod Deus sic ordinavit, ut rex magis afficeretur reginæ, et ejus magis acquiesceret precibus, videns in ea tantam teneritudinem, erubescentiam, et reverentiam circa se ; sicque metueret eam quocumque modo gravare. Unde subjungitur : *Rex autem turbabatur, et omnes ministri ejus;* qui aderant, *consolabantur eam.*

ARTICULUS XVI

DECLARATIO CAPITULI SEXTIDECIMI : REX MAXIMUS ARTAXERXES.

(*Esther x, 4.*) SICUT prædictum est, in isto libro a decimo capitulo multa sunt, quæ non habentur in Hebræo, sed in editione vulgata, secundum Hieronymum. Per editionem vulgatam, quidam intelligunt translationem Septuaginta interpretum, quæ tempore Hieronymi per ecclesias publice legebatur, et maxime fuit divulgata. Alii, per editionem vulgatam, intelligunt editionem cujus auctor nescitur, et sine nomine

Digitized by Google

sui interpretis quinta editio appellatur. Itaque, ista quæ in Hebræo non habentur, dicunt aliqui a Josepho aliisque scriptoribus esse excogitata, et editioni vulgatæ esse addita et inserta, hoc est translationi Septuaginta interpretum; vel, secundum alios, editioni cujus auctor nescitur, ita quod ille addidit ea editioni ex Josepho et aliis. Certum est enim, quod forma epistolæ
Esther XIII, 7. supra positæ, forma quoque epistolæ quæ hic in isto habetur capitulo, continentur de verbo ad verbum undecimo Antiquitatum Josephi libro. Porro Hugo de S. Victore in expositione Prologorum Bibliæ, et alii quidam affirmant, quod ipsi Septuaginta interpretes fecerunt istas additiones. Utraque autem opinio ad propositum suum probandum trahit, quod in Prologo hujus libri ait Hieronymus : Librum Esther editio vulgata laciniosis hinc inde verborum funi-
* similibus bus* trahit, addens ea quæ ex tempore dici poterant et audiri : sicut solitum est scholaribus disciplinis, sumpto themate, excogitare quibus verbis uti potuit qui injuriam passus est, vel ille qui injuriam fecit. Præterea constat, Josephum valde diu post Septuaginta fuisse interpretes. Ideo qui per vulgatam editionem, intelligunt translationem Septuaginta, et quod Septuaginta fecerunt istas additiones, non possunt defendere, quod epistola in isto capitulo
Ibidem. scripta, et quæ superius continetur, sint sumptæ ex Josepho : imo dicere habent, quod Josephus sumpserit eas ex translatione Septuaginta. Est autem epistola hujus capituli multum notabilis, et etiam plana, ideo non oportet expositioni ipsius prolixe insistere.

Rex maximus Artaxerxes ab India, etc.
Ibidem. Hoc supra expositum est. *Multi bonitate principum et honore qui in eos collatus est*, id est dignitate eis a principibus concessa, vel honoratione ab inferioribus seu aliis eis exhibita, *abusi sunt in superbiam*, extollendo se de sua promotione; *et non solum subjectos regibus*, scilicet bonos et obedientes, *nituntur opprimere, sed datam sibi gloriam*, id est excellentiam, *non*

A *ferentes* cum modestia et quiete, *in ipsos qui dederunt, moliuntur insidias*, id est, reges vel principes a quibus promoti sunt, conantur obruere : sicut Decius Cæsar adhuc miles honoratus a Philippo imperatore, adspiravit ad imperium, et interfecit dominum suum : quod et quarto Regum IV *Reg.* XV, 10, 14, 25, 30.
quidam fecisse leguntur. *Nec contenti sunt gratias non agere beneficiis*, id est benefactoribus pro eorum beneficiis, *et humanitatis in se jura violare*, id est contra debitum pietatis et gratitudinis agere, reddendo *Rom* XII, 17.
B mala pro bonis; *sed Dei quoque cuncta cernentis arbitrantur se fugere posse sententiam*, id est, putant se posse judicium Dei evadere, vel negando providentiam veri Dei, vel tam intimorate peccando, ac si putarent Deum non esse judicaturum actus eorum.

Et in tantum vesaniæ, id est ad tantum insipientiæ excessum, *prorumpunt, ut eos qui credita*, id est commissa, *sibi officia diligenter observant, mendaciorum funiculis**, id est falsis et subtilibus accusa- * *cuniculis*
C tionibus, *conentur subvertere*, id est dejicere aut necare, *dum aures interiores principum simplices*, id est dolositate et duplicitate carentes, ac columbina simplicitate ornatas, *et ex sua natura alios existimantes*, id est, putantes alios esse tales, quales ipsi sunt, scilicet simplices, non dolosos, neque mendaces. Siquidem qualis quisque est, taliter judicat, et tales esse alios faciliter suspicatur. Propter quod in Proverbiis scribitur : Innocens credit om- *Prov.* XIV, 15.
ni verbo. Job quoque : Sonitus (inquit) *Job* XV, 21.
D terroris semper in auribus impii; et quum pax sit, ille insidias suspicatur. Verumtamen simplicitati debet esse adjuncta grandis discretio atque notitia diversitatis dispositionum morumque hominum, ut incautam credulitatem devitent, quum in Ecclesiastico scriptum sit : Qui cito credit, levis *Eccli.* XIX, 4.
corde est, et minorabitur. *Callida fraude decipiunt* : sicut primo libro Machabæo- I *Mach.* VII, 5, 6.
rum legitur fecisse Alcimus, inflammando Demetrium regem contra Judam Machabæum.

Digitized by Google

Nec putare debetis, si diversa jubeamus, A *ex animi nostri venire levitate, sed pro qualitate et necessitate temporum, ut rei publicæ poscit utilitas, ferre sententiam,* id est, determinare quid sit agendum aut evitandum. Oportet namque secundum diversitatem locorum, causarum et temporum, et juxta diversam dispositionem hominum, mutare decreta et innovare statuta, et si quid ex errore processit, corrigere. *Et ut manifestius quod dicimus, intelligatis, Aman filius Amadathi, animo et gente Macedo, pietatem nostram sua crudelitate* B *commaculans,* id est diffamans, dum ex nomine nostro crudelia promulgat præcepta...: *qui in tantum arrogantiæ tumorem sublatus est,* id est elevatus est, *ut regno nos privare niteretur et spiritu,* id est vita. Cetera hujus epistolæ verba ex præhabitis clara sunt, aut per se plana.

Sed quæritur hic, an Aman fuit Macedo, id est de provincia Macedoniæ. Et videtur quod sic, ex verbis prætactis, quibus jam dictum est, quod fuit Macedo, non tantum animo, sed etiam gente. Oppositum hujus C videtur ex ante dictis patefieri, ubi habetur, quod fuit de stirpe Agag et Amalecites : quod et Josephus protestatur. Ad istud quidam respondet, quod Aman dicitur Macedo per similitudinem, quia Macedones jam rebellabant imperio Persarum, et Alexander Macedo abstulit eis monarchiam, ad Græcos transferens eam. Cui responsioni objicitur, quod tempore Assueri Macedones nondum cœperunt Persarum imperio rebellare; sed Alexander rex Macedo incepit et complevit illam rebellionem multis D annis post mortem Assueri, sicut ex Josepho et Scholastica historia, et ex gestis Alexandri ac aliis chronicis historiisque probatur. Denique, ad insinuandum quod per similitudinem fuerit Macedo, sufficeret dicere, quod fuit animo Macedo. Quod autem fuerit natione Macedo, videtur ex eo quod in epistola ista Assuerus adjecit : *Hoc cogitans* ipse Aman, *ut illis,* scilicet Mardochæo et Esther, *interfectis, insidiaretur nostræ solitudini, et regnum Persarum transferret in Macedonas.* Nam si fuisset Macedo solum per similitudinem, non per nationem, non curasset regnum Persarum in Macedonas, qui sunt Græci, transferre. Itaque potius reor, quod ex uno parente fuerat Amalecites, et de genere Agag regis, atque ex alia parte de regno Macedoniæ.

Esther III, 1.

Quod vero in fine hujus epistolæ legitur, *Omnis provincia et civitas quæ noluerit solennitatis hujus esse particeps,* scilicet festi Sortium, referendum est ad Judæos, qui in provinciis Assueri manebant. Quod si Judæi tam solennem ac perennem habuerunt memoriam de sua liberatione a temporali corporalique morte, quam indesinentem et celeberrimam debemus habere memoriam de liberatione nostra spirituali a morte peccati et infernalis ac æternalis supplicii, facta per incarnationem et passionem unigeniti Filii Dei, qui cum Patre æterno et adorando paracleto Spiritu Sancto, unus est universorum Creator et Dominus, et super omnia Deus sublimis et benedictus! Amen.

FINIS COMMENTARIORUM LIBRI ESTHER

Digitized by Google

ENARRATIO
IN LIBRUM PRIMUM ESDRÆ

Digitized by Google

Digitized by Google

PROŒMIUM

LEX *veritatis fuit in ore ejus.* Malach. II, 6.
Verbum hoc Malachiæ, ad litteram scriptum de Levi filio Jacob patriarchæ,
convenienter accipitur de Esdra sacerdote ex semine Levi nato, qui idoneus factus *I Esdr.* VII,
imitator præfati Levi patris sui, in pace et æquitate ambulavit cum Deo, et multos 1-5. *Malach.* II,
avertit ab impietate. Fuitque lex Moysis, quæ est lex summæ et incommutabilis verita- 6.
tis, in corde, ore ac opere Esdræ : in corde utique, per assiduam memoriam et amo-
rem, interiorisque hominis directionem secundum legis tenorem, secundum quam
cogitationes et affectiones suas direxit ; in ore, per aliorum informationem ; atque in
opere, per sanctam conversationem. Denique ipse Esdras scriba velox legem recupera- *I Esdr.* VII,
vit, et populum Israel gubernavit : qui populus, defunctis Moyse ac Josue, fuit usque 6. *Act.* XIII,
ad tempus Saul gubernatus per judices; deinde usque ad Babylonicam captivitatem, per 20-22.
reges ; post modicum vero a captivitate eadem, per sacerdotes, inter quos erant Esdras *II Esdr.* XII,
et Nehemias. 26.

Digitized by Google

Digitized by Google

ENARRATIO

IN LIBRUM PRIMUM

ESDRÆ

ARTICULUS PRIMUS

EXPOSITIO CAPITULI PRIMI : IN ANNO PRIMO CYRI REGIS PERSARUM.

EXORDIUM libri hujus, cum fine se- A
II Par. xxxvi, 22, 23. cundi Paralipomenon libri coincidit, ut intuentibus constat. Unde et Esdras editor libri istius, illius quoque libri creditur auctor. Itaque ait : *In anno primo Cyri regis Persarum.* Quod non est intelligendum de primo anno vitæ Cyri istius, neque de primo anno simplicis et particularis regni ejus, sed de primo anno regni ejus imperialis monarchici. Quum enim una cum Dario suo avunculo destruxisset monarchiam Chaldæorum, et eorum metropolim Babylonem urbem evertisset, Da- B rius tenuit monarchiam annis duobus. Quo mortuo, Cyrus monarcha effectus, primo
IV Reg. xxv, 11, 21. suæ monarchiæ anno dedit Judæis a Nabuchodonosor rege Babyloniæ transmigra-
II Par. xxxvi, 22, 23. tis et captis, licentiam redeundi ad propria, sicut subjungitur. *Ut compleretur verbum Domini,* prolatum *ex ore Jeremiæ, suscitavit Dominus spiritum Cyri regis Persarum,* hoc est, mentem ejus instigavit inspiratione occulta, interna, et etiam per quædam exteriora, sicut tangetur. *Et transduxit vocem,* id est, denuntiationem fecit C per scripta et nuntios, *in omni regno suo,* id est per totam suam monarchiam : hinc subditur, *etiam per scripturam,* id est epistolas, *dicens.*

Prædixerat autem Dominus in Jeremia : Jer. xxv, 12; xxix, 10.
Quum cœperint impleri in Babylone septuaginta anni, id est, septuaginta annis completis a tempore transmigrationis seu captivitatis Judæorum a Chaldæis, visitabo vos et suscitabo super vos verbum meum bonum, ut reducam vos ad locum istum. De quibus annis fit mentio apud Zacha- Zach. i, 12; Dan. ix, 2.
riam et Danielem, quamvis computatio annorum illorum, a diversis diversimode assignetur, sicut in Scholastica historia satis habetur. Erantque anni illi impleti, Cyro monarcha effecto. Ideo Dominus volens verba et promissa sua per Jeremiam prænuntiata implere, excitavit et movit cor Cyri ad dandum præfatam redeundi licentiam. Ad quod etiam fuit inductus, quia Judæi captivi ostenderunt sibi librum Isaiæ prophetæ, et quadragesimum quintum capitulum libri ejusdem, in quo et nomen ipsius Cyri fuit tam diu ante expressum, et reædificatio civitatis Jerusalem de Cyri licentia fienda, clarissime prophetata his verbis : Hæc dicit Dominus Is. xlv, 1, 13.
christo meo Cyro, cujus apprehendi dexte-

ram, ut subjiciam ante faciem ejus gentes, et dorsa regum vertam; ipse ædificabit civitatem meam. Porro de templi reædificatione non in capitulo isto, sed immediate præcedente, Dominus prædixit per
Is. XLIV, 28. Isaiam : Qui dico Cyro, Pastor meus es; et templo, Ædificaberis. Hæc autem per annos ducentos et decem per Isaiam fuerunt
Ant. Jud. lib. XI, c. 1. prædicta, ut Josephus scribit.

Hæc dicit Cyrus rex Persarum. Sicut Magister in historiis recolit, post mortem Darii regis Medorum, Cyrus monarchiam tenuit orientis. Eratque rex Persarum atque Medorum, quia Darius ille non habuit filium; et quamvis regnum Medorum fuerat majus ac honorabilius regno Persarum, Cyrus tamen posuit solium monarchiæ in Perside, quoniam Persæ sublimaverant eum primo in regem. *Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli :* cujus providentiæ cuncta subduntur terrena. Hoc tamen per hyperbolen dictum est, ad insinuandum quod valde magna regna erant ei subjecta in oriente; non tamen simpliciter omnia regna terræ, imo nec absolute omnia regna orientis. *Et ipse præcepit mihi,* per inspirationem internam, et per Prophetam suum prænuntiavit, *ut ædificarem ei domum,* id est templum, *in Jerusalem,* id est in loco ubi ante sita fuit Jerusalem, et ubi jam rursus construetur ex mea licentia, *quæ est* quantum ad fundum suum, et cito erit, *in Judæa.*

Quis est in vobis, id est inter vos, *de universo populo ejus,* id est ex numero Judæorum? *Sit Deus illius cum eo* per adsistentiam gratiosam. *Ascendat in Jerusalem,* id est ad locum quo stetit, *et ædificet domum Dei Israel :* id est, quicumque natus est ex populo Israel, ostendat se esse cultorem Dei cœli, ascendendo ad Judæam, ad reædificandum templum. Nec solum dedit licentiam ædificandi templum, sed et ipsam urbem Jerusalem : quam cœ-
I *Esdr.* IV, 12. perunt reædificare antequam templum. Hanc autem gratuitam relaxationem captivitatis Judæorum Deus per Isaiam prædixit
Is. XLV, 13. his verbis : Ipse captivitatem meam dimit-

A tet, non in pretio, neque in muneribus. *Ipse est Deus qui est in Jerusalem,* id est, Deus cœli urbem Jerusalem elegit in locum II *Par.* v præcipuum cultus sui, et templi, ac sacrificiorum, et ita quamvis incircumscriptus sit, et præsens ubique, ibi tamen est per speciales effectus.

Et omnes reliqui in cunctis locis ubicumque habitant, id est Judæi qui vel nolunt, aut nequeunt ad Judæam reverti, *adjuvent eum,* id est eos qui ascendunt illuc, *viri de loco suo,* id est, residui illi B hoc faciant ex locis habitationum suarum in imperio meo, *argento et auro, et substantia, et pecoribus,* id est, dando eis in subsidium expensarum in via, vel reædificationis templi et urbis Jerusalem, aliquid de suo argento et auro, ac ceteris facultatibus ac jumentis, *excepto quod voluntarie offerunt in templo Dei, quod est in Jerusalem,* id est præter dona quæ ex propria devotione voluerint ad templi reædificationem sive ad sacrificia Dei ibi fienda offerre. Insuper quod dictum est, Et om- C nes reliqui adjuvent eum, potest intelligi de gentilibus inter quos habitabant Judæi : quibus gentilibus Cyrus jussit, ut Judæos in hac causa juvarent. Nam Josephus ait : Tunc scripsit suis ducibus illius terræ vicinis, ut aurum conferrent et argentum ad templi renovationem, insuper ad immolanda pecora. Refert quoque Josephus Cyrum ita scripsisse : Quoniam maximus Rex orbis terrarum me regem constituit, credo hunc esse quem gens Israel adorat. Is enim et nomen meum per D Prophetas prædixit, quoniam templum ejus ædificaturus essem in Jerusalem.

Et surrexerunt omnes *principes patrum,* id est præcipui patres et majores seniorum, *de Juda et Benjamin, et sacerdotes et Levitæ,* id est qui nati fuerunt ex tribu Juda, tribuque Benjamin, atque ex tribu Levi. Hæ etenim tribus erant et manse- III *Reg.* x 21; II *Par.* XI, 1, 3, 14. rant sub regibus Juda, diviso regno Israelitico sub Roboam filio Salomonis, et pariter captæ fuerunt. De hoc Josephus scribit : Convocans Cyrus clarissimos Ju-

Digitized by Google

dæorum qui in Babylone, id est in terra (A) Babyloniæ, habitabant, dixit se concedere Judæos remeare ad propria, et reædificare civitatem Jerusalem et templum. *Et omnis cujus suscitavit Deus spiritum, ut ascenderet ad ædificandum templum Domini, quod est in Jerusalem,* id est quilibet de præfatis tribus tribubus Israel, cujus mentem Deus instigavit, ut ascenderet ad ædificandum templum.

Universique qui erant in circuitu Judææ, vel in circuitu Judæorum pergentium illuc, *adjuverunt manus eorum in vasis* (B) *argenteis et aureis, in substantia* victualium, *et jumentis et supellectili,* id est massariato : hoc est, talia clenodia et subsidia illis præstando. Quod quidam exponunt de Judæis in Babylonia remanentibus amore uxorum quas ibi acceperant, et sobolis quam ibi procreaverant, ac possessionum quas ibi habebant. Quidam vero exponunt, dicentes, quod gentiles de mandato Cyri talia dederunt Judæis pergentibus. Josephus quoque ait, quod dum Judæi venissent, omnes amici regis juvabant eos, et (C) conferebant ad templi renovationem, alii aurum, alii argentum, alii equos et multitudinem jumentorum.

Rex quoque Cyrus protulit, hoc est exhibuit, *vasa templi Domini,* quæ fuerunt instrumenta et utensilia cultus divini in templo a Salomone constructo, *quæ tulerat Nabuchodonosor de Jerusalem,* id est ex templo inibi sito. Asportavit autem ea secum, partim quando captivavit Joakim regem, et partim dum Jechoniam abduxit, reliqua dum templum combussit, prout (D) secundo Paralipomenon, ultimo, et quarto Regum libris describitur. *Et posuerat ea in templo dei sui* in urbe Babylonis : et sic juxta suam sectam ea quodammodo honoravit, ponendo ea in loco solenni et sacro, deputandoque ea cultui secundum suam æstimationem divino. Balthasar vero filius filii ejus deputavit ea cultui suo, bibendo ex eis cum suis, ut habetur in Daniele : propter quod meruit regno privari ac vita. Et aliqui opinantur quod Judæi retulerunt hoc Cyro : idcirco libentius ea remisit. *Protulit autem ea Cyrus rex per manum Mithridatis,* qui secundum Josephum fuit custos thesaurorum ipsius, *et annumeravit ea Sassabasar principi Juda :* hoc est, thesaurarius ille sub certo numero assignavit et tradidit vasa illa viro nomine Sassabasar principi Juda, id est uni de principalibus tribus seu populi Juda, seu duci redeuntium ad Judæam. Dicuntque aliqui, quod Sassabasar ille fuit Daniel ; alii, quod fuit Zorobabel : quod magis consonum videtur ei quod in fine hujus capituli legitur : Universa tulit Sassabasar, cum his qui ascendebant de transmigratione Babylonis in Jerusalem. Daniel quippe cum illis non rediit, sed Zorobabel.

(II Par. xxxvi, 7, 10, 18; IV Reg. xxiv, 13; xxv, 13-16.) (Dan. v, 2, 3.)

Et hic est numerus eorum : Phialæ aureæ triginta, phialæ argenteæ mille. Phialæ erant vasa, in quibus vinum libationis fusum considerabatur, an esset aptum ad sacrificia. (Exod. xxv, 29.) *Cultelli,* quibus carnes hostiarum dividebantur, *viginti novem ; scyphi aurei triginta, scyphi argentei secundi,* id est inferioris dignitatis, valoris et usus, *quadringenti decem ; vasa alia mille.* In scyphis recipiebatur sanguis hostiarum, præsertim in scyphis argenteis. In aureis vero scyphis (ut fertur) portabatur sanguis sacrificiorum quorumdam intra Sancta sanctorum in festo Expiationis. *Omnia vasa aurea et argentea, quinque millia quadringenta. Universa tulit Sassabasar, cum his qui ascendebant de transmigratione Babylonis in Jerusalem.* Certum quod numerus prædictorum vasorum jam numeratorum, non constituit tantam summam ; sed præter illa fuerunt alia multa minus forsitan pretiosa : quæ omnia simul fuerunt tot millia ac centenaria.

Postremo, de Cyro isto rege Persarum multa in Josepho et Scholastica historia, chronicisque leguntur : qui et triginta annis fertur regnasse, ac monarchiam annis duodecim tenuisse. Qui quum grandiusculus esset, et a pueris ludentibus esset factus eorum rex, inobedientes pueros dire

Digitized by Google

correxit et interdum plagavit. Quod puerorum parentes ægre ferentes, conquesti sunt regi Astyagi avo Cyri, qui jusserat puerum ipsum mox natum occidi; sed Deo ordinante fuit conservatus in vita. Quumque rex puerum Cyrum ad se vocatum argueret, cur pueros ita plagasset, respondit intrepide se hoc fecisse, non ut puerum, sed ut regem : quo audito, miratus est rex, et signa quædam generis sui consideravit in eo. Tandem quum Cyrus monarcha reges plurimos expugnasset, a regina Massagetarum nomine Thamyri victus est et occisus : quæ caput ipsius Cyri abscisum, projecit in vas humano sanguine plenum, dicens cum insultatione : Satiare nunc sanguine quem semper sitisti.

Circa illud, Surrexerunt principes patrum de Juda, ait quidam, quod tribus Juda et Benjamin et Levi, non tantum peccaverunt sicut aliæ tribus Israel per Assyrios captæ. Sed hoc non videtur consonare Scripturis, quoniam per Ezechielem Dominus ait ad Jerusalem, per quam, secundum omnes expositores, ad litteram intelligit populum regni Juda, et præsertim habitatores Jerusalem : Samaria dimidium peccatorum tuorum non peccavit; sed vicisti eas, scilicet Sodomam et Samariam, sceleribus tuis : et certum est, quod per Samariam intelligat regnum decem tribuum, cujus Samaria fuit metropolis. Idem patet in Ezechiele sub similitudine Oollæ et Oolibæ.

Ezech. xv[i], 51. — *Ibid.* xxii[i], 4 et seq.

At vero potest hoc loco per Cyrum allegorice Dominus Jesus Christus verus mundi monarcha intelligi : qui destructo regno diaboli, ædificavit per servos suos Ecclesiam; et fassus est se omne quod habet et est, accepisse a Patre : quod per Scripturas Evangelistarum universo orbi notificavit; et vasa Dei abducta reduxit, electos, qui a diabolo erant seducti, vitiorumque vinculis irretiti, reducendo ad gratiam ac salutem.

Joann. v, passim.

ARTICULUS II

EXPOSITIO CAPITULI SECUNDI : HI SUNT AUTEM PROVINCIÆ FILII, QUI ASCENDERUNT DE CAPTIVITATE.

HIC particularius describuntur reversi de Babylone. *Hi sunt autem provinciæ filii,* hoc est habitatores Babyloniæ, vel, ut quidam dicunt, Judææ. Porro nati et commorati in territorio aliquo, appellantur filii ejus. *Qui ascenderunt de captivitate,* id est de terra captivitatis suæ, puta de Babylonia, *quam,* hoc est cujus captivitatis plebem, vel, quam plebem captivam, *transtulerat Nabuchodonosor in Babylonem, et reversi sunt in Jerusalem,* *et* in *Judam : unusquisque in civitatem suam,* id est ad loca in quibus antea steterant urbs Jerusalem et alia oppida regni Juda a Chaldæis destructa. Quemadmodum enim aves diligunt suos nidos, et bruta sua latibula, sic homines sua loca nativa. Unde Laban ait ad Jacob : Ad tuos ire cupiebas, et desiderio tibi fuit domus patris tui. Hinc hortatur Apostolus : Non deserentes collectionem nostram. *Qui venerunt cum Zorobabel* et ceteris qui exprimuntur in textu, videlicet, *et* cum *Josue, Nehemia, Saraia,* etc. Et iste Nehemias est alter ab eo, de quo infra habetur, et fuit dux populi postmodum.

IV *Reg.* xxv, 9, 10. — *Gen.* xxx, 30. — *Hebr.* x, 25. — II *Esdr.* v[ii], 1; xii, 26; *Eccli.* xlix, 15.

Numerus virorum populi Israel reversorum a Babyloniæ terra, est qui in littera subditur. Scriptura autem computat viros, qui scilicet ad minus viginti annorum exstiterant, potentes ad bella procedere. *Filii Pharos* ex tribu Juda, *duo millia,* etc. Pla-

Num. i, passim.

Digitized by Google

nus est textus, nisi quod multa ponuntur A hic nomina, quæ possunt esse nomina tam virorum seu patrumfamiliarum quam urbium; nec constat, qualiter potius sint sumenda. Nam et cives habitatoresque urbium, earum filii nuncupantur, sicut et ipsæ civitates vocantur filiæ regni sive provinciæ.

Consequenter inducitur numerus et genealogia sacerdotum. *Sacerdotes,* supple, fuerunt hi : *Filii Jadaia in domo,* hoc est familia, *Josue, nongenti,* etc. *Levitæ,* qui erant sacerdotibus inferiores ac subser- B vientes, fuerunt : *Filii Josue,* etc. *Cantores : Filii Asaph,* qui fuit unus principalium cantorum, a David in tabernaculo Domini institutorum, ut primo libro Paralipomenon fertur : cujus posteri erant cantores ; *centum viginti octo,* et unus eorum principalis fuit cantor. Qui psalmos David cantabant ac laudes divinas, potissime tempore sacrificiorum. *Filii janitorum,* hoc est custodum portarum templi seu atrii ejus. *Nathinæi,* qui erant (ut legitur) successores Gabaonitarum, portan- C tes ligna et aquas ad locum cultus divini: quod officium imposuit eis Josue ; *filii servorum Salomonis, trecenti nonaginta duo.* Omnes Israelitæ tempore Salomonis exsistentes, fuerunt servi ipsius; sed quoniam præcipua Salomonis occupatio exstitit circa templum, saltem ad tempus, ideo specialiter servi Salomonis vocantur, qui ad custodiam ac reparationem ædificiorum templi fuerunt ordinati.

I Par. XVI, 5; XXV, 1, 2.

Josue IX, 27.

Et hi qui ascenderunt, etc. Hic numerantur aliqui, qui certificare non poterant D se esse de semine filiorum Israel : et quidam eorum utebantur sacerdotali officio, vel posse se uti putabant. Unde et *de filiis sacerdotum* dicuntur in littera. *Hi quæsierunt scripturam genealogiæ suæ,* hoc est historiam fide dignam, in qua linea generationis eorum contineretur, *et non invenerunt, et ejecti sunt de sacerdotio,* id est, prohibiti sunt fungi sacerdotali officio, ad vitandum periculum seu discrimen : quoniam jussum fuit a Deo in Exodo atque Levitico, ne quis sacerdotali fungeretur officio, nisi de semine Aaron oriundus. Unde nec in novo Testamento permittitur quis celebrare Missam, nisi probare possit esse se ordinatum.

Exod. XXIX, 9; Lev. VII, VIII, etc. passim; Num. III, 10; XVI, 40.

Et dixit Athersatha eis, ut non comederent de sancto sanctorum, hoc est cibos præcipue sanctos, videlicet ad esum et usum sacerdotum solummodo deputatos, ut erant aliquæ partes hostiarum pro peccato pacificarumque oblationum, et panes propositionis, *donec surgeret sacerdos doctus atque perfectus,* id est tam eminenter eruditus, virtuosus, ac sapiens, quod Deus super re hac eum certificaret per revelationem, seu alio modo. Præterea Athersatha iste dicitur Nehemias fuisse: nam infra narratur Nehemias istud jussisse ; atque, ut fertur, Athersatha interpretatur relaxatus, quoniam de consilio sapientium Hebræorum relaxatus fuit bibere vinum regis, cujus (ut infra habetur) fuit pincerna. Nam et Daniel describit, quod ipse Daniel et socii ejus rogaverunt eunuchum, ne cogerentur bibere de vino, unde bibebat rex, ne contaminarentur.

II Esdr. VIII, 9; Ibid. VII, 65.

Ibid. I, 11.

Dan. I, 8.

Deinde ponitur summa prædictorum, et aliorum qui eis fuerant sociati. Nam et de aliis tribubus Israel quidam redierunt cum tribus tribubus jam præfatis. Nempe quando populus regni Juda captus est a Chaldæis, multi ex regno Israel in regno Juda commorabantur, qui manus evaserunt Assyriorum, et sub Ezechia rege converterunt se ad cultum Dei, et habitare cœperunt in terra Juda : et hi capti fuerunt cum populo Juda ab ipsis Chaldæis.

IV Reg. XXV, 11.

II Par. XXX, 11, 18.

Digitized by Google

ARTICULUS III

EXPOSITIO CAPITULI TERTII : JAMQUE VENERAT MENSIS SEPTIMUS.

REPARATIO templi et altaris hic recitatur, qualiter scilicet sint incepta. *Jamque venerat mensis septimus* primi anni regressionis in Jerusalem : qui mensis dicitur correspondere nostro Septembri, et partim Octobri ; *et erant filii Israel in civitatibus suis. Congregatus est ergo omnis populus*, a captivitate reversus, *quasi vir unus,* hoc est voluntate concordi, ad instaurandum altare ac templum : de quibus
Jer. xxxii, 39. in Jeremia Dominus prædixit, Dabo eis cor unum et animam unam ; *in Jerusalem. Et surrexit Josue filius Josedec, et fratres ejus sacerdotes*. Iste Josue, est Jesus filius Josedec, tunc pontifex Judæorum, ut Josephus refert undecimo libro Antiquitatum. De quo in Zacharia legitur:
Zach. iii, 8. Audi, Jesu, sacerdos magne. *Et Zorobabel filius Salathiel, et fratres ejus*. Qui duo erant principales in isto negotio atque in populo illo.

Et ædificaverunt altare Dei. Hoc fuit altare holocaustorum, in atrio factum sub dio, quia templum nondum fuit inceptum : et primo cœperunt altare construere, ut possent quotidie sacrificia immolare. *Collocaverunt autem altare super bases suas,* id est super convenientia fundamenta, *deterrentibus eos per circuitum populis terrarum,* id est gentilibus, et præsertim
IV Reg. xvii, 24. Samaritanis, quos in terra decem tribuum collocaverant reges Assyriorum : qui communiter fuerunt adversarii Judæorum ; *et obtulerunt super illud holocaustum Domino* sacerdotes *mane et vespere*. Hoc fuit sacrificium juge et quotidianum, quo offerebatur quotidie agnus anniculus, id est unius anni, de mane, et item de vespere, sicut scriptum est in Numerorum libro, in
Num. xxviii, 3, 4. quo Dominus ait : Hæc sunt sacrificia quæ offerre debetis : Agnos anniculos imma- A culatos duos quotidie in holocaustum sempiternum.

Feceruntque solennitatem Tabernaculorum, sicut scriptum est in Levitico : quæ incepit quintadecima die septimi mensis, quia ibidem legitur : A quintodecimo die Lev. xxiii, 34 et seq.
mensis hujus septimi erunt feriæ Tabernaculorum septem diebus. Qualiter autem illa solennitas celebrabatur, eodem capitulo et etiam infra in isto volumine continetur. *Et holocaustum diebus singulis per ordinem secundum præceptum* Dei, in Le- Ibid. xxiii; Num. xxviii, xxix.
B vitico et Numeris, ubi de his sacrificiis agitur, *opus diei in die suo,* id est sacrificium fiendum quolibet die præfixo. *Et post hoc holocaustum juge,* id est quotidianum, quod nullo die omittebatur propter quæcumque sacrificia alia immolanda, *tam in calendis,* id est neomeniis seu mensium exordiis, *quam in universis solennitatibus Domini quæ erant consecratæ,* id est in præcipuis festis legis, videlicet Paschæ, Pentecostes, Tubarum, Expiationis et Tabernaculorum : de quibus in Levitico Ibidem: Deut. xvi.
C et Numerorum libro ac Deuteronomio frequenter fit mentio ; *et in omnibus* diebus, *in quibus ultro offerebatur munus Domino,* id est, sponte ex devotione ultra debitum fiebat a plebe oblatio.

A primo die mensis septimi cœperunt offerre holocaustum Domino. Tunc enim erexerunt altare, ante cujus erectionem non poterant immolare. *Porro templum Dei necdum fundatum erat. Dederunt autem* principales inter Judæos *pecunias latomis,* id est lapidum cæsoribus, *et cæ-* D *mentariis,* qui cum cæmento muros seu parietes ex lapidibus construebant. *Cibum quoque,* videlicet blada, *potum et oleum* dabant *Sidoniis Tyriisque,* id est viris operariis de Sidone et Tyro, *ut deferrent,*

Digitized by Google

id est apportarent, *ligna cedrina de Libano* monte, in quo crescunt, *ad mare Joppen,* id est usque ad ripam maris Mediterranei, juxta quam sita est urbs nomine Joppe antiqua : quæ a Japhet filio Noe perhibetur fundata, ubi est portus Mediterranei maris ; *juxta quod præceperat Cyrus rex Persarum,* qui (Josepho teste) jussit de suo sumptus in omnibus fieri. Sic III *Reg.* v, 11. et tertio Regum libro legitur Salomon dedisse blada et oleum Hiram regi Tyri, quatenus servi ipsius adducerent pro constructione templi ligna cedrina et abiegna : secundum quod Paralipomenon libro II *Par.* II, 10. secundo additur et de vino, quod dedit Hiram regi.

Anno autem secundo adventus eorum a Babylone *ad templum Dei,* id est ad locum templi nondum tunc incepti, *cœperunt* ædificare templum *Zorobabel et Josue,* etc., *et constituerunt Levitas a viginti annis et supra,* id est, qui erant ad minus viginti annorum, *ut urgerent opus Domini,* id est, sollicitarent ædificium templi. *Num.* IV, passim. In libro Numerorum legitur Dominus præcepisse numerari Levitas a tricesimo anno usque ad annum quinquagesimum, ad portandum et faciendum sibi injuncta. Alio *Ibid.* VIII, 24. loco Numerorum habetur : Hæc est lex Levitarum : A viginti quinque annis et supra, ingredientur ut ministrent in tabernaculo fœderis. Quomodo ergo licuit istis constituere Levitas a viginti annis ? Ad quod dicendum videtur, quod isti Levitæ dicuntur positi ad sollicitandum structuram templi. Si autem faciebant cetera opera Levitarum, forsan ex dispensatione sic factum est, quia pauci erant adhuc. *Stetitque Josue* pontifex, *et filii ejus et fratres ejus, quasi vir unus,* id est ordinate atque concorditer, *ut instarent super eos qui faciebant opus in templo Dei,* id est in loco templi, hoc est ad dirigendum operarios ipsos ad agendum viriliter.

Fundato igitur templo, steterunt sacerdotes in ornatu suo, id est sacerdotalibus vestimentis induti, *cum tubis,* quarum usus fuit in cultu et obsequio Dei, et in jubilæo, et dicebantur tubæ sacerdotales : de quibus Josue ait. Fuerunt quoque tubæ, quarum usus fuit in bellis, et aliæ tubæ ad populum convocandum, sicut in libro scribitur Numerorum. *Josue* VI, 4, 5, etc. *Num.* X, 2-10. *Et Levitæ filii Asaph in cymbalis,* id est cum talibus musicis instrumentis, de quibus prædictum est, *ut laudarent Deum per manum David regis Israel,* id est, secundum ordinationem David regis laudarent Dominum, in psalmis a David compositis. II *Reg.* VI, 5. *Et concinebant in hymnis et confessione Domino, Quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus super Israel :* id est, in psalmis et laudibus aliis ac spiritualibus canticis pariter cecinerunt, Omnipotenti gratias agendo de templi fundatione. *Omnis quoque populus* Israel ibi præsens, *vociferabatur clamore magno in laudando Dominum, eo quod fundatum esset templum Domini.*

Plurimi etiam de sacerdotibus et Levitis et principes patrum, id est præcipui inter patres, *et seniores qui viderant templum prius* a Salomone constructum, *quum fundatum esset :* non quod fuerint quando illud templum fundabatur, sed quum fundatum, id est firmiter collocatum esset, in suo vigore subsistens ; *et hoc templum,* id est templi hujus secundi fundamenta ; *flebant voce magna,* tum ex recordatione destructionis illius primi celeberrimi templi, tum quia templum istud secundum fundatum, videbatur parvi momenti respectu templi prioris, nec apparebat quod unquam pertingeret ad notabilem venustatem et gloriam comparatione templi prioris. Hinc per Aggæum Dominus ait constructoribus templi secundi : Quis in *Agg.* II, 4. vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prius ? et quid vos videtis hanc nunc? Numquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris? Et ibi consequenter Dominus consolabatur eos, dicendo : Magna erit gloria domus istius novissimæ *Ibid.* 10. magis quam primæ. Quod, sicut ibi expositum est, impletum est per Christi præsentiam, oblationem, prædicationem, miraculosasque actiones in templo secundo.

Digitized by Google

ARTICULUS IV

ELUCIDATIO CAPITULI QUARTI : AUDIERUNT AUTEM HOSTES JUDÆ ET BENJAMIN.

MODO describitur, qualiter adversarii A Judæorum procuraverunt prohibitionem reædificationis templi et civitatis Jerusalem. *Audierunt autem hostes Judæ et Benjamin,* id est Samaritani habitantes in terra decem tribuum, hostes Judæorum reversorum de Babylone, qui erant ex tribu Juda ac Benjamin et etiam Levi, *quia filii captivitatis,* id est præfati Judæi ante diu in captivitate detenti, et jam inde relaxati atque remissi, *ædificarent templum Domino Deo Israel ; et accedentes ad Zorobabel et ad principes patrum, dixerunt eis : Ædificemus vobiscum, quia ita ut vos, quærimus Deum vestrum,* id est, Deum Israel colimus, sicut et vos. Legitur quarto libro Regum, quod quum Salmanasar rex Assyriorum captivasset et abduxisset decem IV *Reg.* XVII, 24 *et seq.* tribus Israel, posuit in terra earum gentes diversas, quibus idola sua colentibus Deus misit leones, qui devoraverunt multos ex eis. Quo cognito, rex Assyriorum jussit illuc adduci unum de sacerdotibus Israel a se captis, ut doceret gentes illas colere Deum. Sicque receperunt circumcisionem et Moysis libros, Deoque Israel sacrificaverunt, et cum hoc coluerunt deos et idola sua. Hinc dicunt : *Ecce nos immolavimus victimas,* id est hostias Deo Israel, *a diebus Asarhaddon regis Assur, qui adduxit nos huc.*

Legitur quarto Regum libro, quod mor- *Ibid.* XIX, 37. tuo Sennacherib, successit ei in regno Asarhaddon filius ejus. Jam autem inductum est, quod Salmanasar rex Assyriorum, pater ipsius Sennacherib, captis filiis Israel, collocavit in terra eorum gentiles. Quomodo ergo dicunt, Ecce nos immolavimus victimas ex diebus Asarhaddon regis Assur, qui adduxit nos huc ? Ad hoc quidam respondet, quod sacerdos fuit missus ab isto Asarhaddon, et cum ipso sacerdote multos gentiles idem rex misit ad inhabitandum territorium decem tribuum. Quod dictum pro parte verificatur. Nempe, ut Magister in historiis refert, Salmanasar paucos adduxit gentiles ad inhabitandum Samariam. Asarhaddon autem postea misit multo plures, populavitque terram illam. Verumtamen sacerdos missus fuit ab ipso Salmanasar, nec poterat tanta dilatio adventus sacerdotis differri usque Asarhad- B don regem, videlicet per totum tempus regni Sennacherib. Imo, secundum Josephum nono libro Antiquitatum, Salmanasar misit non unum tantummodo sacerdotem, sed plures.

Et dixit eis Zorobabel et Josue et reliqui principes : Non est vobis et nobis, ut ædificemus Domino Deo nostro, id est, vobis non convenit societas aut communio vel jus ædificandi nobiscum templum Deo nostro, *sed nos ipsi soli ædificabimus Domino* templum, *sicut præcepit nobis Cyrus rex* C *Persarum.* Cyrus enim (ut patuit supra) I *Esdr.* I, 3, 4. dedit Judæis, non gentibus, licentiam construendi templum Deo, quamvis aliis dederit licentiam adjuvandi Judæos. Isti autem perversa intentione voluerunt se Judæis ædificantibus commiscere, ut scilicet in societate eorum admixti, eos plus impedirent : quia familiaris inimicus est efficacior ad nocendum. Et quia erant idololatræ, eorum societas fuit Judæis vitanda.

Factum est ergo ut populus terræ Samariæ et circumjacentium regionum, *impediret* D *manus populi Judæ,* id est Judæorum ædificantium, *et turbaret eos in ædificando :* faciendo eis diversas molestias, seu impediendo adductionem lignorum et consimilium

Digitized by Google

ad ædificia necessariorum. *Conduxerunt quoque adversum eos consiliatores,* id est, quosdam induxerunt pecuniis, *ut destruerent consilium eorum,* id est, ut ipsi consiliatores suis persuasionibus impedirent Judæorum consilium ab ædificationis prosecutione, *omnibus diebus Cyri regis Persarum, et usque ad regnum Darii regis Persarum,* id est usque ad secundum annum imperii Darii hujus : de quo infra dicetur, quis et quorum filius fuit. Hinc
Agg. II, 1. in Aggæo habetur : In anno secundo Darii regis, etc. His consonat quod Josephus narrat : Dum mitterent templi fundamenta, omnes in circuitu gentes, præsertim Cuthæi, id est Samaritani, petebant satrapas, ut impedirent Judæos ne civitatem et templum instaurarent. Qui pecuniis corrupti, fecerunt sic : quod Cyrus circa bella occupatus nescivit.

In regno autem Assueri : ipse est rex Artaxerxes ; *in principio regni ejus, scripserunt* præfatæ gentes, *accusationem adversus habitatores Judææ et Jerusalem,* id est contra Judæos commorantes in terra Judææ et urbe Jerusalem. At vero quis fuerit iste Assuerus, habet difficultatem propter opinionum varietatem, et potissimum propter diversitatem nominum regis ejusdem, et coincidentiam nominum regum diversorum. Frequenter enim rex habuit nomina multa, et rursus diversorum regum nomina erant eadem sæpe, sicut et adhuc sunt. Itaque aliqui putaverunt, quod Assuerus cui nunc dicitur scripta accusa-
Esther II, 17. tio contra Judæos, fuit is qui Esther accepit uxorem : quod, Lyra testante, etiam Rabbi Salomon tenet. Et verum est quod Josephus recitat Assuerum illum a Græcis
Ibid. XVI, 1. Artaxerxem vocari. Dicit quoque quod vocatus sit Cyrus. Verumtamen Josephus ait, quod Assuerus iste non fuit qui ipsam Esther accepit, sed diu ante, videlicet quod fuit Cambyses filius Cyri immediatus, qui Cyrus dedit redeundi licentiam : et hoc expositores catholici sunt secuti, et verum
Judith I, 5, 7, etc. censetur. Et Cambyses ille in libro Judith, Nabuchodonosor nuncupatur. Opinio autem Rabbi Salomonis, paulo post erronea ostendetur.

Et in diebus Artaxerxis, id est Cambysis, *scripsit Beselam,* id est vir sic vocatus, *Mithridates et Thabeel,* id est alii viri sic dicti, principes Samaritanorum, *ad Artaxerxem regem Persarum,* videlicet Cambysem, qui Cyro successit in regno et monarchia. *Epistola autem accusationis scripta erat Syriace,* id est verbis Syrorum, *et legebatur sermone Syro,* id est eodem sermone quo exstitit scripta, ita quod non legebatur audientibus per interpretem in alia lingua, quoniam audientes illi noverant Syriacam linguam.

Reum Beel Teem : tria sunt nomina. Circa quod scribit quidam : Expositores nostri dicunt communiter, quod sint tria nomina propria hominum scribentium istam epistolam : quod dictum ex ignorantia Syri sermonis procedit. Nam secundum proprietatem linguæ illius, Reum est proprium nomen ; alia duo sunt nomina appellativa sui officii. Beel enim dominum significat vel magistrum ; Teem, ratiocinationem. Ratiocinatio autem uno modo significat computum ; alio modo, prolationem verborum. Est igitur sensus, quod Reum fuit vel magister vel dominus computi. Hæc ille. Cujus objectioni posset faciliter responderi, quod in multis linguis eadem nomina sunt appellativa et propria, sicut in Latino, leo, amator, amicus et consimilia, et frequenter in eadem propositione possunt utroque modo sumi, ut certum est. Præterea multi doctores catholici in hoc loco dicunt, Beel et Teem esse communia nomina, et designare officium. Ideo expositores catholici non fuerunt hoc loco taliter, tamque generaliter, de ignorantia et errore notandi. Amplius non videtur verum, quod Reum ille fuerit magister aut dominus computi, quia (ut Josephus tangit et Magister in historiis sequitur) fuit scriptor accidentium rerum. Nec obstat quod sequitur, *et Samsai scriba.* Reges namque et principes consueverunt habere scriptores rerum gestarum in propria ter-

Digitized by Google

ra, qui dicebantur scribæ, et alios conscribentes ea, quæ in aliis contingebant provinciis, qui dicebantur scriptores accidentium rerum. Unde quod quidam ait, quod Reum ille dictavit epistolam, et Samsai eam scripsit, erroneum est aut incertum, si secundum suam opinionem, Reum ille fuit magister aut dominus computi, quum scriptores et scribæ magnatum communiter melius sciant formam et modum dictandi quam principes.

Et ceteri de gentibus quas transtulit, id est, de terris imperii sui migrare, et in Samaria habitare fecit, *Asenaphar*, id est prædictus Asarhaddon, qui plura sortitus est nomina, qui (ut dictum est) terram decem tribuum magis populavit, quam Salmanasar avus ipsius.

IV *Reg.* XVII, 24.

Hoc est exemplar epistolæ quam miserunt ad eum, id est, quam præfati miserunt Cambysi regi Persarum : *Artaxerxi*, id est Cambysi, *regi* Persarum, *servi tui*, id est nos ministri tui, quos præfecisti populo tuo, *viri qui sunt trans fluvium* Euphraten, qui inter Persas et Samariam medius fuit, *salutem dicunt. Notum sit regi, quia Judæi qui ascenderunt a te ad nos, venerunt in Jerusalem civitatem rebellem et pessimam*. Ex hoc loco (ut recitat Lyra) probat Rabbi Salomon, quod epistola ista sit missa Cyro regi Persarum, quoniam ipse Cyrus, et non filius ejus Cambyses, dedit Judæis redeundi licentiam. Quod argumentum facillime solvitur, quum sit sensus, Ascenderunt a te ad nos, id est a terra imperii tui ad terram nostram. Denique, Rabbi Salomon iste (ut tactum est) dicit, quod Assuerus seu Artaxerxes cui scripta est ista epistola, fuit Assuerus qui ipsam Esther duxit uxorem : quem constat non fuisse Cyrum, qui dedit Judæis redeundi licentiam. Et paulo post clarius reprobabitur error iste. *Quam ædificant exstruentes muros ejus et parietes componentes*. Circa hoc scribit quidam : In hoc false accusabant Judæos, quia non reædificabant civitatem, sed tantummodo templum. Quod dictum stare non potest : imo prius cœperunt reædificare civitatem quam templum ; alioqui, ubi mansissent ? Nec principes illi ausi fuissent regi suo tam manifestum et ad oculum patens mendacium scribere. Cyrus quoque dedit Judæis licentiam reædificandi, non solum templum, sed etiam civitatem, ut cito probabitur.

Esther II, 17.

Nunc ergo notum sit regi, quia si civitas illa ædificata fuerit, et muri ejus instaurati, tributum et vectigal et annuos reditus non dabunt, id est, tibi erunt rebelles, renuendo persolvere reditus, quos omni anno solvere obligantur de terræ nascentibus et arborum fructibus, tributa quoque et vectigalia. Dicitur autem tributum, quod datur seu solvitur ministro principis deputato ad levandum hujusmodi bonum ; vectigal autem, quod principi apportatur, seu pedagium quod solvitur de rebus quæ vehuntur per terram aut aquas. *Et usque ad reges hæc noxia*, id est rebellio et offensio ista, *perveniet*, id est usque ad te, successoresque tuos. *Nos autem memores salis quod in palatio comedimus*, id est, ad memoriam revocantes beneficia collata nobis a te et a patribus tuis usque ad minima, scilicet usque ad sal, vel usque ad cibos sale conditos, *nuntiamus regi, ut recenseas*, id est, recolas et inquiri facias, *in libris historiarum patrum tuorum ; et invenies scriptum in commentariis, et scies quia urbs illa, urbs rebellis est*.

Sequitur responsio regis. *Verbum*, id est responsivam epistolam, *misit rex Reum*, id est ipsi Reum ac ceteris qui cum eo scripserant regi. *A me præceptum est, et recensuerunt* scribæ mei in libris historiarum, *inveneruntque, quoniam civitas illa ab antiquis diebus adversus reges rebellat*, id est, rebellare consuevit. Et hoc reges et cives Jerusalem quandoque fecerunt juste, ut patet de David, Asa, Josaphat, Ezechia ; quandoque injuste, ut tempore Joakim et Sedeciæ, quando Deus propter peccata eorum subdidit eos infidelium regibus. *Nam et reges fortissimi fuerunt in Jerusalem, qui dominati sunt*

II *Reg.* VIII, 1 ; III *Reg.* XV, 16. 19 ; II *Par.* ... IV *Reg.* XVIII, ... *seq.* ; ... XXIV, 1-6, ... 16 ; XXV, ... *et seq.*

omni regioni quæ trans fluvium est : prout secundo et tertio Regum de David et Salomone refertur. *Tributum quoque et vectigal et reditus accipiebant,* id est, reges illi Jerusalem, scilicet David, Salomon, receperunt tributa et alia quæque a regnis et provinciis, scilicet Syria, Moab, Ammon, Idumæa, quas sibi subjecerant. *Nunc ergo audite sententiam : Prohibeatis viros illos* ab exsecutione ædificationis, *et urbs illa non ædificetur.*

II Reg. VIII; III Reg. IV, 21.

Circa hoc scribit quidam : Ex quo patet, quod Artaxerxes iste fuit Cyrus, et non retractavit, edictum suum : quia non dederat licentiam ædificandi civitatem, sed tantum templum, ut habetur supra, nec istud retractavit. Circa hoc dico, quod Artaxerxes iste non fuit Cyrus, qui dedit licentiam ædificandi templum, sicut dictum est et probatum, quia secundum Hieronymum in multis locis expositionum suarum super Prophetas, Cyrus ille fuit omnino per omnia favorabilis ipsis Judæis : et hoc Beda, Haymo et ceteri Catholici concorditer dicunt. Insuper, falsum est et sacræ Scripturæ contrarium, dicere quod Cyrus iste non dedit Judæis licentiam reædificandi civitatem, sed solum templum : quoniam (ut in expositione superiori allegatum est plenius) de Cyro hoc rege Persarum per Isaiam Dominus prænuntiavit : Ipse ædificabit civitatem meam. Quod certum est de urbe Jerusalem esse prædictum, et esse sensum : Ipse ædificabit, id est ædificari licentiabit et permittet, aut certe jubebit, secundum quod ipsemet Cyrus dixit : Ipse, scilicet Deus cœli, præcepit mihi ut ædificarem ei domum in Jerusalem. Si ergo Cyrus prohibuit civitatem ædificari, suum utique edictum revocavit. Nec verum est primo haberi capitulo hujus libri, quod Cyrus dedit Judæis licentiam reædificandi solum templum. Nam quamvis ibi dicatur de templo construendo, non tamen additur ibi aliquid de præcisione aut exclusione aliorum. Iterum, dictum est Cyrum fuisse inductum ad templi reparationem, quia Hebræi ostenderunt ei præfatam Isaiæ prophetiam. Et quia in ea de civitatis reædificatione manifeste habetur, constat quod ad hoc dedit licentiam : imo de civitatis reædificatione habetur ibi apertius quam de templi constructione, ut patet ex primo articulo. Rursus, Josephus undecimo Antiquitatum libro recitat Cyrum scripsisse : Judæos terram meam inhabitantes, qui voluerunt ad patriam suam redire, permisi et civitatem renovare, templumque Dei in ea ædificare. At vero, secundum opinionem illam erroneam, Cyrus suum retractasset edictum de templi ædificatione : alioqui Judæi non omisissent prosequi ædificium templi, nisi epistola regis hoc continuisset.

I Esdr. I, 3, 4. — Cf. Quæst. Hebr. in fine. — I Esdr. I. — Is. XLV, 13. — I Esdr. I, 2.

Tunc intermissum est opus domus Domini in Jerusalem, id est prosecutio templi et ædificatio civitatis, *et non fiebat usque ad secundum annum Darii regis Persarum :* qui Darius, secundum Josephum, Hieronymum et sanctos doctores, fuit filius Hystaspis et diu præcessit Assuerum, cujus conjux exstitit Esther. Aliqui vero Hebræi affirmant, quod fuit filius Assueri et Esther.

Esther II, 17.

Postremo, juxta mysticum sensum, per reædificationem templi et civitatis Jerusalem, designatur reformatio Ecclesiæ in capitibus ejus et membris. Per gentes vero impedientes, signantur invisibiles atque visibiles Ecclesiæ hostes, falsi fratres, vitiosi prælati, et omnes qui adversantur unitati, paci et reformationi Ecclesiæ : qui dum nec ratione nec auctoritate queunt Catholicis prævalere, libenter se muniunt sæcularium principum favore ac potestate, apud quos mendaciter criminantur atque accusant Catholicos ; et sicut fideles, exsultant et voce altisona laudant Deum, dum Ecclesia aliqualiter reformatur. Sapientiores tamen et perfectiores, considerantes in quanta sanctitate et justitia Ecclesia Deo servivit tempore Apostolorum et postea diu, plorant dum moderni temporis qualemcumque reformationem conspiciunt.

Sensus mysticus.

Digitized by Google

ARTICULUS V

EXPLANATIO CAPITULI QUINTI : PROPHETAVERUNT AUTEM AGGÆUS PROPHETA ET ZACHARIAS FILIUS ADDO.

HIC agitur de resumptione ædificationis templi, et de appellatione propter hoc facta ad Darium regem. *Prophetaverunt autem Aggæus propheta et Zacharias filius Addo, prophetantes ad Judæos qui erant in Judæa et Jerusalem, in nomine Dei Israel.* Isti duo fuerunt in terra Babyloniæ nati, et inter duodecim minores computantur Prophetas. Unde in Scholastica fertur historia : Ascensuri ex Babylonia in Judæam, alios hortabantur Judæos ut secum ascenderent, sed paucos invenerunt qui assentirent eis. Propterea in exhortatione et apparatu tres annos compleverunt, et in tertio anno regni Cyri egressi sunt sub Zorobabel duce eorum et Jesu pontifice, exhortantibus eos Zacharia propheta et Aggæo juvene, sed nondum propheta. Denique, mortuo Cambyse et Dario imperante, hi duo Prophetæ admonuerunt ipsum Zorobabel atque pontificem et populum, ut rursus inciperent prosequi ædificium templi et civitatis, etiam nondum ad hoc licentia obtenta a Dario, prædicentes ex revelatione divina, quod prosperaretur opus in manu eorum, nec Darius impediret. Verumtamen, secundum Josephum, Zorobabel audita promotione Darii in regem, festinanter eum accessit, quia jamdudum habuit familiarem amicitiam secum, atque (ut legitur) ex instigatione ipsius Zorobabel Darius fecit votum Deo Israel, quod si fieret rex, reædificaret civitatem Jerusalem et templum in ea. Concessit itaque Darius ipsi Zorobabel largam licentiam instaurandi templum et urbem, et privilegia multa. Sed sicut Magister in historiis scribit, iste accessus Zorobabel ad Darium, fuit postquam resumpsit ædificati- A onem, dum principes Darii habitantes trans flumen petierunt a Zorobabel, qua auctoritate prosequeretur ædificationem dudum prohibitam, sicut jam ex textu patebit.

In ipso tempore venit ad eos, id est ad Zorobabel et Judæos, *Thathanai, qui erat dux trans flumen* Euphraten, *et Stharbuzanai et consiliarii eorum, et dixerunt : Quis dedit vobis consilium, ut domum hanc ædificaretis, et muros ejus* civitatis aut templi *instaurarctis ? Ad quod respondimus eis, quæ essent nomina homi-* B *num auctorum illius ædificationis,* id est, qui essent principales in opere illo : quod scilicet Aggæus et Zacharias ex divina revelatione hoc insinuarent esse agendum, et quod Zorobabel dudum amicus Darii, esset exsecutor operis hujus. *Oculus autem Dei eorum,* id est respectus divinæ pietatis et confortationis, *factus est super senes Judæorum,* eos corroborans, ita quod non cessaverunt ab incepto, *et non potuerunt* principes præfati *inhibere eos,* quia Judæi de ipsorum inhibitione non curave- C runt. Vel quamvis venerunt cum inhibendi proposito, Omnipotens tamen immutavit corda eorum, ita quod non prohibuerunt. Prima tamen expositio aptior reputatur. Nam subditur : *Placuitque* utrique parti, puta Judæis et Samaritis, *ut res ad Darium referretur,* id est, causa ista ad judicium Darii regis deportaretur, quia tunc erat monarcha in oriente ; *et tunc satisfacerent adversus accusationem illam,* id est, Judæi ex determinatione Darii responderent ad accusationem eis objectam, quod in- D caute haberent se, ædificando sic sine licentia regis.

Exemplar epistolæ quam misit Thatha-

nai ad Darium, id est, sermo epistolæ A quam miserant ei hi, qui cum ipso Thathanai scripserunt Dario regi, cui scripserunt sic : *Dario regi pax omnis,* id est pax perfecta, seu pax interior, exterior, præsens et futura. *Notum sit regi, isse,* id est ivisse, *nos ad Judæam ad domum Dei*
IV Reg. XVII, 32. 33. 41. *magni.* Isti enim Samaritani cum diis suis colebant et Deum Israel, quem magnum et summum esse credebant. *Quæ ædificatur lapide impolito,* id est ex impolitis seu non sculptis lapidibus, *et ligna ponuntur in parietibus ; opusque illud diligenter exstruitur, crescitque in manibus eorum. Interrogavimus ergo senes illos : Quis dedit vobis potestatem ut domum hanc ædificaretis ? Responderunt : Nos sumus servi Dei cœli et terræ, et ædificamus templum quod erat exstructum ante hos annos multos,* id est, ædificamus templum simile templo olim a Salomone constructo. Itaque ex eo tempore quo fundamenta templi sunt a Zorobabel seu Sassabasar posita usque nunc, ædificabatur templum, non continue, sed interveniente longa interruptione ex Cambysis prohibitione, ut I Esdr. IV, 21-24.
patuit capitulo præcedente. *Nunc ergo si videtur regi bonum, recenseat in bibliotheca regis,* id est in armario seu repositorio librorum suorum annalium et histo- B rialium, *quæ* bibliotheca *est in Babylone,* id est in terra Babyloniæ : siquidem urbs Babylon fuit destructa; *utrumnam a Cyro rege jussum sit ut ædificaretur domus Dei in Jerusalem, et voluntatem regis super hac re mittat ad nos.*

ARTICULUS VI

EXPLANATIO CAPITULI SEXTI : TUNC DARIUS REX PRÆCEPIT, ET RECENSUERUNT IN BIBLIOTHECA.

PRÆCEPTUM Darii de templo ædificando et consummando, hic ponitur. *Tunc Darius rex præcepit* ministris et scriptoribus suis, *et recensuerunt,* id est inquisierunt, *in bibliotheca librorum* continentium gesta præcedentium regum, *qui erant in Babylone,* id est in regno Babyloniæ, prout se ante extenderat et includebat multa et magna regna; *et inventum est in Ecbatanis, quod est castrum.* In libro Ju-
Judith I, 1. dith habetur, quod Ecbatanis fuit potentissima civitas : quomodo ergo vocatur castrum? Forsan, quoniam instar fortalitii fuit firmissime facta, sicut secundum quorumdam expositionem Christus de Jerusa-
Matth. XXI, 2. Marc. XI, 2. lem dixit discipulis : Ite in castellum quod contra vos est. Vel forte Ecbatanis sumitur hic pro castro, non pro civitate. *In Medena provincia,* id est in regno Mediæ C seu Medorum, inventum est ibi *volumen unum, talisque in eo scriptus erat commentarius,* id est tractatus expositorius rei gestæ per Cyrum.

Anno primo Cyri regis, Cyrus rex decrevit ut domus Dei quæ est, id est, esse debet, vel cujus locus est, *in Jerusalem, ædificaretur in loco ubi immolent hostias, et ut ponant fundamenta supportantia altitudinem,* id est structuram templi, quod erit in altitudine *sexaginta cubitorum, et latitudinem cubitorum sexaginta.* Aliqui D opinantur, quod latitudo sumatur improprie hic pro longitudine templi, præsertim quum latitudo templi Salomonis non fuerit nisi cubitorum viginti. Verumtamen Jose- III Reg. VI, 2.
phus etiam refert sicut in textu habetur. Et *ordines de lapidibus impolitis tres, et sic ordines de lignis novis.* Hoc videtur ex

Digitized by Google

verbis Josephi quasi exponi, dum ait : Et faciant tres parietes lapideos ipsius, videlicet templi, et unum parietem ligneum ex materiis ipsius provinciæ. Præterea objici potest, quia si templum istud secundum, fuit altitudinis sexaginta cubitorum, videtur fuisse altius templo Salomonis, quod habuit triginta cubitos in altitudine, prout tertio libro Regum habetur. Et respondendum, quod templum Salomonis fuit triginta cubitorum in altitudine usque ad primum tabulatum, deinde totidem usque ad tabulatum secundum, et ab illo usque ad verticem habuit adhuc in altitudine cubitos sexaginta. Unde tota ejus altitudo describitur secundo libro Paralipomenon ubi habetur : Porro altitudo centum viginti cubitorum erat.

(III *Reg.* vi, 2. — II *Par.* iii, 4.)

Nunc ergo, Thathanai et qui estis trans fluvium, procul recedite ab illis, scilicet Judæis reædificantibus templum et urbem Jerusalem, *et dimittite fieri templum Dei a duce Judæorum. Et offerant oblationes Deo cœli, orentque pro vita regis* Darii *et filiorum ejus* prospere conservanda. Circa hoc scribit quidam : Ex hoc patet, quod rex iste habebat fidem unius veri Dei. Verumtamen, an habuit fidem formatam vel solum informem, an potius solummodo fidem suasam et quamdam credulitatem fidei similem, non autem fidem quæ est theologica virtus, puto incertum. Nam (ut patuit) etiam Samaritani idololatræ, credebant, supplicabant et sacrificabant uni vero Deo. Similiter Assuerus, cujus conjux fuit Esther, credebat esse unum verum et summum Deum, omnium provisorem, ut patet in ejus epistolis, præsertim Esther ultimo. Et tamen isti non habuerunt fidem quæ est virtus theologica, nec formatam neque informem, sicut neque hæretici nec Sarraceni, qui unum Deum, non idola, colunt.

(IV *Reg.* xvii, 32, 33, 41. — *Esther* xvi, 4, 16, 18.)

A me ergo Dario rege *positum est decretum,* id est ordinatio et præceptum, *ut omnis homo qui hanc mutaverit jussionem,* id est, transgressus fuerit eam, *tollatur lignum de domo ipsius,* si habuerit domum et lignum pro patibulo aptum : alioqui aliunde sumatur hujusmodi lignum; *et configatur in eo. Domus autem ejus publicetur,* id est, facultates ipsius ad fiscum pertineant regis. *Deus qui habitare facit nomen suum ibi,* id est, qui in templo Jerusalem jussit se invocari, nominari, laudari, et qui se ipsum voluit ibi per specialem gratiam esse et habitare, *dissipet omnia regna, et populum qui extenderit manum suam ut repugnet, et dissipet domum Dei.*

Ædificaverunt Judæi templum et urbem, *jubente Deo* per Aggæum et Zachariam prophetas, *et jubente Cyro et Dario et Artaxerxe regibus Persarum ; et compleverunt domum Dei.* Ex qua forma verborum patet falsitas Rabbi Salomonis, dicentis quod Artaxerxes iste fuit idem qui Darius : quod si verum esset, Scriptura non loqueretur de eo et Dario cum interpositione hujusmodi conjunctionis copulativæ: Idcirco cum Josepho dicendum, quod Artaxerxes ille fuit filius Darii, et a Josepho Xerxes vocatur. Nec obstat, quod templum dicitur esse completum sexto Darii anno, videlicet quoad ædificium ejus secundum se : multa tamen deerant ejus ornatui et utensilibus et ædibus in gyro fiendis pro templi ministris. *Usque ad diem tertium mensis Adar,* qui duodecimus mensis est apud Judæos.

(*Agg.* i; *Zach.* i, 1; iv, 9. — I *Esdr.* 3, 4; II *Esd.* ii, 6, 8.)

Deinde in littera describitur, qualiter Judæi seu filii transmigrationis, id est de transmigratione et captivitate reversi, fecerunt dedicationem templi ; et pontifex ac majores fecerunt sacerdotes ac Levitas stare ordinate secundum congruentiam officiorum suorum in vicibus suis, in quibus ministrare debebant et exercere opera Dei, sacrificando, laudando, et circa hostias præparandas ministerium exhibendo, *sicut scriptum est in libro Moysis,* præsertim in Levitico et libro Numerorum per diversa capitula : et plana est littera.

Et purificati sunt sacerdotes et Levitæ, id est, ad faciendum pascha secundum legem erant dispositi et purgati per ora-

Digitized by Google

tiones, lotiones et continentiam, atque per immunitatem ab irregularitatibus et immunditiis legis, a quibus debebant esse immunes aut purgati pascha facturi et agnum paschalem manducaturi : de quibus omnibus in Exodo, Levitico et ceteris Moysis libris diffuse tractatur. Purificati sunt ergo *quasi vir unus,* id est omnes concorditer sine exceptione. *Et fecerunt solennitatem Azymorum septem diebus in* A *lætitia, quoniam lætificaverat eos Dominus,* gratiose agendo cum ipsis, *et converterat cor regis Assur ad eos, ut adjuvaret manus eorum,* id est, mentem Darii regis inclinaverat ad faciendum tam liberaliter et benigne cum ipsis, et ad habendum se tam devote circa Deum et templum. Dicitur autem Darius rex Persarum, rex Assur, quia et regnum Assyriorum fuit sub ejus imperio.

ARTICULUS VII

ELUCIDATIO CAPITULI SEPTIMI : POST HÆC AUTEM VERBA.

RECITATUR hic promotio atque prosperitas Judæorum sub filio Darii regis. *Post hæc autem verba,* id est post gesta jam ante descripta sub Dario. Sæpe autem in Scripturis sumitur verbum pro re significata per verbum. *In regno Artaxerxis,* videlicet filii Darii, quem Artaxerxem Josephus vocat Xerxem, *Esdras,* cujus genealogia in textu describitur, ascendendo usque ad *Aaron,* qui fuit sacerdos *ab initio,* id est pontifex Judæorum primus, a tempore quo Deus per Moysen in deserto instituit sacerdotium Judæorum, distinctum a sacerdotio legis naturalis, in qua omnes primogeniti fuerant sacerdotes. Fuerunt tamen plures intermedii inter Esdram et Aaron, quam hic exprimuntur, sicut ex primo Paralipomenon libro elicitur : principaliores autem ponuntur hic.

Exod. xxviii, 1: xxix.

I *Par.* vi, 3-14.

Ipse Esdras ascendit de Babylone versus Judæam, quæ in altiori est situ, quam Babyloniæ terra. Dicunt autem nonnulli, quod Esdras primo ascenderat cum Zorobabel, deinde Babyloniam rediit ad deducendum secum plures inde in Judæam, et ad impetrandum privilegia quædam a rege. Quod si ita est, mirum quod non fit de eo mentio specialis in descriptione reversionis Zorobabel. Ex Josepho quoque et B ex Scholastica historia id non apparet. *Et ipse scriba velox in lege Moysis,* id est doctus valde et peritus in Scripturis veteris Testamenti : qui et ideo dicitur, scriba velox, quoniam novos apices litterarum excogitavit faciliores ad scribendum et exprimendum ; qui et legem a Chaldæis combustam dicitur reparasse, et ceteras veteris Testamenti Scripturas recuperasse. Pentateuchum vero, id est libros Moysis, apud Samaritanos invenisse asseritur. *Et dedit ei rex* Artaxerxes *secundum manum Do-* C *mini Dei ejus super eum bonam,* id est secundum gratiosam et potentem opem et adsistentiam Dei, *omnem petitionem ejus,* id est, universa quæ a præfato petiit rege. De hoc Josephus undecimo Antiquitatum recitat libro : Fuit in Babylone vir justus et gloria magna potitus, apud multitudinem primus populi Judæorum sacerdos, qui quum legum Moysis integram haberet scientiam, amicus factus est Xerxi regi. Præterea advertendum, quod secundum Magistrum in historiis, Artaxerxes iste fuit D alter quam Xerxes filius Darii, et successit in regno Xerxi præfato, atque vocatus est Artaxerxes Longimanus.

Esdras autem paravit, id est, aptavit et præbuit, *cor suum, ut investigaret legem*

Digitized by Google

Domini, id est, eam recoleret et recuperaret, *et faceret,* id est, obediret eidem : quia scientia præceptorum et legum ordinatur ad opus, quemadmodum et Philosophus protestatur, Quid sit virtus scrutamur, ut Jacob. IV, 17. boni efficiamur. Ideo scienti et non facienti, peccatum est illi. *Et doceret in Israel præceptum et judicium,* id est, ipsum Israeliticum populum reversum doceret per verba et scripta præcepta moralia, puta Decalogum et mandata judicialia, quæ assignant modum servandi justitiam inter proximos. Per hæc autem insinuatur, quod docuit quoque præcepta cærimonialia, quæ docent modum colendi Deum in sacrificiis, et in discretione ciborum, ac consimilium rerum figuralium.

Hoc est autem exemplar epistolæ contentivæ *edicti,* id est præcepti seu ordinationis, *quod dedit rex Artaxerxes Esdræ sacerdoti : Artaxerxes rex regum* terrenorum subjectorum monarchiæ Persarum, *Esdræ doctissimo salutem.* Nam et propter sapientiam suam, Esdras fuit regi tam acceptus, carus, et honoratus ab ipso. Atque, ut refert Hieronymus, Hebræi dicunt ipsum fuisse Malachiam prophetam, qui inter duodecim Prophetas est ultimus, et fuisse eum adspectus angelici, et sic erat decorus et multum amabilis.

A me decretum est, ut cuicumque placuerit in regno meo, id est toto imperio meo, *de populo Israel, tecum vadat in Jerusalem. A facie enim regis et septem consiliatorum ejus,* id est a persona ac præsentia mea et septem principalium consiliariorum meorum, *missus es.* Nempe, Esther I, 13, 14. ut legitur in libro Esther, reges Persarum et Medorum habebant assidue secum septem nobilissimos duces in jure et legibus peritissimos, quorum consilio cuncta agebant. *Ut visites Judæam et Jerusalem,* id est terram et populum tuum, *in lege Dei tui,* id est cum observantia et memoria legis Mosaicæ, *quæ est in manu,* id est operatione *tua,* id est, quam habes ad manum, hoc est in promptu ; *et ut feras,* id est, tecum portes, *argentum et aurum,*

A *quod rex et consiliatores ejus sponte obtulerunt Deo Israel* in subsidium ornamentorum, sacrificiorum ac ædium templi. Jam itaque notitia veri Dei longe ac late innotuit gentibus ex dispersione et commoratione filiorum Israel inter illos, et ex perpetratione mirabilium quæ Deus tunc fecit inter gentiles illis temporibus ; ex relatione quoque Israelitarum narrantium gentibus magnalia Dei scripta in lege. Et hæc fuit una causa, cur Deus punivit peccata populi sui per dispersionem inter B gentiles. Propter quod scriptum est in libro Tobiæ : Confitemini Domino, filii Israel, et in conspectu gentium laudate eum : Tob. XIII, 3, 4. quoniam ideo dispersit vos inter gentes quæ ignorant Deum, ut enarretis mirabilia ejus, et faciatis scire eos, quoniam non est alius Deus omnipotens præter eum. *Et omne argentum et aurum quodcumque inveneris in universa provincia Babylonis, et quod populus offerre voluerit,* id est populus tuus residuus, qui non vult tecum ascendere in Judæam, detentus amo-C re uxorum ac sobolis ac possessionum, quas habet in Babylone; vel, populus meus residuus post me et septem consiliarios meos. *Vasa quoque quæ dantur in ministerium domus Dei tui,* id est sacra vasa deputata ad Dei cultum in templo, *trade in conspectu Dei,* id est, in templo repone tempore opportuno.

Sed et cetera quibus opus fuerit in domo Dei tui, dabis de thesauro et de fisco regis, id est, emes de pecunia ad me pertinente, quam accipies a præfectis meis D trans flumen. Itaque, De fisco, id est de communi pecunia, seu camera regis. *Ego Artaxerxes rex statui,* id est jussi et commisi *omnibus custodibus arcæ publicæ,* id est repositoriorum pecuniæ meæ seu thesaurizariis meis, *ut quodcumque petierit Esdras a vobis, absque mora detis ei usque ad argenti talenta centum, et usque centum batos vini.* Batus mensura est, quæ Ezech. XLV, 11. alio nomine dicitur ephi, videlicet trium modiorum. *Et usque ad frumenti coros centum.* Corus hic sumitur pro mensura

Digitized by Google

aridorum, sicut batus pro mensura liquidorum. Et continet corus, ut legitur, decem modios. Estque tertia pars oneris quod potest portare camelus. Verumtamen mensuræ istæ apud diversos valde diversificantur, nec scire valemus de facili certam quantitatem earum.

Tu autem, Esdra, secundum sapientiam Dei tui, quæ est in manu tua, id est juxta sapientiam tibi a Deo collatam, *constitue judices et præsides, ut judicent omni populo qui est trans flumen,* id est, provide ut ibi sint judices et præsidentes idonei, prudentes, qui ad profectum populi judicent recte in omni causa, quia potestatem habes instituendi tales, et destituendi indignos ; *his videlicet qui noverunt legem Dei tui,* id est, qui judicent peritis in lege tua, videlicet populo tuo : et ita videtur potestas ista extendi ad judices et præsides præficiendos Judæis, et forsan ex plebe eorum. *Et omnis* [Judæus] natione vel conversione ad Judaismum, *qui non fecerit legem Dei tui, et legem regis,* id est præcepta mea, *diligenter, judicium erit de eo,* C *sive in mortem, sive in exsilium, sive in condemnationem substantiæ, vel certe in carcerem :* id est, volo ut talis adjudicetur A morti corporali aut exsilio, quod est mors civilis, aut privationi possessionum suarum in toto aut parte, seu incarcerationi secundum exigentiam gravitatis aut parvitatis sui excessus, vel secundum quod peccatum ejus processerit ex ignorantia, aut infirmitate, vel ex certa malitia.

Et dixit Esdras. Hoc tamen non est de textu, sed subintelligitur. Dixit itaque Esdras, Deo gratias agens, cum jucunditate et admiratione, eo quod Deus omnipotens mentem regis gentilis taliter inclinavit ad B promovendum cultum Dei Israel in templo Jerusalem : *Benedictus Deus patrum nostrorum, qui dedit hoc in corde regis, ut glorificaret domum Domini, et in me inclinavit misericordiam suam coram rege,* id est, pietatem et gratiam suam mihi impendit, per quam fui regi et consiliariis ejus acceptus, atque ab eis in omnibus exauditus. *Et ego confortatus manu Dei quæ erat in me,* id est divino subsidio, directione et adsistentia Dei corroboratus, *congregavi de Israel principes,* id est præcipuos quosdam de Judæis adhuc in Babylonia commorantes, *qui ascenderent mecum* in Jerusalem : quibus monstravi epistolam regis; qua visa, animati fuerunt mecum ascendere.

ARTICULUS VIII

EXPOSITIO CAPITULI OCTAVI : HI SUNT ERGO PRINCIPES FAMILIARUM.

QUALITER Esdras cum suis in Jerusalem venerit, hic refertur. Nec est difficultas in littera. *Hi sunt ergo principes familiarum, qui ascenderunt mecum in regno Artaxerxis regis : De filiis Phinees, Gerson; de filiis Ithamar, Daniel.* Isti fuerunt sacerdotes nati ex Aaron et præfatis filiis ejus, ut catholici expositores fatentur. Ideo quidam inepte circa hoc reprehendit expositores catholicos. *Congregavi autem eos ad fluvium, qui decurrit ad Ahava.* D Josephus dicit, Ad Euphraten : et forsan venerunt ad aliquem rivum ipsius, seu tandem ad fluvium ipsum. *Et mansimus diebus tribus,* repausando, seu aliquos exspectando, aut de necessariis providendo. *Quæsivique in populo et in sacerdotibus de filiis Levi,* id est Levitas quosdam, secundum quod Levitæ a sacerdotibus distinguuntur, et inferiores sunt, sacerdotibusque deserviunt, prout in libro Numerorum legitur, et consequenter ibidem capitulo *Num.* III, 7 *et seq.*; IV.

Digitized by Google

quarto, *et non inveni ibi,* id est, nullum Levitam reperi ibi mecum. *Itaque misi Eliezer et Ariel et Semeiam et Elnathan et Jarib,* etc., *ad Eddo, qui est primus in Chaspiæ loco, ut adducerent nobis* inde *ministros Dei nostri,* præsertim Levitas.

Circa hæc scribit quidam : Dicunt expositores nostri communiter, quod Esdras misit nuntios ad Judæos, qui erant ultra montes Chaspios, quos transtulerant reges Assyriorum. Quod dictum reprobat ille : quia sacerdotes et Levitæ non fuerunt capti cum decem tribubus, quæ sunt ultra Chaspios montes. Nec illi de montibus illis potuissent tam cito venire ad Esdram, sicut in littera venisse dicuntur hi, pro quibus misit. Sed argumenta hæc modici sunt vigoris. Quamvis enim sacerdotes et Levitæ fuerunt capti a Chaldæis diu post decem tribuum captivitatem ab Assyriis, interim tamen durante per septuaginta annos captivitate, et Babylone destructa, poterant quidam de sacerdotibus et Levitis ad decem tribus transisse. Denique decem tribus illæ nondum fuerunt clausæ (Alexander enim rex eas reclusit), atque, ut Josephus narrat, erant in Media, id est in regno Medorum : et sic poterant satis cito venire ad Esdram, quia habuerunt a rege licentiam. Insuper, dictum illud Catholicorum, quod et in Scholastica historia continetur, verbis Josephi consonare videtur, qui ait undecimo libro Antiquitatum : Exemplum epistolæ misit Esdras ad omnes Israelitas, et ad Mediam inhabitantes. Ecce manifesta probatio. Additque Josephus : Totus autem populus Israel, scilicet decem tribus, in terra illa permansit. Ideoque duæ tantum tribus sunt constitutæ per Europam et Asiam, obsequentes Romanis. Verumtamen duabus tribubus illis, videlicet Juda et Benjamin, annumeratur tribus Levitica. Atque, ut dictum est sæpe, aliqui ex decem tribubus fuerunt capti cum populo regni Juda, et redierunt vel ipsi vel eorum posteri cum Judæis a Babylone. Asserit etiam Josephus : Decem tribus hactenus trans Euphraten commorari

A probantur, quarum multitudines innumerabiles numero comprehendi non possunt. De quibus in Scholastica historia additur, quod circa finem mundi egredientur, magnam hominum stragem facturi.

Et prædicavi ibi jejunium, hortando ut jejunarent, quatenus Deus custodiret nos in processu itineris. *Erubui enim a rege petere auxilium, quia dixeramus regi : Manus,* id est protectio, *Dei nostri est super omnes qui quærunt eum in bonitate,* id est in sinceritate virtutum ; *et furor,* id

B est rigor suæ justitiæ et vindictæ, incumbit *super omnes qui derelinquunt eum.* Idcirco ne rex scandalizaretur, si Esdras videretur de divina defensione diffidere quærendo humanum auxilium, Esdras erubuit petere subsidium a rege pro deductione per viam : nec hoc fuit Deum tentare, præsertim quia ex rationabili causa processit, et per orationes atque jejunia ad Deum confugerunt, tam Esdras quam populus ejus.

Et separavi de principibus sacerdotum duodecim, id est, duodecim notabiliores

C ex numero sacerdotum elegi. *Appendique eis argentum et aurum, et vasa consecrata domus Dei, quæ obtulerat rex et consiliatores ejus, universusque Israel,* de numero *eorum qui inventi fuerant* in terra transmigrationis, nec redierunt : id est, omnia ista assignavi sacerdotibus illis fideliter, sicut ea recepi sub pondere et numero certo. *Et crateres aureos,* quæ sunt vasa duas ansas habentia. *Et dixi eis,* videlicet sacerdotibus : *Vos sancti Domini,* id est, vos estis electi ministri Deo consecrati, *et vasa*

D hæc *sancta* sunt. *Vigilate et custodite,* id est, omnia ista quæ vobis assignavi, et divino sunt cultui deputata, vigilanter custodite, *donec appendatis,* id est, quousque ea assignetis in Jerusalem, in templo Dei, *coram principibus sacerdotum et Levitarum,* id est coram principalibus inter sacerdotes atque Levitas. Utensilia namque cultus divini et spiritualia bona, sunt cum præcipua diligentia custodienda.

Promovimus ergo, id est, ad procedendum movimus pedes nostros ; *et venimus*

Digitized by Google

in Jerusalem, et mansimus ibi tribus diebus. Die autem quarta appensum est argentum et aurum et vasa, id est, assignata et tradita sunt in templum, in thesaurum ipsius. *Dederunt autem edicta regis satrapis,* id est, epistolam regis Artaxerxis, continentem prætacta præcepta ipsius, præsentaverunt reversi a Babylone, *qui erant* A *de conspectu regis,* id est ex parte et ex commissione prædicti regis constituti præfecti et duces, *trans flumen ; et elevaverunt populum et domum Dei,* id est, duces ac satrapæ magnifice honoraverunt populum Dei et templum ejus, propter præcepta regis, et propter beneficia ac privilegia quæ rex concessit eisdem.

ARTICULUS IX

EXPOSITIO CAPITULI NONI : POSTQUAM AUTEM HÆC COMPLETA SUNT.

MAGNA quædam transgressio populi a captivitate reversi, et ejusdem iniquitatis deploratio, hic describuntur. *Postquam autem hæc,* quæ in fine præcedentis capituli enarrantur, *completa sunt, accesserunt ad me principes,* hoc est aliqui principales et boni de populo illo reverso, *dicentes : Non est separatus populus Israel* qui cum Zorobabel rediit, *a populis terrarum,* id est a commixtione gentilium in gyro terræ nostræ morantium. *Tulerunt enim,* id est, acceperunt Judæi, *de filiabus eorum sibi et filiis suis uxores,* vel potius quasi uxores, quia inter eos, ut infra patebit, non fuit matrimonium verum, *et commiscuerunt semen sanctum,* id est deputatum ad divinum obsequium, *cum populis terrarum,* id est cum gentilibus et idololatris. Tamen Judæi qui tantum facinus commiserunt, quamdiu manserunt in illo, non fuerunt sancti, sed vitiosi. Sed in quantum erant specialiter deputati ad cultum Dei, dicuntur sancti : quemadmodum vitiosus prælatus, ratione sacri officii dicitur pater sanctus. *Manus etiam principum et magistratuum,* id est majorum in populo : non tamen Zorobabel nec pontifex Jesus, ut aliqui dicunt. Hieronymus
Zach. III. tamen super Zachariam, ubi fit mentio de hoc Jesu, affirmat eum duxisse uxorem alienigenam. *Fuit in transgressione hac* B *prima,* id est primo culpabilis, et aliis dans exemplum sic agendi. Tamen quod ait, Prima, posset referri ad transgressionem : ut sit sensus, quod in hac prima transgressione, quæ fuit præcipue gravis, fuerunt culpabiles et ipsi principes magistratusque Judæorum.

Denique, sicut testatur B. Hieronymus super Malachiam, Judæi a Babylone reversi, acceperunt gentiles uxores, repudiatis uxoribus propriis propter earum deformitatem et vetustatem : quod fuit valde du- C pliciterque enorme, quia et ipsa repudiatio fuit in se vitiosa, et alienigenas ducere, Deut. VII, 3.
fuit prohibitum in Deuteronomio. Et de hac Judæorum iniquitate agitur Malachiæ Malach. II, 11-16.
secundo, multum sententiose, quamvis breviter et obscure, prout ibi expositum est.

Cumque audissem sermonem istum, scidi pallium meum et tunicam : sicut mos fuit Judæorum in magna afflictione et adversitate ; *et evulsi capillos capitis mei et barbæ,* ex vehementi dolore, et in signum mœstitiæ : in quibus apparet fervor dile- D ctionis et zelus justitiæ sancti Esdræ circa Deum et proximos ; *et dixi : Deus meus, confundor* mente, *et erubesco* forinsecus, *levare faciem meam ad te,* id est faciem cordis ad tuam sanctitatem, vel faciem corporalem ad cœlum, in quo specialiter esse et habitare cognosceris : et hoc propter

Digitized by Google

enormitatem et fœditatem vitiorum nostrorum, atque ex consideratione puritatis et dignitatis tuæ immensæ. De turpitudine enim et enormitate culparum, summe erubescendum est coram Deo. Hinc subditur : *Quoniam iniquitates nostræ* commissæ in proximum, *multiplicatæ sunt super caput nostrum,* id est in cordibus nostris, et omnino inexcusabiliter imputandæ sunt nobis. Viri enim qui tam scelerata iniere connubia, gravissime peccaverunt in conjuges suas, quas abjecerunt, et eas induxerunt ad magnam desolationem, fletum, pusillanimitatem, et ad multa peccata, scilicet ad iram, murmurationem, impatientiam, invidiam, ad quas passiones pronæ sunt feminæ. *Et peccata nostra* in Deum commissa, *creverunt usque ad cœlum,* id est, vehementissime multa et gravia sunt effecta. Itaque Esdras ex humilitate connumeravit se transgressoribus illis, sicut et Daniel in sua oratione, et Isaias dum ait de Christo : Nos reputavimus eum quasi leprosum. Et rursus : Omnes nos quasi oves erravimus. *Et traditi sumus in gladium et captivitatem et in confusionem vultus, sicut et in die hac :* quia et nunc multi insultant nobis, tam hic in Judæa, quam in regnis, ubi fratres nostri sub servitutis jugo morantur.

Dan. IX, 5 *et seq.* *Is.* LIII, 4. *Ibid.* 6.

Et nunc quasi parum et ad momentum facta est deprecatio nostra ad Dominum Deum nostrum, id est, non nisi modicissimo tempore habuimus idoneitatem deprecandi te, scilicet quamdiu a magnis vitiis eramus immunes, quando eramus in via huc redeundi ; et cito postquam huc venimus, tanta commisimus scelera, quod non possumus excusari, nec digni sumus coram te apparere aut deprecari ; *quia servi sumus* regis Persarum, imo et vitiorum. Iniqui namque, teste sacratissimo principe Apostolorum, sunt servi corruptionis. A quo enim quis superatus est, hujus et servus est. *Et nunc quid dicemus, Domine Deus, post hæc?* id est, excusare non possumus nos, qui post tot et tanta beneficia tua tam ingrati fuimus tibi ; *quia de-* A *reliquimus mandata tua, quæ præcepisti in manu,* id est per obsequium, *servorum tuorum Prophetarum, dicens : Terra ad quam ingredimini, immunda est,* scilicet terra promissionis, quæ perhibetur immunda, propter flagitia in ea commissa, et *repleverunt eam ab ore usque ad os,* per hyperbolen, ad innuendum quod abundantissime ac enormissime in ea peccaverunt Amorrhæi, Chananæi, etc., quorum scelera in Deuteronomio conscribuntur. Sic et Manasses dicitur replesse Jerusalem B sanguine innocentium usque ad os.

II Petr. II, 19.

Lev. XVIII, 25. *Deut.* IX, 4; XVIII, 12; XX, 18. IV *Reg.* XXI, 16.

Nunc ergo filias vestras ne detis filiis eorum, et filias eorum non accipiatis. Istud præcepit Dominus per Moysen eximium Prophetarum, et per Zachariam ac Malachiam reprehendit hujus præcepti transgressionem. Per aliorum quoque eloquia Prophetarum admonuit populum Israel sæpe de hujus præcepti impletione. *Et non quæratis pacem et prosperitatem eorum,* id est, non habeatis communionem cum ipsis, sed vitetis omnino eorum consortia : imo C Dominus eos occidi jussit, nec ut tales erant amandi. Non tamen fuerant odiendi, quoad personam vel naturam ipsorum. *Ut non converteremur* ad pristina vitia nostra.

Deut. VII, 3; *Malach.* II, 11-16; *Num.* XXXI, 15. *Num.* XXV, 17; XXXI, 17.

Numquid iratus es nobis usque in consummationem? id est, noli, o Domine, noli nos omnino deserere, nec gratiam vitandi peccata totaliter nobis abstrahere, ne penitus pereamus. *Domine, Deus Israel, justus es tu : quoniam derelicti sumus, qui salvaremur,* id est, jam pro magna parte propter peccata nostra sumus consumpti, D et tamen dereliquisti quosdam residuos, utpote nos, ad hoc ut pœnitendo et bene vivendo consequamur salutem. *Ecce coram te sumus in delicto nostro,* id est evidenter rei et valde culpabiles. *Non enim stari potest coram te super hoc,* id est, stare non possumus coram tribunali tuo ad excusandum nos in hac parte : imo si excusare voluerimus nos, os nostrum condemnabit nos ; et si voluerimus judicio tecum contendere, non poterimus respondere unum pro mille.

Job IX, 20, 3.

Digitized by Google

ARTICULUS X

EXPLANATIO CAPITULI DECIMI : SIC ERGO ORANTE ESDRA, ET IMPLORANTE DEUM.

CORRECTIO præmemoratæ transgressionis describitur in hoc loco. *Sic ergo orante Esdra* cum intima compunctione, sapientiali pudore et lacrimarum effusione, pro aliorum peccatis : ita quod instar publicani, de quo in Evangelio legitur, Erubuit oculos suos ad cœlum levare; (Luc. XVIII, 13.) *collectus est ad eum de Israel,* id est de populo Israelitico, *cœtus grandis virorum et mulierum :* qui, secundum Josephum, erant mediocres, nec rei criminis ejus ; *et flevit populus fletu magno,* ipsi Esdræ compatiendo, et propter commissa flagitia. Esdras autem tam acerbissime luxit, quia existimavit quod ex sua exhortatione majores non acquiescerent abjicere præfatas uxores gentiles, ut Josephus scribit. Sed meritis ejus Deus aliter ordinavit, et reorum tetigit corda. Nam subditur : *Et respondit Sechenias,* unus inter præcipuos : *Nos prævaricati sumus.* Quia et ipse unus fuit reorum in scelere illo, ideo in primis exhibuit se paratum ad emendationem, quatenus ceteri ejus exemplo similiter facerent. *Et nunc si est pœnitentia,* id est, quia possumus pœnitere, quum non sit desperandum, *percutiamus fœdus cum Domino,* id est, pactum firmum ineamus cum *Deo nostro, ut projiciamus,* id est, removeamus a nobis, *universas uxores* alienigenas, *et eos qui de his nati sunt,* ne amore prolis suæ redeant ad nos. Si tamen feminæ illæ voluerunt pueros apud patres manere, forsitan licuit. *Surge : tuum est discernere,* id est judicare quid et qualiter sit agendum, quum sis justus ac sapiens, et a rege præ aliis honoratus. *Nosque erimus tecum :* non corpore tantum, sed et voluntatis conformitate et cooperatione.

Surrexit ergo Esdras, et adjuravit principes, id est præcipuos sacerdotum et Levitas. A Quo constat verum esse quod Josephus narrat, præfatum Secheniam suggessisse Esdræ, ut omnes jurarent abjicere conjuges illas. *Et surrexit Esdras ante domum Dei,* id est ante templum, ad cujus fores jacebat prostratus ; *panem non comedit, et aquam non bibit,* id est, illa die ex tristitia nihil comedit. Solet autem in Scripturis per panem et aquam, omnis esca et potus signari. *Lugebat enim in transgressionem,* id est ex dolore de illorum transgressione, et ad placandum illis Deum.

B *Et missa est vox,* id est, præceptum exivit ab Esdra, *in Jerusalem et Juda :* quia per totam terram, in qua habitabant Judæi reversi, fecit præceptum hoc, quod fuit citatio populi, promulgari ; *ut congregarentur in Jerusalem* infra triduum : cui præcepto fuit adjuncta gravis pœna contra inobedientes, videlicet spoliatio totius substantiæ possessionisve suæ, et quod non venientes abjicerentur de synagoga, tanquam excommunicati. Unde et in Evangelio scriptum est, quod conspiraverunt Judæi, (Joann. IX, 22.) C quia si quis confiteretur Jesum esse Christum, extra synagogam fieret. Convenerunt ergo infra tres dies. *Ipse est mensis nonus,* in quo convenerunt : qui apud Hebræos dicitur Sileos*, et correspondet (ut fertur) partim Novembri, et partim Decembri ; *et sedit omnis populus in platea domus Dei,* id est in atrio prope templum : nam Josephus, Quum in superiori, inquit, loco templi consedissent ; *trementes pro peccato et pluviis,* id est, ex doloris sui excessu, et ex metu ultionis divinæ, atque D ex frigore hiemali, tremebant.

* Chisleus, Casleu

Et dixit Esdras : Date confessionem Deo, id est, Deum honorate, vestra peccata recognoscendo, bonitatemque Dei et beneficia ejus laudando. Sic et Josue dixit ad

Digitized by Google

Josue VII, 19. Achan transgressorem : Fili mi, da gloriam Deo, et confitere, atque indica mihi quid feceris. *Et separamini a populis terræ, et ab uxoribus alienigenis,* id est, consortia atque connubia gentilium idololatrarum de cetero evitate, et uxores ex illis sumptas relinquite, quum non sint veræ uxores : quum dispar cultus impediat matrimonium contrahendum, dirimatque contractum, et viventibus uxoribus legitimis non potuistis sine peccato superinducere alias. Nec libellus repudii fuit permissus tanquam quid licitum, sed tanquam minus malum, ut vitaretur uxoricidium. Idcirco, quum Dominus dixisset, Quum odio habueris, supple, uxorem, dimitte eam ; mox addidit, Operiet autem iniquitas vestimentum ejus. *Matth.* XIX, 8 ; *Deut.* XXIV, 1. *Malach.* II, 16.

Et respondit universa multitudo : Juxta verbum tuum sic fiat. Verumtamen, quia populus multus est, qui reus est criminis hujus, *et tempus pluviæ, et non sustinemus stare foris* propter imbrem hiemaleque frigus, *constituantur principes in universa multitudine :* qui pergant per civitates, ad perscrutandum eos qui peccaverunt in casu isto; *et omnes in civitatibus nostris qui duxerunt uxores alienigenas, veniant* ad præsentiam principum *temporibus statutis,* id est præordinatis a principibus, qui intimabunt diem certum; *et judices ejus,* videlicet cujuslibet urbis, veniant simul ad principes : sicque abjiciantur tales uxores, juxta sententiam principum et judicum. Atque, ut Josephus adjicit, Ordinaverunt ut illi eligerentur ad corrigendum hoc vitium, et ad separandum uxores illas a viris Judæis, qui non erant culpabiles in hoc facto. Nempe qui alios habet corrigere, debet esse immunis a vitiis, præsertim ab his, de quibus increpat alios, ne ei dicatur : Medice, cura te ipsum. *Luc.* IV, 23.

Et sederunt in prima die mensis decimi, ut quærerent rem, id est, negotium perscrutarentur, et exsecutioni mandarent. Sicque celeriter processerunt ad vitia corrigenda, quoniam vicesimo die mensis noni decreverunt sic esse agendum. *Et consummati sunt,* id est, perfecte inventi, numerati atque correcti, *omnes viri qui duxerunt uxores alienigenas. Et dederunt manus suas,* id est, promptos se exhibuerunt, *ut ejicerent uxores suas* prædictas : quæ tamen (ut dictum est) non erant veræ uxores. Nec fuit inter Judæos et eas verum matrimonium : ad quod inseparabilitas pertinet, sicut in Evangelio loquitur Christus : Quos Deus conjunxit, homo non separet. Deinde exprimuntur in textu, hi qui in isto facinore erant rei, et planus est textus. *Matth.* XIX, 6.

Ecce quam multa bona facit virtuosus prælatus : cujus est subditorum peccata deflere, et pro eorum illuminatione, conversione, compunctione Deum lacrimose precari, ac jejunare pro illis, sicque iniquis gratiam prævenientem, et dura corda emollientem promereri et obtinere, sicut et Daniel se fecisse testatur : Lugebam, inquiens, trium hebdomadarum diebus ; panem desiderabilem non comedi, et caro et vinum non introierunt in os meum. Jeremias quoque : Deducant, inquit, oculi mei lacrimam per diem et noctem, et non taceant. Subditorum vero est, prælatis eorum salutem quærentibus prompte atque humiliter obedire, vitia et vitiorum occasiones abjicere, plenam confessionem et satisfactionem condignam peragere. Ad laudem et gloriam Omnipotentis, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen. *Dan.* X, 2, 3. *Jer.* XIV, 17.

FINIS COMMENTARIORUM PRIMI LIBRI ESDRÆ

Digitized by Google

ENARRATIO

IN LIBRUM SECUNDUM ESDRÆ

Digitized by Google

Digitized by Google

PROŒMIUM

NEHEMIAS *in memoria multi temporis, qui erexit nobis muros eversos, et stare fecit portas et seras, qui erexit domos nostras.* Eccli. XLIX, 15.

Liber iste dicitur esse pars libri Esdræ, quia de eadem tractat materia, estque velut prosecutio historiæ libri Esdræ. Propria tamen habet capitula, et alius est auctor. Nam ut Josephus scribit, Esdras post gloriam quam apud Deum habuerat, vitam in senectute veneranda finivit, atque in Jerosolymis cum multa liberalitate sepultus est. Quo defuncto, post prosperitatem sub eo habitam, passi sunt Judæi multiplicem adversitatem, et muri civitatis destructi sunt : quo cognito, Nehemias vir juvenis et pincerna regis Artaxerxis, a quo rege et Esdras fuerat honoratus, privilegiatus et missus, de ejusdem regis licentia venit Jerusalem, ejusque muros, portas, seras ac domos construxit : ideo æterna memoria dignus effectus est.

Ant. Jud. lib. XI, c. 5.

Digitized by Google

Digitized by Google

ENARRATIO
IN LIBRUM NEHEMIÆ
QUI DICITUR
LIBER SECUNDUS
ESDRÆ

ARTICULUS PRIMUS

ELUCIDATIO CAPITULI PRIMI : VERBA NEHEMIÆ FILII HELCHIÆ.

VERBA *Nehemiæ filii Helchiæ,* supple, sunt quæ sequuntur, quæ ab eo conscripta sunt : et fuit de stirpe sacerdotali. *Et factum est in mense Casleu :* qui apud Hebræos (secundum Josephum) vocatur Sileos *, apud Latinos December ; *anno vicesimo* regni Artaxerxis, *et ego eram in Susis castro,* id est in fortalitio quodam urbis illius, quæ fuit metropolis regni Persarum. Vel per castrum, intelligitur civitas ipsa instar castri fortissima, ut dictum est plenius super Esdram. *Et venit ad me Hanani unus de fratribus meis,* id est cognatis. Quod dictum est, Ad me, non est (ut fertur) de textu. *Ipse et viri ex Juda,* id est ex tribu Juda, vel ex populo Judæorum habitantium in Judæa. *Et interrogavi eos de Judæis, qui remanserant et supererant de captivitate,* id est, qui adhuc vixerunt, et in Judæa morabantur, reversi ex Babylonica captivitate, seu nati ex illis reversis, *et de Jerusalem,* id est, de statu civitatis Jerusalem eos specialiter interrogavi. Refert Josephus, quod viri isti quasi peregrini ad urbem Susa declinaverunt. Obviavitque eis Nehemias ante metropolim, et audiens eos Hebraice colloquentes, interrogavit eos quæ dicta sunt.

Ant. Jud. lib. XI. c. 5.

* Chisleu

I Esdr. VI, 2.

A

Et dixerunt mihi : Qui remanserunt, et derelicti sunt de captivitate in provincia Judææ, *in afflictione magna sunt, et in opprobrio :* qui a Samaritanis et circumjacentibus gentibus graviter vexabantur et spernebantur. Imo, ut in Scholastica fertur historia, et ex Josepho sumptum est, per dies sustinebant impetum hostium ; noctibus quoque intrabant latrunculi, et plateas Jerusalem implebant cadaveribus mortuorum. *Et murus Jerusalem dissipatus est, et portæ ejus combustæ sunt igni.*

B

Circa hoc scribit quidam : A tempore quo Nabuzardan incendit civitatem, et muros ejus dirupit, non fuerat data licentia reædificandi eam, sed solum templum et pertinentia ad ipsum, per Cyrum et Darium. Sicque juxta expositionem istius,

IV Reg. XXV, 9, 10.

Digitized by Google

quod hic dicitur de dissipatione murorum A Jerusalem, et de combustione portarum ipsius, intelligitur de destructione et com- IV *Reg.* xxv, 9, 10. bustione facta per Nabuzardan principem militiæ Chaldæorum. Sed error dicti istius, supra in expositione libri Esther ostensus est; et ex expositione primi libri Es- I *Esdr.* i, 3, 4; iv. dræ patet. Nempe, quod civitas Jerusalem de Cyri regis licentia reædificaretur, Deus per Isaiam evidenter prædixit, ubi de Cyro *Is.* xlv, 13. loquens : Ipse, inquit, ædificabit civitatem meam. Et asserit idem Josephus. Denique destructionem murorum Jerusalem B per Chaldæos factam Nehemias non ignoravit, nec aliquis Judæorum. Quod autem scriptura ista loquatur de dissipatione murorum Jerusalem Nehemiam latente, con- II *Esdr.* ii. stat tam ex isto, quam ex sequenti capitulo. Subditur enim : *Quumque audissem verba hujuscemodi, sedi et flevi, et luxi diebus multis; et jejunabam, et orabam.* *Tob.* xii, 8. Bona namque est oratio cum jejunio, prout angelus Raphael ait Tobiæ. Sed et lacrimæ, quæ ex caritatis fervore, seu vera contritione devotionisque pietate procedunt, C orationem faciunt esse fortissimam. Insuper, sequenti capitulo loquitur Nehemias II *Esdr.* ii, 3. ad regem : Quare non mœreat vultus meus, quia civitas domus sepulcrorum patris mei deserta est, et portæ ejus combustæ sunt? Unde probatur, ista intelligenda esse de nova destructione, quam ante nescierat Nehemias. Denique, quod Jerusalem sub Zorobabel et Esdra fuerit aliqualiter reædificata, patet ex dictis in Esdra, in cujus I *Esdr.* iv, 12. libro primo scriptum est : Civitatem Jerusalem reædificant exstruentes muros ejus. D

Et dixi : Quæso, Domine Deus cœli, id est universorum cœlestium corporum, ac supernorum spirituum. Nam sicut per terram intelliguntur frequenter habitantes in *Ps.* lxv, 4. terra, juxta illud, Omnis terra adoret te, Deus; ita per cœlum, habitantes in cœlo. *Fortis,* quia omnipotens; *magne,* quoniam infinitus es in omni perfectione ; *atque terribilis,* videlicet justus et imperscruta- *Hebr.* x, 31. bilis, in cujus manus incidere, est valde metuendum ; *qui custodis pactum,* id est promissum, seu amicitiæ fœdus ac jus, *et misericordiam his qui te diligunt, et custodiunt mandata tua :* quibus fideliter imples et pie donas quod promisisti. *Fiant aures tuæ auscultantes, et oculi tui aperti, ut audias orationem servi tui, quam ego oro coram te hodie nocte ac die, pro filiis Israel servis tuis.* Loquitur autem Scriptura de supersimplicissimo et invariabili Deo affectu et more humano, quum tamen auris et oculi Dei, non sint nisi sapientia ejus, omnia noscens ac intuens, ut sit sensus : Per effectum exauditionis orationis meæ, ostende te nosse ac intueri meam orationem, qua oro pro servis tuis. Multum etenim placet Deo amor boni communis, et oratio fusa ex tali amore. *Et confiteor pro peccatis eorum, quibus peccaverunt tibi,* id est, confiteor eos peccasse, ut digneris eis ignoscere.

Ego et domus, id est cognatio, *patris mei peccavimus.* Hoc addit, ne videatur se inaniter justificare. Certumque est, quod et ipse Nehemias a venialibus non fuit immunis. *Vanitate seducti sumus.* Omne enim peccatum est vanitas quædam. Et Proverbiorum ait Scriptura : Stultus illu- *Prov.* xiv, 9. dit peccatum. Et qui peccat, errat atque seducitur, judicans male, saltem in particulari. Propter quod omnis peccans, dicitur esse ignorans. Unde et Salomon protestatur : Omnis viri via, recta in oculis ejus. *Ibid.* xxi, 2. Hinc per Jeremiam Dominus loquitur : Quid invenerunt patres vestri iniquitatis *Jer.* ii, 5. in me, quia ambulaverunt post vanitatem, et vani facti sunt? Insuper, omnia ista terrena, transitoria et caduca, dicuntur vana et vanitates, juxta illud Ecclesiastæ, Vanitas vanitatum, et omnia vani- *Eccle.* i, 2. tas : quibus seducuntur iniqui, secundum illud Sapientiæ, Creaturæ factæ sunt in *Sap.* xiv, 11. tentationem animæ hominum, et in muscipulam pedibus insipientium. *Et non custodivimus mandatum tuum,* id est præcepta tua Decalogi, quæ dicuntur moralia, *et cærimonias,* id est præcepta cærimonialia, *et judicia tua,* id est mandata judicialia.

Digitized by Google

Memento verbi, id est, per effectum ostende te memorem promissionis seu pacti, *quod mandasti,* id est insinuasti, *Moysi servo tuo,* et per eum promulgari jussisti, *dicens : Quum transgressi fueritis,* ita enormiter, ut ultra tolerari non possit : juxta illud Jeremiæ, Non poterat vos Dominus ultra portare propter malitiam studiorum vestrorum ; *ego disperdam vos* peste, captivitate, gladio, fame : de quibus Dominus ait per Ezechielem, Mittam in eos quatuor judicia mea pessima ; *et si revertamini ad me,* cum condigna contritione et emendatione, *et congregabo vos.* Istud locutus est Dominus in Deuteronomio. *Obsecro, Domine, sit auris tua intendens ad orationem servorum tuorum, qui volunt timere nomen tuum,* id est te ipsum, filiali timore : ita ut etsi nondum sint in caritate, nec filialiter timeant te, tamen misericorditer eos prævenias, obicemque gratiæ tollas de corde ipsorum, et tuum spiritualem amorem ac filialem timorem ipsis infundas ; *et dirige servum tuum hodie,* id est me ipsum, in omnibus : specialiter ad proponendum convenienter regi meam petitionem ; *et da ei misericordiam ante virum hunc,* id est, coram rege Artaxerxe da mihi gratiam, qua ei acceptus sim in mea postulatione, ita ut pie impleat eam.

Jer. XLIV, 22.

Ezech. XIV, 21.

Deut. XXVIII-XXX.

A *Ego enim eram pincerna regis :* ideo habui ei me præsentare, et potui eum ad placitum meum accedere.

Sensus mysticus.

Juxta mysticum sensum, per Judæos in angustiis constitutos, et ipsam Jerusalem construere cupientes, intelliguntur electi fideles, qui Ecclesiæ reformationem desiderant, et ejus ruinam deplangunt : qui ab invisibilibus hostibus atque a pravis hominibus multipliciter affliguntur. Per Nehemiam quoque designantur æmulatores legis divinæ, ac zelatores divinæ justitiæ : B qui videntes se propriis viribus Ecclesiæ reformationem procurare non posse, per orationes, jejunia, lacrimas ad Deum confugiunt, quatenus ipse suam dignetur reformare Ecclesiam. Muri autem Ecclesiæ, sunt prælati, doctores et prædicatores, quorum est gregem dominicum circumvallare, custodire, munire : qui dum scandalose atque carnaliter conversantur, muri Jerusalem dissipantur ; de quorum dejectione est maxime contristandum, et pro eorum erectione orandum. Portæ autem Jerusalem, C sunt virtutes et merita, per quæ patet ingressus in triumphantem Ecclesiam : quæ igne concupiscentiæ et carnalis amoris, flammaque iracundiæ et vitiorum incendio comburuntur in eis qui corruunt.

ARTICULUS II

EXPOSITIO CAPITULI SECUNDI : FACTUM EST AUTEM IN MENSE NISAN.

NUNC recitatur, qualiter Nehemias de licentia regis Jerusalem venerit. *Factum est autem in mense Nisan :* qui cum nostro Aprili concurrit, aut partim cum Martio; *anno vicesimo Artaxerxis regis.* Præcedenti capitulo dictum est, quod in mense Casleu, id est Decembri, vel secundum quosdam, Novembri, anno vicesimo Artaxerxis, Nehemias interrogavit de statu D Jerusalem : quomodo ergo eodem anno in mense Nisan factum est, quod hic narratur, quum isti duo menses non veniant in eodem anno, ita quod Nisan sequatur mensem Casleu, sicut hic agitur de mense Nisan, qui fuit post Casleu ? Ad quod quidam respondent, quod Nehemias hic loquitur secundum modum computationis Judæorum, dicentium, mundum esse creatum in

II Esdr. I, 1.

Digitized by Google

mense Tisseri, correspondenti partim nostro Septembri, et partim Octobri; et quod ille sit simpliciter primus mensis anni, et Casleu tertius, Nisanque septimus, quamvis postea ex eventu, mensis Nisan vocatus sit primus mensis anni, quia in eo filii Israel educti sunt de Ægypto. (*Exod.* XII, 2.) *Et levavi manum meam, et dedi regi vinum,* id est, vasculum in quo fuit vinum ei porrexi; *et eram quasi languidus ante faciem ejus,* id est pallidus ex præviis jejuniis, orationibus, fletibus, vigiliis atque tristitiis.

Dixitque mihi rex, suspicans quod mali aliquid cogitarem in eum, quasi volens eum intoxicare, et ex timore deprehendendi de tanto facinore pallescens : *Quare vultus tuus tristis est,* id est, signa interioris mœroris ostendit, *quum te ægrotum non videam? Non est hoc frustra,* id est absque causa notabili; *sed malum, nescio quid* sit istud, quia cordium secreta certo et determinate cognoscere, vires excellit humanas, *in corde tuo est.* Nam interiora per exteriora quædam, præsertim ex dispositione vultus et oculorum, probabiliter et in generali noscuntur, juxta illud Ecclesiastici : Ex visu cognoscitur vir, et ab occursu faciei cognoscitur sensatus; amictus corporis, et risus dentium, et ingressus hominis, enuntiant de illo. (*Eccli.* XIX, 26, 27.) Unde et in Proverbiorum libro fertur : Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus. (*Prov.* XXVII, 19.)

Et timui valde ac nimis, ne forte rex excusationi meæ non crederet, et suæ suspicioni nimium inhæreret, sicque forsan per pœnas extorqueret a me veritatem. *Et dixi regi : Rex, in æternum vive.* Quasi dicat : Vitam tuam cupio jugiter conservari et prosperari, atque post vitam hanc æternaliter felicitari. *Quare non mœreat,* id est, rationabiliter tristetur, *vultus meus, quia civitas domus sepulcrorum patris mei deserta est,* id est vastata, ita quod nunc pauci morantur in ea, respectu temporum quæ captivitatem nostram præcesserunt. Sed cur ait, Civitas domus sepulcrorum patris mei, et non potius, Civitas domus sepulcri patrum meorum, quum apud Judæos consueverint patres et filii in eodem sepulcro recondi? Et respondendum, quod plurale frequenter pro singulari ponitur, et econtra. Sicque per patrem intelligit suos progenitores. *Et portæ ejus combustæ sunt igni.*

Et ait mihi rex, qui ex verbis prætactis consideravit, quod Nehemias optaret civitatis suæ reparationem : *Pro qua re postulas? Et oravi Deum cœli,* oratione interna ac brevi, ut dirigeret me in petendo, regemque inclinaret ad consentiendum, *et dixi ad regem : Si videtur regi bonum :* quasi dicat, Tuæ discretioni totum committo; *et si placet servis tuis* *, id est septem consiliatoribus tuis tibi adstantibus, de quorum consilio omnia agis, juxta morem regum Persarum atque Medorum : ut dictum est super Esdram, et Esther primo habetur (I *Esdr.* VII, 28; *Esther* I, 13, 14.); *rogo ut mittas me in Judæam, et ædificabo eam,* scilicet urbem Jerusalem, complendo ejus reædificationem a Zorobabel inchoatam, et ab Esdra auctam, et postea minoratam. *Dixitque mihi rex et regina : Usque ad quod tempus erit iter tuum, et quando reverteris?* id est, quamdiu quæris ibi manere? Ex quo patet, quod rex et regina non libenter caruerunt præsentia tam modesti et fidelis pincernæ. Porro quid ad hanc interrogationem responderit Nehemias, non scribitur hic; sed infra recitat Nehemias, se rediisse ad regem anno regni ejus tricesimo secundo (II *Esdr.* v, 14.) : sicque absens fuit annis duodecim, quoniam anno regni ejus vicesimo abiit versus Judæam.

* alias servus tuus

Et placui ante vultum regis, et misit me. Et constitui ei tempus, et dixi ei : Si regi videtur bonum, epistolas det mihi ad duces regionis, quæ est trans flumen Euphraten, officiatos regis, *ut transducant me, donec veniam in Judæam,* id est, cum securitate me ducant usque ad loca inter Judæos reversos sita; *et epistolam ad Asaph custodem saltus,* id est silvæ *regis, ut det mihi ligna, ut tegere possim portas templi, turres domus,* id est, cooperire

Digitized by Google

summitatem templi instar turris constructi, vel turris ædificandæ prope templum pro ejus munitione, *et muri civitatis*, id est, ad operiendum portas muri, seu turres in eo fiendas, *et domum quam ingressus fuero*, id est, etiam ad tegendum domum quam inhabitabo. *Et dedit mihi rex juxta manum Dei mei bonam mecum*, id est, fecit quæ petii, secundum quod Deus gratiose et favorabiliter adfuit mihi. Præterea Josephus addit, quod Nehemias a rege dimissus, cum principibus militum atque equitibus venit Babyloniam, et secum inde duxit multos Judæorum eum sponte sequentes.

Et veni ad duces regionis trans flumen, dedique eis epistolas regis. Miserat autem rex mecum principes militum et equites. Et audierunt Sanaballat et Tobias. Hi erant hostes Judæorum, et de adventu Nehemiæ dolebant.

Consequenter in textu describitur, qualiter Nehemias ad tempus suum celavit propositum, et circuivit, consideravitque urbem et muros destructos, qualiter possent aptius reparari. Nec est difficultas in littera; tamen aliqua tangam. *Et jumentum non erat mecum, nisi animal cui sedebam*, hoc est, ego solus equitavi, et qui mecum circuibant, pedites erant. *Egressus sum ante frontem* * *Draconis*, id est locum

* *fontem*

A sic nominatum. *Non erat locus*, id est via apta ad progrediendum, *jumento cui sedebam*, quia distorta erant itinera, et ruinæ fuerunt ibidem factæ. *Et indicavi eis manum Dei, quod esset bona mecum*, id est adsistentiam et auxilium Dei prosperum mihi ab ipso concessum. *Vobis autem* Samaritanis adversariis nostris gentilibus atque idololatris, *non est pars*, id est communio neque hereditaria portio, *et justitia*, id est cultus sincerus veri Dei, *et memoria* in bono *in Jerusalem*: id est, omnino

B alieni estis a Deo et a fideli populo ejus et ab urbe Jerusalem ad divinum cultum electa.

Juxta tropologiam, prælatus cupiens reformare Ecclesiam, debet omnes ejus ruinas, deformitates et abusiones considerare, et qualiter possint ac debeant reformari, perpendere : sicque secreto suo ad tempus opportunum abscondito, debet sibi viros idoneos associare, ac suum propositum insinuare eisdem; et ipsos hortari, ut sibi cooperentur et adsistant ad reforman-

C dum collapsa, et ut confidant in Domino, certi de adjutorio ejus, dummodo quod in ipsis est, fecerint, et ne timeant adversarios boni communis; imo parati sint pro Deo, pro æquitate, pro proximorum salute, et pro bono communi persecutiones pati ac mortem subire.

ARTICULUS III

EXPOSITIO CAPITULI TERTII : ET SURREXIT ELIASIB SACERDOS MAGNUS.

Hic ipsa reædificatio civitatis Jerusalem et murorum ac portarum ejus describitur. *Et surrexit Eliasib sacerdos magnus*, id est pontifex Judæorum : qui, secundum Josephum et Magistrum in historiis, fuit filius Joachim seu Eliachim pontificis, qui Joachim erat filius Josue filii Josedec. *Et fratres ejus sacerdotes, et*

D *ædificaverunt portam Gregis*. Alia translatio continet : Ædificaverunt portam et Probaticam piscinam. Fuitque porta hæc juxta templum : per quam inducebantur greges animalium offerendorum. De piscina autem Probatica habetur apud Joannem. De hac porta quidam exponunt illud Michææ : Et tu, turris Gregis nebulosa. Ta-

Joann. v, 2-7.
Mich. IV, 8.

Digitized by Google

men sicut ibi exposui, per turrim illam intelligitur ibi ad litteram templum. Denique in hac ædificatione decuit principem sacerdotum cum suis exsistere primum, et portam construere prope templum. *Ipsi sanctificaverunt*, id est, firmiter statuerunt *eam* ad Dei honorem : nam sanctum, uno modo idem est quod firmum ; *et statuerunt valvas ejus*, id est portas ejus seu januas : quæ a volvendo nomen sortitæ sunt, quia in apertione et clausura volvuntur ac revolvuntur, et per portas cointelliguntur vectes et seræ ; *et usque ad turrim centum cubitorum sanctificaverunt eam*, id est firmaverunt, ædificando juxta eam in muro usque ad turrim centum cubitorum ab una parte, *et usque ad turrim Hananeel*, ex alia parte. Unde prædictum fuit
Jer. xxxi, 38. a Jeremia : Ædificabitur civitas Domino a turre Hananeel. *Et juxta eum*, id est prope ædificata a pontifice, *ædificaverunt viri Jericho*, hoc est oriundi ex urbe sic dicta ; *et juxta eum*, forsan ex alio latere, *ædificavit Zachur filius Amri*, incipiendo ubi dimisit Eliasib.

Portam autem Piscium, sic vocatam quia per eam copia piscium inferebatur, *ædificaverunt filii Asnaa. Et ipsi texuerunt*, id est construxerunt ; vel, *texerunt*, id est operuerunt *eam* lignis, ut et murus fortius cohæreret. Hæc porta, secundum Josephum, appellata est postea porta David, quoniam fuit ex opposito montis Sion, id est illius partis Jerusalem : quæ pars vo-
II *Reg.* v, 7, 9. cata est civitas David, ut patet secundo libro Regum. *Et juxta eos ædificaverunt*
Amos i, 1; II *Reg.* xiv, 2. *Thecueni*, id est nati ex urbe Thecua : de qua fuit Amos propheta, et mulier sapiens quam Joab misit ad David, prout secundo libro Regum describitur. *Optimates autem*, id est superiores, *eorum, non supposuerunt colla sua in opere Domini*, id est, non adjuverunt in ædificiis istis : in quo eorum negligentia et vulgarium diligentia denotantur.

Et portam Veterem ædificaverunt Joiada filius Phasea, et Mosollam filius Besodia. Hæc porta vocata est vetus, quia

A vestigia ejus apparuerunt a diebus Jebusæorum atque Melchisedech, ut in Scholastica fertur historia. *Juxta eos ædificavit Meltias ; et Maspha :* quod est hic nomen viri, *qui erat pro duce in regione trans flumen*, id est, vices ducis illius supplevit : quia ut dicitur, dux quidam trans flumen, quamvis gentilis natione, cupiebat ad ædificandum contribuere ex devotione : quod fecit per virum prædictum. *Et dimiserunt Jerusalem*, extra eam ædificando, vel eam extendendo.

B *Et portam Vallis*, per quam ibatur de civitate ad vallem Josaphat, *ædificavit Hanun. Et portam Sterquilinii*, per quam tempore pluvioso immunditiæ civitatis decurrebant in torrentem Cedron. *Portam Fontis*, quæ et infra porta Aquarum vocatur, et II *Esd.* viii, 1, 3, 1
a fonte sibi propinquo sic dicta est, *ædificavit Sellum*. Nempe portæ hic nominatæ, inveniuntur et alia nomina habere. *Princeps pagi*, id est villæ seu vici *Maspha ; et muros piscinæ Siloe in hortum regis*, id est, muros piscinæ sic nuncupatæ constru-
C xit usque ad hortum regis ; vel ædificavit muros piscinæ fluentis versus regis hortum. Dicit autem Isaias : Aquæ Siloe trans- *Is.* viii, 6
eunt cum silentio. Apud Joannem quoque Evangelistam dicitur : Vade, lavare in na- *Joann.* ix.
tatoria Siloe, quod interpretatur missus. *Et usque ad gradus qui descendunt de civitate David*. Siquidem ad civitatem Da- II *Esdr.* ii, 15; xii, 36
vid, hoc est ad arcem Sion, ascendebatur per gradus.

Post eum ædificavit Nehemias filius Azboc, usque contra sepulcrum, id est ex
D opposito sepulcri, *David* regis, qui sepultus est in civitate David, ut legitur tertio III *Reg.* ii, 10.
Regum libro, *et usque ad domum fortium*, in qua fortes regis David seu agonistæ solebant manere : non quod domus illa adhuc stetit, sed usque ad locum ubi aliquando stabat, porrigebatur ædificatio hujus. *Nathinæi autem*, qui ligna et aquas comportabant ad domum Dei, *habitabant in Ophel*, id est loco sic dicto, non remote a templo. *Sursum autem a porta Equorum ædificaverunt sacerdotes*. Hæc porta

Digitized by Google

non fuit porta civitatis, sed posita erat A ante atria templi : usque ad quam licuit equitando ascendere versus templum, atque exinde dicitur incepisse habitatio sacerdotum. Littera plana est.

Sensus mysticus. Mystice potest hoc loco per Nehemiam Christus intelligi, qui militantem ædificavit Ecclesiam. Cujus cooperatores fuerunt gloriosi Apostoli, ceterique discipuli ac prælati, prædicatores atque doctores : quorum quisque domum seu congregationem sibi commissam ædificavit exemplo et documentis. Porro, per septem portas, puta B per sex portas civitatis, et per portam Equorum, rite intelliguntur septem ecclesiastica sacramenta, per quæ ad cœleste regnum pertingitur, vel septem dona Spiritus Sancti, seu tres virtutes theologicæ et quatuor cardinales. (*Is.* XI, 2, 3.) Specialiter demum, per portam Gregis, designatur spontanea resignatio sui ipsius, et mortificatio propriæ voluntatis, seu crucifixio propriæ carnis cum vitiis et concupiscentiis (*Galat.* V, 24.) : per quæ omnia offert se homo suo Creatori, sicut per portam Gregis inducebantur pecora C immolaticia Domino offerenda. Per portam Piscium, figurata est prædicatio Evangelii, per quam homines quasi pisces capti, Christo incorporantur, qui dixit ad summum Apostolum : Ex hoc jam homines eris capiens (*Luc.* V, 10.). Per portam Veterem, intelligitur cognitio Scripturarum veteris Testamenti, per quam fides corroboratur. Per portam Fontis, effusio lacrimarum desiderio regni cœlestis, seu copia gratiarum, vel aqua sapientiæ salutaris (*Eccli.* XV, 3.). Per portam Vallis, sancta humilitas. Per portam Sterquilinii, recognitio propriæ defectuositatis et expurgatio vitiorum. Per portam Equorum, fortitudo, fervor, velocitas prædicatorum ac prælatorum, quorum est Christum undique circumferre.

Postremo, per optimates Thecuenorum non supponentes colla sua in opere Dei, recte intelliguntur, qui in Ecclesia fulgent ecclesiastica dignitate, sed per negligentiam torpent, et carnali conversatione fœdantur : qui pulchra dicunt magnaque prædicant, sed ea non exsequuntur. De quibus ait Salvator : Alligant onera gravia et importabilia, et imponunt ea super humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere (*Matth.* XXIII, 4.). Similiter nobiles et potentes, quum dicat Apostolus : Quia non multi potentes, non multi nobiles sunt inter vos; sed abjecta mundi elegit Deus, ut confundat fortia (I *Cor.* I, 26, 27.). Nam et teste Gregorio : Hos elegit Deus quos despicit mundus. De quibus ait Psalmista : In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur; ideo tenuit eos superbia (*Ps.* LXXII, 5, 6.).

ARTICULUS IV

EXPOSITIO CAPITULI QUARTI : FACTUM EST AUTEM QUUM AUDISSET SANABALLAT.

PONITUR hic unum obstaculorum, quo D adversarii Judæorum conati sunt Judæos ab ædificatione retrahere, utpote eos acriter impugnando. *Factum est autem quum audisset Sanaballat* inter Samaritanos præcipuus, *quod ædificaremus murum, iratus est valde,* invidens prosperitati ædificantium, *et dixit : Quid Judæi faciunt imbecilles,* id est infirmi? quasi dicat : Non poterunt facere aliquid magni. *Num dimittent eos gentes ?* id est, gentiles in eorum circuitu commorantes, non permittent eos opus inchoatum complere. *Sed et Tobias Ammonites proximus ejus, ait : Ædificent,* id est, non est curandum de ædificatione ipsorum. *Si ascenderit vulpes,*

Digitized by Google

transiliet murum eorum lapideum, tam bassus et debilis erit murus quem faciunt: et sic poterimus murum illum ad placitum dissipare.

Et dixit Nehemias. Hoc non est de textu. *Audi, Deus noster, quia facti sumus despectui,* id est, injuste nos contempserunt. *Converte opprobrium super caput eorum,* id est, pro eorum opprobrio quo nos aspernati sunt, puniantur a te ; *et da eos in despectionem in terra captivitatis :* id est, pro eo quod nos spreverunt injuste, nec compassi sunt reversis a captivitate, fac eos juste contemni et captivari. *Ne operias iniquitatem eorum,* id est, inultam non deseras, *et peccata eorum coram facie tua non deleantur,* id est, non tradantur oblivioni a te, donec debite castigentur; *quia irriserunt ædificantes* urbem cultus divini et templum Dei. Non ex odio, sed potius zelo justitiæ, oravit hæc Nehemias, et ut in præsenti purgarentur et castigarentur. Vel quasi prophetice loquens hæc protulit. Sic enim et in libro Psalmorum multa
Ps. LXXVIII, 12. dicuntur, ut est : Redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum, improperium ipsorum quod exprobraverunt tibi, Domine. Et
Jer. xvii, 18. Jeremias : Induc (inquit) super eos diem afflictionis, et duplici contritione contere eos. Hi autem erant infideles, et obstinati in vitiis, ac publici hostes veræ religionis ac boni communis : ideo licuit contra eos sic exorare, non odiendo naturam neque personam secundum se, sed impietatem et impios secundum quod tales.

Factum est autem, quum audissent quod obducta esset cicatrix muri Jerusalem, et cœpissent interrupta concludi, id est, interruptio muri esset reparata in rimulis et scissuris, *irati sunt nimis, et congregati sunt omnes ut venirent pariter* ad expugnandum nos. *Et oravimus Deum,* sine cujus auxilio non potuissemus illis prævalere, *et posuimus custodes super murum. Dixit autem Judas,* id est tribus seu populus Juda, aut aliquis vir notabilis Judas nomine : *Debilitata est fortitudo portantis,* id est, portantes onera sunt lassati,

A *et humus nimia est,* hoc est, terra efferenda, ut convenientius fiant ædificia, est copiosa, ita ut laboriosum sit eam efferre. Nec apta est expositio, ut per terram intelligantur calx et arena : quæ propriis poterant nominibus designari. *Et nos non poterimus ædificare,* propter hæc impedimenta. Isti cœperunt animo frangi, pusillanimitateque dejici.

Et dixerunt hostes nostri : Nesciant, donec veniamus in medium eorum, id est, improvise irruamus in ædificantes. *Fa-*
B *ctum est autem venientibus Judæis qui habitabant juxta eos,* id est prope Samaritanos, qui avisabant Nehemiam et suos de adversariorum confœderatione et proposito veniendi contra ipsum et populum suum, *statui post murum populum in ordine cum gladiis suis et lanceis,* id est in acie ordinata ad standum extra civitatem, ut se opponerent hostibus. *Et surrexi, et aio ad optimates : Nolite timere a facie eorum. Quum audissent inimici nostri nuntiatum esse nobis* de eorum insidiis
C et adventu, *dissipavit Deus consilium eorum,* ingerendo eis timorem seu dissensionem.

A die illa media pars juvenum eorum, id est prædictorum bellatorum nostrorum, *faciebat opus in muro, et media pars parata erat ad bellum,* vacans ab opere, ut esset fortis et præcincta ad pugnam, *et principes post eos,* ad dirigendum juvenes circa pugnam. *Et dixi ad optimates et reliquam partem vulgi : Deus pugnabit pro nobis,* nos confortando, et adversarios pro-
D sternendo. *Et dixi populo : Unusquisque cum puero suo,* id est ministro aut filio, *maneat in medio Jerusalem* tanquam in loco magis munito, et ubi magis necessaria sunt auxilia contra hostes, *et sint vobis vices,* id est vicissitudines seu alternationes, *per diem et noctem ad operandum,* ut scilicet una parte operante et vigilante, alia paulisper repauset. *Ego autem et fratres,* id est cognati, *mei et pueri mei et custodes, non deponebamus vestimenta nostra* de nocte, quia modicissimo somno

Digitized by Google

eramus contenti. *Unusquisque tantum nudabatur ad baptismum,* id est, solum nudavit se ad aliquantulam horam, ut juxta morem et ritum legis lavaret, et lavando purificaret se, vel corpus suum a sudoribus immunditiisque ex labore contractis lavando mundaret.

Spiritualiter, per adversarios Judæorum præfatos, intelliguntur hæretici et perversi, persecutores et tyranni, qui profectui et reformationi adversantur Ecclesiæ : contra A quos, sæculares fideles corporalibus armis armantur, et etiam divini invocatione subsidii; spirituales autem personæ, orationibus pugnant et lacrimis. Omnes quoque ædificantes et bonum Ecclesiæ promoventes, accincti sunt gladio spiritus, quod est *Ephes.* VI,
verbum Dei, ac veræ discretionis judicio. 17.
Et sicut Nehemias ac sui, propter nullam adversantium improbitatem, ab incepto opere cessaverunt, ita debemus in sanctis actibus esse constantes.

ARTICULUS V

EXPOSITIO CAPITULI QUINTI : ET FACTUS EST CLAMOR POPULI.

REPREHENDUNTUR hic ditiores Judæorum de avaritia, immisericordia, et usura circa proximos suos extenuatos Judæos. *Et factus est clamor populi et uxorum ejus magnus,* id est, mediocres pauperesque Judæi et eorum uxores, querulose et miserabiliter clamaverunt, *adversus fratres,* id est cognatos, *suos Judæos* divites et potentes, a quibus gravabantur
Exod. XXII, usuris : ita quod divites contra legem mu-
25. *Lev.* XXV, tuaverunt pauperibus sub usura, imo filios
36. 37; 39- ac filias indigentium Judæorum emerunt
46. in servos et ancillas : quod et pauperes aliqui necessitate quadam compulsi, adhuc sponte pati proposuerunt, sicut subjungitur. *Et erant* pauperes, *qui dicerent : Filii nostri et filiæ nostræ multæ sunt nimis :* ita quod eos alere non valemus; *accipiamus pro pretio eorum frumentum, et comedamus et vivamus,* id est, vendamus eos divitibus, atque pro pretio accipiamus victualia. *Et erant qui dicerent : Agros nostros et vineas et domos nostras opponamus* inopiæ nostræ, id est, venditioni seu impignorationi exponamus ad subveniendum nostræ indigentiæ. Ideo subditur, *et accipiamus frumentum in fame,* id est tempore famis seu caristiæ hujus. *Et alii* B *dicebant : Mutuo sumamus pecunias in tributa regis,* id est, unus alteri concedat pecuniam ad usuram, ut persolvamus regi tributa, *demusque agros nostros et vineas,* exponendo eos (ut tactum est) venditioni
vel impignorationi : quemadmodum in Ge- *Gen.* XLVII,
nesi leguntur fecisse Ægyptii. 16, 17.
Et nunc sicut carnes fratrum nostrorum, ita et carnes nostræ sunt, id est, corpora nostra merito essent a servitute aliena et libera, sicut et corpora divitum Judæorum, et ex eodem patriarcha Jacob sumus progeniti, C ejusdemque legis ministri. Hinc in Joanne
dixerunt Judæi : Semen Abrahæ sumus, et *Joann.* VIII,
nemini unquam servivimus. 33.
Et sicut filii eorum sunt liberi, *ita et filii nostri* merito liberi essent. Potest quoque exponi opposito modo : Sicut carnes fratrum nostrorum qui manserunt in Babylone, sunt in servitute sub rege Persarum, ita et nos sumus in afflictione : et idem de filiis illorum ac nostris.

Et iratus sum nimis ira per zelum, præsertim contra divites qui se tam im- D misericorditer et avare habuerunt circa egenos. *Cogitavitque cor meum mecum,* id est, intra me deliberavi quid dicerem, nec ex impetu locutus sum passionis; *et*

Digitized by Google

increpavi optimates et magistratus, id est superiores et judices Judæorum, *dicens: Usuras ne singuli a fratribus vestris* egenis Judæis *accipiatis**. Tanquam dicerem: In hoc peccatis enormiter, quum in Deuteronomio jussum sit, Non fœnerabis fratri tuo ad usuram. *Et congregavi adversus eos concionem,* id est congregationem, *magnam:* quatenus publice corriperentur, qui publice peccaverunt, juxta illud Apostoli: Peccantes coram omnibus argue, ut et ceteri timorem habeant.

* exigatis

Deut. XXIII, 19. — I Tim. V, 20.

Et dixi eis: Nos, ut scitis, redemimus fratres nostros Judæos qui venditi fuerant gentibus, secundum possibilitatem nostram. Quamvis enim Cyrus rex Persarum et Artaxerxes rex dimiserunt Judæos gratis, quantum ad id juris, quod habuerunt in eos ratione captivitatis eorum in regnis suis, illi tamen Judæi qui venditi erant gentilibus, redimebantur ab his quorum servi empticii erant. Sicque redemerunt multos eorum, ipse Zorobabel, Esdras et Nehemias. *Et vos ergo vendetis fratres vestros,* id est, Judæos quos emistis in servos, vendere vultis, non gratis dimittere, *et nos ememus eos?* quasi dicat: Non decet nec licet, præsertim in casu et tempore isto. Verumtamen absolute loquendo, non fuit Judæis prohibitum, filios suos ac filias vendere in famulos et ancillas, cogente penuria, Judæis divitibus. Nec divitibus illis fuit prohibitum emere illos, sed ultra sex annos ipsos tenere in servitute fuit prohibitum, juxta illud Exodi: Si emeris servum Hebræum, sex annis serviet tibi; in septimo egredietur liber gratis. Hinc a Jeremia arguuntur Judæi, quod talem libertatem non exhibuerunt servis empticiis. *Et siluerunt, nec invenerunt quid responderent:* quia in isto casu generalis afflictionis atque inopiæ, debebant proximis suis egenis gratis misericorditer subvenire.

I Esdr. I, 2-4; VII, 12-26. — Exod. XXI, 2. — Jer. XXXIV, 9-17.

Et dixi eis: Non est bona res quam facitis. Quare non in timore Dei nostri filiali aut saltem initiali *ambulatis,* custodiendo divina præcepta? quia qui timet Deum, nihil negligit; *ne exprobretur nobis ab inimicis nostris,* id est, ne adversariis subjiciamur, et ne nobis insultent: juxta illud, Ne dicant inter gentes, Ubi est Deus eorum? Principaliter tamen Deum timere et honorare debemus ex caritate ipsius, quatenus ei complaceamus et uniamur. Istud dicendum est Christianis, ut scilicet timeant Deum, et obediant ei, ne exprobretur eis ab hostibus eorum, Turcis et Sarracenis.

Eccle. VII, 19. — Ps. LXXVIII, 10.

Deinde Nehemias exemplo sui ipsius et suorum, hortatur Judæos ad liberalitatem et pietatem prætactas. *Et ego et fratres mei et pueri mei* domestici, *commodavimus plurimis,* id est, gratis concessimus multis Judæis pauperibus, *pecuniam et frumentum. Non repetamus in commune istud,* id est, communiter in hoc concordemus, quod ista sic mutuata, non repetantur ab eis qui facultatem non habent solvendi. *Æs alienum concedamus quod debetur nobis,* id est, pecuniam quæ nobis debetur a subditis ratione nostri ducatus, non exigimus nobis persolvi, sed quasi mutuatum quid relinquimus illis. *Reddite ergo eis agros suos et vineas,* etc. *Quin potius et centesimam pecuniæ,* id est centesimam partem pecuniæ, *frumenti, vini et olei, quam exigere ab eis solebatis, date pro illis,* id est, solvite pro ipsis pauperibus de bonis vestris, quum ipsi non habeant unde persolvant. Hæc centesima solvebatur regi pro tributo terræ. *Insuper et excussi sinum meum, et dixi: Sic excutiat Dominus omnem virum,* de quo loquor, *qui non compleverit verbum istud,* etc.

A die autem illa qua præceperat rex mihi, ut essem dux in terra Juda, id est per duodecim annos quibus præfui populo Judæorum ut dux, ex regis commissione, *ego et fratres mei annonas non comedimus,* id est, victum a populo non accepi, qui tamen mihi debebatur ratione ducatus mei, si exegissem. *Quin potius in opere muri ædificavi* propria manu interdum, *et agrum non emi,* quia propria commoda et divitias non quæsivi, sed Dei honorem

Digitized by Google

et bonum commune. *Judæi quoque et magistratus, centum quinquaginta viri,* qui in officiis erant et a populo sustentari solebant, *et qui veniebant ad nos de gentibus, in mensa mea erant :* et sic fui hospes liberalis, ne populus gravaretur. *Parabatur mihi,* id est pro esu meo et eorum quos reficere volui, *per dies singulos,* id est quotidie, *bos unus, arietes sex, et inter dies decem vina diversa,* id est, plura dolia vinorum diversorum infra decem dies expendi cum commensalibus meis. *Insuper et annonas ducatus mei non quæsivi. Valde enim attenuatus,* id est per paupertatem exhaustus, *erat populus* pro majori parte. *Memento mei, Deus meus, in bonum,* id est ad hoc, ut mihi misericors sis et gratiose retribuas, *secundum omnia quæ feci populo huic* Judæorum, id est secundum merita beneficiorum quæ eis exhibui propter te ; et sicut pie et liberaliter feci
Matth. vii, 2. Luc. vi, 38. eis, ita fac mecum : juxta illud, Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.

A Ex isto capitulo ad opera pietatis instruimur ; sed heu ! jam multi infelicissimi nomine tenus Christiani, Judæorum avaritiam imitantur, usuras committunt, pauperes gravant, opprimuntque subjectos, filios suos ac filias vendunt servituti peccati, et subdunt jugo diaboli, non reprimendo eos a vitiis, sed magis inducendo ad vanitates. Docentur quoque majores prælati exemplo Nehemiæ, peccantes quamvis potentes et magnos, sine personarum I Tim. v, 20.
acceptione strenue increpare, salubriter B exhortari, atque ad condignam suorum exsecutionem officiorum seriosissime admonere. Imo omnes qui præsunt, docentur hic suis subditis in temporalibus et spiritualibus, præsertim inopiæ tempore liberaliter subvenire, non otio, loquacitati, voluptative gustus et tactus vacare ; sed in omni opere virtuoso se ipsos in primis exemplares et alacres exhibere, et contentari sobrio cibo, modico potu, mediocrique somno.

ARTICULUS VI

EXPLANATIO CAPITULI SEXTI : FACTUM EST AUTEM QUUM AUDISSET SANABALLAT.

DESCRIBUNTUR hic insidiæ ipsi Nehemiæ illatæ. *Factum est autem quum audisset Sanaballat et Tobias et Gossem,* qui inter adversarios Nehemiæ erant principales, *quod ædificassem murum, et non esset in ipso interruptio,* quia jam erat integratus et continuatus ; *miserunt ad me, dicentes* simulatorie : *Veni, et percutiamus fœdus,* id est, pactum pacis et amicitiæ ineamus firmissime : ideo additur,
* alias circuitu *in vitulis**, id est, ipsum fœdus roborando per occisiones vitulorum, in signum quod morte dignus consisteret, qui pactum hoc violaret. Fuit namque antiquitus consuetudo, ut in confœderatione hujusmodi oc-

C cideretur vitulus unus aut plures, aut alia pecora, in signum firmitatis, atque ad designandum quod mortem mereretur qui fœdus transgrederetur. Hinc per Jeremiam loquitur Dominus : Dabo viros qui præ- Jer. xxxiv, 18.
varicantur fœdus meum, et non observaverunt verba fœderis, quibus assensi sunt in conspectu meo, vitulum quem conciderunt in duas partes, et transierunt inter divisiones illas. Ex quo elicitur, quod in signum firmitatis consueverunt etiam semel ire inter partes animalis occisi atque D divisi. *In campo uno**. Volebant enim Ne- * Ono
hemiam trahere extra urbem, quatenus in rure occiderent eum. Hinc subditur : *Ipsi*

Digitized by Google

autem cogitabant ut facerent malum mi- A *hi.* Deinde in littera ponitur excusatio Nehemiæ, et planus est textus.

Et misit ad me Sanaballat, juxta verbum prius, id est insidiose, sicut et ante; non tamen verba præferentia speciem amicitiæ, sed comminationis. Aliquando tamen verba amicitiæ addidit simulatorie, sicut subjungitur : *puerum,* id est ministrum, *et epistolam scriptam hoc modo : In gentibus auditum est,* id est, inter nos gentiles jam publice vulgatum est, *et Gossem,* cui tanquam viro solenni credendum B est, *dixit, quod tu et Judæi cogitetis rebellare* contra regem Persarum. *Propter quam causam et prophetas posueris, qui prædicent de te in Jerusalem,* id est, quosdam induxeris ad hoc, quod simulant se spiritum prophetiæ habere, *dicentes* quasi ex revelatione divina : *Rex in Judæa est,* id est, ex Dei voluntate Nehemias iste est rex terræ et populi hujus : ideo ei, non regi Persarum, obediatis. *Auditurus est rex hæc,* id est, percipiet ista, et indignabitur tibi; *idcirco veni, ut ineamus consi-* C *lium pariter,* qualiter possis te excusare. *Et misi ad eos, dicens,* specialiter ad Sanaballat, tanquam ad capitaneum iniquorum : *Non est factum secundum verba hæc quæ loqueris* per epistolam quam misisti. *Quam ob causam magis confortavi manus meas,* id est, tanto plus animavi me ad operandum, quanto multiplicius ac insidiosius impius ille volebat me impedire. Sic et nos debemus tanto ferventius Deo servire, vitiisque resistere, quanto importunius invisibiles adversarii nos D impugnant, aut homines pravi impedire nostrum profectum nituntur.

Et ingressus sum domum Semaiæ Judæi, quem mihi fidelem esse putavi, *qui ait : Tractemus nobiscum in domo Dei,* id est, inter nos conferamus in templo, qualiter tu, Nehemia, evadere possis pericula, *et claudamus portas ædis,* id est domus Dei, ut intra templum maneas clausus; *quia venturi sunt* Sanaballat et sui, *ut interficiant te. Et dixi,* refutando talem suggestionem : *Num quisquam similis mei fugit?* id est, numquid aliquis in Deo confidens, et quæ Dei sunt agens, fugere habet timore humano? *Et quis ut ego,* id est, quis similis mei in Dei confidentia, *ingredietur templum* fugiendo hostes, *et vivet?* ac si dicat : Si sic fugeret timore inordinato, mereretur divino privari auxilio, et occidi. Nihilo minus licitum est ex rationabili causa, et ex naturali mortis timore, præsidium fugæ assumere, et locum sacrum ac tutum intrare, sicut et David sanctus frequenter fugit a facie Saul. Non tamen id licitum est in derogationem justitiæ, atque in detrimentum boni communis, sicut in proposito isto. Ad hoc enim falsarius iste voluit Nehemiam in templo recludere, ut opus Dei negligeretur, et Nehemias notaretur de fuga formidolosa, quasi non sperans in Domino.

Et intellexi, ex divino instinctu seu consideratione industriæ meæ, *quod Deus non misisset eum,* id est, ex divina directione mihi talia non proferret. Sicque de spirituali, non locali, missione intelligitur istud, quemadmodum tertio Regum Ahias senex et cæcus dixit ad uxorem Jeroboam ad se missam : Ego missus sum ad te du- III *Reg.* XIV, 6.
rus nuntius. *Sed quasi vaticinans,* id est non vere, sed apparenter prophetans, *locutus esset ad me.* Magis enim debuerat consulere Nehemiæ, ut confidendo in Domino, præpararet se ad resistendum adversariis illis divini cultus ac boni communis, quam ut ita recluderet se. *Acceperat enim pretium,* id est pecuniam a Sanaballat, ut ita deciperet me, *et haberent malum,* id est, aliquam culpam scirent de me, *quod exprobrarent,* id est, insultarent atque objicerent, *mihi. Memento mei, Domine, pro Tobia et Sanaballat,* id est, a talibus erue me, *juxta opera eorum talia,* ut eis pœnam justam infligas, propter tam vitiosa verba eorum et gesta. Mihi autem miserearis, eo quod tanta ac talia ab ipsis injuste perpessus sim. *Sed et Noadiæ prophetæ et ceterorum prophetarum qui terrebant me,* id est, illorum pseudoprophe-

Digitized by Google

tarum volentium me perterrere, memento per debitam eorum castigationem saltem in vita hac, ne pereant in æternum.

Completus est autem murus Jerusalem *vicesimo quinto die mensis Elul :* qui dicitur esse sextus mensis apud Judæos, ac correspondere communiter partim nostro Augusto, et partim Septembri; *quinquaginta duobus diebus.* Quo constat, quam ferventer ac fortiter laboraverunt. Unde de tam expedita et celeri consummatione muri, consternati sunt adversarii, videntes hoc fieri non potuisse absque speciali Omnipotentis subsidio. Et hoc est quod subditur.

Factum est autem quum audissent, etc. *Sed et in diebus illis multæ optimatum Judæorum epistolæ mittebantur ad Tobiam,* id est, multi majores inter Judæos miserunt frequenter epistolas ad Tobiam, Samaritanum habitatione, sed Ammoniten natione, ut patet supra (II Esdr. IV, 3.); *et a Tobia veniebant ad eos* epistolæ. *Multi enim erant in Judæa habentes juramentum ejus,* id est, confœderati ei cum jurejurando, *quia gener erat,* id est, filiam habuit *Secheniæ* in uxorem : qui Sechenias fuit unus de præcipuis inter Judæos ; *et Johanan filius ejus,* puta Tobiæ, *acceperat filiam Mosollam* inter Judæos notabilis viri. Sicque per conjugia fuit inter istos Judæos et Samaritanos amicitia et confœderatio facta : quod periculosum fuit Nehemiæ, quum non sit nequior pestis, quam hostis familiaris, cui dum creditur, periculum improvise incurritur. Tamen quod dictum est, Johanan filius ejus, ad Secheniam posset referri. *Sed et laudabant eum,* puta Tobiam, *coram me,* ut inirem pactum cum illo. *Et verba mea nuntiabant ei* secrete per scripta seu nuntios.

Unde constat, quam verissime scriptum sit, Multæ tribulationes justorum (Ps. XXXIII, 20.) : quia Nehemiam justum qui tam beneficus et liberalissimus fuit in suos, imo in totum populum Judæorum, tantaque bona exhibuit eis, et pro communi eorum bono tam infatigabiliter laboravit, ita sunt persecuti, non solum Samaritani et alieni, sed et populus ejus et notabiliores eorum. Patientiam ergo discamus, nec propter quamcumque persecutionem a via justitiæ recedamus, confidentes semper in Domino. (Jer. XVII, 7.) Innotescit demum ex introductis, quod Judæi post reditum a Babylonica captivitate cito recesserunt a Domino pro magna parte : imo multa magna commiserunt peccata, ac profana contraxerunt contra legem connubia.

ARTICULUS VII

EXPOSITIO CAPITULI SEPTIMI : POSTQUAM AUTEM ÆDIFICATUS EST MURUS.

SENTENTIA hujus capituli quasi tota contenta est supra (II Esdr. II.). Præmittitur tamen hic aliquid, quod ibi non legitur. *Postquam autem ædificatus est murus* Jerusalem (Ibid. VI, 15.), prout præcedenti habetur capitulo, *et posui valvas,* id est portas seu januas, in portarum structuris seu in templo, *et recensui,* id est numeravi, *janitores et cantores* templi, *et Levitas ; et dixi : Non aperiantur portæ Jerusalem usque ad calorem solis,* id est, quousque sol notabiliter super nostrum horizontem ascendat, ita quod calor ex reflexione radiorum solarium causetur in terra. *Quumque adhuc adsisterent* mihi viri, quibus hæc dixi, *portæ* Jerusalem *clausæ sunt* ante solis occasum, *et oppilatæ,* id est obturatæ ad insultum hostium repellendum. Nam pauci adhuc in Jerusalem morabantur. *Et posui custodes* ad vigilandum per noctes, *secun-*

Digitized by Google

dum vices suas et ex opposito domorum suarum in muro. *Et non erant domus ædificatæ* ad sufficientiam.

Deus autem dedit in corde meo, id est, inspiravit mihi ut facerem quod subditur : *et congregavi optimates et magistratus et vulgus, ut recenserem eos,* id est numerarem, sicque disponerem de populatione urbis Jerusalem ; *et inveni librum census,* id est numerationis, *eorum qui ascenderant primum,* id est, cum Zorobabel de Babylonia redierunt in prima licentia a Cyro data, *et inventum est scriptum in eo,*
1 *Esdr.* II, 1 *et seq.* id est in libro illo : *Isti filii provinciæ qui ascenderunt de captivitate,* etc. Ista verba scripta sunt ab Esdra, ibique exposita, eademque summa totius multitudinis hic et ibi exprimitur ; sed quædam nomina variantur, quoniam multi eorum duo aut plura nomina habuerunt.

Nonnulli autem de principibus familiarum dederunt in opus. Hoc est quod supra scriptum est : Et de principibus pa- 1 *Esdr.* II, 68, 69.
trum, quum ingrederentur templum Domini quod est in Jerusalem, sponte obtulerunt in domum Dei ad exstruendam eam in impensas operis auri solidos sexaginta millia, etc. Verumtamen quæ ibi dicuntur quasi in generali, hic specialius exprimuntur : et ita quantum ad particulares descriptiones, differentia invenitur inter verba hujus passus atque illius.

ARTICULUS VIII

EXPLANATIO CAPITULI OCTAVI : ET VENERAT MENSIS SEPTIMUS SCENOPEGLÆ.

DESCRIPTA templi ac civitatis Jerusalem reædificatione, recitatur hic cultus Dei secundum legem in locis eisdem. *Et venerat mensis septimus* secundum Hebræorum computationem : et agitur hic de anno consummationis murorum Jerusalem. Porro quod subditur in multis codicibus, *Scenopegiæ sub Esdra et Nehemia,* non est de textu. *Congregatusque est omnis populus,* præsertim in Jerusalem habitans, aliarumque urbium principales habitatores, *quasi vir unus,* id est concorditer et perfecte, *in platea, quæ est ante portam Aquarum :* quæ supra dicta est
II *Esdr.* III, 15. porta Fontis. In cujus opposito fuit atrium templi, in quo populus confluxit ad orandum, audiendumque verbum Dei : quod quidam dicunt hic designari per plateam. *Et dixerunt Esdræ scribæ, ut afferret librum legis.*

Attulit ergo Esdras legem coram multitudine in die... Et legit Esdras *in eo aperte,* id est intelligibiliter et distincte : quia sic legi debet, præsertim divina Scriptura ; *de mane usque ad medium diem :* in quo patet fervor suæ devotionis ; die *prima mensis septimi :* in quo die fuit festum Tubarum in memoriam liberationis Isaac ab immolatione in holocaustum, quando *Gen.* XXII,
pro eo oblatus est aries, qui inter vepres 13.
cornibus hæsit, prout in Genesi scribitur. Hinc in Levitico loquitur Dominus : Mense *Lev.* XXIII,
septimo prima die mensis erit festum Tu- 24.
barum. *Et aures omnis populi erant erectæ ad librum :* quia cum diligentia et aviditate audiendum est verbum Dei juxta illud Jacobi, Sit omnis homo velox ad au- *Jacob.* I, 19.
diendum. Hinc scriptum est in Ecclesiastico : Auris bona cum omni concupiscentia *Eccli.* III,
audiet sapientiam. In hoc quoque patuit 31.
audientium fervor, quod per tot horas non lassabantur verba salubria audiendo. *Et benedixit Esdras Domino Deo voce magna,* ipsum laudando. *Et legerunt in libro legis distincte et aperte ; et intellexerunt quum legeretur,* specialiter Esdras, deinde

Digitized by Google

et Nehemias ac quidam Levitæ. Unde subjungitur :

Dixit autem Nehemias (ipse est Athersatha) et Esdras et Levitæ interpretantes universo populo, id est exponentes turbæ vulgarium quæ legebantur, vel successive, vel unus uni parti, alter alteri, secundum quod in Actis habetur : Nonne isti omnes qui loquuntur, Galilæi sunt? *Dies sanctificatus est Domino Deo nostro,* id est, dies iste ad Dei honorem solennis est. *Nolite lugere. Flebat enim omnis populus, quum audiret verba legis,* ex compunctione et contritione, quoniam verba legis audiendo, consideraverunt suas transgressiones. Nec malum fuit quod flebant, sed bonum. Melius tamen pro die illo, ut gauderent in Domino ex contemplatione bonitatis et pietatis ipsius, beneficiorumque ejus. Actus enim virtutum sunt exercendi loco et tempore opportuno. *Et dixit eis* Nehemias : *Ite, comedite pinguia, et bibite mulsum,* id est potionem ex aqua et melle confectam; vel, ut quidam exponunt, vinum melle dulcoratum; *et mittite partes his qui non præparaverunt sibi,* præsertim egenis. Sic autem fuerant admonendi, quia a mane usque meridiem audierant verbum Dei, et quia solennitas erat jucunda. *Gaudium enim Domini est fortitudo vestra,* id est, Deus per modum gaudentis se habet de vestra spirituali confortatione in omni actu virtutum, quoniam amat vos et vestram cupit salutem. Qui in Jeremia testatur : Lætabor super eis quum benefecero eis. Etenim beneplacitum est Domino in populo suo. Qui per Salomonem fatetur : Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.

(Act. II, 7. — Jer. XXXII, 41. — Ps. CXLIX, 4. — Prov. VIII, 31.)

Et invenerunt scriptum in lege, præcepisse Dominum in manu Moysis, id est per vocem et obsequium Moysis, *ut habitarent filii Israel in tabernaculis* factis de arborum ramis, *in die solenni,* id est in solennium dierum congerie, utpote septem diebus, *mense septimo.* Scriptum est enim in Levitico : A quintodecimo die mensis hujus septimi, erunt feriæ Tabernaculorum septem diebus. Quod jussum

(Lev. XXIII, 39-42.)

A fuit in memoriam beneficii Dei, quo post eductionem filiorum Israel ex Ægypto, fecit eos habitare in tabernaculis et papilionibus atque tentoriis in deserto. Idcirco in Levitico Dominus ait : Ut discant posteri vestri, quod in tabernaculis habitare fecerim Israel, quum educerem eos de terra Ægypti. *Et ut prædicent et divulgent vocem in universis urbibus suis.* Nam ex prætacto præcepto sacerdotes et scribæ erant adstricti populum Israel de hujus festi observantia informare. *Egredimini in* B *montem, et afferte frondes olivæ, et frondes ligni pulcherrimi, frondes myrti et ramos palmarum, ut fiant tabernacula, sicut scriptum est.*

(Lev. XXIII, 43.)

Et egressus est omnis populus, et attulerunt, id est, quidam de omnibus ad afferendum ramos arborum : non itaque secundo die quo audierunt istud festum esse agendum, de quo die secundo, paulo ante habetur in littera; sed appropinquante et jam imminente quintodecimo die septimi mensis, quo die fuit hoc fe- C stum incipiendum. *Feceruntque tabernacula unusquisque in domate suo,* id est in tecto plano suæ domus : quia in terra illa, tecta domorum sunt plana, et tabernacula ista sub dio fiebant; *et in atriis suis. Non enim fecerant a diebus Josue taliter filii Israel,* id est tam solenniter festum hoc Tabernaculorum : quemadmodum quarto Regum libro legitur, quod a diebus Judicum non factum fuit tale Phase, quale fecit Josias rex. Aliqui tamen dicunt, quod comparatio ista sit intelligenda secundum D quid, non simpliciter. Sed securius reor veritatem historiæ sequi et textum. Istud enim festum poterat celeberrime fieri absque notabili sumptu; et sub Esdra celebratum est cum devotione præcipua et grandi lætitia, atque a populo toto, et cum formosis variisque materiis : quia ut fertur in littera, attulerunt frondes olivæ ac ligni pulcherrimi, frondes myrti, id est arboris sic vocatæ, ramos palmarum, frondesque ligni nemorosi : in quibus omnibus sumitur singulare pro plurali.

(IV Reg. XXIII, 22, 23.)

Digitized by Google

Legit autem Esdras in libro legis per A *dies singulos* mensis istius, seu festorum ipsius, *a die primo* hujus septimi mensis, *usque ad diem novissimum* mensis ejusdem ; *et fecerunt solennitatem* Tabernaculorum *septem diebus, et in die octavo,* scilicet proxime subsequente ultimum diem solennitatis præfatæ, *collectam juxta ritum,* id est quamdam pecuniarum collectionem pro emendis requisitis in cultu templi, secundum jussionem et observantiam legis. Fuitque dies illa octava multum solennis. Sicque et in ea videtur B Esdras legisse in libro legis. Hinc in Levitico Dominus ait : Dies quoque octavus erit celeberrimus atque sanctissimus : est enim Cœtus atque collectæ. Et, ut legitur, dabant tertiam partem sicli per annum ad emendum oleum, et ad panes propositionis, ad ligna, et ad sacrificia sempiterna.

Lev. XXIII, 36.

II *Esdr.* X, 32, 33.

Moralitas. At vero de spirituali significatione festi Tabernaculorum et Collectæ, dictum est super Leviticum. Debemus equidem septem diebus, id est omni tempore incolatus vitæ præsentis in tabernaculis habitare, tanquam peregrini et hospites in deserto sæculi hujus, et virtutum virore ornari ac adspirare ad patriam, quatenus die octavo, id est octava Resurrectionis seu mox post curriculum dierum hujus exsilii, colligamur in regno cœlesti : de qua spirituali celebratione festi Tabernaculorum a Zacharia fit mysticus sermo. Insuper, ex isto capitulo instruuntur fideles diebus festivis vacare divinis et sacris sermonibus, ad ecclesiam convenire, et cum ingenti affectu verbum Dei audire : quod et singulis diebus festivis proponendum est eis intelligibiliter, distincte, aperte, plenarie. Et quamvis post hæc liceat paululum lautius refici, vitanda est tamen omnis carnalitas, superfluitas, et voluptas. Et de his quæ sobriæ supersunt refectioni, facienda est pauperibus eleemosyna liberalis, caritativa, et humilis.

Zach. XIV, 16-21.

ARTICULUS IX

EXPOSITIO CAPITULI NONI : IN DIE AUTEM VICESIMO QUARTO MENSIS HUJUS.

DEVOTIO populi sua peccata humiliter C confitentis, Deumque laudantis, et ejus beneficia grata mente recolentis, hoc loco describitur. *In die autem vicesimo quarto mensis hujus* septimi, *convenerunt filii Israel in jejunio, et in saccis, et humus super eos.* Audiendo namque quotidie legem, adverterunt enormitatem et multitudinem suorum excessuum. Festivitas autem Tabernaculorum septem durans diebus, et quintodecimo die septimi mensis inchoans, duravit usque ad diem vicesimum secundum mensis ejusdem exclusive; die autem D vicesimo secundo fecerunt collectam, et die vicesimo tertio separaverunt alienigenas a sua communione : sicque statuerunt die sequente per jejunia et confessionem ac alia humilitatis compunctionisque signa et gesta, veniam deprecari, ac gratiam emendationis in posterum implorare. Convenerunt ergo in jejunio, id est concorditer jejunantes, et in saccis, id est vestibus asperis pœnitentialibus aut cilicinis induti, et humus, id est adspersio pulverum, super capita fuit eorum.

Et separatum est semen filiorum Israel ab omni filio alienigena. Hoc quidam exponunt de separatione conjugiorum initorum inter Judæos et gentes : de qua separatione dictum est primo Esdræ libro. Alii autem exponunt de separatione eorum ab Ammonitis et Moabitis, quia in lege audie-

I *Esdr.* X.

Digitized by Google

Deut. XXIII, 3. rant : Ammonites et Moabites non intrabunt A
in ecclesiam Dei. Additur etiam in Scholastica historia, quod statuerunt et ipsa jumenta debere jejunare ; et pueros, usque ad pueros septem annorum. *Et steterunt et confitebantur peccata sua, et iniquitates patrum suorum,* quas fuerunt magna ex parte imitati : sicque et pro patribus suis defunctis orabant. Confitebantur autem peccata sua non sacramentali confessione, sicut fit in evangelica lege, sed coram Deo seu publice coram sacerdote, prout moris
Ps. XXXI, 5. fuit in lege, juxta illud Psalmi : Dixi, Con- B
fitebor adversum me injustitiam meam
Prov. XXVIII, 13. Domino. Unde et Salomon dixit : Qui abscondit scelera sua, non dirigetur ; qui autem confessus fuerit, et reliquerit ea, misericordiam consequetur.

Et consurrexerunt ad standum, ut lectionem legis audirent ; *et legerunt in volumine legis* Levitæ seu scribæ, *quater in die, et quater in nocte confitebantur.* In quo patet fervor devotionis eorum, et vigilantia magna in nocte. *Et adorabant*
Dominum. De hoc Magister in historiis C
scribit : Convenerunt octies ad audiendum legem, quater in die, et quater in nocte. Lectione terminata, prostravit se populus ad orandum, et fiebant preces super eum a sacerdotibus, et tandem benedictio sacerdotalis. Ex quibus, secundum Bedam, Ecclesia traxit exemplum. Nam supra gradum fit lectio, prout paulo post leguntur Levitæ ascendisse super gradum, et Levitæ, id est diaconi, faciunt proclamationes in populo. Octies quoque infra diem et
noctem ad ecclesiam convenitur, quam- D
vis non penitus eodem modo quo tunc. Semel enim in nocte surgimus ad noctur-
Ps. CXVIII, 62. nos, secundum illud, Media nocte surgebam ad confitendum tibi. In die vero sep-
Ibid. 164. ties psallimus, juxta illud, Septies in die laudem dixi tibi : videlicet in Laudibus, quæ consueverunt circa vel ante auroram cantari, et in Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperis et Completorio. In singulis autem Horis pro lectione dicitur Capitulare. Postea prosternimur ad preces in diebus non festis, et subditur Oratio pro benedictione.

Surrexerunt autem supra gradum Levitæ, qui in littera exprimuntur, *et dixerunt : Surgite et benedicite Domino* viventi, *ab æterno et usque in æternum :* cui in præsenti temporaliter, et in futuro æternaliter benedicunt electi ; *et benedicant* omnes rationales creaturæ, *nomini gloriæ tuæ,* id est tibi ipsi glorioso, *excelso,* id est residenti in summo cœlo ; vel, in sublimi devotione id agant. Unde et angeli
nato Christo ex Virgine cecinerunt : Glo- Luc. II, 14.
ria in excelsis Deo. *In omni benedictione,* id est plena et perfecta commendatione tuæ bonitatis et perfectionis in semetipsa, *et laude* ejusdem propter opera et beneficia sua, seu per respectum et habitudinem ad creata.

Porro quod subditur, *Et dixit Esdras,* non est de textu, sed subintelligitur, secundum eos qui dicunt totum residuum esse verbum ipsius Esdræ. Alii dicunt non esse subintelligendum, nec verba sequentia esse solius Esdræ, sed aliorum quoque confitentium Deo. Potius tamen apparet quod sint a solo Esdra prolata, approbantibus aliis. Non enim videtur quod plures simul protulerunt verba ista, sicut tres
Pueri in camino quasi ex uno ore Deum Dan. III, 51.
laudabant.

Tu ipse, Domine, solus : quoniam solus es Deus verus, non plures dii ; *tu fecisti cœlum,* id est omnes orbes cœlestes contentos sub summo cœlo, *et cœlum cœlorum,* id est cœlum empyreum quod ambit et continet cuncta creata : estque immobile et mansio Beatorum ; dictum empyreum, id est igneum, non a calore, sed splendore ; *et omnem exercitum eorum,* id est cunctos ordines supernorum spirituum. Interdum vero planetæ ac sidera vocantur cœli militia : unde quarto libro Regum le-
gitur Manasses adorasse omnem militiam IV Reg. XXI, 3.
cœli. Juxta quem modum possent dici exercitus cœli ac orbium. *Terram et universa quæ in ea sunt :* quæ sunt creata et facta a Deo, tanquam a prima causa mediate vel

Digitized by Google

immediate; *maria et omnia quæ in eis* A *sunt; et tu vivificas omnia hæc.* Non est hoc intelligendum juxta quorumdam insaniam, quod totus mundus sit unum animal, cujus partes sint quatuor elementa, et reliqua animata sint, vel quod Deus sit anima mundi aut omnium vita formalis; sed omnia hæc, id est quædam de his omnibus, vivificat Deus, aut certe metaphorice vivificat omnia, dando singulis aliquam operationem, motum seu inclinationem ad proprium finem. Vivum namque vocatur, quod movet se ipsum. *Et exercitus cœli,* B id est universitas cœlestium civium, *te adorat.* Qui autem dicunt corpora cœlestia esse animata, affirmant exercitum cœli, id est universitatem planetarum, stellarum, orbiumque cœlestium Deum proprie adorare. Et quamvis dicantur non esse animata, attamen adorant Deum materialiter, quoniam sua eminentia, claritate et perfectione ostendunt Creatorem suum esse adorandum. Juxta quem modum cuncta creata Deum benedicere et laudare dicuntur. (Dan. III, 57 et seq.) C

Tu elegisti Abram per prædestinationem ab æterno, et tempore præordinato vocasti eum ad tuum obsequium, atque ad terram promissam. Hinc subditur: *Et eduxisti eum de igne Chaldæorum.* In Genesi legitur Abram exisse de Ur Chaldæorum (Gen. XI, 31): ubi per Ur, secundum quosdam, intelligitur villa seu locus nativitatis habitationisque Abram in Chaldæa. Alii asserunt per Ur intelligi ignem, dicentes ipsum Abram fuisse projectum in ignem de præcepto Nemrod, eo quod ignem noluerit adorare, et D quod divina virtute exivit illæsus de igne. Cui dicto videtur hæc littera consonare. Posset tamen per ignem, tribulatio magna quam in Chaldæa toleravit, intelligi. Unde dicit Judith (Judith VIII, 22): Abraham tentatus est, et per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est. *Et posuisti nomen ejus Abraham,* id est, eum qui antea vocabatur Abram, quod interpretatur pater excelsus, vocasti Abraham, quod interpretatur, pater multarum gentium, dicens ad eum (Gen. XVII, 5): Nec ultra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium constitui te. *Et invenisti cor ejus fidele coram te.* Quia in adversis et prosperis tibi constanter adhæsit, et fuit in fide præcipuus, qui contra spem in spem credidit (Rom. IV, 18).

Et vidisti afflictionem patrum nostrorum in Ægypto, dicens ad Moysen (Exod. III, 7, 8): Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, et clamorem ejus audivi; et sciens dolorem ejus, descendi ut liberarem eum. *Clamorem eorum audisti super mare Rubrum:* juxta illud Exodi (Ibid. XIV, 10), Clamaverunt filii Israel ad Dominum. *Ad montem quoque Sinai descendisti:* (Ibid. XIX, 18, 20; XX, 1-17, 22; Act. VII, 38) non locum mutando, sed mirabilia ibi agendo; et per creaturam subjectam, quia per angelum in tua persona apparentem et loquentem apparuisti. Propterea subditur: *et locutus es cum eis de cœlo* aerio. Quamvis enim angelus loqueretur Moysi tantum, non populo, decem tamen præcepta Dominus per angelum dedit, et protulit toto illo populo audiente, sicut in Exodo et Deuteronomio legitur. Unde Moyses ait ad populum (Deut. IV, 32, 33): Interroga si facta est aliquando hujusmodi res, aut unquam cognitum, ut audiret populus vocem Dei loquentis de medio ignis, sicut tu audisti. *Et dedisti eis judicia recta,* id est judicialia præcepta veraciter justa, *et legem veritatis,* id est legem Mosaicam, in qua nihil est falsitatis, et ea quæ credenda sunt, proponuntur, ac veritas de Deo et creaturis docetur, *cærimonias,* id est præcepta cærimonialia, *et præcepta bona,* videlicet præcepta moralia; *et sabbatum sanctificatum ostendisti eis,* jubendo ut diem septimum celebrarent (Exod. XX, 8, 10).

Ipsi vero et patres nostri superbe egerunt, per rebellionem contra te et Moysen, qui loquitur eis (Deut. I, 43): Locutus sum, et non audistis; sed adversantes imperio Domini, et tumentes superbia, ascendistis in montem. *Et dederunt caput,* id est, cor suum inclinaverunt, *ut reverterentur ad servitutem suam* pristinam in Ægypto, atque ad consuetum jugum diaboli, obse-

Num. xiv, 3, 4. quiumque peccati, dicentes : Utinam pereamus, et non inducat nos Dominus in terram istam, ne cadamus gladio. Nonne melius est reverti in Ægyptum? Dixeruntque alter ad alterum : Constituamus nobis ducem, et revertamur in Ægyptum. *Et quidem quum fecissent sibi vitulum conflatilem :* Exod. xxxii, 1. quia Aaron compulerant, ut per manum artificum formaret imaginem vituli; *et dixissent : Iste est Deus tuus,* o Israel, *qui te eduxit de Ægypto*. In Exodo Ibid. 4. leguntur dixisse : Hi sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti. Quomodo ergo hic narrantur in singulari dixisse, Hic est Deus tuus? Respondetur, quod ibi plurale pro singulari sumpserunt, ut sæpe fit in Scripturis. *Feceruntque blasphemias magnas,* Ibid. 6. sacrificantes idolo vano, et illud Deum vocando, atque in circuitu ejus choreas ducendo et concinendo, juxta quod legitur : I Cor. x, 7. Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere.

Et spiritum tuum bonum dedisti, qui duceret * *eos :* (* alias doceret) quod intelligi potest de angelo sancto, qui columnam nubis et ignis movendo, rectum eis iter ostendit. Unde in Exodo Dominus dixit : Exod. xxiii, 20. Ecce ego mittam angelum meum, qui præcedat te et custodiat in via. Potest quoque intelligi de Spiritu Sancto, quem Dominus infudit Moysi ductori ipsorum, ut tam caritative et mansuete perduceret perversum populum illum : qui Spiritus per mirabilia multa ipsos præcessit. Nam in Exodo legitur Moyses exorasse : Ibid. xxxiii, 15. Si non tu ipse præcedas nos, ne educas nos de loco isto, etc. De quo Spiritu ait Propheta : Ps. cxlii, 10. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. *Nihilque eis defuit* de necessariis vitæ. Interdum tamen ad tempus sustinuerunt penuriam, famem, sitim, sed misericorditer et celeriter eis providit. *Vestimenta eorum non inveteraverunt, et pedes eorum non sunt attriti,* id est læsi aut lassitudine afflicti. Hoc est quod in Deuteronomio scriptum est : Deut. xxix, 5. Adduxit vos per desertum quadraginta annis ; non sunt attrita vestimenta vestra, nec calceamenta pedum ve-

A strorum vetustate consumpta sunt : quod fuit grande miraculum. Quod vero hic dicitur, Pedes eorum non sunt attriti, ponitur contentum pro continente. Vel intelligendum est de justis : quibus et manna sapuit sicut volebant, secundum illud Sapientiæ, Ad quod quisque volebat, convertebatur. Sap. xvi, 21. Perversi autem fatigabantur, juxta illud Numerorum : Ortum est murmur populi quasi dolentium pro labore. Num. xi, 1. Et rursus in libro eodem : Cœpit tædere populum itineris ac laboris. Ibid. xxi, 4. *Et dedisti eis regna,* id

B est regiones, imo terras triginta unius regum, in terra promissionis, ut Josue dicit, Josue xii, 24. *et populos* eis subjecisti.

Provocaverunt autem te ad iracundiam: non concitando in te immaterialissimo Deo aliquam passionem, turbationem, aut alterationem, sed ad justæ ultionis effectum seu æquitatis rigorem, sicut per Jeremiam testatus es : Numquid me ad iracundiam provocant? Jer. vii, 19. nonne semetipsos, in confusionem vultus sui? *Et in tempore tribulationis suæ clamaverunt ad te, et*

C *dedisti eis salvatores.* Judic. iii, 9, 15; iv, 3; vi, 7, etc. Hoc frequenter factum est tempore judicum, ut ex historia libri Judicum elucescit. Scriptum est enim : Suscitavit Dominus judices qui liberarent eos. Ibid. ii, 16, 18. Quumque suscitaret judices, flectebatur misericordia, et audiebat afflictorum gemitus, et liberabat eos de cæde vastantium. *Quumque requievissent,* id est, cessationem ab hostium impugnatione habuissent, *reversi sunt* ad pristina vitia ac pejora. *Conversique sunt rursum ad te,* vexatione eis intellectum præstante, Is. xxviii, 19. *et li-*

D *berasti eos :* quod sæpius accidit sub diversis judicibus. Hinc in libro Judicum inducitur : Quumque mortuus esset judex, Judic. ii, 19. revertebantur, et multa majora (id est pejora) faciebant. *Et dederunt humerum recedentem,* id est, onus præceptorum tuorum super se ferre recusaverunt, juxta illud Zachariæ : Noluerunt attendere, et avertefunt scapulas recedentes. Zach. vii, 11, 12. Cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem.

Et protraxisti, id est prolongasti, *super eos annos multos,* id est, multis annis eo-

Digitized by Google

rum punitionem et captivitatem distulisti, A *et contestatus es eos in spiritu tuo,* id est, per revelationem propheticam a Prophetis prolatam sub testimonio veritatis, prænuntiasti et comminatus es eis flagella et adversa instantia. Unde per Jeremiam sæpe locutus est : Misi ad vos omnes servos meos Prophetas, ut reverteretur unusquisque a via sua mala. *In misericordiis autem tuis plurimis non fecisti eos in consumptionem,* id est, ex magna et infinita misericordia tua noluisti eos omnino disperdere, exstirpare, exstinguere, sed reliquias reservasti ex eis : sicut in Ezechiele sæpe habetur. Unde per Jeremiam Dominus dixit : Castigo te in judicio, ut non tibi videaris innoxius ; non autem te faciam in consummationem.

Jer. VII, 25; XVIII, 11, etc.

Ibid. XXX, 11.

Nunc itaque, Deus magne, fortis et terribilis, ne avertas a facie tua omnem laborem qui invenit nos : id est, tribulationes, quas pro peccatis nostris incurrimus, misericorditer intuere, et per eas nobis ignosce, ac de cetero pacem et prosperitatem concede, quia post tempestatem facis tranquillum, et post fletum exsultationem infundis, et quum iratus fueris, misericordiæ recordaberis, nec vindicas bis in id ipsum ; *a diebus regis Assur,* id est regis Assyriorum, puta Sennacherib, qui valde vexavit sanctum regem Ezechiam et populum ejus. Filius quoque regis illius captivavit Manassen filium Ezechiæ, ut secundo libro Paralipomenon legitur. *Et ipsi in regnis suis,* id est reges nostri in regionibus terræ promissionis, videlicet in Judæa, Galilæa, Samaria et aliis, *non servierunt* D *tibi,* loquendo de regibus Israelitici populi multis, non omnibus. *Ecce nos ipsi hodie servi sumus,* id est subjecti jugo regis Persarum, *et tributarii,* quantum ad vulgus. *Et fruges ejus multiplicantur regibus quos posuisti super nos,* id est, blada terræ nostræ pro magna parte deveniunt in usum regum gentilium, qui præsident nobis, *propter peccata nostra ; et corporibus nostris dominantur et jumentis :* quia oportet ut serviamus eis, quum jusserint, in propriis personis et cum nostris ju- B mentis; mens tamen tali servituti non est obnoxia.

Tob. III, 22.

Habac. III, 2.

IV *Reg.* XVIII, 13 *et seq.*

II *Par.* XXXIII, 11.

Super omnibus ergo his, etc., id est, de omnibus prædictis peccatis firmiter proponimus nos emendare, et de hoc *percutimus fœdus et scribimus,* id est, litteram testimonialem conficimus, *et signant,* id est, sigilla apponunt pro se et populo, *principes nostri,* in testimonium veritatis, ut inexcusabiles inveniamur, nisi egerimus ita.

Præterea possent hæc omnia spiritualiter C interpretari ; sed sicut litteralis horum sensus præhabitus est in Scripturis præallegatis, ita et eorumdem mysticus intellectus : ideo prolixitatem devitans, pertranseo. Sed pensemus, qualiter vexatio præstet intellectum auditui. Etenim quidam convertuntur ad Dominum, introeunt claustrum, obsequuntur Altissimo ex sincero bonitatis et virtutis affectu seu Dei intuitu et amore ; quidam, desiderio præmii ; alii, timore supplicii. Primum est optimum ; secundum, commendabile ; tertium, dispositivum ad promerendum.

Is. XXVIII, 19.

Digitized by Google

ARTICULUS X

DECLARATIO CAPITULI DECIMI : SIGNATORES AUTEM FUERUNT NEHEMIAS ATHERSATHA FILIUS HACHELAI, ETC.

II *Esdr.* IX, 38. *SIGNATORES autem*, id est sigillatores litteræ nostræ pactionis, de qua in fine præcedentis habetur capituli, *fuerunt : Nehemias*, qui alio nomine dictus est *Athersatha :* qui fuit sacerdos, sicut et ceteri in textu consequenter expressi, qui secum sigillaverunt. Deinde nominantur in littera Levitæ et capitanei signatores. *Ut ambularent*, id est conversarentur, *in lege Domini*. Et explicantur quædam in singulari, quæ promiserunt servare, quum subditur : *et ut non daremus filias nostras* in uxores *populo terræ*, id est Samaritanis, ceterisve gentilibus. Secundum fuit, quod non emerent aliquid a gentibus, venalia sua portantibus in die sabbati, neque in alia die sanctificata, id est solenni. Et hoc est quod dicitur : *Populi quoque terræ qui important venalia, non accipiemus ab eis sabbato*, etc. Cur ergo Christiani suas mercationes non relinquunt diebus dominicis et festivis ? *Dimittemus annum septimum*, id est, agros nostros non seminabimus saltem ad proprium usum tantum septimo
Lev. XXV, 3, 4. anno, juxta illud Levitici : Sex annis seres agrum tuum, et sex annis putabis vineam tuam, et colliges fructus ejus. Septimo anno sabbatum erit terræ requietionis Domini : agrum non seres, et vineam non putabis. *Et statuemus super nos præcepta*, hoc est, observantiis præceptorum subjiciemus corda nostra, *ut demus tertiam partem sicli per annum*, id est, quolibet anno quivis qui habet, offerat tertiam par-
II *Esdr.* VIII, 18. tem sicli : quæ pecunia colligebatur die sequente ultimam diem festi Tabernaculorum, sicut istud expositum est supra.

Sortes ergo misimus super oblationem lignorum inter sacerdotes et Levitas et populum, ut inferrent in domum Dei nostri : id est, per sortium eventum quæsivimus determinationem et certificationem, quis, quando et qualiter deberet adducere ligna, quibus nutriendus fuit ignis in altari holocaustorum jugiter ardens : quæ ligna apponere igni, ad sacerdotes spectabat, juxta illud : Ignis in altari semper ar- *Lev.* VI, 12.
debit, quem nutriet sacerdos, subjiciens ligna mane per singulos dies. Levitæ vero sacerdotibus subserviebant. Adducere *Josue* IX,
autem ligna ad hoc, fuit Nathinæorum of- 21, 27.
ficium, ut legitur in Josue libro ; sed solutio pretii pro hujusmodi lignis, pertinebat ad populum.

Et ut afferremus primogenita terræ nostræ, id est, primos seu primitivos fructus *Lev.* XXIII,
agrorum nostrorum adduceremus ad offe- 10 ; *Deut.* XVI, 9, 10;
rendum hos Domino : quemadmodum in XXVI, 2.
Levitico et Deuteronomio legitur ; *et primitiva fructus omnis ligni*, id est primos arborum fructus qui erant Domino offerendi, *et primitiva filiorum nostrorum*. Primogeniti enim omnium tribuum Israel, *Exod.* XIII,
dempta tribu Levi, offerebantur Deo in 2, 13.
templo, et statim redimebantur pretio. Nempe ex tempore quo Dominus percussit omne primogenitum in terra Ægypti, sanctificavit sibi seu offerri deputavit omne primogenitum filiorum Israel, tam in hominibus quam in jumentis, prout in Exodo legitur. *Et pecorum nostrorum*. Primoge- *Num.* XVIII,
nita enim pecorum secundum legem offe- 17, 18.
ribilium, immolabantur, atque in usum sacerdotum venerunt. Primogenitum au- *Exod.* XIII,
tem asini interficiebatur, vel ove commu- 13.
tabatur. Sed primogenita canum occideban- *Deut.* XXIII,
tur, et ceterorum animalium primogenita 18. *Num.* XVIII,
pretio redimebantur. *Et primitias ciborum* 15.

Digitized by Google

nostrorum et libaminum, id est potuum, *et decimam partem terræ nostræ,* id est terræ nascentium, dabimus *Levitis :* qui sustentabantur decimis, sicut sacerdotes sacrificiis.

Erit autem sacerdos de filiis Aaron, cum Levitis in decimis Levitarum, id est, aliquis sacerdos ex semine Aaron natus aderit, dum Levitæ a populo accipiunt decimas ; *et Levitæ offerent decimam partem decimæ suæ.* Levitæ namque solvebant decimam decimarum pontifici, id est decimam partem decimarum eis a populo præstitarum.

Num. xviii, 21. — *Ibid. 26, 28.*

ARTICULUS XI

EXPOSITIO CAPITULI UNDECIMI : HABITAVERUNT AUTEM PRINCIPES POPULI IN JERUSALEM.

RECITATUR hic, qualiter civitas Jerusalem reædificata, fuerit populata. *Habitaverunt autem principes populi in Jerusalem,* id est, principales Judæorum in ipsa metropoli habitaverunt : qui erant aptiores defendere eam ab hostibus, qui in circuitu morabantur, et eam demoliri optabant, ac sæpius infestabant. *Reliqua vero plebs* de tribubus Juda, Levi ac Benjamin, *misit sortem, ut tolleret unam partem de decem,* id est, de decem viris unus moraretur in urbe Jerusalem, *novem vero partes,* id est ceteri, habitarent *in civitatibus* Judææ. *Benedixit autem populus omnibus viris, qui se sponte obtulerant ut habitarent in Jerusalem :* quoniam periculosius fuit habitare in ea, eo quod gentiles per gyrum specialiter conarentur ipsam Jerusalem devastare : ideo populus commendavit eos, et bona ipsis imprecabatur, qui voluntarie elegerunt commorari in ea.

Habitavit autem unusquisque in possessione sua in urbibus Israel, sacerdotes, Levitæ, Nathinæi, et filii servorum Salomonis. Istud exponitur de prætactis jam hominibus, qui non erant necessarii ad populationem custodiamque Jerusalem : ideo permissi sunt habitare in oppidis, in quibus vel ipsi, vel patres eorum antea habitaverunt. Quod etiam intelligendum est de Israelitis natis ex novem tribubus, qui manus evaserunt Assyriorum, et ad Ezechiam confugerunt, ac postmodum cum populo regni Juda a Chaldæis capti fuerunt : quorum posteri redierunt cum populo Juda a Babylonica captivitate, nec compulsi sunt in Jerusalem habitare.

Et in Jerusalem habitaverunt de filiis Juda et de filiis Benjamin hi qui exprimuntur in textu, qui expositione non indiget, quantum ad illos. Deinde nominantur sacerdotes et Levitæ, qui in Jerusalem habitaverunt. *Et episcopus Levitarum in Jerusalem, Azzi filius Bani.* Vir iste vocatur episcopus Levitarum per participationem episcopalis officii, et quantum ad id a quo nomen imponitur. Episcopus namque dicitur quasi superintendens : et sic iste fuit specialiter præfectus Levitis, tanquam eorum præpositus et provisor. Nec fuit pontifex Judæorum. *De filiis Asaph* erant *cantores in ministerio domus Dei.* Asaph quippe fuerat unus principalium cantorum a David institutorum, ut primo Paralipomenon scriptum est. Ideo posteri ejus fuerunt cantores in cultu templi et laudibus Dei. *Præceptum quippe regis super eos erat :* id est, ex ordinatione et jussione David regis antiqua, debebant sic esse dispositi et psallentes ; *et ordo in cantoribus per singulos dies,* id est, cantores successive in vice et ordine suo suum fecerunt officium ordinate. *Et Pha-*

I Par. xv, 5, 7.

Digitized by Google

thahia in manu regis, id est secundum prætactam David regis institutionem, *juxta omne verbum populi,* id est, secundum quod populus approbaverat, ut juxta sortium eventum habitarent, et suum officium exercerent in Jerusalem.

De filiis Juda, etc. Hic nominantur urbes ad tribum Juda pertinentes, in quibus reliqui de tribu illa habitaverunt. *Filii autem Benjamin,* etc. Hic idem ostenditur A de Benjamin tribu, quia exprimuntur hic urbes tribus illius, in quibus habitaverunt filii Benjamin, qui in Jerusalem non sunt commorati. *Et de Levitis partitiones Judæ et Benjamin,* id est, Levitæ et sacerdotes non deputati habitare in Jerusalem, manserunt in civitatibus tribuum Juda ac Benjamin : quæ sequestratæ et assignatæ fuerunt sub Josue pro habitatione sacerdotum ac Levitarum, ut legitur in Josue codice. *Josue* XXI.

ARTICULUS XII

EXPOSITIO CAPITULI DUODECIMI : HI SUNT SACERDOTES ET LEVITÆ QUI ASCENDERUNT.

DEDICATIO civitatis Jerusalem et murorum ejus, describitur hic. Fuit enim hæc civitas Deo specialiter consecranda et ejus cultui deputata, quia in ea fuit studium legis, templum et loca sacrificiorum ac divini obsequii, habitatio sacerdotum præcipuorum ac principum. Et quia dedicatio illa facta est multum solenniter, confluentibus ad eamdem universis sacerdotibus ac Levitis, idcirco præmittitur sermo de sacerdotibus et Levitis, a principio ex licentia regis Cyri reversis.

Hi sunt autem sacerdotes et Levitæ qui ascenderunt de Babylonia ad Judæam *cum Zorobabel : Josue,* id est Jesus pontifex, filius Josedec pontificis : qui Josedec (ut primo Paralipomenon legitur) a Chaldæis ductus est in Babylonem, ejusque filius Josue cum Zorobabel rediit, et pontificis officio functus est; *Saraia, Jeremias, Esdras,* quem aliqui dicunt esse hunc Esdram auctorem libri præcedentis, dicentes quod primo rediit cum Zorobabel, postea ad regem Persarum redierit pro pluribus Judæis reducendis et pro privilegiis impetrandis. Alii potius opinantur, quod iste sit alius Esdras : quia verisimile est, quod illum Esdram Scriptura statim nominasset post Josue pontificem, et quod in descriptione eorum qui B cum Zorobabel redierunt, ipse fuisset nominatim expressus : quod non est factum, ut patet in libro Esdræ. Et de hac re dictum est supra in Esdræ expositione. *Isti principes sacerdotum,* non quod omnes fuerint pontifices, sed Josue tantum tempore illo. Ideo principes sacerdotum dicuntur, id est principales inter sacerdotes: sicut et David sub pontifice ordinavit viginti quatuor sacerdotes majores, prout primo Paralipomenon continetur. *Et fratres eorum, sacerdotes* minus principales, C *in diebus Josue* pontificis memorati. *Porro Levitæ,* qui redierunt cum Zorobabel, fuerunt *Jesua,* et ceteri qui exprimuntur in littera.

(Par. VI, 15.) (I *Esdr.* II, 2.) (I *Par.* XXIV.)

Consequenter linea generationis sacerdotum describitur. *Josue autem* pontifex *genuit Joachim,* quem Judith vocat Eliachim, sub quo et historia Judith creditur contigisse. *Et Joachim genuit Eliasib,* de quo dictum est ante; fuitque pontifex tempore quo Nehemias cœpit muros Jerusalem reædificare. *Et Eliasib genuit Joiada,* quem Josephus vocat Judam, quia binomius fuit. D *Et Joiada genuit Jonathan,* qui a Josepho Joannes vocatur : de quo forsan intelligendum est illud Machabæorum, Orationem faciebant sacerdotes, Jonatha inchoante,

(*Judith* IV, 5, 7, 11.) (II *Esdr.* III, 1.) (II *Mach.* I, 23.)

Digitized by Google

II *Mach.* I, 24-29. quando et Nehemias specialem fecit orationem, ut secundo Machabæorum libro habetur. *Et Jonathan genuit Jeddoa*, quem Josephus nominat Jaddum : qui Jaddus, Ant. Jud. lib. XI, c. 8. secundum eumdem, obviavit in pontificalibus Alexandro Magno, ut suo loco Deo præstante narrabitur.

In diebus autem Joachim pontificis jam præfati, *erant sacerdotes* (qui fuerunt *et principes familiarum*, id est præcipui sacerdotalium familiarum) qui exprimuntur in textu. *Levitæ in diebus*, id est tempore pontificatus, *Eliasib, et Joiada, et Johanan*, qui paulo ante vocatus est Jonathan, *et Jeddoa, scripti principes familiarum*, id est descripti principales in familiis Leviticis, quæ ab eis duxerunt originem : quorum descriptio non venit ad nos; *et sacerdotes in regno Darii Persæ*, id est regnante Dario rege Persarum, qui templi inchoa- I *Esdr.* VI, 7, 8. tionem jussit compleri, ut patuit in Esdra. *Filii Levi principes familiarum* Leviticarum, *scripti in libro Verborum dierum*, id I *Par.* VI, 1 *et seq.* est Paralipomenon, ubi primo libro descripti sunt in sua radice, hoc est in patribus suis, non in propriis nominibus : qui manserunt in vita, saltem pro parte, *usque ad dies Jonathan* pontificis *filii Eliasib :* ita tamen, quod immediatus pater istius Jonathan fuit Joiada, sicut jam patuit. *Et principes Levitarum*, id est præcipui et nobiliores inter Levitas : *Hasebia, et Serebia*, etc., *et fratres eorum per vices suas*, id est juxta suæ successionis ordinem in suo obsequio, *ut laudarent* Deum, *et confiterentur* beneficia ejus, ac sua populique *Ibid.* XVI, 4 *et seq.* peccata, *juxta præceptum*, id est ordinationem et jussionem *David regis*, primo libro Paralipomenon scriptam, *et observarent æque per ordinem*, id est, successive exsequerentur sua officia æqualiter, unusquisque in tempore suo. *Mathania*, et ceteri qui sequuntur in textu, fuerunt *custodes portarum* templi *et vestibulorum ante portas. Hi*, supple, fuerunt, *in diebus Joachim* pontificis et reliquorum qui in textu ponuntur.

Sequitur de ipsa murorum et civitatis A Jerusalem dedicatione. *In dedicatione autem*, id est instante dedicatione, atque ad faciendum solenniter dedicationem *muri Jerusalem, requisierunt*, id est convenire fecerunt, *Levitas de omnibus locis suis, ut adducerent eos in Jerusalem. Et mundati sunt sacerdotes et Levitæ, et mundaverunt populum et murum.* Porro sacerdotum tanquam superiorum purgatio fiebat per corporum et vestium lotionem, per orationes, jejunia, continentiamque ad tempus ab uxorum amplexu, et per adspersionem B aquæ lustrationis, ac per sacrificia quædam. Interdum tamen ad purgationem eorum non concurrebant hæc omnia. Levitæ autem faciliori ritu mundabantur, quam II *Par.* XXIX, 34. sacerdotes, quemadmodum secundo libro Paralipomenon legitur, videlicet per adspersionem aquæ lustrationis, orationes et lotiones et alia quædam ; non tamen in omnibus fiebat mundatio uno modo. Sacerdotes vero et Levitæ sanctificabant populum, sacrificando et orando pro ipso, adspergendoque eum aqua præfata : de C qua in Numerorum libro scribitur. Murum *Num.* XIX. vero sanctificabant aquæ istius adspersione.

Ascendere autem feci ego Nehemias, cujus sunt verba hæc, *principes Juda super murum, et statui duos choros magnos laudantium* Deum, divisos ab invicem. *Et ierunt ad dexteram super murum*, primus chorus, et principes quidam eos sequentes, sicut in textu subjungitur : quos et Esdras dicitur præcessisse, secundum quod infra habetur : Esdras scriba ante eos in D porta Fontis. Laudabantque Deum *in vasis cantici David*, id est in musicis instrumentis, in quibus ordinavit David psalmos I *Par.* XVI, 4-6, 42; XXIII, 5. et cantica decantari. *Et contra eos ascenderunt in gradibus civitatis David.* Civitas namque David et templum fuerunt in alto sita, ita quod per gradus ascendebatur ad templum : sicque aliqui ab inferioribus ascendebant usque ad murum obviam venientibus per eumdem. *Et chorus secundus gratiam referentium* Deo de reparatione civitatis et murorum ac templi,

Digitized by Google

ibat ex adverso, videlicet circumeundo per partem muri oppositam, quousque sibi invicem obviarent in reditu circa templum; *et media pars populi super murum* ibat, cum isto secundo psallentium choro, cum quo ivit una pars principum, atque pars populi sequens eos : propter quod dicitur ibi fuisse pars media populi; *et super,* id est prope, *turrim Furnorum :* juxta quam dicuntur fuisse fornaces; *et usque ad murum latissimum,* id est eam partem muri, quæ spissior fuit, eo quod ex illa parte poterat major impugnatio et periclitatio imminere civitati ; *et super portam Ephraim,* id est juxta portam sic dictam, quia fortassis respexit ad terram et sortem tribus Ephraim, ac juxta ceteras portas, quæ consequenter nominantur in littera, *usque ad portam Gregis* sitam juxta templum, ut dictum est supra; *et steterunt in porta Custodiæ,* quæ fuit prope atrium templi. *Steteruntque duo chori psallentium* * *in domo Dei, et ego, et dimidia pars magistratuum mecum* juxta chorum unum. *Et sacerdotes,* puta *Eliachim* pontifex, qui jam vocatus est Joachim, *Maasia,* et alii qui nominantur in littera. *Et immolaverunt victimas magnas.*

Esdr. III.

* laudantium

Recensuerunt quoque in die illo viros super gazophylacia thesauri : id est, ordinaverunt et numeraverunt viros fideles pro custodia arcarum seu receptaculorum, in quibus colligebantur quæ pro sustentaculo vitæ sacerdotum ac Levitarum offerebantur; *ad libamina,* id est ad recipiendum ibi liquida offerenda, quæ in usum ministrorum templi venerunt, *et ad primitias,* quæ sacerdotibus solvebantur, *et ad decimas,* quæ Levitis; *ut introferrent per eos principes civitatis,* id est, ut ipsi principes inducerent sacerdotes atque Levitas ad ministrandum in templo, et ad commorandum in ejus circuitu, habita ibi competenti provisione, *in decore gratia-*

A *rum actiones* *, id est cum devota ac pulchra regratiatione ac laude divina; *quia lætatus est Juda,* id est populus tribus Juda ac Benjamin, *in sacerdotibus et Levitis adstantibus,* id est devotione, ornatu et obsequio adstantium sacerdotum ac Levitarum.

* actionis

Et custodierunt observationem Dei sui, id est, præcepta a Deo observari jussa adimpleverunt, *et* specialiter *observationem expiationis,* id est purgationis qua se ipsos ac populum purificabant. Oportet B enim in primis purificare se ipsum, quoniam caritas incipit a suo subjecto; et in Ecclesiastico scriptum est : Ab immundo quid mundabitur? *Et cantores et janitores juxta præceptum David et Salomonis,* qui multa ordinaverunt observanda in cultu Dei ac templo, atque in ordine ministrorum ; *quia in diebus David et Asaph,* qui fuit propheta, *ab exordio,* quo duo chori psallentium ordinati fuerunt a David in tabernaculo Dei, *erant principes constituti cantorum in carmine laudantium et confi-* C *tentium Deo,* id est carminibus, psalmis et canticis Deo jugiter decantandis, prout primo libro Paralipomenon diffuse describitur.

Eccli. XXXIV, 4.

I Par. XVI.

Et sanctificabant Levitas, hoc est, populares aptabant ipsos Levitas ad obsequium, providendo eis necessaria vitæ ad ministrandum pro populo; dando quoque Levitis decimas, ostendebant se eis inferiores. *Et Levitæ sanctificabant filios Aaron,* id est sacerdotes, quibus se fatebantur inferiores, ac subserviebant in cultu D Dei : sicque reddebant ipsos sacerdotes ad divini cultus obsequia aptos et expeditos, sed et pontificibus decimas decimarum suarum solvebant. Loquendo autem de sanctificatione consecrationis, superiores sanctificant eos qui inferiores consistunt, dicente Apostolo : Sine ulla contradictione, quod minus est, a majore benedicitur.

Hebr. VII, 7.

Digitized by Google

ARTICULUS XIII

ELUCIDATIO CAPITULI TERTIIDECIMI : IN DIE AUTEM ILLO LECTUM EST IN VOLUMINE MOYSIS.

PONUNTUR hic vitia absente Nehemia commissa, et ab eodem reverso correcta. *In die autem*, id est tempore *illo*, sicut frequenter in Scripturis dies pro tempore sumitur, *lectum est in volumine Moysis* ab Esdra seu alio scriba, *audiente populo, quod non debeant introire Ammonites et Moabites in ecclesiam Dei usque in æternum :* intelligendo per ecclesiam atrium mundorum, quia nec ipsi vulgares natione Judæi poterant introire Sancta, id est primam et exteriorem templi partem,
Hebr. IX, 6, 7. sed sacerdotes. Sancta autem sanctorum pontifex tantum intravit. Alii per ecclesiam Dei intelligunt communionem in matri-
Deut. VII, 3. monio. Illa tamen communio fuit alio præcepto prohibita, ut scilicet cum alienigenis idololatris non sociarent connubia. *Eo quod non occurrerunt filiis Israel cum pane et aqua* egressis de Ægypto, *et conduxerunt*
Num XXII, 5, 6. *adversum eos Balaam* ariolum *ad maledicendum* filiis Israel, hoc est ad dandum consilium quo dejicerentur, ut legitur in Numeris. Istud etenim fecit Balac rex Moab, qui etiam fuit rex Madian. Denique hoc
Deut. XXIII, 3, 4. præceptum de Ammonitis et Moabitis non ingressuris ecclesiam Dei, continetur in Deuteronomio.

Factum est autem quum audissent legem, id est præceptum hoc legis, *separaverunt omnem alienigenam*, id est gentilem idololatram, *ab Israel*, id est a societate
II *Esdr.* IX, 2. et copula Judæorum. Hoc tamen supra nono capitulo legitur factum Nehemia præsente. Sed, ut infra patebit, ipso absente et reverso ad regem, rursus fuerunt sociata conjugia cum alienigenis. *Et super hoc erat Eliasib*, id est, pontifici illi commissum fuit prohibere de cetero tale scelus : quod tamen non adimplevit ; *proximus* A *Tobiæ*, id est amicus Tobiæ Ammonitæ, ob causam quæ infra habetur. vers. 5.

Fecit ergo sibi iste Eliasib *gazophylacium grande, et ibi erant ante eum reponentes*, id est, Levitæ et sacerdotes reposuerunt in gazophylacio illo, *munera*, id est oblationes, *et thus et vasa* sacra cultus divini, *et decimam frumenti, vini et olei*, consecrata ad cultum Dei, usumque ministrorum ipsius : et hæc fuerunt inde ex voluntate pontificis hujus amota, et vasa ac thesauri Tobiæ fuerunt ibi repositi. *In* B *his autem non fui in Jerusalem :* ubi si fuissem, tales abusiones non permisissem. Esdras quoque interim fuit defunctus. *Quia anno tricesimo secundo Artaxerxis regis Babylonis*, id est regni Babyloniæ : fuit enim monarcha super regna illa orientalia ; *veni ad regem*, juxta tempus condictum ; *et in fine dierum*, id est circa finem dierum vitæ meæ, vel regis aut servitutis quam regi exhibui, *rogavi regem*, ut permitteret me ad Judæam et Jerusalem redire. *Et* de ejus licentia *veni in Jeru-* C *salem, et intellexi malum*, id est peccatum, *quod fecerat Eliasib Tobiæ*, id est ad complacendum Tobiæ, seu quasi ad commodum ejus, *ut faceret ei*, puta Tobiæ, *thesauros*, id est, præberet ei repositoria thesaurorum suorum, *in vestibulis domus Dei. Et malum mihi visum est valde*, quod scilicet sacrum locum deputavit usui hominis idololatræ seu gentilis; *et projeci vasa domus Tobiæ*, faciendo ea efferri *foras de gazophylacio* memorato ; *præcepique* ministris templi, *et emundaverunt gazophy-* D *lacium*, forsan adspersione aquæ lustrationis, quoniam ex prætacto abusu fuit contaminatum. *Et retuli ibi vasa domus Domini, sacrificium et thus.*

Digitized by Google

Sequitur aliud malum quod Nehemias correxit. *Et cognovi quod partes Levitarum non fuissent datæ,* id est, quod populus aut pontifex non dedisset Levitis quod eis pro sustentatione vitæ fuerat pro eorum obsequio dandum, *et fugisset unusquisque de Levitis in regionem suam,* id est ad loca quæ sibi aptiora poterat invenire, vel ad urbes et villas quas habuerunt olim in regno decem tribuum, ad acquirendum necessaria sibi. *Et egi causam adversus magistratus,* et pontificem, et ejus fautores, *et dixi : Quare dereliquimus domum Dei?* Modeste loquitur propter dignitatem pontificis, et connumerat se illis reis, ut per hoc ad pœnitentiam compungerentur celerius. Et est sensus : Cur per subtractionem prætactam fecit Levitas et cantores de templo abscedere? *Et congregavi eos,* id est, Levitas revocavi, *et feci* eos *stare in stationibus,* id est locis et officiis *suis. Et omnis Juda,* id est populus Juda, *apportabat decimam frumenti, vini et olei in horrea,* pro Levitarum refectione. *Et constituimus super horrea,* id est, pro custodia horreorum et rerum contentarum in eis ordinavimus, *Selemiam sacerdotem et Sadoc,* etc., ut congruenter erogarent Levitis recollecta pro eis. *Memento mei, Deus, pro hoc,* id est merito hujus beneficentiæ meæ, *et ne deleas miserationes meas, quas feci in domo Dei mei,* id est, non permittas eas privari effectu beatæ remunerationis, nec eas despicias acceptare.

Deinde narrat, qualiter de violatione sabbati reprehenderit eos. *In diebus illis vidi in Juda,* id est in populo Juda, quosdam *calcantes torcularia in sabbato,* etc. *Et Tyrii,* id est viri ex Tyro gentiles, *habitaverunt in ea,* scilicet in Judæa. *Et objurgavi optimates Juda, et dixi eis : Vos additis super iracundiam Israel,* id est, taliter transgrediendo meremini ultionem divinam augeri in filiis Israel, et Deum facitis eis magis iratum, quantum ad similitudinem operis. *Factum est autem quum quievissent portæ Jerusalem in die sabbati,* id est, quum cessassent a motu apertionis,

A vel merito cessare sic debuissent, videlicet circa vesperam diei sabbatum præcedentis, in qua vespera incepit sabbatum, id est quies, *dixi, et clauserunt januas* portarum Jerusalem, ne intrent aliqui ad vendendum quidquam sabbati die. *Dixi quoque Levitis, ut mundarentur* secundum legem : juxta modum in præcedenti articulo introductum. *Et pro hoc memento mei, Deus meus, et parce mihi secundum multitudinem miserationum tuarum.* Ecce quam humilis oratio fusa a viro tam

B justo, qui in tot et tantis virtutum operibus misericordiam imploravit, et juxta ejus immensitatem sibi indulgeri expetiit, sciens quod bonis nostris sint multa mala admixta.

Sequitur reprehensio de illicitis conjugiis : *In diebus illis vidi Judæos ducentes uxores Azotidas,* id est oriundas ex Azoto urbe Philistinorum. *Et maledixi eis,* zelo justitiæ ; vel per modum propheticæ prænuntiationis seu sub conditione, nisi se emendarent ; aut certe temporales punitio-

C nes eis imprecando, ne in æternum pereant. *Et cecidi,* id est verberavi, *ex eis viros,* id est quosdam, *et decalvavi,* id est dehonestavi, faciendo abradi barbam, capillosve capitis talium transgressorum ; sicut rex Ammonitarum abrasit barbam II *Reg.* x, 4.
servorum David : quod tunc erat ingens confusio. Constat quoque ex his, quam male servaverint Judæi sua promissa et jura- II *Esdr.* ix, 38; x.
menta sigillis roborata, per quæ promiserunt violationem sabbati et conjugia cum alienigenis, multaque similia evitare, ut

D patuit supra. Deinceps per exemplum ostendit, quam periculosa erant Judæis conjugia talia, eo quod sapientissimus Salomon per ea ad lapsum devenerit, sicut in III *Reg.* xi, 1-8.
textu, qui planus est, recitatur. *Et dilectus Deo suo erat.* Nam nato eo, Dominus II *Reg.* xii, 24, 25.
jussit eum vocari, Amabilem Domino. Qualiter autem dilexerit eum, super secundo Regum tractatum est. *Et posuit eum regem* privilegio speciali, non jure primogenituræ. *De filiis autem Joiada,* id est unus filiorum Joiada, *filii Eliasib sacer-*

Digitized by Google

dotis magni, id est pontificis, qui fuit avus A illius filii Joiada, *erat Sanaballat gener,* id est, filiam ipsius Sanaballat duxit uxo-
vers. 7. rem : ideo Eliasib fecit Tobiæ ea quæ dicta sunt, tanquam amicus ipsius propter Sanaballat, qui familiarissimus erat Tobiæ; *quem* filium Joiada, *fugavi a me* tanquam rebellem, quia uxorem illam sacrilegam dimittere recusavit. *Recordare, Domine Deus meus, adversum eos qui polluunt sacerdotium :* id est, per justam castigationem in vita hac, ostende te memorem iniquitatis ipsorum, qui sacerdotium et B sui officii dignitatem ac privilegium inhonorant, ac per hoc tibi ingrati sunt. Ad sacerdotes autem illos legales pertinuit
Lev. XXI, 7, 13, 14. connubia specialiter honesta contrahere, ut patet Levitici vicesimo primo.

Igitur mundavi eos ab omnibus alienigenis uxoribus, nisi forsan paucis induratis exceptis ; *et constitui sacerdotum ordines et Levitarum, unumquemque* ordinem *in ministerio suo :* ut quilibet ordo illorum serviret in tempore suo in templo,
I Par. XXIII-XXVI. quemadmodum primo libro Paralipome- C non legitur David fecisse : tempore enim Nehemiæ sacerdotes jam erant multiplicati; *et in oblatione* et appositione *lignorum* in ignem perpetuum in altari holocaustorum semper ardentem, quem sacerdotes tenebantur nutrire, ponendo ligna in eo quotidie : ideo additur, *temporibus constitutis ; et in primitiis,* id est in accipiendo primitias, hoc est primos præcipuosque fructus, a populo.

Postremo, librum suum in devota et humili oratione concludit, quasi de suis justitiis non præsumens, neque se jactans: *Memento,* inquiens, *mei, Deus meus, in bonum.* Quasi dicat : Scio et fateor cum Job X, 13.
sancto Job, quod universorum memineris; et item, quod quorumdam memor es in malum, hoc est ad debitam ultionem : juxta illud Amos : Juravit Dominus, Si oblitus Amos VIII, 7.
fuero usque in finem omnia opera eorum. Unde et Salomon contestatur : Cuncta quæ Eccle. XII, 14.
fiunt, adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum sit, sive malum. Ideo precor, Domine Deus meus, et cum hac oratione tuæ recommendo me pietati. Memento mei, Deus meus, in bonum.

Circa hoc Josephus scribit : Multa talia laudibus digna, dum cum summa fecisset magnificentia Nehemias, ad senectutem perveniens, defunctus est, vir benignus et natura justus, atque circa propriam gentem magnificentissimus, qui in memoria Eccli. XLIX, 15.
sui æterna muros Jerosolymitanos reliquit. Itaque tam fidelis ac fervidi viri imitemur usque in finem virtutes, et sanctam Dei Ecclesiam jugiter ædificare, roborare, perficere enitamur, pro ea indesinenter orando, exemplariter conversando, et proximos totis viribus adjuvando. Ad laudem et gloriam Omnipotentis, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

FINIS COMMENTARIORUM SECUNDI LIBRI ESDRÆ

Digitized by Google

ENARRATIO
IN PRIMUM LIBRUM
MACHABÆORUM

Digitized by Google

Digitized by Google

PROLOGUS

JUDA, *te laudabunt fratres tui. Manus tua in cervicibus inimicorum tuorum. Catulus leonis Juda.* Gen. XLIX, 8, 9.

Possunt hæc verba de Juda Machabæo et fratribus ejus convenienter exponi. Etenim sicut inter duodecim Patriarchas filios Jacob, Judas fuit robustior; sic inter quinque filios Mathathiæ Judas filius ejus fortior erat, magnanimior quoque, et omni virtute ad justum et strenuum bellatorem pertinente, eminenter specialiterque ornatus. Hinc a fratribus suis et consanguineis, totoque populo suo, vere, fideliter, præcipue laudabatur, fuitque omnibus carus valde : nam bonum commune prætulit propriæ vitæ, et religionis divinæ defensionem magis quam omnem terrenam amavit prosperitatem. Fuit ergo legis zelo accensus, Dei amore ignitus, fraterna caritate repletus, fortitudine mentis et corporis decoratus, ex divinæ sapientiæ præordinatione datus populo Judæorum pro consolatione et ereptione eorum, quum extremis calamitatibus subderentur. Non enim repellit in sempiternum Dominus, nec plebem fidelem relinquit finaliter. *Thren.* III, 31.

Denique in historiis hujus voluminis patent miseriæ conditionis humanæ, insania ambitiosorum, vanitas mundi, instabilitas regni terreni ; providentia quoque Dei circa electos, et qualiter inter electos reprobosque discernat ; atque quam magna pars hominum pereat gladio.

Digitized by Google

Digitized by Google

ENARRATIO
IN PRIMUM LIBRUM
MACHABÆORUM

ARTICULUS PRIMUS

EXPOSITIO CAPITULI PRIMI : ET FACTUM EST POSTQUAM PERCUSSIT ALEXANDER PHILIPPI, MACEDO.

GESTA Machabæorum multis annis post reditum a captivitate Babylonica contigerunt. Historia quippe Tobiæ præcessit satis diu historiam Judith, historia quoque Judith historiam Esther, sed et historia Esther, historiam Machabæorum : quod, prolixitatem vitans, declarare non prosequor; sed ad Josephum atque Scholasticam historiam mitto lectorem. (Joseph. Ant. Jud. lib. XII, c. 6, etc.) Ponitur autem in exordio hujus libri aliquid de Alexandro Magno, et de divisione monarchiæ suæ, ut sic ordinate ad gesta deveniatur Machabæorum, imo ad notificationem providentiæ, justitiæ, misericordiæ et beneficentiæ Dei circa populum Judæorum, durante adhuc cursu veteris Testamenti. Non est autem hic liber in canone : tamen ab Ecclesia tanquam verus receptus est.

Et factum est. Cur a conjunctione hac, *et,* incipit, quum nihil præmiserit, inter quæ mediet et connectat? Et respondendum, quod incipit sic, ad innuendum quod multa omittat gesta historica, quæ mente consideravit, sed stilo non expressit. Ad ea ergo quæ mente intuebatur, ista conjungens quæ scripsit, sic incipit : Et factum est. Sic et Ezechiel et Jonas suos A exorsi sunt libros. *Postquam percussit Alexander Philippi* filius, *Macedo,* id est de Macedonia provincia Græciæ oriundus, in qua et primo regnavit, defuncto rege Philippo, cujus filius putativus fuit Alexander : quia revera (ut ejus testatur historia) fuit filius Nectanabis regis Ægypti, qui timore adversariorum suorum, mutato habitu, fugit et exivit Ægyptum, atque ad uxorem Philippi regis Macedonum veniens, ad mulieris illius familiaritatem receptus est, et cum ea concumbens, ex eadem genuit B Alexandrum per adulterium. Philippus autem rex putavit se verum Alexandri patrem. Unde et nato Alexandro, Aristoteli scripsit : Natus est mihi filius, et magis regratior diis, quia natus est tuis temporibus, quam quia natus est, quoniam a te eum informandum confido.

Præterea, Alexander dicitur Darium percussisse, non quod manu propria, aut per suum exercitum occiderit illum, sed quoniam fugavit ipsum in bello. Quumque fugiens Darius, pervenisset in suum palatium, C a duobus de suis principibus est occisus. Alexander autem insequens eum, reperit eum adhuc semivivum, et multum

Digitized by Google

condoluit ei. Et tunc Darius utiliter admonuit Alexandrum, ne ex victoriis superbiret, et inter cetera ordinavit, ut filiam suam Alexander duceret conjugem : quod et factum est.

Sed quæri potest, quis fuerit Darius iste. Ad quod quidam respondet, quod secundum Hebræos fuit filius Assueri ac Esther : quod stare non potest ; nec omnes Hebræi hoc dicunt. Imo (ut refert ille) Hebræi dicunt Darium illum qui post Cyrum
I *Esdr.* VI, 3-12. regem renovavit et dedit Judæis licentiam ædificandi templum et urbem Jerusalem. Fuit Darius ille filius Assueri et Esther, ita quod favorabilis fuit Judæis, quia ex matre Hebræa exstitit natus. Et tamen nec hoc verum est ; et certum est quod temporibus illius Darii nondum erat Alexander hic genitus. Nempe illi Dario successit
Ibid. VII, 1 *et seq.*; II *Esdr.* II, 1 *et seq.* in regnum filius ejus Artaxerxes, sub quo Esdras et postea Nehemias venerunt in Jerusalem : quod et Josephus attestatur, quamvis alia nomina ponat. Post Artaxerxem regnavit Xerxes, quem Josephus dicit fuisse Assuerum. Alii vero, quos Magister in historiis sequitur, affirmant quod post Artaxerxem regnavit Xerxes duobus mensibus ; post Xerxem, Sogdianus mensibus septem ; post Sogdianum, Darius cognomento Nothus ; post Darium Nothum, Artaxerxes cognomento Mnemon, quem ut in Scholastica fertur historia, dicunt Hebræi Assuerum fuisse ; post quem regnavit Artaxerxes, qui dictus est Ochus ; post Ochum, Arsamus ; post Arsamum, filius ejus Darius, quem Alexander devicit.

Qui Alexander *primus regnavit in Græcia,* id est, primus fuit monarcha Græcorum, et in tota Græcia, totoque oriente regnavit et imperavit, quoniam monarchiam Persarum destruxit, et transtulit monarchiam ad Græcos : designatus in vi-
Dan. VIII, 5, 21. sione Danielis per hircum caprarum, qui terram non tetigit, quia celerrime omnia devastando pertransiit. *Egressus de terra Cethim :* locus est Græciæ ; non solitudi-
Num. XXV, 1. nis, unde habetur in Numeris, Morabatur eo tempore Israel in Cethim *. *Darium re-*

* Settim

A *gem Persarum et Medorum.* A tempore enim Cyri regis fuerunt illa regna in uno rege unita, defuncto avunculo Cyri, Dario nomine, qui cum Cyro Babylonem destruxit. *Constituit prælia.* Nam Dario isto dejecto, perrexit ad Indiam contra Porum regem Indorum ; et in via præliatus est contra alios multos quos superavit. Unde subjungitur : *et omnium obtinuit munitiones,* hoc est loca munita, videlicet castra, fortalitia, oppida (inquam) omnium repugnantium sibi. *Et siluit terra in con-*
B *spectu ejus,* id est, habitantes in terra, contra eum rebellare aut clamare non præsumpserunt, præsertim postquam Porum regem Indorum devicit.

Et congregavit virtutem, id est robur bellicum, *et exercitum fortem nimis.* Nam primo habuit parvum exercitum, comparative loquendo ; sed ex gentibus quas debellavit, conjunxit sibi auxiliarios multos et elegantes, quemadmodum de Holoferne narratur : De universis urbibus assumpsit *Judith* III, 8.
sibi auxiliarios viros fortes et electos ad
C prælium. Et præsertim Persæ et Medi ab Alexandro devicti, facti sunt ei multum fideles, sicut et ipse exhibuit eis se clementem. Et regnum Persarum commisit avunculo Darii ; duos quoque principes qui Darium vulneraverunt usque ad mortem, occidit. *Et pertransiit usque ad fines terræ.* Transivit enim per maximam et horribilem Indiæ eremum, in qua multa pericula toleravit, et tandem devenit ad arbores solis et lunæ, ubi responsum accepit de sua morte : sicque ad fines terræ
D deveniens versus orientem, intravit Oceanum remotius quam Hercules ante eum, et statuit illic columnas ultra columnas ab Hercule positas. *Et exaltatus est* potestate, honore atque latissima jurisdictione, *et elevatum est cor ejus,* per superbiam et ambitionem ; tamen audita responsione quod cito moreretur, humiliavit cor suum in multis. *Et obtinuit regiones gentium et tyrannos ; et facti sunt illi in tributum,* hoc est tributarii, hi quos vicit.

Et post hæc decidit in lectum, et cogno-

Digitized by Google

vit quia moreretur. Fuit enim infectus a Jolo suo pincerna, cui antea dederat alapam. *Et vocavit pueros suos nobiles*, id est collegas, *qui secum erant nutriti a juventute sua ; et divisit illis regnum suum*, id est imperium, non unicum regnum, *dum adhuc viveret*. Fertur tamen in sua legenda, quod ex conjuge sua filia Darii genuit filium, qui adhuc erat infantulus. Divisit autem regnum suum seu monarchiam in duodecim partes, nolens quod aliquis ei par postea legeretur; sed dispositio illa fuit cassata, quoniam aliis abjectis, non nisi quatuor successerunt eidem, quemadmodum a Daniele fuit prædictum. (Dan. VIII, 8, 22.) Denique sumpto veneno in Babylone Ægypti, mox loquelam amisit, et extremam suam voluntatem scripto insinuavit. Jolus autem et frater ejus Cassander, etiam uxorem Alexandri et filium ejus infantulum peremerunt. *Et regnavit Alexander annis duodecim*, ex quibus (ut legitur) imperavit annis sex aut septem in pace ; et vixit annis triginta duobus ; *et mortuus est*.

Et obtinuerunt pueri ejus, id est sodales præfati, *regnum, unusquisque in loco suo* sibi deputato : quod tamen de quatuor principalibus pueris et successoribus ejus accipitur. *Et imposuerunt sibi omnes diademata post mortem ejus ; et multiplicata sunt mala* pœnæ et culpæ *in terra:* quoniam successores Alexandri contra se invicem acerrime et implacabiliter pugnaverunt, et quidam eorum (sicut infra habetur) vehementissime oppresserunt Israeliticum populum, præsertim reges Syriæ et Ægypti, maxime vero Antiochus Nobilis, de quo subditur.

Et exiit ex illis radix peccati Antiochus Illustris, id est, ex semine regum illorum natus est Antiochus, dictus Illustris, quoniam acer et strenuus fuit in bellis. Et primo præbuit se cunctis benignum ac liberalem, propter quod vocaverunt eum Epiphanem, id est illustrem : qui factus rex, vitiositatem suam, quam diu absconderat, cœpit ostendere ; et tam sceleratissimus fuit, ut merito appelletur

A radix peccati, quoniam per se et per subditos suos fecit innumerabilia et crudelissima mala, præsertim in populum Judæorum, imo et in consanguineos suos reges Ægypti ; fuitque valde dolosus. *Filius Antiochi regis Syriæ*, qui vocatur Antiochus Major : de quo inter multa recitat Josephus, quod fuit Judæis valde fidelis et pius, sicut et infra secundo tangitur libro ; *qui*, Antiochus Illustris, *fuerat Romæ obses*, id est obstagius. Quum enim pater ejus infestaret Ægyptum, missi sunt

B duo legati Romanorum, qui compulerunt eum inde recedere, et filium ejus seniorem Seleucum, pro majori securitate, obsidem acceperunt. Antiochus vero sciens crudelitatem filii sui Antiochi, rogavit ut illum pro fratre acciperent obsidem : quod et fecerunt, ut Josephus narrat duodecimo libro Antiquitatum. *Et regnavit in anno centesimo tricesimo septimo regni Græcorum :* incipiendo hanc numerationem annorum a monarchia Græcorum, hoc est a regno monarchico quod incipit ab Alexan-

C dro ; atque in ejus morte fuit monarchia illa finita. Et cito post hoc cœperunt Romani ad monarchiam adspirare : quam et post multa et magna bella obtinuerunt ; et major fuit eorum monarchia quam Alexandri, nec adhuc in toto destructa.

In diebus illis exierunt ex Israel filii iniqui, et suaserunt multis, dicentes : Eamus et disponamus testamentum, hoc est fœdus amicitiæ et ritum religionis, *cum gentibus quæ circa nos sunt*, id est cum gentilibus idololatris ; *quia ex quo recessi-*

D *mus ab eis* per disparem cultum et resistentiam, *invenerunt nos multa mala* pœnalia, id est, diversas et duras adversitates et persecutiones sumus perpessi. *Et bonus visus est sermo in oculis eorum :* id est, judicaverunt sic esse, non attendentes quod multæ sint tribulationes justorum, quos (Ps. XXXIII, 20.) Deus exercet et purgat per impios ; nec etiam considerantes, quod juxta Prophetarum oracula, tam regnum Juda quam regnum Israel fuerunt destructa, potissime (Ezech. VI, XII.) propter idololatriæ ritum, et quod tempore

Digitized by Google

Judic. passim. judicum fuerunt hostibus traditi propter deorum culturam. Impii isti fuerunt similes Judæis nequissimis, qui leguntur ad Jer. XLIV, 16-18. Jeremiam dixisse : Verbum quod locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te ; sed faciemus omne verbum quod egredietur de ore nostro, ut sacrificemus reginæ cœli, id est lunæ, sicut fecimus et saturati sumus, malumque non vidimus. Ex eo autem tempore quo cessavimus reginæ cœli sacrificare, indigemus omnibus, et gladio et fame consumpti sumus. Ibid. 20 et seq. Quorum perfidiam et errorem reprobat ibi Jeremias.

Et destinaverunt aliqui de populo, hoc est, proposuerunt sic agere, vel miserunt nuntios, *et abierunt* quidam ex parte illorum *ad regem* Antiochum ; *et dedit illis potestatem ut facerent justitias gentium,* id est opera idololatriæ, quæ gentiles justa esse putabant. *Et ædificaverunt gymnasium in Jerosolymis.* Gymnasium proprie dicitur locus, in quo homines exercentur ad luctam corporalem, et cursorum probatur velocitas. Hinc transfertur ad significandum scholas, locumque studii, in quo est exercitatio animi ad opponendum ac respondendum : et ita hic sumitur pro schola, in qua docentur statuta et ritus gentilium. *Et fecerunt sibi,* hoc est, in se et in suis esse permiserunt, *præputia,* non circumcidendo filios suos, et ritu præputiatorum vivebant ; atque, ut Josephus scribit, fecerunt circumcisioni suæ quædam velamina, ne in denudatione viderentur Græcis dissimiles. Nempe in sacris Priapi incedebant totaliter nudi, sicut et feminæ in sacris Veneris. *Et recesserunt a testamento sancto,* id est ab observantia legis Mosaicæ ; *et juncti sunt nationibus,* id est gentilibus, quos Judæi quasi parvipendendo, propter eorum incredulitatem, communi nomine nationes vocabant. Unde est Ps. XCV, 10. illud in Psalmo : Dicite in nationibus, quia Dominus regnavit. *Et venundati sunt,* hoc est, intuitu commodi temporalis se ipsos tradiderunt, et quasi vendiderunt diabolo per vitiosum consensum, *ut facerent ma-*

A *lum.* Sic tertio libro Regum Elias ait ad Achab : Venundatus es ut faceres malum in conspectu Domini. III Reg. XXI, 20.

Denique, sicut in Scholastica fertur historia : Causa tanti flagitii fuit Onias pontifex, duos habens fratres contendentes pro pontificatu : qui ut placerent Antiocho, petierunt ut liceret eis facere gymnasium in Jerusalem, et ad idololatriam declinare. Et vocabatur unus eorum Jesus, alter Joannes. Verum ad placendum impio regi, imposuerunt sibi gentilia nomina, ita quod B Jesus vocavit se Jasonem, Joannes Menelaum : de quibus infra in secundo libro habetur. II Mach. IV, V.

Et paratum est, id est ad obediendum dispositum, *regnum in conspectu Antiochi.* Quum enim adhuc Romæ exsistens, percepisset patrem suum obisse, et sciret fratris sui inertiam, clam, vel (ut aliqui dicunt) de senatorum consensu, recessit a Roma, et venit in Syriam, ac mortuo fratre suo, in regem susceptus est. *Et cœpit regnare in terra Ægypti, ut regnaret su-* C *per duo regna,* videlicet Syriæ, in qua pater suus regnavit, et Ægypti, quod nepos ejus habebat.

Circa hoc scribit quidam : Antiochus, scilicet Magnus, ad confœderationem ipsius cum rege Ægypti, dedit filiam suam Cleopatram Ptolemæo Epiphani, ex quibus natus fuit Ptolemæus Philometor. Ergo mortuo Ptolemæo Epiphane, Antiochus Illustris rex Syriæ accepit aliquas civitates regis Ægypti regno suo propinquas, quasi tutor nepotis sui adhuc pueri : quas quum duces D Ægypti repeterent pro puero, et ille nollet reddere, motum fuit bellum inter ipsos et Antiochum, in quo devicti sunt duces Ægypti, et per consequens Ptolemæus Philometor cum eis, adhuc juvenis ; et spoliata Ægypto, Antiochus venit Jerosolymam, et fecit ibi mala quæ in textu sequuntur. Hæc ille. Cujus narratio videtur a veritate deficere, quia (ut Josephus et alii referunt) Ptolemæus Philadelphus filiam suam Cleopatram dedit uxorem Antiocho regi Syriæ : quod et Scripturæ concordat canonicæ,

Digitized by Google

Dan. xi, 6. quum scriptum sit in Daniele, Filia regis austri veniet ad regem aquilonis facere amicitiam : ubi per regem austri, secundum Hieronymum et ceteros expositores catholicos, intelligitur rex Ægypti, quæ fuit in plaga australi, et sic filia ejus venit ad contrahendum cum Antiocho rege aquilonis, id est Syriæ, quæ fuit versus aquilonem respectu Ægypti.

Itaque Antiochus Illustris ambitione ductus, voluit sibi usurpare regnum Ægypti. *Et intravit Ægyptum in multitudine gravi,* id est cum exercitu copioso ad sustinendum molesta, *cum curribus et elephantis,* quæ sunt animalia magna, super se ligneas turres gestantia, in quibus sunt bellatores desuper præliantes et jacula emittentes, *et equitibus et copiosa navium multitudine:* sicque invasit Ægyptum ex terra et mari, et forsan bello pugnavit contra quosdam Ægyptiorum ; *et constituit bellum adversus Ptolemæum regem Ægypti,* etc. Post Alexandrum Magnum primus in Ægypto regnavit Ptolemæus Lagi filius, qui Ptolemæus cognominatus est Soter : a quo (ut legitur) posteri ejus vocati sunt Ptolemæi, quod fuit eis nomen commune, præter quod habuerunt propria nomina. Quod vero hic dicitur de Ptolemæo, quidam exponunt de Ptolemæo Philometore : quem tamen alii dicunt victum ab Antiocho Magno.

Et convertit Antiochus iter suum, et ascendit ad Jerosolymam. Et intravit in sanctificationem, id est in templum Dei sanctificantis, et in quo homines sanctificabantur, *cum superbia. Et accepit altare aureum,* id est deauratum forinsecus laminis aureis : et exponitur hoc de altari
Exod. xxx, 1 et seq. thymiamatis, super quod incendebatur thymiama ; eratque in templo, et in exteriore parte ejus, quæ dicitur Sancta ; *et candelabrum luminis,* super quod sitæ erant sep-
Ibid. xxv, 31 et seq. tem lampades, seu lucernæ aureæ, prout in Exodo jubetur ; *et universa vasa ejus,* id est instrumenta, ut forcipes et emunctoria, quæ secundum Hebræi proprietatem sermonis, vasa vocantur ; *et mensam propositionis,* super quam omni sabbato ponebantur duodecim panes calidi, sublatis inde panibus qui præcedenti sabbato super eam positi erant, prout in Exodo tangitur; Exod. xxv, 23 et seq.
et libatoria, quæ erant vasa, in quibus ponebantur materiæ liquidæ, ex quibus fie- Ibid. 29, etc.
bant oblationes ; *et phialas,* id est vascula thymiamatum et unguentorum ; *et mortariola ; et velum* in medio templi dependens et dividens inter Sancta et Sancta sanctorum, id est exteriorem interioremque partem templi ; *et coronas* insertas quibusdam utensilibus templi ; *et ornamentum aureum quod in facie templi erat :* per quod quidam intelligunt cortinam aurifrigiatam, circa ingressum templi pendentem ; *et comminuit omnia,* id est, a pristina forma frangendo, ad partes minutas redegit, ad faciendum inde aliqua sibi placentia, suoque usui deservientia.

Denique Ptolemæus Philadelphus, quum ad ejus petitionem Septuaginta interpretes transtulissent vetus Testamentum, misit in templum Jerosolymitanum præter alia aurea vasa, mensam auream gemmis impretiabilibus insignitam, cujus crassitudo, id est spissitudo, quum esset dimidii cubiti, materiam tamen superabat artificii opus. An autem et illam mensam acceperit, quæri potest : et constat, quod sic, si reperit eam. Mensa autem propositionis per Moysen fieri jussa, fuit de lignis setim, ut patet in Ibid. 23.
Exodo. Sed tertio Regum legitur Salomon III Reg. vii, 48.
mensam auream fecisse in templo, quæ jam diu fuit ablata. An vero pretiosissima mensa illa a Ptolemæo missa, fuerat deputata ad mensam propositionis, posset inquiri. Ecce, quid est violentus et impius rex, nisi magnus latro et pessimus fur ?

Et accepit argentum et aurum in templo reposita et oblata, *et vasa concupiscibilia,* id est pretiosa et pulchra ; *et accepit thesauros occultos quos invenit* per se et per suos satellites : in quo patet insatiabilis cupiditas ejus, quod tam exquisite perscrutatus est abdita loca, quum tamen in nullo offendissent eum Judæi ; *et sublatis omnibus, abiit in terram suam. Et fecit cædem hominum,* id est, multos occidit :

Digitized by Google

in quo patet sua crudelitas. *Et factus est planctus magnus in Israel,* id est ab Israelitico populo, præsertim de templi profanatione, *et in omni loco eorum,* id est in civitatibus et villis Judæorum. *Et ingemuerunt principes et seniores, et juvenes et virgines infirmati sunt* et tristitia et dolore, *et speciositas mulierum immutata est,* id est, alterata et versa in discolorationem, et pro vestibus pretiosis induerunt lugubres vestes. *Et commota est terra super habitantes in ea,* id est, habitantes in terra obstupuerunt propter tot et tanta mala facta in terra Juda. Ipsa quoque terra intuentibus præbuit materiam commotionis propter mala illata habitatoribus terræ. Sed et terra a suæ dispositionis decore est alterata, propter tot calamitates inhabitantium eam.

Et post duos annos dierum. Cur, quum dixisset, Annos, addidit, Dierum? Forsan quia sicut in lege erant hebdomades dierum, (*Lev.* xxv, 8.) hebdomadesque annorum, quarum quælibet continuit septem annos, ita de annis. *Misit rex principem tributorum,* id est superiorem inter eos qui tributa levabant pro rege, *et venit Jerusalem cum turba magna. Et locutus est ad eos,* id est ad habitatores Jerusalem, *verba pacifica in dolo,* dicendo se venisse pro utilitate ipsorum; *et crediderunt ei. Et irruit super civitatem repente,* id est, statim quum fuerat intromissus, *et percussit eam plaga, et perdidit,* id est occidit, *populum multum. Et succendit eam,* scilicet urbem Jerusalem pro parte, non totam; *et destruxit domos ejus* validiores, ex quibus potuissent Judæi resistere hostibus suis, *et muros ejus in circuitu,* non dejiciendo muros totaliter, sed faciendo in muris hinc inde interruptiones et aperturas, per quas pateret eis ingressus in urbem dum vellent.

Et ædificaverunt civitatem David, id est arcem illam in sublimitate montis Sion, (II *Reg.* v, 9.) ubi David aliquando habitavit, *muro magno et firmo* in gyro, vel muris fortibus loco parietum, *et turribus firmis,* ex quibus possent ejicere jacula; *et facta est illis in arcem,* id est, pro castro et fortalitio usi sunt ea. *Et posuerunt illic gentem peccatricem; et facti sunt in laqueum magnum,* id est, impii habitantes in arce, usi sunt ipsa arce tanquam laqueo, ad capiendum affligendumque Judæos in Jerusalem commorantes. *Et factum est hoc ad insidias sanctificationi,* id est templo, ut scilicet ex arce impedirent Judæos a templi ingressu, quod fuit juxta arcem, ejiciendo jacula super intrantes templum, *et in diabolum malum,* vel, ut aliqui habent, in diabolicum, id est maximum malum, *in Israel:* quia fuit destructivum cultus divini ac boni communis. *Et contaminaverunt sanctificationem,* id est, templum violaverunt.

Et facta est Jerusalem habitatio exterorum, id est extraneorum : ex quo patet quod non fuit tota destructa; *et facta est extera semini suo,* hoc est aliena a propriis civibus inibi natis. *Sanctificatio ejus desolata est sicut solitudo,* id est, templum destitutum est, et privatum suo honore, cultu ac ministrorum frequentia; *dies festi ejus conversi sunt in luctum,* id est, pro gaudiis solennitatum, successerunt lamenta. *Secundum gloriam ejus, multiplicata est ignominia ejus:* id est, quo major fuit apparatus templi in cultu, honore et gaudio temporibus pristinis prosperitatis, etiam Antiochi Magni, ut habetur libro secundo, eo sub impiissimo isto Antiocho major facta ejus inhonoratio.

His objici potest, quia (ut Josephus refert duodecimo libro Antiquitatum, et Magister in historiis) quum Antiochus redisset in Ægyptum, et inde esset repulsus per Romanorum legatos, quibus Ægyptii tunc erant confœderati, post biennium rediit in Jerusalem cum furore, et fecit in ea quæ jam recitata sunt hic, et alia plura: ergo personaliter venit, nec per principem tributorum commisit hæc scelera, præsertim quum infra secundi libri capitulo quinto conscriptum sit, Eodem tempore (II *Mach.* v, 1.) Antiochus secundam profectionem paravit in Ægyptum. Et sicut in expositione illius

capituli dicunt Rabanus, Glossa et alii expositores, Antiochus ab Ægypto tunc rediens, effrenatis animis venit Jerusalem. Ad istud videtur dicendum, scripturam istam, videlicet hujus primi capituli, non loqui de reditu illo Antiochi in Jerusalem, sed de adventu prætacti principis tributorum, missi ab Antiocho paulo post quum recessisset Antiochus a civitate Jerusalem conculcata : de quo adventu præallegato
II Mach. v, 24. secundi libri capitulo quinto habetur : Misit odiosum principem Apollonium cum exercitu viginti et duobus millibus, præcipiens eis, omnes perfectæ ætatis interficere. Quod autem princeps ille verba pacifica loquebatur in dolo, tangitur ibi his
Ibid. 25. verbis : Qui quum venisset Jerosolymam, pacem simulans, quievit usque ad diem sanctum sabbati.

Et scripsit Antiochus omni regno suo, id est cunctis regionibus sibi subjectis, inter quas fuit tunc terra Judæorum, regibus Syriæ subdita, *ut essent omnes populus unus,* id est unius observantiæ et culturæ seu legis ac ritus. Unitas enim populi, ex unitate legis et observantiæ cærimonialium perpenditur ; similiter ex unitate capitis seu prælati. Ad quod insinuandum
Joann. x, 16. ait Salvator : Fiet unus pastor et unum ovile. Hinc in Genesi Hemor et Sichem di-
Gen. xxxiv, 22. 23. xisse leguntur : Si circumcidamus masculos nostros, ritum gentis sequentes, unus efficiemur populus. *Et reliquerunt unusquisque legem suam,* id est quilibet subditorum Antiochi, qui aliam legem habuit ante, quam ipse. *Et consenserunt omnes gentes,* quæ erant sub ditione Antiochi, ejus edicto : non tamen simpliciter omnes, potissime in Judæa, ut infra habetur. *Et multi ex Israel consenserunt* præcepto tyranni illius prætacto, *et sacrificaverunt idolis, et coinquinaverunt,* id est, transgressi sunt, *sabbatum,* faciendo in eo servilia opera.

Et misit Antiochus libros, id est epistolas decretales, *in Jerusalem, ut sequerentur leges gentium terræ,* hoc est instituta idololatrarum regni sui, *et prohiberent* vel

A nuntii Antiochi, vel majores Judæorum, *holocausta et sacrificia et placationes fieri in templo Dei.* Per holocausta intelliguntur oblationes quæ ad divinæ reverentiam majestatis totaliter comburebantur, in signum quod rationalis creatura debeat se omnino sui Creatoris obsequiis mancipare, et ejus amore succendi. Per sacrificia vero, hoc loco intelliguntur oblationes pacificæ atque spontaneæ ; per placationes autem, hostiæ pro peccato, quibus Dominus placabatur. *Et coinquinari sancta et*
B *sanctum populum Israel.* Hoc refertur non ad verbum illud, Ut prohiberent, sed ad illud, Misit ut sequerentur, etc. Et coinquinari sancta, id est loca sacra, ut templum et synagogas, sacramentaque legis, et populum Israeliticum ad veri Dei cultum electum, vitiis gentilitatis fœdari. *Et jussit ædificari aras,* id est altaria, super quæ sacrificaretur diis et idolis suis, *et templa,* id est fana deorum, *et immolari carnes suillas,* id est porcinas, *et pecora communia,* hoc est immunda et lege prohibita ;
C *et ut immutarent omnes justificationes Dei,* id est, observantias omnium præceptorum Dei, per quas homo fit justus, omitterent, atque pro eis observantias gentilitatis assumerent.

Et congregati sunt multi de populo Israel *ad eos, qui dereliquerant legem Domini,* hoc est ad impiissimos illos Judæos, qui ante hanc Antiochi jussionem assumpserunt ritum gentilium, sicut præhabitum est, ut fuerunt Jason et Menelaus cum suis fautoribus ; *et effugaverunt populum Is-*
D *rael,* non acquiescentem eis, *in abditis,* id est ad speluncas, ad quas ex timore fugerunt.

Die quintadecima mensis Casleu, qui correspondet nostro Decembri, quamvis interdum concurrat cum Novembri, sicut antiqui Catholici, Beda, Haymo, Rabanus, Magister in historiis, et alii doctissimi, qui cum Hebræis sæpissime contulerunt, bene scripserunt : quamvis quidam posterorum, de hoc reprehendere illos frequenter adjecerit. *Ædificavit Antiochus abominan-*

dum idolum desolationis, id est idolum A
II *Mach.* vi, 2. Jovis, sicut secundo libro plenius recitatur : quod fuit causa desolationis fidelium Judæorum, et signum desolationis templi. *Et libros legis Dei,* videlicet libros Moysis, et alios etiam libros veteris Testamenti, ut
II *Par.* xxxvi, 19. reor, *combusserunt :* sicut Chaldæi ante fecerunt. *In virtute sua,* id est potestate tyrannica, *faciebant hæc populo Israel. Et sacrificabant* idolo Jovis, *super aram quæ erat contra altare,* id est ex opposito altaris Dei. Sicut enim ædificavit in templo idolum illud turpissimum, sic et aram ejusdem. *Et suspendebant pueros,* id est infantulos circumcisos, *a cervicibus,* id est in collis per funes euntes juxta cervices. Verumtamen secundo libro leguntur II *Mach.* vi, 10.
duæ mulieres, quæ circumciderant parvulos suos, fuisse præcipitatæ, infantibus ad ubera suspensis.

ARTICULUS II

EXPOSITIO CAPITULI SECUNDI : IN DIEBUS ILLIS SURREXIT MATHATHIAS FILIUS JOANNIS.

RECITATA Judæorum tribulatione acerrima, describitur hic exordium subventionis eorum. *In diebus illis surrexit,* id est, ad gesta virilia se erexit, *Mathathias filius Joannis, filii Simeonis, sacerdos ex*
* alias *Joarib* *filiis Joarim* * *:* qui Joarim fuit unus viginti quatuor sacerdotum post pontificem prin-
I *Par.* xxiv. cipalium, quos primo libro Paralipomenon David legitur instituisse. Verumtamen iste
Ibid. 7. nominatur ibi alio nomine. Nam et infra
I *Mach.* xiv, 29. Joarim iste vocatur Jarib. Surrexit, inquam, et abiit *a Jerusalem,* ubi ministravit in templo. Sic et Zacharias pater beatissimi
Luc. i, 5. Joannis Baptistæ dicitur fuisse de vice Abia. *Et consedit in monte Modin,* id est in oppido situato in loco montuoso, quod Modin vocatur. *Et habebat filios quinque,* quorum nomina et cognomina ponuntur in littera : et sicut virtus consistit in medio, sic medius inter illos fuit Judas Machabæus, virtuosissimus et strenuissimus inter fratres suos. *Hi viderunt* oculo exteriori et interiori *mala quæ fiebant,* etc.

Et dixit Mathathias : Væ mihi, temporalis tristitiæ et doloris. Juxta quem mo-
Mich. vii, 1. dum loquitur Michæas : Væ mihi, quia factus sum sicut homo qui colligit in autumno racemos vindemiæ. *Ut quid natus sum videre contritionem,* id est destructi- B
onem et desolationem, *populi mei,* de quo natus sum, *et contritionem civitatis sanctæ* Jerusalem, quæ fuit specialiter ad Dei cultum electa, *et sedere illic,* id est, ibi esse ad faciendum sacerdotale officium, si esset possibile ? Circa hæc verba, Væ mihi, ut quid natus sum videre, etc., quidam scribit : Quasi diceret, Minus malum mihi esset, simpliciter non esse, quam tanta populi mala et contemptum cultus divini videre. Quod non videtur idonee dictum. Nam quamvis minus malum sit, non esse C
simpliciter quam peccare, non tamen minus malum est, non esse simpliciter quam videre mala quæcumque pœnæ et culpæ, præsertim dum videntur cum compassione, displicentia, aut mentis renisu, prout Mathathias hic ea vidit. *Quum datur in manibus inimicorum. Sancta in manu extraneorum facta sunt,* id est, sacra loca et vasa templi gentibus tradita sunt ; *templum ejus* contemptum est, et vilibus usibus mancipatum, *sicut homo ignobilis. Quæ gens non hereditavit regnum ejus?* quasi D
dicat : Valde diversæ nationes obtinuerunt successive Judæam, videlicet Assyrii, Chaldæi, Syri et gentes eis admixtæ.

Omnis compositio ejus, id est decor seu venustas, *ablata est. Quæ erat libera, fa-*

Digitized by Google

cta est ancilla : id est, Synagoga seu gens Judæorum, quæ consuevit soli Deo esse subjecta, et ab humanæ servitutis oppressionisque jugo immunis, facta est gentilibus serviens sub tributo ac jugo gravissimo. Thren. I, 1. Sic et Jeremias ait in Threnis : Facta est quasi vidua domina gentium ; princeps provinciarum facta est sub tributo. *Et ecce sancta nostra,* id est sacra observantia legis, *et pulchritudo nostra,* id est templi ac plebis venustas, *et claritas nostra,* id est nobilitas veræ libertatis, consistens in solius Dei obsequio, *desolata est, et coinquinaverunt,* id est corruperunt seu inhonoraverunt, *eam gentes. Quo ergo nobis adhuc vivere ?* id est, potius optare debemus, seu tolerabilius nobis esse debet bene mori, quam tot et talia mala conspicere. Unde quarto libro Regum Dominus ait IV Reg. XXII, 20. Josiæ : Colligam te ad patres tuos, ut non videant oculi tui omnia mala quæ inducturus sum super locum istum.

Et scidit Mathathias et filii ejus vestimenta sua, sicut moris fuit Judæis, et item quibusdam gentilibus in magnis adversis, in signum mœroris ; *et operuerunt,* id est induerunt, *se ciliciis,* affligendo corpus suum ad impetrandum misericordiam Dei ; *planxeruntque valde* ex dolore de calamitatibus tantis, præsertim de dissipatione divini cultus.

Et venerunt illuc missi a rege, ut cogerent eos qui confugerant in civitatem Modin, immolare diis *et accendere thura* ad honorem eorum, *et a lege Dei discedere,* etc. *Et respondit Mathathias, et dixit magna voce : Ego et filii et fratres mei,* id est cognati sive germani, *obediemus legi,* imo et actori datorique legis *patrum nostrorum,* etc.

Et vidit Mathathias Judæum quemdam accedentem ad sacrificandum, *et doluit* de tanto facinore, præsertim quoniam erat scandalizativum omnium adstantium Judæorum ; *et contremuerunt renes ejus,* ex redundantia vehementium affectionum animæ sensitivæque partis in corpus, juxta Is. XXI, 3, 4. illud Isaiæ : Corrui quum audirem, con- A turbatus sum quum viderem ; emarcuit cor meum. *Et accensus est furor ejus,* id est, ira ejus per zelum inflammata est, *secundum judicium legis,* hoc est, sicut lex dictat, et vera requirit discretio : quoniam ira illa sic regulata, cooperatur ad exsequendum actum justitiæ, secundum Philosophum ; *et insiliens trucidavit eum,* scilicet Judæum illum idolo sacrificantem, *super aram :* quemadmodum Phinees perfodit Zambri Judæum, cum Cozbi Madianitide se commiscentem, prout in Numeris narratur. Num. XXV, 8. B *Sed et virum qui cogebat immolare* idolo, *occidit,* tanquam hostem reipublicæ, ac violentatorem ad recedendum a cultu Dei : imo secundum Josephum, Mathathias cum filiis suis, occidit virum illum cum militibus secum missis, qui pauci fuerunt. In Scholastica quoque fertur historia : Surgens Mathathias, trucidavit eum, scilicet præfatum Judæum, et nuntios regis interemit. *Et zelatus est legem,* id est, cum fervore eam dilexit, sicut opere demonstravit : quemadmodum C ait Elias, Zelo zelatus sum pro Domino exercituum. III Reg. XIX, 10, 14. *Et exclamavit : Omnis qui zelum habet legis* divinæ datæ per Moysen, *statuens testamentum,* id est, firmiter proponens vetus Testamentum servare, *exeat post me. Et fugit ipse et filii ejus in montes,* id est ad loca montana deserti.

Denique, ad intelligendum plene historiam hujus primi libri, oporteret habere recursum ad librum sequentem, videlicet secundum Machabæorum, ubi eadem recitantur pro magna parte quæ hic, et fre- D quenter cum additione. Nam et de isto puncto habetur libro secundo Machabæorum. II Mach. XI.

Et renuntiatum est viris regis, id est ministris ac ducibus Antiochi, qualiter quidam contempsissent præcepta illius, et confugissent ad loca deserti, *et abissent post illos multi* fideles Judæi. *Et statim perrexerunt ad eos* viri Antiochi ; *et concitaverunt adversus eos prælium in die sabbati,* scientes quod illa die non repugnarent Judæi. *Et non responderunt* Judæi *eis,* hoc est ministris regis : vel quia mo-

Digitized by Google

dicum responderunt, quod reputatur pro nihilo; vel non responderunt ad ultimo interrogata; aut non responderunt ad vota seu voluntatem quærentium. Aliqua tamen verba responderunt, ut patet in littera. *Nec oppilaverunt,* hoc est non obstruxerunt, *loca occulta,* per quæ hostes potuerunt eos accedere, ne tantumdem operando sabbatum violarent.

Dicentes : Moriamur omnes in simplicitate nostra, id est in simplici fide, qua juxta superficiem litteræ videtur esse illicitum sabbato præliari, quum scriptum sit : Nihil operis facietis in eo. Et iterum : Maneat unusquisque apud semetipsum. Verumtamen ista simplicitas fuit partim columbina, quia simulatione et duplicitatis caruit plica; et partim, ut apparet, asinina, quia discretione et vera intelligentia præcepti de observantia sabbati, fuit privata. Excusabilis tamen fuit in istis, quoniam (ut videtur) nondum fuit ab Hebræorum doctoribus determinatum, quod in sabbato liceret pugnare : imo adhuc tempore Christi inter Judæos conversantis, ipsi Scribæ et Pharisæi præceptum de sanctificatione sabbati male intelligebant. Unde et Christum de violatione sabbati frequenter reprehenderunt, quibus ille convenienter respondit. Itaque per præceptum de sabbati celebratione, non prohibebantur necessaria ad damna vitanda, ut bovem et asinum solvere, et adaquandum deducere, et minus ea quæ necessaria sunt ad vitæ defensionem, ut præliari aut persecutionem fugere, sicut Elias a facie Jezabel fugiens, ambulavit quadraginta diebus. *Et testes erunt super nos cœlum et terra,* id est, cives cœlestes et habitantes in terra testabuntur pro nobis coram summi Judicis tribunali, *quod injuste perditis,* hoc est occiditis, *nos.* Angeli etenim sancti testantur pro sibi commissis et justis in Dei judicio; et viri perfecti, per modum assessoriæ dignitatis, judicabunt cum Christo et ejus approbabunt sententiam. Hinc ait Propheta de Deo : Advocabit cœlum desursum et terram discernere populum suum.

Exod. XII, 16. *Ibid.* XVI, 29. *Matth.* XII, 10; *Marc.* II, 24; III, 2; *Luc.* VI, 2; XIII, 14; XIV, 3; *Joann.* VII, 22; IX, 16. III *Reg.* XIX, 8. *Ps.* XLIX, 4.

A *Et intulerunt illis bellum sabbatis; et mortui sunt usque ad mille hominum animas,* id est mille supposita speciei humanæ: sicque sumitur pars pro toto, quemadmodum in Actorum libro, Eramus universæ animæ in navi ducentæ septuaginta sex. Ex hoc ergo verbo non sequitur, quod animæ hominum sint mortales.

Act. XXVII, 37.

Et dixit vir proximo suo, hoc est, unus Judæorum residuorum fidelium dixit ad alium : *Si non pugnaverimus pro animabus nostris,* id est pro defensione vitæ B nostræ, *et justificationibus,* hoc est observationibus legis, et pro conservatione cultus divini, *citius disperdent nos de terra,* id est, omnes nos trucidabunt, et ita ex erroneo intellectu præcepti de observantia sabbati, sequetur magis inhonoratio Dei et destructio legis, quam conservatio ejus. *Et cogitaverunt in die illa, dicentes : Quicumque venerit ad nos,* id est contra nos, *in bello die sabbatorum, pugnemus contra eum.* Hoc determinaverunt ex informatione Mathathiæ, qui fuit peritus in lege, at- C que ut Josephus refert, dixit : Si sic legem servaveritis, eritis hostes legis, dantes causam ut pereat populus Dei, et lex cum plebe peribit. Et ex tunc inolevit consuetudo Judæis pugnandi in sabbato, si bella consurgant in eo.

Tunc congregata est ad eos, puta ad Mathathiam et suos, *synagoga,* id est collectio Judæorum, *fortis viribus* corporalibus ac spiritualibus, *omnis voluntarius in lege; et omnes qui fugiebant a malis, facti sunt illis ad firmamentum. Et college-* D *runt exercitum,* eligentes sibi Mathathiam in principem, *et percusserunt peccatores,* tam gentiles quos invenerunt, quam Judæos incredulos ad paganismum conversos, *in ira sua* per zelum; *et ceteri* qui eorum manus evaserunt increduli, *fugerunt ad nationes. Et circuivit Mathathias et amici ejus* urbes et valles Judææ, *et destruxerunt aras* idolis fabricatas, *et circumciderunt pueros incircumcisos.* In tali etenim casu non oportuit circumcisionem fieri die octavo a nativitate. *Et prospera-*

Digitized by Google

tum est opus in manibus eorum, id est, A opera bona quæ inceperunt, Deo auxiliante, expeditum habuerunt successum, prosperumque processum ; *et obtinuerunt legem de manibus gentium et regum,* id est, observantiam legis Mosaicæ recuperaverunt, repulsa infidelium potestate, qua ad tempus fuit suppeditata ; *et non dederunt cornu peccatori,* id est, sceleratissimo Antiocho non exhibuerunt exaltationem, sed magis depressionem suæ potestatis, quia ea abutebatur ad contumeliam Creatoris. Idcirco in talibus non fuit ei obe- B diendum, sed resistendum.

Et appropinquaverunt dies Mathathiæ ut moreretur, et dixit filiis suis : Nunc confortata est superbia, id est, Antiochus superbiam suam jam ad tempus potenter per tyrannicam abusionem exsecutus est, *et castigatio,* id est, afflictio nobis per ipsum inducta propter nostra peccata, magna fuit et fortis; *et tempus eversionis,* qua subversa est observantia legis divinæ, roboratum fuit adversus nos. Tempus autem sumit denominationem ab his quæ fiunt C in tempore, ut dicatur bonum vel malum, prosperum aut adversum, forte seu debile. *Et ira indignationis,* id est ultio nostræ transgressionis, nobis inducta ex detestatione divinæ justitiæ, qua nostra delicta detestatus est Deus.

Nunc ergo, o filii, æmulatores estote legis, id est, tempore hujus adversitatis tanto ferventius diligite atque defendite legem, quo acrius impugnatur ; *et date animas vestras,* id est, vitam vestram periculis mortis constanter exponite, *pro testamento* D *patrum,* id est pro defensione veteris Testamenti patribus nostris dati in monte Sinai, ut in Exodo legitur. (Exod. xx.) Quemadmodum enim quilibet homo pro defensione totius corporis sui exponit manum, seu quodcumque aliud membrum; sic pro defensione boni communis, potissime cultus divini, unusquisque debet se totum exponere. *Et mementote operum patrum,* ut ea sequamini, *et accipietis gloriam magnam,* id est copiosam a Deo mercedem, *et nomen æternum,* id est famam laudibus plenam in præsenti et in futuro, juxta illud, In memoria æterna erit justus ; (Ps. cxi, 7.) et alibi, Memoria justi cum laudibus. (Prov. x, 7.) Unde secundum Josephum, inter cetera dixit : Corpora quidem mortalia sunt; operum vero justorum monumenta, id est commemorationes, immortalitatis ordinem consequuntur. Ideo bona quæ nullo fine claudenda sunt, appetatis ; et in quo quis melior fuerit altero, cedentes vobis invicem, propriis ministrate virtutibus.

Abraham nonne in tentatione inventus est fidelis ? id est, ex fide et fidelitate paratus Deo obedire in immolatione carissimi filii sui Isaac, ut in Genesi narratur ; (Gen. xxii, 9, 10.) *et reputatum est ei ad justitiam,* id est, a Deo approbatus est, et justus reputatus pro obedientia illa et voluntate completa. Hinc Jacobus inducit : Abraham pater noster, nonne ex operibus justificatus est, offerens Isaac filium suum super altare ? (Jacob. ii, 21.) *Joseph in tempore angustiæ suæ,* id est captivitatis servitutisque in Ægypto, *custodivit mandatum Dei* de adulterio evitando. Mandata namque Decalogi ad naturalem pertinent legem : quæ sunt de judicio naturalis rationis omnibus insito. Propter quod Joseph dixit ad feminam : Quomodo possum hoc malum facere, et peccare in Deum meum ? ut scriptum est in Genesi. (Gen. xxxix, 9.) *Et factus est dominus Ægypti,* id est præpositus et princeps sub Pharaone, qui dixit ad Joseph, Uno tantum regni solio te præcedam : ut patet in Genesi. (Ibid. xli, 40.) *Phinees pater noster,* de cujus semine nos sacerdotes geniti sumus, *zelando zelum Dei,* id est, amando et exercendo zelum Deo placentem pro conservando Dei honore et impietate ulciscenda : ex quo zelo (ut tactum est) perfodit turpiter agentes ; (Num. xxv, 8.) *accepit testamentum sacerdotii æterni,* id est pactum seu promissionem, quod sacerdotale officium permaneret ei ac posteris ejus per omne tempus veteris Testamenti, juxta illud Numerorum : Locutus est Dominus ad Moysen : Ecce do ei pacem fœderis mei, et erit tam ei quam semini ejus (Ibid. 10, 12, 13.)

Digitized by Google

pactum sacerdotii sempiterni, quia zelatus A est pro Deo suo.

Jesus dum implevit verbum, factus est dux Israel, id est, Josue obediendo in omnibus his quæ sibi Moyses commisit aut jussit, meruit esse et factus est successor Moysis in regimine Israelitici populi, quem-
Num. XXVII, 18, 20. admodum scriptum est in Numeris : Dixit Dominus ad Moysen : Tolle Josue, virum in quo est spiritus Dei, et pone manum tuam super eum, et dabis ei partem gloriæ tuæ, ut audiat eum omnis synagoga filiorum Israel. *Caleb dum testificatur in ecclesia,* B id est, testando coram multitudine filiorum Israel, bonam et fertilem esse terram promissionis, et filios Israel eam posse faciliter obtinere Deo juvante, *accepit hereditatem,* id est promissionem a Deo, quod hereditatem consequeretur in terra promissa : quod qualiter actum sit et imple-
Ibid. XIV, 30, 38; *Josue* XIV, 6 *et seq.* tum, in Numerorum et Josue libris recitatur. *David in sua misericordia,* id est merito suæ pietatis, quam in multis, præsertim in inimicissimo sibi Saule sæpe monstravit : quia nec tunc voluit, nec per- C misit eum occidi, quando quærebatur ab ipso Saule ad occidendum. Unde legitur
I *Reg.* XXVI, 9. primo Regum libro : Dixit David ad Abisai : Ne interficias eum ; quis enim extendet manum suam in christum Domini, et innocens erit? *Consecutus est sedem regni.*

Elias dum zelat, id est, amat et implet, *zelum legis,* id est affectum quem habuit pro legis ac divinæ majestatis honore : ob quam causam restitit Achab regi, et pro-
III *Reg.* XVIII, 40; IV *Reg.* I, 10, 12. phetas Baal occidit, quinquagenariosque cœlesti igne procuravit comburi; *receptus* D *est in cœlum,* id est, in cœlum aerium meruit elevari, atque in curru igneo ad
IV *Reg.* II, 11. paradisum transferri, prout quarto Regum libro describitur. *Ananias, Azarias, Misael credentes* perfecte in Deum, *liberati*
Dan. III, 21 *et seq.* *sunt de flamma,* hoc est, in medio fornacis ardentissimæ manserunt, et inde exierunt illæsi. Propter quod Nabuchodonosor
Ibid. 95. dixit : Benedictus Deus eorum, qui misit angelum suum, et eruit servos suos, quia crediderunt in eum : prout in Daniele scriptum est. *Daniel in sua simplicitate* columbina, qua in omnibus Deum sinceriter coluit, nec adulantibus, nec comminantibus cessit, *liberatus est de ore leonum,* secundum quod ipse ait in libro suo Dario regi : Deus meus misit angelum, et con- *Dan.* VI, 22
clusit ora leonum, et non nocuerunt mihi. Quod miraculum etiam secundo contigit Danieli sub Cyro rege, ut Danielis quarto- *Ibid.* XIV, 30 *et seq.*
decimo est scriptum.

Et ita cogitate per generationem et generationem, id est, ea quæ acciderunt per generationum successiones et temporum intervalla fidelibus, ad memoriam revocate, prout in libris Moysis, Josue, Judicum, Regum, etc., continetur ; *quia omnes qui sperant in eum,* id est, in Deum confidunt spe formata, *non infirmantur,* id est, non deficiunt corde, sed roborantur in Domino mente et etiam sæpe in corpore. Ideo ait Psalmista : In Domino sperans non in- *Ps.* XXV, 1.
firmabor. Ecclesiasticus quoque asserit : Nullus speravit in Domino, et confusus *Eccli.* II, 11.
est. Et rursus hortatur Propheta : Exspecta *Ps.* XXVI, 14.
Dominum, viriliter age, et confortetur cor tuum, et sustine Dominum.

Et a verbis peccatoris, id est ex comminationibus Antiochi, *ne timueritis* timore carnali immoderato : secundum quod Christus ait in Evangelio, Nolite timere eos *Matth.* X, 28.
qui corpus occidunt. Unde et in Isaia habetur : Quis tu ut timeas ab homine mor- *Is.* LI, 12.
tali, et a filio hominis qui quasi fœnum arescet? Ideo Salomon loquitur : Qui timet *Prov.* XXIX, 25.
hominem, cito corruet. *Quia gloria ejus stercus et vermis est,* id est, gloriatio ejus, inanis decor et apparatus, vilis est, fœtida, et cito putrescens. *Hodie extollitur, et cras,* id est cito post hæc, *non invenietur,* quia per mortem erit sublatus : juxta illud in Psalmo, Vidi impium superexaltatum, *Ps.* XXXVI, 35, 36.
et transivi, et ecce non erat. *Quia conversus est in terram suam.* Hoc quidam exponunt de corporali Antiochi reversione ad terram Syriæ, ut dictum est capitulo præcedenti. Sed expositio hæc non consonat litteræ præcedenti, pro cujus causa istud inducitur. Ideo sensus est : Quia conversus

Digitized by Google

est in terram suam, id est, post mortem A protinus resolvetur in terram, de qua secundum corpus formatus est, juxta illud : Ps. CXLV, 4. Exibit spiritus ejus, et revertetur in terram suam. Nam et primo parenti Dominus Gen. III, 19. dixit : In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua sumptus es. Fuit autem hoc ipsum quod ait hic Mathathias, in Antiocho adimpletum, quia post paucos annos exspiravit ex ægritudine molestissima, qua de ejus corpore vermes ebulliebant, tantusque fœtor, II Mach. IX, 5 et seq. quod nullus poterat eum ferre, ut infra B secundo libro narratur. *Et cogitatio ejus peribit* *, id est, effectu optato frustrabitur, et damnationem recipiet.

* alias *periit*

Vos ergo, filii, confortamini, id est, vos ipsos invicem animate, et sperando in Domino robur accipite, atque pro confortatione corporis et animæ Deum fideliter invocate. Bellatoribus autem specialiter necessaria est fortitudo : quæ est virtus cardinalis, per quam homo viriliter aggreditur ardua, et in periculis mortis constanter se habet ac fortiter præliatur. Hinc C Josue I, 9. Josue Dominus jussit : Ecce præcipio tibi, confortare et esto robustus valde. *Et viriliter agite in lege,* ita ut eam personaliter impleatis, et a populo vestro observari pro viribus faciatis ; *quia in ipsa gloriosi eritis,* id est famosi et beati, si eam sic observaveritis.

Et ecce Simon frater vester, scio quod vir consilii est, id est industriosus, circumspectus et prudens, ad dandum consilia bona aptus : qui et in dono consilii abundavit ; *ipsum audite* auribus cordis D et corporis, *semper,* omni scilicet tempore opportuno, præsertim in bellicis rebus : in quibus prudentia plus valet quam corporalis fortitudo ; imo et fortitudinem, quæ est virtus, prudentia dirigit. Hinc scriptum Sap. VI, 1. in libro Sapientiæ : Melior est sapientia quam vires, et vir prudens magis quam fortis. Hoc Ecclesiastes plenius memorat : Eccle. IX, 16, 18. Melior est sapientia fortitudine. *Et ipse erit vobis pater,* id est loco patris, quantum ad consiliarem directionem. Siquidem ratione eminentiæ in sapientia, aliquis non immerito pater vocatur. *Et Judas Machabæus fortis viribus a juventute,* id est ab exordio juventutis suæ, in qua adhuc est : imo nec ad senectutem pervenit, ut infra I Mach. IX, 18. patebit ; *sit vobis princeps militiæ :* quoniam aptus est stare in acie, et propriis factis alios animare ; *et ipse aget bellum populi,* id est, principalis erit in præliis vestræ communitatis.

Et adducetis ad vos omnes factores legis, id est, Judæos qui permanserunt in observantia legis, colligite et vobis associate. Nam et hi qui bene se habent in divinis, sunt melioris fiduciæ, secundum Philosophum, et magis adjuvari merentur a Domino. Propter quod secundo Paralipomenon libro Propheta ait Amasiæ regi Juda : O rex, ne egrediatur tecum exercitus Is- II Par. XXV, 7. rael ; non enim est Dominus cum Israel. *Et vindicate vindictam populi vestri,* id est, vindicando exercete zelo justitiæ debitam ultionem in adversarios vestros pro crudelitatibus et sceleribus quæ commiserunt in populum vestrum, magis autem in Deum. *Retribuite retributionem,* id est justam vindictam, *gentibus* vos impugnantibus.

Et benedixit eos, id est, filiis suis imprecatus est bona, commendavitque eos Deo ; *et appositus est ad patres suos,* id est defunctus, et quantum ad animam suam, adjunctus patribus suis in limbo ac Abrahæ sinu, saltem post purgatorii pœnas, si quid purgandum detulit secum. *Et mortuus est centesimo et quadragesimo sexto anno,* non vitæ suæ, quia non vixit tam diu, sed regni Græcorum. Unde elicitur, quod uno tantummodo anno præfuit populo in ducatu prædicto. Antiochus enim I Mach. I, 21. intravit Jerusalem anno centesimo et quadragesimo tertio ; deinde post duos annos Ibid. 30. misit principem tributorum, qui vastavit Jerusalem, ut patuit. Tuncque surrexit, et se erexit Mathathias cum suis contra Antiochum ; et obiit anno centesimo et quadragesimo sexto.

Moralitas. Ex isto capitulo multipliciter informamur : principaliterque instituimur, quam

Digitized by Google

cordialiter et amarissime debeamus ruinam Ecclesiæ deplorare, et pro ejus reformatione per orationes, lacrimas, abstinentias, humiliationes et corporum nostrorum afflictiones jugiter laborare; qualiter etiam principes christiani et cuncti fideles ad hoc idonei, debeant adversariis fidei infatigabiliter repugnare, et esse parati ad mortem pro defensione christianæ religionis ac boni communis, atque pro viribus suis consilio et auxilio reformare collapsa. A Insuper instruuntur prælati ac præsidentes, ut morti appropinquantes, solliciti sint de fructuoso regimine subditorum suorum post suam decessionem, et maxime ut virtuosi, discreti, condigni ad præsidentiam provehantur. Postremo docemur hic sanctorum patrum virtutes et exempla perpendere ac sectari, sicque confortari et sperare semper in Domino, et inordinatum timorem abjicere, et usque ad mortem zelari pro Dei honore ac communi salute.

ARTICULUS III

ELUCIDATIO CAPITULI TERTII : ET SURREXIT JUDAS QUI VOCABATUR MACHABÆUS.

RECITATUR hic, qualiter filii Mathathiæ exsecuti sint inclyti patris sui præcepta in bellis; et excellentia Judæ Machabæi hic declaratur. *Et surrexit,* id est, ad actus strenuos se erexit, *Judas ; et adjuvabant eum fratres sui,* ac ceteri *qui se conjunxerant patri ejus, et præliabantur prælium Israel cum lætitia,* id est, alacriter et jucunde exercuerunt prælia pro communi bono Israeliticæ plebis. Exercuerunt enim prælia ex virtute multiplici, videlicet ex caritate Dei et proximorum, ex zelo justitiæ, ex fortitudine quæ C est virtus cardinalis, atque ex latria quæ Deo cultum et cærimoniam exhibet. Signum autem virtutis est delectatio actioni annexa. Ideo quod Aristoteles quærit in Ethicis, an fortitudo habeat delectationem in actibus suis, ex isto habet responsionem.

Et dilatavit gloriam populo suo, id est, famam et jucunditatem auxit undique Israeliticæ plebi ; *et induit se loricam sicut gigas :* imo veraciter gigas fuit, non corporis mole, sed operum strenuitate ; *et* D *succinxit se arma bellica sua in præliis, et protegebat castra,* id est turbas Israel, *gladio suo. Similis factus est leoni in ope-* B *ribus suis :* quia sicut leo est fortissimus bestiarum, ad nullius pavens occursum, sic ipse fuit pro tunc fortissimus virorum, nullum metuens inimicorum ; *et sicut catulus leonis rugiens in venatione.* Nam sicut catulo leonis, seu leone bestiam insequente ut devoret eam, rugiente, bestia præ timore figit gradum, sic adversarii audito nomine hujus Judæ perterrebantur. Ideo subditur : *Et persecutus est iniquos, et* omnes *succendit flammis, et repulsi sunt,* id est, fugerunt *præ timore, inimici ejus ; et directa est salus in manu ejus,* id est, liberatio et prosperitas Israeliticæ plebis expedite a Deo concessa et peracta est per fortitudinem et obsequium Judæ : qui fuit instrumentum et minister Omnipotentis, qui per ipsum Judam decrevit sic populo suo succurrere. *Et exacerbabat,* id est, ad amaritudinem provocabat, *reges multos :* quorum populos ac subditos expugnavit, videlicet Idumæos, Ammonitas, Moabitas, Philistæos, Syros ac alios, ut infra habetur ; *et in sæculum memoria ejus in benedictione,* id est cum laude et imprecatione boni, quia qui audiunt gesta ipsius, dicunt : Benedicatur seu benedictus sit a Domino.

Prov. xxx, 30.

I Mach. v.

Digitized by Google

Et perambulavit civitates Juda, et perdidit impios ex eis, et avertit iram ab Israel, id est, Israeliticum populum liberavit a tribulationibus, quas diu sustinuit ab infidelibus ex ira illorum contra ipsum, vel ex ira Dei propter vitia populi, quem reduxit ad Dei devotum obsequium. *Et nominatus est usque ad novissimum terræ,* id est undique valde longe ac late, ut sit hyperbolica locutio : et potuit esse quod usque ad quosdam fines terræ habitabilis devenerit fama ejus, sicut et fama Herculis ; *et congregavit pereuntes,* id est Judæos qui a gentilibus opprimebantur, et per timorem atque supplicia ad gentilitatis facinora trahebantur.

Et congregavit Apollonius gentes. Apollonius iste fuit unus de principibus Antiochi, duxque Samariæ : ad quod insinuandum subjungitur, *et a Samaria virtutem multam et fortem,* id est copiosum et robustum exercitum. *Et cognovit Judas* ex revelatione quorumdam, forsitan Israelitarum in Samaria commorantium, vel exploratorum suorum ; *et exiit obviam illi,* antequam introiret Judæam, *et occidit eum. Et gladium Apollonii abstulit* ab occiso : quem exuit armis, secundum Josephum, sicut
I Reg. xvii, 51. David ensem Goliath ; *et erat pugnans in eo,* id est cum gladio illo, *omnibus diebus,* quibus pugnavit : quo constat quod fuit gladius valde valens.

Consequenter describitur aliud bellum. *Et audivit Seron princeps exercitus Syriæ* inferioris, *quod congregavit Judas congregationem fidelium, et ecclesiam secum, et ait : Faciam mihi nomen,* id est celebrem famam, *et glorificabor in regno* toto Antiochi, *et debellabo Judam.* Ecce ambitio magna et præsumptio stulta : ideo
Jacob. iv, 6. Deus qui resistit superbis, prostravit impium illum per electum pugilem suum Judam. *Et præparavit se ; et ascenderunt cum eo,* id est cum Seron, *castra,* id est turbæ armatæ, *impiorum :* inter quos (ut fertur) fuerunt multi transgressores perfidique Judæi a Juda expulsi. *Et exivit Judas obviam illis cum paucis,* Deo sic

A disponente, ut victoria Judæ gloriosior fieret, et a Deo concessa evidenter agnosceretur. *Ut viderunt autem* pauci qui erant cum Juda, *exercitum adversariorum venientem obviam eis,* esse magnum et fortem, *dixerunt Judæ* ex humano timore : *Quomodo poterimus pauci pugnare ad,* id est contra, *multitudinem tantam tam fortem ?*

Et ait Judas : Facile est concludi, id est comprehendi et vinci, *multos in manu,* id est per manum et operationem seu pote-
B statem, *paucorum :* et hoc, Deo auxiliante, sicut subjungitur. *Et non est differentia in conspectu Dei liberare in multis et in paucis,* id est, Deo omnipotenti æque facile est adversarios expugnare per paucos ab ipso adjutos, et per multos tales ; *quia non in multitudine exercitus victoria belli* consistit tantum aut principaliter : quia divinæ providentiæ cuncta subduntur, et Deus secundum censuram sapientiæ atque justitiæ suæ, largitur nunc isti, nunc illi victoriam, et frequenter ex occultissimis
C causis seu meritis, et ipse ad libitum suum corda bellantium immutat, confortat, debilitat, confundit, obstupefacit, afficit, ordinat, exhilarat et contristat. Hinc primo Regum libro bonus et magnanimus ille Jonathas ait : Non est Domino difficile sal- I Reg. xiv, 6.
vare in multis vel in paucis. Secundo quoque Paralipomenon libro Asa rex loquitur Deo : Domine, non est apud te ulla distan- II Par. xiv, 11.
tia, utrum in paucis auxilieris, an in pluribus. Et nisi ista pensentur, quasi incredibiles essent multæ historiæ Scripturarum
D de vario et inopinato eventu bellorum. Si autem hæc perpendantur, absque dubitatione creduntur. Hinc subditur : *sed de cœlo fortitudo est,* id est, potestatem prævalendi atque victoriam Deus qui in cœlo esse et habitare asseritur, præstat, juxta illud Proverbiorum : Equus paratur ad Prov. xxi, 31.
diem belli, Dominus autem salutem tribuet. *Ipsi veniunt ad nos in multitudine contumaci,* quia de viribus suis præsumunt, nosque despiciunt. *Nos autem pugnabimus pro animabus nostris et legibus*

Digitized by Google

nostris, id est pro defensione vitæ nostræ, ac legum seu institutionum nostrarum. Lex etenim Moysis, fuit lex una aggregative continens plures leges, id est jussiones particulares. Unde per Moysen
Lev. xviii, 5; xix, 19. Dominus dixit : Leges meas custodite. *Et Dominus conteret,* id est dejiciet, *eos.* Hoc fuit verbum bonæ spei, imo ex divina inspiratione prolatum. *Vos autem ne timueritis eos.*

Ut cessavit autem loqui, insiluit in eos subito, ex impulsu divino : sicut in libro Judicum de ipsis virtuosis judicibus sæpius legitur, quod irruit in eos, seu factus
Judic. xi, 29; xiv, 6, 19; xv, 14. est in eis Spiritus Domini, sicque fecerunt hoc aut illud. *Et contritus,* id est destructus, dissipatus, victus, *est Seron et exercitus ejus, et ceciderunt ex eis octingenti viri.* Refert Josephus, quod Judas occidit ipsum Seron ducem Syrorum et octo millia. *Et de prœliis Judæ narrabant omnes gentes,* id est quædam de omnibus, vel omnes in circuitu Judææ morantes.

Ut audivit autem Antiochus rex sermones istos, iratus est animo, quod Judæi, quos pro nihilo reputavit, et sine resistentia ad libitum tribulavit, ita prævaluerunt principibus et exercitibus suis ; *et congregavit exercitum universi regni sui,* volens Judæos funditus exstirpare ; *et aperuit ærarium suum,* id est locum thesauri. *Et vidit quod defecit pecunia de thesauris suis,* id est in repositoriis thesaurorum, vel pecunia sumpta de thesauris suis, *et tributa regionis modica,* id est, quod regiones sibi subjectæ solverent sibi parva tributa : quoniam oderant eum, et paulatim rebellabant, eo quod abstulit eis leges eorum, et cultum deorum suorum. Unde subjungitur : *propter dissensionem et plagam quam fecit in terra, ut tolleret legitima quæ erant a primis diebus,* id est ab antiquo, quo diversæ gentes deos suos colere inceperunt. *Et timuit ne non haberet sicut semel et bis, in sumptus,* id est, ne non haberet facultatem dandi exercitui sufficientia stipendia pro expensis, sicut antea sæpius dedit.

A *Et consternatus,* id est deficiens et dejectus, *animo erat valde, et cogitavit ire in Persidem* ad colligendum ibi *tributa regionum* sibi tributariarum. Erat enim terra plurimum opulenta, præsertim in argento et auro, sicut ex libris Esther et Esdræ colligitur. *Et reliquit Lysiam hominem nobilem de genere regali,* qui infra II Mach. xi, 35.
vocatur cognatus regis, videlicet filii hujus Antiochi : ex quo elicitur, quod fuit cognatus Antiochi hujus aut suæ uxoris ; *super negotia regia,* ut esset quasi vicarius
B regis in regimine regni et negotiorum ad regem spectantium. *Et exiit* Antiochus *ab Antiochia civitate regni sui,* tunc metropolitana, videlicet Syriæ : cujus ante metropolis fuit Damascus, juxta illud Isaiæ, Caput Syriæ Damascus. Denique, urbs illa Is. vii, 8.
tempore Antiochi et ante vocabatur Emath, sicque vocatur in Zacharia propheta : quam Zach. ix, 2.
Antiochus reparans, a nomine suo Antiochiam appellavit ; quæ antea vocabatur et Reblatha, ut quarto Regum libro, quo legi- IV Reg. xxv, 6.
tur quod Chaldæi adduxerunt Sedeciam re-
C gem ad regem Babylonis in Reblatha. *Anno centesimo quadragesimo septimo* regni Græcorum, etc., sicut expositum est, hoc est undecimo anno regni Antiochi : qui (ut supra habetur) cœpit regnare anno I Mach. i, 11.
centesimo tricesimo septimo regni Græcorum monarchici, secundum sensum præhabitum.

Et vidit Judas et fratres ejus, quod multiplicata sunt mala, id est adversa atque pericula eis imminentia, scilicet quod exercitus adversariorum a Lysia missus,
D copiosus, robustus, et expertissimos duces in rebus bellicis habens, quorum unus fuit Gorgias, qui libro secundo dicitur in tali- II Mach. viii, 9.
bus fuisse expertissimus, appropinquaret ad eos, sicut subjungitur : *et exercitus* Syrorum *applicabat ad fines eorum. Et cognoverunt* Judas et sui *verba regis* Antiochi, *quæ mandavit populo nostro* videlicet *facere in interitum et consummationem,* id est Judæos omnes occidere, et prorsus de terra auferre : sicque quod dicitur, Populo, posset referri ad verba ista sequentia, quod

Digitized by Google

scilicet jussit populo Judæorum inferri interitum et eradicationem finalem. *Et dixerunt unusquisque* Judæorum cum Juda exsistentium, *ad proximum suum,* animando se invicem : *Erigamus dejectionem populi nostri,* id est, ruinam et oppressionem plebis nostræ recuperemus, resistendo adversariis, quatenus plebs nostra dudum dejecta et hostibus subdita, jam eis prævaleat, *et pugnemus pro populo nostro et pro sanctis nostris,* id est pro conservatione legum nostrarum et sacrorum locorum ac solennitatum. *Et congregatus est conventus* Judæorum ad Judam ex diversis urbibus Judææ, *ut essent parati ad prælium,* imo ad omnia necessaria et accommoda ad victoriam obtinendam, et quæ Judas eis præciperet, *et ut orarent, et peterent misericordiam,* id est pietatem gratiæ Dei, *et miserationes,* id est multiplices divinæ pietatis effectus contra diversas miserias eis inexsistentes aut imminentes.

Et Jerusalem non habitabatur, sed erat sicut desertum ; et sanctum, id est locus templi seu ipsum templum, *conculcabatur* a pessimis et crudelissimis gentilibus prope templum morantibus, et circa templum seu per illud discurrentibus. De quibus subjungitur : *et filii alienigenarum erant in arce ; et ablata est voluptas a Jacob,* id est, a Judæis ex Jacob natis ablata est multiplex lætitia, quam consuebant habere in solennitatibus, in quibus confluebant ad templum, præcipue ter in anno, atque in sacrificiis quæ fiebant in templo ; *et defecit ibi tibia et cithara,* id est musica instrumenta, quibus in officiis Dei ex devotione utebantur : imo cum instrumentis talibus et melodiis eorum solebant venire ad templum seu sacrificii locum, prout primo Regum libro patet. I *Reg.* I, 5.

Et venerunt in Maspha, id est oppidum Judææ sic nuncupatum, *contra Jerusalem,* id est ex opposito : quatenus ab illo loco dirigerent facies suas versus templum in sua oratione, prout tertio libro Regum agendum esse innuitur ab his, qui ad templum venire non poterant ; quemadmodum etiam Daniel se fecisse testatur, quum esset cum Dario rege ; *quia locus orationis erat in Maspha ante in Israel,* id est, filii Israel, templo nondum constructo, solebant convenire in Maspha ad orandum. Scriptum est enim primo libro Regum : Dixit Samuel, Congregate universum Israel in Maspha, ut orem pro vobis Dominum. In Judicum quoque libro : Locutus est Jephte omnes sermones suos coram Domino in Maspha. *Et jejunaverunt illa die,* ad impetrandum misericordiam et miserationes. Ob quam causam fecerunt et ea quæ sequuntur : *et induerunt se ciliciis, et cinerem posuerunt in capite suo,* id est, capitibus suis supersparserunt, humiliando se valde, in signum mœroris, sicut de amicis suis Job loquitur : Sparserunt pulverem super caput suum in cœlum. *Et destituerunt* * *vestimenta sua,* id est, in signum desolationis abjecerunt vestes valoris et alicujus jucunditatis, indueruntque lugubres vestes. Aliqui tamen exponunt, Destituerunt, id est, sciderunt.

(III *Reg.* VIII, 44. — *Dan.* VI, 10. — I *Reg.* VII, 5. — *Judic.* XI, 11. — *Job* II, 12. — * alias *disciderunt,* vel, *dissuerunt*)

Et expanderunt libros legis : forsitan ad legendum aliqua capitula ex eis pro populo confortando ; vel, ut aliqui dicunt, in signum quod parati erant se morti exponere pro lege tuenda ; sive ut Deus dignaretur attendere et implere promissiones, quas in Deuteronomio repromisit zelatoribus et observatoribus legis, quod scilicet daret eis victoriam contra æmulos legis. *De quibus* libris *scrutabantur gentes similitudinem simulacrorum suorum,* id est, gentiles inquirebant comprobare culturam idolorum suorum, quia ex libris legis probabant in tabernaculo Moysis ex præcepto Dei fuisse similitudines sive imagines Cherubim, juxta illud Exodi : Duos Cherubim aureos et productiles facies ex utraque parte oraculi. Hæc autem probatio fuit inefficax, quia imagines non erant positæ ibi ut adorarentur vel colerentur, neque ut res quas repræsentabant, videlicet angelici spiritus, colerentur ut dii, sed ad designandum quod mentes illæ angelicæ jugiter Creatori adsistant ad obsequen-

(*Deut.* XXVIII, 7. — *Exod.* XXV, 18.)

Digitized by Google

dum. Gentiles autem ista scrutantes ex lege, fuerunt eruditi, et forsan philosophi, cognoscentes esse unum summum Deum, et nihilo minus deos suos colentes. Imo quidam philosophi, ut Porphyrius, concesserunt legem Moysis esse datam a Deo, nec idololatriam esse in lege prohibitam nisi Hebræis, dicentes quod Deus altissimus voluit solus coli ab illis, non tamen voluit deos non adorari ab aliis gentibus : ad quod allegabant illud Exodi, Diis non detrahes ; et illud, Si dixerit servus, Diligo dominum meum, offeret eum dominus diis. Contra quam stultam opinionem arguit Augustinus in libro de Civitate Dei.

Exod. xxii, 28.
Ibid. xxi, 5, 6.

Et attulerunt ornamenta sacerdotalia, ad ostendendum quod libenter eis uterentur in templo Dei, si possent, et extra, si liceret, *et primitias et decimas,* quæ solebant in templo offerri ; *et suscitaverunt,* id est, ad invocandum Deum induxerunt, *Nazaræos,* videlicet quosdam specialiter Deo consecratos, *qui impleverant dies* voti sui, quo voverant se Deo vacaturos ad certum tempus : quo expleto, debebant sacrificia quædam offerre Deo, prout in Numeris scribitur. Aliqui vero erant nazaræi per totum tempus vitæ suæ, ut Samson et Samuel. Unde in Judicum libro loquitur Samson : Nazaræus, id est, consecratus Domino sum de utero matris meæ. Idem patet de Samuele primo Regum libro. *Et clamaverunt voce magna in cœlum,* id est ad Deum cœli : cui magnitudo vocalis clamoris accepta non est, nisi in quantum procedit ex magnitudine devotionis et piæ affectionis : *Quid faciemus istis, et quo eos ducemus?* quasi dicant : Dolemus quod non possumus uti ornamentis sacerdotalibus aliisque prædictis, in templo, nec illuc ducere Nazaræos. Idcirco tu, Domine, subveni. *Et sancta tua conculcata sunt et contaminata,* id est, sacra templi loca ingressi sunt perfidi, et contaminaverunt ea vitiis gulæ atque luxuriæ ac idololatriis : prout secundo libro clarius continetur. *Et sacerdotes tui facti sunt in luctum et in humilitatem,* id est, propter tam abominabilia scelera ploraverunt et humiliaverunt se et sunt despecti. *Quomodo poterimus subsistere ante faciem eorum, nisi tu, Deus, adjuves nos? Et tubis exclamaverunt,* id est, buccinis sacerdotalibus cecinerunt ad impetrandum auxilium Dei, sicut in Josue fecisse leguntur.

Num. vi, 13-17.
Judic. xvi, 17.
I Reg. i, ii, 28.
II Mach. v, 15, 16; vi, 2-5.
Josue vi passim.

Et post hæc constituit Judas duces populi, id est, exercitum suum ordinate distinxit, et quosdam quibusdam juxta legem præfecit, videlicet *tribunos, et centuriones, et pentacontarchos, et decuriones.* Porro tribunus præfuit bellatoribus mille ; centurio, centum ; pentacontarchus, id est quinquagenarius, præfuit quinquaginta ; decurio, decem. De quibus in Exodo legitur : Constitue tribunos, et centuriones, et quinquagenarios, et decanos. *Et dixit* Judas *his qui ædificabant domos, et sponsabant uxores, et plantabant vineas, et formidolosis, ut redirent unusquisque in domum suam secundum legem.* Nam in Deuteronomii volumine jussum fuit, ut tales redirent ab exercitu ad propria loca, qui de novo erexerant sibi domum aut vineam, aut sponsam acceperant, seu pavidi cordis erant, ne desiderio novæ rei et timore separandi ab ea, vel ex formidine mortis fierent ad bella inepti, aliosque redderent pavidos.

Exod. xviii, 21.
Deut. xx, 5-8.

Et moverunt Judas et sui, et etiam hostes, *castra,* id est turmas suas. *Et ait Judas* bellatoribus suis : *Accingimini,* id est, armis accingite vos, *et estote filii potentes,* id est fortes corde et corpore, confidentes in Deo ; *quoniam melius,* id est commendabilius, magisque meritorium, *est nobis mori in bello* justo ex parte nostri, quod inimus ex caritate et zelo justitiæ pro divini cultus et boni communis defensione : quod æquipollet martyrio ; *quam videre mala gentis nostræ et sanctorum,* id est adversitates, mortes et profanationes populi nostri et sacrorum locorum. *Sicut autem fuerit voluntas in cœlo, sic fiat.*

Digitized by Google

ARTICULUS IV

EXPLANATIO CAPITULI QUARTI : ET ASSUMPSIT GORGIAS QUINQUE MILLIA VIRORUM.

I *Mach.* III, 44 et seq. EXSECUTIO belli, de cujus apparatu dictum est in præcedentibus, describitur hic. *Et assumpsit Gorgias quinque millia virorum et mille equites electos,* ut in ipsa nocte improvise superveniret exercitui Judæ, et occideret eum. Erat enim II *Mach.* VIII, 9. Gorgias in hujuscemodi bellorum cautelis, insidiis et circumventionibus plurimum tritus. *Et filii qui erant in arce,* id est quidam gentiles in arce morantes, *erant illis duces,* id est, itinera aptiora ostenderunt Gorgiæ ac suis. *Et audivit Judas* machinationem Gorgiæ : quæ fuit sibi per aliquem revelata, Deo sic ordinante ; *et surrexit ipse* Judas, *et potentes,* id est fortes viri qui secum erant, *percutere virtutem exercituum regis,* id est ad interficiendum improvise totum reliquum agmen Antiochi missum a Lysia : ut sic ars arte illuderetur, et industria justi fraudem impii superaret. *Adhuc enim dispersus erat exercitus* Gorgiæ *a castris,* id est ab exercitu illo magno a Lysia misso : ad quem exercitum nondum reversus fuit Gorgias cum suis.

Et venit Gorgias in castra, id est loca castrorum seu tentoria, *Judæ nocte, et neminem invenit ; et quærebant eos in montibus.* In libro isto specialem difficultatem intelligendi textum, inducit frequens variatio nominum et verborum, quoad numerum, seu de numero singulari ad pluralem, et econverso, atque relatio ad diversa, et introductio appositivorum tertiæ personæ sine expressione suppositivorum. Ideo ad intelligentiam litteræ necessarium est, circumstantiam ejus et præcedentia ac sequentia intueri. Sic et nunc, quum singulariter dictum est, Venit Gorgias et neminem invenit, pluraliter additur, Et quærebant eos in montibus. Sensus est, quod Gorgias et sui quærebant Judam atque exercitum ejus in montibus, ad quos putavit Gorgias Judam et suos ex timore fugisse. Ideo subditur, *quoniam dixit* ipse Gorgias : *Fugiunt hi a nobis.*

Et quum dies factus esset, apparuit Judas in campo cum tribus millibus virorum tantum, qui tegumenta et gladios non habebant : et hoc propter paupertatem, ut Josephus et Magister in historiis dicunt. Aliis nonnullis videtur hoc stare non posse, quia capitulo præcedenti narrantur Judas et sui in duobus præliis prævaluisse, et spolia occisorum tulisse. Ideo dicunt correctum textum hunc esse : Quoniam tegumenta et gladios non habebant. Ac si dicatur : Ideo non fuerunt cum Juda, nisi tria millia, quia non habuerunt arma et enses pro pluribus. Quamvis autem hoc dictum apparentiam habeat, securius tamen videtur sequi primam expositionem, quia et libri correcti communiter habent, *qui non :* quia et Josephus ita refert, qui tamen scribit octo millia fuisse occisa de exercitu Seron, ut patuit in expositione præcedentis capituli. Itaque dici potest, quod tria millia ista non habuerunt tegumenta et gladios ad sufficientiam : sicut aliquis dicitur nudus, quia male seu parum vestitus. Denique primo Regum volumine legitur : Quumque venisset dies prælii, non est inventus ensis et lancea in manu totius populi qui erat cum Saul et Jonatha, excepto Saul et Jonatha filio ejus ; et tamen ante prælium illud Saul cum suis expugnaverat Ammonitas, ut legitur primo Regum. Estque probabile quod eorum spolia abstulit, inter quæ erant et arma. (I *Reg.* XIII, 22.) (*Ibid.* XI, 11.)

Digitized by Google

Et viderunt hi qui erant cum Juda, *castra gentium valida, et loricatos* esse pedites adversariorum, *et equitatus,* id est equestres, *in circuitu eorum,* pro defensione et subsidio peditum ; *et hi,* puta equestres, erant *docti ad prælium.* Judæi autem non erant exercitati in bellicis rebus, nisi forsitan quidam eorum ad aliquantulum tempus. *Et ait Judas viris qui secum erant : Ne timueritis multitudinem eorum. Mementote quomodo salvi facti sunt,* id est a morte et occisione Ægyptiorum erepti, *patres nostri in mari Rubro,* id est in siccato fundo maris illius. Tanquam dicat : Non propria et humana, sed divina virtute prævalere confidite. *Et nunc clamemus in cœlum,* id est ad Deum cœli, tam fervide, ut oratio nostra ad ipsum pertingat : qui tamen vere ubique est. Juxta quod in Ecclesiastico dicitur : Oratio justi penetrat cœlos. *Et miserebitur nostri Dominus, et memor erit testamenti patrum nostrorum,* id est pacti quod iniit et percussit cum eis, dicens, quod pugnantes in ipso confidentes juvaret. Itaque Judas implevit illud Deuteronomii : Si exieris ad bellum, et videris equitatum et currus, et majorem quam tu habes, adversarii exercitus multitudinem, non timebis eos. Appropinquante autem prælio, stabit sacerdos ante faciem exercitus, dicens : Audi, Israel : vos hodie contra inimicos vestros pugnam committitis ; nolite metuere, nolite cedere, quia Dominus in medio vestri est, et pro vobis dimicabit.

Exod. XIV, 21-31.

Eccli. XXXV, 21.

Deut. XX, 1-4.

Et levaverunt alienigenæ, id est exercitus Lysiæ, *oculos suos, et viderunt eos,* scilicet Judam et suos, *venientes ex adverso. Et tuba cecinerunt qui fuerant cum Juda,* in signum audaciæ et confidentiæ magnæ in Deo. Nempe, secundum Josephum, Judas inter cetera dixit ad suos : Etiam nudis corporibus pugnare debemus et Deum invocare, qui sæpius nos inermes contra plures et armatos victoriam fecit acquirere. Et persecutus est Judas alienigenas fugientes. *Et apparuit pars quædam prospiciens de monte,* id est pars

A exercitus quem Gorgias assumpsit ut Judam expugnaret : cujus exercitus pars prospexit in campum de monte, in quo Gorgias quæsierat Judam. *Et vidit Gorgias quod in fugam conversi sunt sui,* id est exercitus ille missus a Lysia : de quo exercitu Gorgias millia sua accepit ; *et succensa sunt castra,* id est tentoria seu tabernacula suorum, quæ Judas succendit illis fugatis. *Quibus illi,* puta Gorgias et ejus exercitus, *conspectis, timuerunt valde. Et fugerunt omnes in campo alienigenarum.*

B *Et acceperunt* Judas et ejus exercitus, *aurum multum et argentum et hyacinthum et purpuram marinam et opes magnas :* quæ omnia a fugientibus erant relicta in campo. Hyacinthus autem interdum pro flore, quandoque pro gemma, aliquando pro genere panni accipitur. Has autem divitias pro parte attulerunt mercatores, qui venerunt ad emendum Judæos in servos, quos præsupposuerunt vincendos. *Et conversi* Judas et sui a collectione spoliorum, *hymnum canebant,* Deo gratias
C referendo, et ei, non suis viribus victoriam adscribendo, neque inaniter gloriando : ideo meruerunt majorem sortiri triumphum, sicut in textu consequenter describitur : quia et ipsum Lysiam personaliter contra eos venientem cum sexaginta millibus peditum et quinque millibus equitum superaverunt ; nec est difficultas in littera. *Et benedicebant Deum in cœlum,* erigendo corda sua cum manibus et vultu ad cœlos, juxta illud Threnorum : Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum
D in cœlos.

Thren. III, 41.

Et viderunt, Judas et sui, *exercitum fortem* Lysiæ, ut tactum est ; *et oravit Judas : Benedictus es, Salvator Israel,* id est liberator et adjutor, imo et beatificator Israeliticæ plebis in te sperantis. Incepitque Judas orationem suam a laudibus Dei, quoniam oratio laudibus Dei admixta, exaudibilior est, juxta illud Psalmi : Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero. *Qui contrivisti impetum potentis,* id est Goliath gigantis, *in manu*

Ps. XVII, 4.

Digitized by Google

David : qui (ut primo Regum legitur) dixit Goliath, Dabit te Dominus in manu mea, et auferam caput tuum ; *et tradidisti castra alienigenarum,* scilicet Philistinorum, *in manu Jonathæ :* quod qualiter factum sit, primo Regum diffuse narratur. *Conclude,* id est, coarcta et vince, *exercitum istum in manu populi tui Israel, et confundantur in exercitu suo,* id est in præsumptione et confidentia, qua de sua multitudine præsumunt et extolluntur. Vel, In exercitu suo, id est in debellatione sui exercitus, quia hoc eis confusibile erit, quod tantus eorum exercitus a nobis multo paucioribus fuerit debellatus. *Da illis formidinem, et tabefac,* id est, stupidam ac debilem redde, *audaciam virtutis,* id est potestatis seu turmæ, *eorum.* Sic enim ad libitum alterare hominum corda, Deo est proprium, sicut est dictum. *Et commoveantur contritione sua,* id est, de sua destructione ipsimet admirentur, quia omnipotentiam tuam, operationemque intimam et secretam ignorant. *Dejice eos gladio diligentium te.* Cognovit enim Judas, quod ipse et fideles qui erant secum, erant in caritate. Hoc in quantum cognovit, vel probabiliter per certa caritatis opera atque judicia, vel certitudinaliter ex revelatione divina seu inspiratione occulta.

Reg. xvii, 6. — Ibid. xiv, 15. — Prov. xxi, 1.

Et commiserunt prælium; et ceciderunt de exercitu Lysiæ quinque millia virorum. Videns autem Lysias Judæorum audaciam, quia parati sunt aut vivere cum libertate et observantia legis, *aut mori fortiter,* id est virtuose, pro defensione cultus divini et boni communis, *abiit Antiochiam.*

Præterea Judas tot sortitus victorias, sollicitus fuit de renovatione cultus divini, ut subditur. *Dixit autem Judas et fratres ejus : Ecce contriti,* id est destructi, victi, dissipati, *sunt inimici nostri* pro magna parte ; *ascendamus nunc* Jerosolymam in alto sitam, *mundare sancta et renovare,* id est ad purgandum sacra loca, templum atque altaria a gentilibus profanata, et ad renovandum cultum Dei in eis. *Et congregatus est omnis exercitus, et ascenderunt in montem Sion. Et viderunt sanctificationem desertam,* id est, templum quasi in solitudinem versum, *et altare* tam thymiamatis quam holocausti, *profanatum,* quia super unum illorum posuerat sceleratissimus Antiochus idolum Jovis, *et in atriis* templi *virgulta nata, sicut in saltu,* id est in nemore, *et pastophoria diruta,* id est destructas mansiunculas quæ erant in circuitu templi pro requie sacerdotum dum ministrabant, seu refectione offerentium hostias, quarum partem cedentem in esum eorum, inibi comederunt. *Et sciderunt vestimenta sua* præ dolore : in quo ostenderunt fervidum zelum quem pro divinæ majestatis honorificentia habuerunt ; *et exclamabant tubis signorum,* id est tubis per quæ multa significabantur ; clanxeruntque tubis lugubri sonitu, ut sic ad ampliorem provocarentur lamentationem in casu tam tristi. Denique, per harum clangorem tubarum populus excitabatur, dum castra erant movenda ; populus quoque et principes convocabantur ad tractanda consilia. In bellis quoque et festis ac epulis erat usus tubarum istarum, prout in Numerorum libro plenius scriptum est.

Num. x, 2-10.

Tunc ordinavit Judas viros, id est fortes et strenuos milites, *ut pugnarent adversus eos qui erant in arce :* ne impii illi molestias inferrent per jacula, purgantibus templum. *Et elegit sacerdotes sine macula,* id est, quos putavit magis devotos, qui erant magis idonei reformare collapsa, et purgare polluta ; *et tulerunt,* id est, extra templum portaverunt, *lapides contaminationis :* ex quibus constructa fuit ara Jovis circa altare Dei, super quod positum fuit Jovis simulacrum, ut patuit primo capitulo ; *in locum immundum,* id est vilem et sordidum, in detestationem idololatriæ. *Et cogitavit de altari holocaustorum, quod profanatum fuerat,* per hoc quod statua Jovis superposita erat ei, *quid de eo faceret. Et incidit illi* ex illuminatione divina, *consilium bonum, ut destrueret illud,* propter abusiones sacrilegas in

I Mach. i, 57.

Digitized by Google

eo commissas, *ne forte esset illis in opprobrium,* id est, ne ipse Judas et sui sustinerent confusionem, si altare illud relinqueret integrum, quod sic erat per idololatras violatum. *Et demoliti sunt,* id est destruxerunt, *illud, et posuerunt lapides ejus in monte domus,* id est in monte Sion, in quo templum fuerat situm, *in loco apto,* id est mundo, eo quod lapides illi primo erant consecrati ad cultum et sacrificia Dei, *quoadusque veniret Propheta, et responderet de eis,* id est, ex divina revelatione doceret, quid esset agendum de illis lapidibus, seu cui essent usui deputandi. *Et acceperunt lapides integros secundum legem,* id est non sectos, juxta illud Exodi [*Exod.* xx, 25.]: Quod si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de sectis lapidibus. Et in Deuteronomio scriptum est [*Deut.* xxvii, 5, 6.]: Ædificabis altare Domino de lapidibus quos ferrum non tetigit, id est de saxis informibus et impolitis. Cujus præcepti ratio litteralis ac mystica ibi expressa est. *Et ædificaverunt altare* holocaustorum *novum, secundum illud quod erat prius,* id est instar altaris prioris quod destruxerunt.

Et ædificaverunt Sancta, id est, exteriorem templi partem, quæ dicebatur Sanctum seu Sancta, in qua erat altare thymiamatis, reparaverunt, in quibus erat corruptum aut læsum, *et quæ intra domum erant intrinsecus,* id est interiorem partem templi, quæ dicebatur Sancta sanctorum; *et ædem,* id est ædes seu mansiones sacerdotum, quæ erant in gyro atrii templi, in quibus tempore officii morabantur, *et atria sanctificaverunt,* exstirpando virgulta ex eis, et aqua lustrationis cum oratione eadem adspergendo. *Et fecerunt vasa sancta nova.* Jam enim ex frequenti victoria, spoliis hostium, auro et argento fuerunt ditati. Et per vasa intelliguntur quæcumque instrumenta et utensilia cultus divini in templo. Antiochus [I *Mach.* i, 23; ii, 8, 9.] namque rapuerat omnia.

Et intulerunt candelabrum aureum, super quod erant septem lucernæ seu lampades aureæ, *et altare incensorum,* super

A quod ponebatur et cremabatur incensum boni odoris, ut esset in templo odor suavis, non afflictivus, ex crematione animalium, quæ in holocaustum comburebantur, *et mensam* propositionis *in templum.* Hæc tria stabant in prima exteriorique parte templi. Atque, ut Dominus in Exodo jussit, mensa ponebatur in parte aquilonari [*Exod* xxvi, 35; xxx, 6.], candelabrum in australi, altare incensi in medio ex opposito Sancti sanctorum. *Et incensum posuerunt super altare* thymiamatis : quod ex aromaticis speciebus fuit B confectum, et congruo tempore incendebatur, prout in Exodo legitur; *et accenderunt lucernas* [*Ibid.* xxv, 34-36.] septem *quæ super candelabrum erant,* tres ex uno latere, tresque ex altero, et septima in supremo candelabri, sicut in Exodo describitur plenius. *Et posuerunt super mensam panes propositionis* [*Ibid.* xxv, 31-37.] calidos sabbato. *Et appenderunt vela :* unum in medio templi inter Sancta et Sancta sanctorum, aliud in introitu templi : de quibus velis et eorum materiis ac formaturis, habetur in Exodo. Prædicta [*Ibid.* xxvi, 31-36.] C quoque inungebantur oleo unctionis, quemadmodum in Exodo fieri jussum est [*Ibid.* xxx, 26-28.] : ad quod pertinere potest quod subditur, *et consummaverunt omnia opera quæ fecerant.* Illa namque inunctio, fuit quasi consummatio operum prædictorum.

Et ante matutinum, id est ante auroram, *surrexerunt quinta et vicesima die mensis noni,* nomine *Casleu,* de quo dictum est sæpe, *centesimi et quadragesimi octavi anni* Græcorum. *Secundum tempus,* id est eodem die, evolutis tribus annis, *re-* D *novatum est* templum a Juda et suis, quo die in specie fuerat profanatum ab Antiocho. Anno enim centesimo quadragesimo quinto, vicesimo quinto die mensis Casleu [I *Mach.* i, 62.], exstitit profanatum; anno autem centesimo quadragesimo octavo, vicesimo quinto die mensis præfati, est renovatum : quod non est casualiter, sed divina providentia factum, quæ juxta mensuram culparum [*Deut.* xxv, 2.], infligit mensuram pœnarum. Renovatum est, inquam, *in canticis,* id est psalmis et laudibus Dei, *et citharis,* id est musicis in-

Digitized by Google

strumentis ad movendum factis, *et cinyris et cymbalis. Et cecidit omnis populus* ibi præsens *in faciem,* prosternens se Deo humiliter ad regratiandum et exorandum.

Et fecerunt dedicationem altaris octo diebus, id est, dedicationem seu consecrationem altaris uno die factam, celebraverunt septem diebus sequentibus. Quemadmodum in Ecclesia festa solennia habent octavam : quod inde dicitur tractum. *Et obtulerunt holocausta, et salutaria laudis,* id est hostias gratiarum actionis, pacificas, spontaneas, et votivas. *Et ornaverunt faciem templi coronis aureis,* quoniam Rege cœli juvante, regibus terræ prævaluerunt, *et scutulis,* id est parvis scutis, in signum triumphorum eis desuper concessorum. *Et statuit Judas,* quem fecerunt principem sacerdotum, *et fratres ejus, ut agatur,* id est celebretur, *dies Dedicationis altaris, ab anno in annum per dies octo, a quinta et vicesima die mensis Casleu, cum lætitia* mentis, *et gaudio* redundante ex corde in corpus. De cujus festivitate Dedicationis fertur a Joanne : Facta sunt Encænia in Jerosolymis ; et hiems erat. Mensi etenim Casleu correspondet December, quamvis interdum November in parte.

Joann. x, 22.

Et ædificaverunt in tempore illo montem Sion, id est, in monte illo pro defensione templi munimenta fecerunt. Ideo subditur, *et per circuitum ejus muros altos, et turres firmas.* Josephus refert : Murum in circuitu civitatis et turres altissimas ædificavit Judas. *Nequando venirent gentes, et conculcarent eum* et templum et ædificia ejus in monte Sion constructa. *Et munivit Bethsuram,* id est urbem sic dictam, quam tam fortiter muris et turribus roboravit, quod ea quasi fortalitio seu castro contra hostes poterat uti, præsertim contra Idumæos. Unde subjungitur, *ut haberet populus* Judæorum *munitionem contra faciem Idumææ.* Quemadmodum enim Esau persecutus est fratrem suum Jacob, sic Idumæi Judæos, prout etiam in Abdia propheta plenius continetur.

Gen. XXVII, 41. *Abdiæ* 10 *et seq.*

Postremo, præter prætactam altaris Dedicationem, habuerunt Judæi festum Dedicationis templi Salomonis, ut patet tertio libro Regum : et fuit (ut dicitur) septimo mense, secundum computum Hebræorum. Habuerunt etiam festum Dedicationis templi post reditum a Babylone constructi, ut patet in Esdra. Et ut in Scholastica fertur historia, illa duo festa in dissuetudinem transierunt, ex tempore quo istud cœpit servari. De quo Josephus : Hanc, inquit, festivitatem celebramus, vocantes eam, Lumina, id est festum Luminum, eo quod præter spem hoc nobis splendidum lumen colendæ religionis apparuit.

III Reg. VIII. *Ibid.* 2. *I Esdr.* VI, 16.

ARTICULUS V

DECLARATIO CAPITULI QUINTI : ET FACTUM EST, UT AUDIERUNT GENTES IN CIRCUITU.

DESCRIBUNTUR hic varia bella atque victoriæ Judæ contra gentes, in gyro Judææ manentes, quæ prosperitati Judæorum communiter invidebant, sicut in Esdra et Nehemia præcipue innotescit. *Et factum est, ut,* id est postquam, *audierunt gentes in circuitu* Judæorum morantes, *quia ædificatum est altare templi, et sanctuarium,* id est ipsum templum, *renovatum est,* id est instauratum in suo decore et cultu, *ut prius,* id est antequam ab Antiocho profanaretur, *iratæ sunt valde,* ex invidia, et quia idololatræ erant ; *et cogitabant tollere genus Jacob,* id est, de-

I Esdr. IV, 1; *II Esdr.* II, 10.19; IV.

creverunt trucidare Judæos *qui erant inter eos, et cœperunt occidere* quosdam *de populo* Judæorum.

Et debellabat Judas filios Esau, scilicet Idumæos, *et eos qui erant in Acrabathane*, id est urbe seu regione sic dicta, *quia circumsedebant Israelitas*, id est, arctabant Judæos. *Et recordatus est malitiam filiorum Bean*, id est habitatorum loci sic nominati, vel natorum ex viro sic dicto, *qui erant populo* Judæorum *in laqueum et scandalum*, decipiendo, impingendoque eos. *Et anathematizavit*, id est maledixit, *eos*, zelo justitiæ, tanquam adversarios Dei et populi sui, *et incendit eos in turribus. Et transivit ad filios Ammon, et invenit manum fortem*, id est robustum exercitum Ammonitarum, *et Timotheum ducem eorum; et contriti sunt* Ammonitæ *in conspectu eorum*, videlicet Judæ et suorum, imo ab ipso Juda et suis; *et cepit Gaser*, id est urbem famosam sic appellatam, *et filios ejus*, id est habitatores seu vicos aut oppida subjecta.

Et congregatæ sunt gentes. Describitur hic qualiter Judæi habitantes in terra Galaad, et item Judæi habitantes in Galilæa, miserunt ad Judam et ad fratres ejus pro subventione, et planus est textus. *Ut audivit autem Judas et populus ejus sermones, convenit ecclesia magna*, id est copiosa fidelium multitudo, *cogitare*, id est ad inquirendum et deliberandum, *quid facerent fratribus*, id est proximis *suis, qui in tribulatione erant, et expugnabantur ab eis*, id est ab inimicis suis, de quibus dictum est supra. Ex his elicitur, quod in arduis causis sit convocandum et celebrandum generale concilium. *Dixitque Judas*, post diligentem inquisitionem, *Simoni fratri suo : Elige tibi viros, et vade et libera fratres tuos in Galilæa*, etc. *Et dati sunt Simoni viri tria millia ; et assumpsit eos*, puta Judæos, *qui erant* habitantes *in Galilæa, cum omnibus quæ erant illis*, id est cum omnibus rebus ad eos pertinentibus, *et adduxit eos in Judæam*, ne amplius infestarentur a gentibus.

Et Judas et Jonathas ... qui secum ceperunt octo millia, quia ad acriora pergebant bella. *Et occurrerunt eis Nabuthæi :* qui videntur fuisse quidam ex Israel sic vocati, et ipsius Judæ amici. *Et factum est diluculo quum elevassent* Judas et sui *oculos suos, ecce populus multus, cujus non erat numerus*, per hyperbolen, et erant gentiles, *portantes scalas et machinas, ut comprehenderent munitionem*, id est fortalitium in quod Judæi confugerant. *Et vidit Judas quia cœpit bellum* illorum gentilium, oppugnantium locum illum munitum, et eos qui erant in illo ; *et clamor belli*, id est bellantium, vel sonus collisionis armorum, machinarumque bellicarum, *ascendit in cœlum*, id est multum alte. *Et venit tribus ordinibus post eos.* Divisit enim exercitum suum in tres partes, et sic tribus agminibus distinctis, aggressus est impios illos a tergo. *Et exclamaverunt tubis* hi qui erant cum Juda, juxta illud Numerorum : Si exieritis ad bellum de terra [Num. x. 9.] vestra contra hostes, clangetis ululantibus tubis, et erit recordatio vestri coram Domino Deo vestro, ut eruamini de manibus inimicorum vestrorum ; *et clamaverunt in oratione :* quæ est spiritualis et sonantissima tuba. *Et cognoverunt castra*, id est exercitus, *Timothei, quia Machabæus est*, cujus prosperitatem et fortitudinem erant experti. *Et percusserunt eos plaga magna, et ceciderunt ex eis fere octo millia virorum. Et divertit Judas in Maspha*, id est ad urbem gentilium sic vocatam, non in Maspha, quæ fuit urbs Judææ.

Deinde describitur alia ac major debellatio Timothei a Juda. *Et misit Judas speculari exercitum*, id est, quosdam industriosos misit de suis ad considerandum quantitatem ac dispositionem exercitus Timothei; *et renuntiaverunt ei*, videlicet Judæ : *Quia convenerunt ad eum*, id est ad Timotheum, *omnes gentes quæ in circuitu nostro sunt*, etc. *Et dixit Timotheus : Si transierit Judas ad nos prior*, transfretando per torrentem ad nos, *non poterimus sustinere eum :* quia transfretatio illa fuit

Digitized by Google

signum audaciæ et confidentiæ magnæ, quæ multum valet in prælio.

Et congregavit Judas universos Israelitas, qui erant in Galaaditide, id est in terra Galaad, quatenus secum morarentur cum securitate in terra Judææ. *Erat autem Judas congregans extremos,* id est ultimos, ne quis hostium improvise irruens percuteret eos : quemadmodum Amalecitæ in deserto percusserunt extremos et lassos agminis filiorum Israel, prout in Exodo et in Deuteronomio legitur. *Et exhortabatur populum per totam viam* per se ipsum et per scribas ac sacerdotes quos habuit secum, admonendo populum ad virtutes, et grates Deo reddendas. *Et ascenderunt in montem Sion,* id est in templum situm in monte, *et obtulerunt holocausta,* pro gratiarum actione *quod nemo ex eis cecidisset, donec reverterentur in pace :* quod fuit non solum magnum beneficium Dei, sed et grande miraculum, quum in obsidionibus, de quibus in textu fit sermo, soleant fieri strages utrinque.

Exod. XVII, *Deut.* XXV, [...].

Et in diebus quibus Judas et fratres ejus erant absentes, *audivit Josephus, et Azarias princeps virtutis,* id est exercitus secum relicti : nam hi duo erant a Juda relicti pro custodia terræ Judææ ; *res bene gestas* a Juda et fratribus ejus, *et prælia quæ facta sunt. Et dixit* Azarias ille ad Josephum : *Faciamus et ipsi nobis nomen,* id est famam præclaram. *Et præcepit* Azarias *his qui erant in exercitu suo,* ut pergerent secum ad pugnam : ad quod non fuerunt obligati, quia a superiori suo, hoc est a Juda, fuit ei prohibitum assumere bellum, ipso Juda nondum reverso ; *et abierunt Jamniam,* id est ad provinciam sic

A vocatam. *Et exivit Gorgias de civitate, et viri ejus obviam illis ; et ceciderunt de populo Israel ad duo millia, et fugati sunt Josephus et Azarias,* etc. Cujus dejectionis triplex causa assignatur ex littera. Prima, quia contra virtutem obedientiæ iverunt ad prælium. Secunda, quoniam ex vanitate moti fuerunt, hoc est desiderio famæ et laudis humanæ. Tertia, quia non erant de semine Mathathiæ, per cujus filios Deus præordinavit populo suo victoriam dare.

B *Et viri Juda,* id est ipse Judas potissimum et fratres ejus post eum, deinde propinqui et familiares auxiliarii ejus, *magnificati sunt valde* potestate, honore, fama, triumphis, et charismatibus gratiæ Dei. *Et convenerunt ad eos fausta acclamantes :* id est, quidam gentilium, visis tot victoriis et prosperitatibus Judæ ac fratrum et virorum ipsius, venerunt ad ipsos, ad componendum cum eis pacem et amicitiam ; acclamabantque eis fausta, id est laudes de eufortuniis seu prosperis

C eorum successibus.

In illa die ceciderunt sacerdotes in bello. Quod quidam exponunt de prædictis Josepho et Azaria, qui dicuntur fuisse de stirpe sacerdotali : qui tamen in textu leguntur fugati, non interfecti. Potest quoque exponi de sacerdotibus quibusdam profectis cum eis ad prælium. *Dum voluit fortiter facere,* id est, quando sacerdos ille quicumque præsumpsit se fortiter acturum, *dum sine consilio* veræ prudentiæ *exit in prælium.* Et videtur scriptura ista

D quasi despective loqui de illis, et a numero plurali ad singularem descendit, sicut fit in libro isto frequenter.

Digitized by Google

ARTICULUS VI

EXPLANATIO CAPITULI SEXTI : ET REX ANTIOCHUS PERAMBULAVIT SUPERIORES REGIONES.

MORS vitiosi Antiochi, et regnatio filii A
ejus, atque congressio Judæorum con-
tra eum, hic describuntur. *Et rex Antio-
chus perambulavit* equitando *superiores
regiones,* ad colligendum tributa ab eis.
Specialiter autem nitebatur urbem quam-
dam ditissimam, Elymaidem nomine, spo-
liare ; sed nequivit, quoniam habitatores
urbis illius, agnita ejus rapacitate, fuga-
verunt eum. Quumque abiret cum ingenti
tristitia, venit quidam annuntians ei quan-
tas ruinas et mortes sustinuerunt duces ac
subditi sui a Judæis, *et quia diruerunt,* id B
est, quod Judas ac sui destruxerunt, *abo-
minationem,* id est idolum Jovis colloca-
tum ab eo super altare templi, *et sanctifi-
cationem,* id est templum, *circumdederunt
muris excelsis.*

*Et factum est, ut audivit rex sermones
istos, expavit* Antiochus his auditis, *et
commotus est valde* admiratione, ira et
impatientia : imo sicut infra secundo li-
II *Mach.* IX, 4, 7. bro habetur, repletus furore, jussit sine
cessatione agitari currum, super quem se-
dit, comminans Judæis et templo ac urbi C
Jerusalem ; moxque ex curru cum impetu
cadens, læsus est usque ad mortem. *Et
incidit in languorem præ tristitia,* et etiam
Prov. XVII, 22. ex illa ruina. Siquidem, Spiritus tristis
exsiccat ossa ; atque, ut iterum Salomon
Ibid. XXV, 20. protestatur, Sicut vermis nocet ligno et
tinea vestimento, ita tristitia nocet cordi.
*Et dixit amicis suis : Recessit somnus ab
oculis meis,* ex inquietudine phantasiæ,
sollicitudine et timore. Unde et Nabucho-
donosor ex visione sua perterritus, ait :
Dan. II, 5. Sermo recessit a me. *Et dixi in corde* D
*meo : In quantam tribulationem deveni, et
in quos fluctus tristitiæ, in qua nunc sum,
qui jucundus eram et dilectus* meis, qui-
bus complacui, a quibus et Illustris quasi
antonomastice sum vocatus ! *Nunc vero
reminiscor et malorum quæ feci in Jeru-
salem. Cognovi ergo, quia propterea inve-
nerunt me mala ista.* Ecce quomodo ve- *Is.* XXVIII, 19.
xatio dedit huic impio intellectum.

*Et vocavit Philippum unum de amicis
suis :* cui dedit insignia regalia, commit-
tens ei administrationem totius regni sui,
quousque filius suus Antiochus aptus es-
set ad regimen. *Et mortuus est illic An-
tiochus* sceleratissimus, *anno centesimo
quadragesimo nono* regni Græcorum : et
sic regnavit vix annis duodecim. Cœpit
namque regnare anno centesimo tricesi-
mo septimo, ut patuit supra. Sicque il- I *Mach.* I, 11.
lud Job, Iniqui ante tempus suum sublati *Job* XXII, 16.
sunt, in ipso impletum est. Unde et ait
Ecclesiastes : Non sit bonum impio, nec *Eccle.* VIII, 13.
prolongentur dies ejus ; sed quasi um-
bra prætereant, qui non timent faciem
Dei. Circa hunc locum Josephus scribit :
Miror Polybium, quod vir bonus exsistens,
dicit ideo perisse Antiochum, quia voluit
templum Dianæ in Perside devastare. Qui
enim nullatenus egit peccatum, sed tan-
tum cogitavit, nullo reatu tenetur. Ex qui-
bus verbis eliciunt quidam Josephum æs-
timasse, non esse culpam in cogitatione
aut appetitione, nisi procedat in actum.
Auctor vero Scholasticæ historiæ sic con-
cludit : Hic patet, secundum opinionem
Josephi, quod lex cohibuit manum, non
animum. *Et cognovit Lysias, quoniam
mortuus est rex :* quia ad talia denuntian-
da multi præcurrunt; *et constituit* ipse Ly-
sias *regnare Antiochum filium ejus* regis
defuncti. Hoc celeriter fecit Lysias, ne ado-
lescens Antiochus veniret sub tutela atque
regimine præfati Philippi.

Digitized by Google

Et qui erant in arce, concluserant Israel in circuitu sanctorum, id est, arctaverant ipsos sacerdotes et consistentes cum eis infra septa templi, ita quod non valebant libere introire et exire sicut cultus Dei exegit. Arx quippe, Josepho teste, altitudinem templi vicit. *Et convenerunt simul et obsederunt* Judas ac sui *eos* qui erant in arce, *et fecerunt balistas,* id est instrumenta ad jacienda spicula contra arcem, *et machinas* alias bellicas, ad arcem obtinendam idoneas. *Et exierunt quidam* ex ipsa arce *de nocte,* id est clam, *et adjunxerunt se illis impii ex Israel* refugæ legis, *et abierunt ad regem, et dixerunt : Nos decrevimus servire patri tuo* Antiocho jam defuncto. Isti fuerunt, qui I Mach. I, 12-14. et primo capitulo leguntur accessisse Antiochum pro licentia vivendi gentiliter. *Et filii nostri propter hoc abalienabant se a nobis,* volentes in Judaismo manere ; *et quicumque inveniebantur ex nobis, interficiebantur* a Mathathia et filiis ac adjutoribus suis. *Et ecce applicuerunt hodie,* id est tempore isto, *ad arcem ; et munitionem,* id est fortalitium in Bethsura urbe *munierunt :* sicut præhabitum est.

His auditis, commotus est rex ; et collegit grandem et fortem, sicut patet in textu, exercitum, in quo erant *triginta duo elephanti docti ad prælium,* id est, per exercitationem multum dirigibiles facti in bellis. Nam et teste Philosopho, elephanti sunt inter bruta præcipue disciplinabiles, tanquam de ratione multum participantes. *Et applicuerunt* rex ac sui *ad Bethsuram* expugnandam, *et fecerunt machinas ; et exierunt* Judæi a Juda constituto in fortalitio illo, *et succenderunt eas* machinas regis, *et pugnaverunt viriliter.* Judas enim non posuit in fortalitio illo custodiendo ac defendendo, nisi fortissimos pugnatores valde audaces.

Et Judas recessit ab arce ad succurrendum suis in Bethsura. *Et surrexit rex ante lucem,* quia audivit Judam venire ; *et comparaverunt,* id est, disposuerunt, *se exercitus* tam regis quam Judæ, *in prælium ;*

A *et elephantis ostenderunt sanguinem uvæ et mori,* id est materiam illam liquidam expressam ex uvis et moris cruori consimilem, *ad acuendum eos in prælium.* Ex talis namque materiæ intuitione provocantur ad pugnam, sicut et equi ex buccinarum clangore, juxta illud Job : Non reputat tubæ sonare clangorem ; ubi audierit buccinam, dicit, Vah. Job XXXIX, 24, 25. *Et diviserunt* ministri regis *bestias,* id est elephantos, quæ videntur maximæ bestiarum, *per legiones. Sed et turres ligneæ super eos,*
B scilicet elephantos. *Et residuum equitatum hinc et inde,* id est ex utroque latere bestiarum, *statuit,* id est, ordinate divisit, *in duas partes :* sic quod una pars residui exercitus fuit a dextris bestiarum, alia a sinistris ; *tubis exercitum commovere,* id est ex clangore buccinarum animare et excitare bellatores ad pugnam, *et perurgere constipatos in legionibus,* id est milites condensatos constringere seu dirigere ad processum, ut sic conjunctim progredientes, non possent ab hostibus separari
C ab invicem. *Et ut refulsit sol in clypeos aureos et æreos* exercitus regis, *resplenduerunt montes ab eis, sicut lampades ignis,* ex repercussione radiorum splendentium. Jussit enim rex clypeos illos nudari, ut nimium suis claritatis fulgorem emitterent : et hoc forsan fecit ad incutiendum timorem Judæ ac suis. *Et distincta,* id est ordinate divisa, *est pars exercitus regis per montes excelsos,* per quos ivit, ne quis de exercitu Judæ effugeret per montes excelsos, *et alii,* hoc est, alia pars
D exercitus, distincta est et processit *per loca humilia,* id est bassa ; *et ibant caute et ordinate.* Talis enim ordinatio valde utilis est in bellis : imo, secundum Vegetium, multitudo inordinata non est nisi hostium victima. *Et commovebantur* quadam admiratione seu horrore *omnes inhabitantes terram* illam, a qua videri poterat et audiri exercitus ille, *a voce multitudinis eorum et collisione armorum. Et appropinquavit Judas et exercitus ejus in prælium, et ceciderunt de exercitu regis sexcenti*

Digitized by Google

II *Mach.* XIII. *viri*. Porro, infra libro secundo aliqua A aliter recitantur de prælio isto, quam hic : quæ ibi discutientur.

Et vidit Eleazar filius Saura bestiam unam loricatam loricis regis, et visum est ei quod in ea esset rex; et dedit se, ut acquireret sibi nomen æternum, periculo mortis corporalis pro bono communi. *Et cucurrit ad eam audacter in medio legionis, interficiens a dextris et a sinistris. Et ivit sub pedes elephantis,* id est, prope et infra pedes illius elephantis, putans quod rex esset in ea, id est in turre superposita B bestiæ illi, *et occidit eum,* videlicet elephantem ; *et cecidit* bestia *super ipsum, et mortuus est illic,* oppressus mole elephan-
Judic. XVI, 30. tis : sicut et Samson exspiravit sub domo quam dejecit. Sed istud factum est in publico bello, in quo pro boni communis conservatione seu procuratione, exponenda est mortis discrimini vita corporalis particularium personarum. Quod autem Eleazar dicitur istud fecisse, Ut acquireret sibi nomen æternum, in bono accipitur,
Eccli. XLI, 15. I *Mach.* II, 51. secundum quod ait Scriptura, Curam habe C de bono nomine : prout supra expositum est. Præterea, ut Josephus refert, et Magister in historiis sequitur, Eleazar iste fuit
Ibid. 5. frater carnalis Judæ Machabæi, et supra Eleazarus appellatur, eratque quartus inter filios Mathathiæ. Nec obstat quod nominatur hic, filius Saura. Nam Saura potuit esse nomen matris suæ, sicut et Joab
I *Reg.* XXVI, 6; II *Reg.* II, 13, 18. et fratres ejus in libris Regum frequenter dicuntur filii Sarviæ. Vel Mathathias alio nomine vocatus est Saura, quemadmodum
I *Reg.* XVI, 1; *Is.* XI, 1; *Matth.* I, 5. II *Reg.* XVII, 25. pater David, vocatus fuit Isai et Jesse ac D Naas. Nam legitur in Regum libro, quod Amasa fuit filius Abigail filiæ Naas : et constat, quod Abigail illa fuit soror Sarviæ. Hunc Eleazar Judas vocavit Mauronem *, ut Josephus scribit.

* Αὐράν

Et videntes Judas et sui *virtutem,* id est potestatem, *regis et impetum exercitus ejus, diverterunt ab eis.* Festinabant enim ad templum redire, et illud munire ac custodire, ne præoccuparetur a rege.

Et fecit rex pacem cum his qui erant A *in Bethsura,* promittendo eis securitatem, dummodo exirent fortalitium, et dimitterent illud sibi : quod et fecerunt, necessitate quadam compulsi. *Et exierunt de civitate, quia non erant eis alimenta ibi conclusis,* id est, ipsi custodes loci illius obsessi ibidem a rege, non habuerunt necessaria vitæ, *quia sabbata erant terræ,* id est septimus annus, in quo Judæi terram non seminabant, prout in Levitico habetur, quo Dominus jussit : Sex annis seres *Lev.* XXV, 3, 4.
agrum tuum. Septimo anno sabbatum erit B terræ ; agrum non seres. Sed qualiter istud potuit esse causa penuriæ Judæorum istorum ? quum Dominus eodem dicat capitulo : Quod si dixeritis, Quid comedemus *Ibid.* 20, 21.
anno septimo, si non severimus anno sexto ? Dabo benedictionem meam vobis anno sexto, et faciet fructus trium annorum. Ad quod quidam respondent, quod beneficium istud multiplicationis fructuum sexto anno, fuit subtractum Judæis post reditum a Babylone, sicut et alia quædam. Hæc tamen responsio probationem C non habet, nec auctoritatem. Ideo dici potest, sicut et infra in isto capitulo tangitur, quod hi qui remanserant in Judæa de gentibus, consumpserant reliquias eorum, scilicet terræ nascentium, quæ repositæ erant. Vel ob aliquam populi culpam, fuit beneficium hoc subtractum pro tunc in parte vel toto.

Et comprehendit rex Bethsuram egressis inde Judæis. *Et applicuit castra* ad Jerusalem *ad locum sanctificationis,* id est templi ; *et statuit balistas* ad sagittandum D contrarios, *et ignis jacula* ad incendendum, *et tormenta,* id est magna instrumenta, *ad lapides jactandos, et scorpios,* id est instrumenta *ad emittendum* venenatas *sagittas, et fundibula. Fecerunt autem et ipsi* Judas et sui *machinas* bellicas, *et pugnaverunt dies multos. Escæ autem,* id est sufficientia victualium pro tempore notabiliter longo, *non erant in civitate* Jerusalem, *eo quod septimus annus esset :* sicut modo expositum est. Quibus verbis pro causa subjungitur : *et qui re-*

Digitized by Google

manserant in Judæa de gentibus, consumpserant reliquias eorum, quæ repositæ fuerant. Et remanserunt in sanctis, id est in civitate et templo Jerusalem, *viri pauci* cum Juda, *quoniam obtinuerat eos fames:* id est, ex inopia victualium, compulsi fuerunt occulte exire. Ideo Judas cum suis cito fuisset devictus per famem ex obsidione, nisi Deus subvenisset per modum qui subditur, et sicut liberavit sanctum
Reg. XXIII, 6-28. David a circumdatione Saulis, per adventum Philistinorum in terram Saul.

Et audivit Lysias, quod Philippus reversus esset a Perside, etc. *Festinavit* ipse Lysias *ire et dicere ad regem : Deficimus quotidie* per mortem aliquorum ex no- A stris, etc., *et incumbit nobis ordinare de regno :* quasi dicat, Negligimus utiliora. *Nunc itaque demus dexteras hominibus istis, et faciamus cum illis pacem ; et ambulent in legitimis suis,* etc. *Et placuit sermo in conspectu regis ; et misit ad eos facere pacem, et receperunt illam. Et juravit illis,* videlicet Judæ et sociis ejus, *rex,* quod nihil ei noceret, nec templo : quod juramentum mox fregit, ingressus locum sanctum munitum, cujus muros dissipari præcepit, ut patet in textu.

B Verumtamen ab hac narratione videtur plurimum discrepare, quod secundo libro II Mach. XIII.
de ista recitatur historia, sicut ibidem Domino concedente tangetur.

ARTICULUS VII

DECLARATIO CAPITULI SEPTIMI : ANNO CENTESIMO QUINQUAGESIMO PRIMO.

BELLA Judæ habita contra successorem C prædicti regis Antiochi, hic narrantur. *Anno centesimo quinquagesimo primo, exiit Demetrius, Seleuci filius, ab urbe Roma.* Sicut præhabitum est, Seleucus iste fuit frater Antiochi Epiphanis, qui mortuo Seleuco, invasit regnum ipsius, nepote suo, videlicet filio præfati Seleuci excluso : qui filius, nomine Demetrius, profectus est Romam ad agendum contra avunculum suum Antiochum. Audiensque ipsum obisse, reversus est, *et ascendit in civitatem maritimam,* id est juxta mare D sitam, *et regnavit illic.* Atque, ut Josephus refert, civitas illa fuit Tyrus. *Et factum est, ut ingressus est in domum regni patrum suorum,* id est, in urbem atque palatium Antiochiæ, quæ fuit metropolis Syriæ, *comprehendit exercitus Antiochum,* filium Antiochi Epiphanis, *et Lysiam :* ad quos exercitus conceperat displicentiam et rancorem, præsertim illi qui cum Philippo venerunt, quem Antiochus iste (secundum Josephum) paulo ante occidit.

Et venerunt ad eum, puta Demetrium, *viri iniqui ex Israel,* refugæ legis, *et Alcimus dux eorum, qui volebat fieri sacerdos,* id est princeps sacerdotum seu pontifex, ut post insinuatur. *Et accusaverunt populum* Judæorum *apud regem, dicentes : Perdidit,* id est occidit, *Judas amicos tuos,* quos reperit in Judæa seu alibi. *Et misit rex Bacchidem ; et Alcimum impium constituit in sacerdotium,* id est in pontificatum. Qui venerunt in Judæam cum grandi exercitu, verbisque dolosis voluerunt decipere Judam ac fratres ejus : qui non crediderunt illis iniquis. Porro alii quidam credebant illis, sicut subjungitur : *Et convenerunt ad Alcimum et Bacchidem congregatio scribarum requirere quæ justa sunt,* id est pertinentia ad bonum rei publicæ et ad conservationem cultus divini ; *et primi, Assidæi, qui erant in filiis Israel, et exquirebant ab eis,* id est ab Alcimo et Bacchide, *pacem.* Porro Assidæi Judæi sunt dicti, qui assidue vacabant divinis. *Dixerunt enim : Homo sa-*

Digitized by Google

cerdos de semine Aaron venit, non decipiet nos. Hi boni viri juxta suam sinceritatem judicaverunt de aliis, sed decepti fuerunt, et occisi ab impio illo usque ad sexaginta viros : quæ deceptio habuit in eis rationem pœnæ, non culpæ. *Et incubuit timor et tremor in omnem populum* Judæorum hæc considerantem : cujus timoris signum est, *quia dixerunt : Non est in eis,* videlicet Alcimo et societate ipsius, *veritas* verborum, quia nec juramenta servant neque promissa, *et judicium,* id est discretio veræ prudentiæ, seu judicium rectum in factis; *transgressi sunt enim constitutum,* id est ordinationem inter nos factam.

Et abiit Bacchides ad regem Demetrium, commissa Alcimo regione Judææ. *Et satis agebat Alcimus pro principatu sacerdotii sui* obtinendo et conservando. In quo notatur ejus ambitio; et Scriptura minus dicendo, plus notat, videlicet quod importune, impudenter, et per practicas vitiosas conatus sit pontificatum obtinere et possidere, prout ambitiosis est consuetudo. Numerari etenim vitia nequeunt, quot ex ambitione nascuntur : ex qua inter cetera oriuntur invidia, suspicio prava, crudelitas, simonia, simulatio, hypocrisis, falsitas, inquietudo, mendacium, perjurium, atque adulatio, prout in libro de Consideratione plenius docet S. Bernardus. *Et vidit Judas omnia mala quæ fecit Alcimus,* etc. *Et fecit* Judas *vindictam in filios desertores,* qui legem patrum suorum sanctam dereliquerant : qui tanquam apostatæ legis, fuerunt gentibus ferociores; *et cessaverunt ultra exire in regionem,* id est, adjutores Alcimi, præsertim qui erant in arce, non audebant amplius per Judæam discurrere ad prædandum et occidendum Judæos.

Et misit rex Nicanorem, etc. *Et hostes parati erant rapere Judam.* Quum enim Alcimus vidisset Judam sibi prævaluisse, ad regem reversus, accusavit Judam et suos multis criminibus. Propter quod rex misit Nicanorem cum Alcimo, habentem secum magnum exercitum, voluitque Judam capere dolo. *Et innotuit sermo Judæ. Et conterritus est* Judas *ab eo.* Nam, ut Josephus refert, quum Judas et Nicanor pariter starent, dedit Nicanor suis militibus signum, ut raperent Judam : quod sentiens Judas, subito territus, prudenter et fortiter exsilivit ab illo nequissimo. *Et amplius noluit videre faciem ejus,* puta Nicanoris, cum tali circumventione et ad tempus. Postea tamen, sicut secundo habetur libro, erant multum concordes. II Mach. xiv, 18-25. Deinde contra se invicem pugnaverunt. *Et cognovit Nicanor, quia denudatum est consilium ejus, et exivit obviam Judæ in pugnam. Et ceciderunt de Nicanoris exercitu fere quinque millia viri, et fugerunt in civitatem David,* id est ad arcem, ipse Nicanor et sui, ad gentiles ibi manentes et eis confœderatos.

Et post hæc verba, id est, post gesta designata per verba hæc, *ascendit Nicanor in montem Sion,* id est ad aliqua ejus loca eminentiora; *et exierunt de sacerdotibus populi,* id est, aliqui sacerdotes exiere de templo, *salutare eum, et demonstrare ei holocautomata quæ offerebantur pro rege.* Specialiter enim orandum est pro præsidentibus et communitatibus etiam iniquis et perfidis, ut convertantur. Propter quod Jeremias mandavit Judæis in Babylonia captis, ut orarent pro pace civitatis ad quam translati fuerunt. Jer. xxix, 7. *Et irridens* Nicanor, *sprevit eos* tanquam idololatra, *et polluit,* id est inhonoravit. *Et locutus est superbe, et juravit cum ira, dicens : Nisi traditus fuerit Judas et exercitus ejus in manus meas, succendam domum istam,* id est templum. Hanc præsumptionem sacrilegam, Deus superbis resistens plenarie refrenavit, et superbissimum illum extreme dejecit. I Petr. v, 5; Jacob. iv, 6. Verumtamen inter hæc duo bella, inter Judam et Nicanorem habita, quorum unum prætactum, et aliud consequenter in littera describitur, notabile fluxit tempus, quo inter ipsos fuit concordia, prout secundo libro recitatur. II Mach. xiv, 18-25.

Consequenter describitur in hoc loco, qualiter sacerdotes zelo justitiæ oraverunt

pro justa dejectione obstinati Nicanoris, qui fuit tyrannus, et publicus hostis boni communis atque divini cultus. Ideo licuit contra eum sic exorare.

Et exiit Nicanor de Jerusalem, et castra applicuit ad Bethoron, et occurrit illi, puta Nicanori, *exercitus Syriæ* ad auxiliandum. *Et Judas applicuit in Adarsa cum tribus millibus viris. Et oravit Judas : Qui missi erant a rege* Assyriorum *Sennacherib, Domine, quia blasphemaverunt te, percussit ex eis angelus centum octoginta quinque millia.* Primo enim missi fuerunt B a rege illo Rabsaces et alii quidam, qui Deum enormiter blasphemaverunt ex parte sceleratissimi regis. (IV Reg. XVIII, 17, 19 et seq.; XIX, 10-13, 35.) Propter quorum blasphemias aliaque facinora, interfectus fuit ab angelo totus pene exercitus regis illius, prout quarto Regum et secundo Paralipomenon enarratur. (II Par. XXXII, 9-21.) *Sic contere exercitum istum, quia male locutus est super sancta tua*, id est contra templum et sacrificia, et contra fideles tuos ministros.

Et commiserunt prælium tertiadecima die mensis Adar, id est Martii, *et cecidit* C *Nicanor primus in prælio.* Quo cognito, fugit ejus exercitus. *Et tubis cecinerunt* Judas et sui *post eos* sic fugientes, *cum significationibus*, quia sonitus tubarum ita fiebat et formabatur, quod designavit hostium fugam. *Et exierunt* Judæi *de omnibus castellis* terræ suæ *in circuitu, et ventilabant eos cornibus :* id est, insequendo impios illos, agitaverunt eos hinc inde per angulos et cornua, et per loca diversa; vel sonando post ipsos per cornua; *et convertebantur iterum ad eos* undique occurrendo fugientibus, ita quod *omnes ceciderunt.*

Postremo, quemadmodum Nicanor præ ceteris peccavit enormius, sic eum etiam mortuum confusibilius tractaverunt : quia jam interfectum decapitaverunt, ejusque caput in arcis apice suspenderunt. Et quia specialiter peccavit per manum et linguam, manum contra templum contumaciter extendendo, et per linguam blasphemando, multaque verba scelestissima proferendo, ideo absciderunt ei manum et linguam, sicut in ultimo secundi libri capitulo, ubi ista historia plenius describitur, continetur. (II Mach. XV, 30, 33.) *Et manum ejus suspenderunt contra Jerusalem.* In secundo libro habetur, Contra templum. (Ibid. 33.) Ideo intelligendum est, quod suspenderunt manum iniqui ex opposito templi et civitatis, in cujus extremitate situm fuerat templum. *Et siluit terra Juda paucos dies*, hoc est, modico tempore plebs Judæa quievit a præliis, ut sequenti patet capitulo

ARTICULUS VIII

ELUCIDATIO CAPITULI OCTAVI : ET AUDIVIT JUDAS NOMEN ROMANORUM, QUIA SUNT POTENTES VIRIBUS.

DESCRIBITUR hic, qualiter Judas confugit ad humana præsidia, imo ad Romanorum idololatrarum auxilia. Propter quod videtur divini promeruisse subtractionem subsidii, quum jam dudum ante Deus per Prophetam suum dixisset ad regem Juda : O rex, ne egrediatur tecum exercitus Israel ad pugnam : non enim est D Dominus cum Israel. (II Par. XXV, 7, 8.) Quod si putas in robore exercitus bella consistere, superari te faciet Dominus ab hostibus : Dei quippe est adjuvare et in fugam vertere. *Et audivit Judas nomen*, id est famam, *Romanorum*, qui tempore Judæ monarchiam pro magna parte fuerunt adepti : nondum tamen plenarie usque ad tempus imperii

Digitized by Google

Julii, vel potius Octaviani; *quia potentes sunt viribus, et acquiescunt ad omnia quæ postulantur ab eis* rationabiliter : nam pii fuerunt ; *et quicumque accesserunt ad eos* ad faciendum cum ipsis amicitiam, annuerunt.

Audierunt Judas et sui *prælia eorum*, scilicet Romanorum, qui victoriosi fuerunt in bellis, *et virtutes bonas*, id est benevolos actus, *quas fecerunt in Galatia :* quæ est regio Græciæ ; *quia obtinuerunt eos, et duxerunt sub tributum :* id est, Romani subjugaverunt sibi Galatas in tributarios ; ipsis quoque sic subjugatis fuerunt benevoli. *Et quanta*, id est quam magna et strenua opera, *fecerunt in regione Hispaniæ, et quod in potestatem* suam *redegerunt metalla argenti et auri, quæ ibi sunt, et possederunt omnem locum*, id est quædam loca de omnibus ; vel, Omnem locum, pro quo obtinendo egressi sunt ; *consilio suo et patientia :* quia ut allegatum est sæpe, ad prævalendum in præliis plus confert prudentia, quam fortitudo. Consilium autem est actus prudentiæ. Patientia quoque plurimum proficit ad triumphum. Ipsos namque pugnatores oportet frequenter multa et magna pati incommoda : in quibus patientia est necessaria, ne propter hujusmodi aspera labor bellicus omittatur. Hinc libro de Re militari scribit Vegetius, quod per nullam rem Romani ita sibi subjugaverunt orbem, sicut per prudentiam bellicam, exercitiumque armorum. Græci enim, ut ait, erant eis astutiores, Gallici numero plures, Hispani ferociores, Teutonici corpore grandiores.

Et Philippum et Persen Cethæorum regem. Josephus dicit, Reges : et forsan ponitur hic singulare pro plurali. *Et Antiochum magnum regem Asiæ contritum*, id est victum, *ab eis*. Ille Antiochus fuit pater Antiochi Epiphanis, ut patuit in expositione primi capituli. *Et statuerunt*, id est, injunxerunt ei, *ut daret eis*, puta Romanis, *tributum magnum et constitutum*, id est, id quod exegerunt ab eo ultra tributum. *Et regionem Indorum* esse victam ab eis, *et Medos et Lydos de optimis regionibus eorum*, supple, esse ejectos a Romanis ; *et acceptas eas ab illis*, id est regiones Medorum atque Lydorum vi armorum obtentas ab ipsis Medis ac Lydis per Romanos, *dederunt* ipsi Romani *Eumeni regi* ipsis confœderato. *Et quia qui erant apud Helladan*, id est regionem seu locum sic dictum, *voluerunt ire et tollere eos*, videlicet Eumenem regem ac suos de præfatis terris Medorum et Lydorum, *et innotuit sermo his*, id est, propositum illorum exsistentium apud Helladan fuit patefactum Romanis. *Et miserunt ad eos*, id est ad Eumenem ac populum ejus, *ducem unum* cum suo exercitu in illorum subsidium, *et pugnaverunt* rex ille et dux missus a Romanis, *contra illos* exsistentes apud Helladan, *et ceciderunt ex illis* Helladanis *multi ; et captivas duxerunt* Romani *uxores*.

Cum amicis autem suis, et qui in ipsis requiem habebant, id est, sub eorum defensione et confœderatione quiescebant, *conservaverunt amicitiam*.

Et in omnibus his nemo Romanorum *portabat diadema*, id est, nullus fuit inter eos imperator aut rex. Nempe primus rex Romanorum fuit Romulus conditor urbis cum fratre suo Remo : quo occiso a Fabio Romuli duce, Romulus factus est rex urbis. Post quem præfuerunt reges in urbe usque Tarquinium Superbum : quo cum filio suo Tarquinio feroce a Romanis expulso, cœperunt præesse et præfuerunt consules, deinde dictatores atque tribuni plebis usque ad Julium Cæsarem, qui usurpavit et invasit imperium : cui successit Octavianus, sub quo natus est Christus. Ideo tempore Machabæorum non præerant reges Romanis.

Et quia curiam fecerunt sibi, et quotidie consulebant, id est, de agendis et evitandis inter se conquirebant, *trecenti* * *viginti consilium agentes semper de multitudine*, id est, trecenti viginti illi erant ex multitudine Romanorum electi, tanquam prudentiores ad tractanda consilia.

* ali. cento

Digitized by Google

Vel sensus est, quod trecenti viginti consulebant de multitudine, id est de ipsa communitate, quod scilicet prodesset reipublicæ et paci omnium subditorum. *Ut quæ digna sunt, gerant,* id est, vere expedientia et eorum majestatem decentia agant
Is. xxxii, 8. ac prosequantur, juxta illud Isaiæ : Princeps, quæ digna sunt principe, cogitabit, et ipse super duces stabit. Ecce qualiter Romani isti adhuc gentiles, agnoverunt
Prov. xiii, 10. quod in Proverbiis Salomon dixit : Qui cuncta agunt consilio, reguntur sapientia.
Ibid. xii, 20. Et rursus : Qui pacis ineunt consilia, se-
Ibid. xi, 14. quetur eos gaudium. Itemque : Erit salus ubi multa consilia. Si Romani illi pagani ad temporalem prosperitatem suum regimen referentes, tam assidue atque quotidie inter se contulerunt et consuluerunt de bono communi : quanto magis Pontifex summus et curia ejus, quorum est ad æternam beatitudinem ordinare præsidentiam suam, deberent quotidie inter se perscrutari, consulere, determinare ea, quæ ad totius Ecclesiæ et universorum statuum, graduum, potestatum, et ordinum ejus pertinent reformationem, profectum atque salutem ? Quod et suo modo unusquisque regum et principum, episcoporum et prælatorum deberet peragere, quatenus juxta dignitatem prælationum et officiorum eorum, esset et dignitas actionum ac guber-
Ps. xlviii, 13, 21. nationum ipsorum. Verum, homo quum in honore esset, non intellexit ; comparatus est jumentis insipientibus.

Et committunt uni homini magistratum suum per singulos annos : qui præfuit ceteris universis tempore suo. Sicque regimen eorum fuit quodammodo monarchicum et regale : quod (teste Philosopho) optimum est, absolute loquendo, habetque admixtum aliquid, imo et multum de aristocratia et democratia. Et tale regimen in certo casu ex specialibus causis, et ad tempus potest optimum esse. *Et omnes obediunt uni* tempore præsidentiæ suæ. Obedientia namque est summe necessaria et saluberrima res in omni communitate : sine qua nulla politia, nulla villa, nulla

A domus potest subsistere, ut in regula sua sanctus scribit Hieronymus. De ista materia multiplicis regiminis, et quid sit optimum, atque de antiquo illo regimine Romanorum, magistraliter tractat S. Thomas in libro suo de Regimine regum ; Ægidius quoque in libro de Regimine principum. *Et non est invidia neque zelus,* id est rancor aut contentio, *inter eos :* sicut solet inter ambitiosos consistere. Durante autem hac bonitate regiminis Romanorum, profecerunt in multis, et in brevi venerunt
B ad maximum incrementum, prout de hoc Cato et Tullius multa conscribunt. Postea vero fuit hoc regimen in ipsis corruptum : unde venerunt ad miserabile decrementum. Nempe, ut ait Hieronymus, et ante eum Sallustius, sicut concordia parvæ res crescunt, sic per discordiam res maximæ dilabuntur.

Et elegit Judas Eupolemium et Jasonem, et misit eos Romam constituere cum illis, puta Romanis, *amicitiam et societatem, et ut* Romani *auferrent ab eis,* vide-
C licet a Judæis, *jugum Græcorum,* id est grave dominium, quo reges Syriæ opprimebant populum Judæorum. Dicitur autem jugum illud, Græcorum, quoniam ex Græcorum imperio exstitit derivatum. *Et placuit sermo* legatorum Judæ, *in conspectu eorum,* scilicet Romanorum.

Et rescripserunt in tabulis æreis ad perpetuam rei memoriam : *Bene sit Romanis et genti Judæorum in mari,* id est bellis navalibus, negotiisque marinis, *et in terra in æternum,* id est per omne tempus vitæ
D eorum. *Quod si institerit bellum Romanis prius, aut omnibus sociis eorum,* id est cuicumque genti Romanis confœderatæ, *auxilium feret gens Judæorum, prout tempus dictaverit,* id est, dispositio temporis seu casus occurrens exegerit, *corde pleno,* id est prompto atque omnino spontaneo. *Et præliantibus,* id est, Judæis Romanos juvantibus, *non dabunt* Romani *triticum, arma, pecuniam,* id est stipendium, *vel naves, sicut placuit Romanis,* id est, prout Romani istud instituerunt ; *et custodient*

Digitized by Google

A Judæi *mandata eorum,* videlicet Romanorum, *nihil ab eis,* id est Romanis, *accipientes* ipsi Judæi, sed suis expensis servientes ac subvenientes Romanis. *Similiter* succurrent Romani Judæis ; *adjuvabunt Romani, et adjuvantibus* Romanis ipsos Judæos, *non dabitur* a Judæis *triticum,* etc., id est stipendium ; sed Romani suis expensis succurrent Judæis. *Quod si post hæc verba, hi aut illi,* id est Romani sive Judæi, *addere vel demere ad hæc* vel ab his *aliquid voluerint, facient ex proposito suo,* id est concordi deliberatione, seu communi utriusque partis consensu. *Sed et scripsimus ei,* id est Demetrio, *dicentes : Quare gravasti jugum tuum,* id est potestatis tuæ tyrannidem et abusum, *super amicos nostros et socios Judæos ? Si ergo iterum adierint,* id est accesserint, *nos, adversum te* conquerendo, atque subsidium postulando, *faciemus illis judicium,* id est judicialem vindictam, *et pugnabimus tecum,* id est contra te, *mari,* id est bello navali, *terraque.*

ARTICULUS IX

EXPLANATIO CAPITULI NONI : INTEREA, UT AUDIVIT DEMETRIUS QUIA CECIDIT NICANOR.

B MORS Judæ et institutio fratris sui Jonathæ, ac aliqua ejus bella hic describuntur. *Interea,* id est, inter ea quæ dicta sunt, hoc est infra tempus quo legati Judæ et populi sui fuerunt in expeditione commissi eis negotii occupati, *ut audivit Demetrius quia cecidit Nicanor et exercitus ejus in prælio, apposuit Bacchidem et Alcimum rursus mittere in Judæam, et dextrum cornu cum illis,* id est fortiores et constantiores de suo exercitu, qui solent poni in dextera parte, et regi a dextris adsistere. C *Et abierunt, et castra posuerunt in Masaloth, et occupaverunt eam, et peremerunt animas hominum multas,* intelligendo per animas ipsos homines, qui quantum ad corpus, occidebantur. Per partem etenim totum exprimitur, juxta præhabita.

Et Judas posuerat castra in Laisa, et tria millia viri electi cum eo, id est cum Juda. *Et viderunt* qui erant cum Juda, *multitudinem exercitus* Bacchidis, *quia multi sunt,* scilicet viginti millia peditum et duo millia equitum, *et timuerunt valde :* D quum tamen frequenter prævaluissent in bellis, in quibus comparative loquendo, pauciores erant respectu adversariorum, quam in isto occursu ; sed ad Romanos idololatras confugiendo, meruerunt privari confortatione animationis ac confidentiæ Dei ; *et non remanserunt nisi octingenti viri* cum Juda. *Et vidit quod defluxit,* id est, minoratus sic fuit, *exercitus ejus, et bellum perurgebat eum,* id est, valde arctabat eum, ita quod sine suorum periculo non poterant declinare ; *et confractus est corde,* id est, solitam confidentiam in Deo amisit pro parte, *quia non habebat tempus congregandi eos,* qui defluxerunt de suo exercitu ; *et dissolutus est* formidine quadam, subtracta sibi solita magnanimitate et spe plena in Deo, quia ad hominum infidelium confugerat opem. Unde nec in isto congressu legitur suos more solito ad confidendum in Domino admonuisse, aut precem fudisse ad Deum, sed potius cum ambiguitate quadam dixisse : *Eamus ad adversarios nostros, si poterimus pugnare adversus eos.*

Verumtamen, quia habitum magnanimitatis aliarumque virtutum in magna excellentia habuit, non fuit totaliter mente dejectus, nec fugere acquievit ; imo ad

Digitized by Google

moriendum pro bono communi exhibuit se paratum, dicendo : *Si appropiavit,* id est, si nunc instat, *tempus nostrum,* id est finis curriculi vitæ nostræ, *moriamur in virtute,* id est in exercitio virtuoso fortitudinis, justitiæ, imo et caritatis fraternæ. Ideo subditur, *propter fratres nostros,* id est pro communi pace et salute proximorum nostrorum, quatenus liberati ab hostibus, Deo secundum legem deserviant. *Et non inferamus crimen gloriæ nostræ,* id est maculam famæ nostræ, vel opprobrium eminentiæ nostræ, neque excessum meritis nostris, pro quibus nobis debetur gloria æternalis.

Et movit exercitus Judæ *de castris,* id est tentoriis suis : in quo patet adhuc Judæ audacia, quod sic magnanimiter ivit obviam tanto exercitui inimicorum suorum ; *et divisi sunt equites* Bacchidis *in duas partes ; et fundibularii et sagittarii præibant exercitum* Bacchidis ; *et primi certaminis omnes potentes,* id est, viri exsistentes in dextro cornu cum Bacchide, qui erant primo pugnaturi, fuerunt validi pugnatores. *Et proximavit legio* militum Bacchidis *ex duabus partibus. Et commota est terra a voce exercituum,* id est, habitantes in terra sunt admirati et quodam horrore concussi. Vel ipsa terra quasi timere videbatur ex buccinarum et tubarum clangore, congredientiumque clamore et collisione armorum atque strepitibus ictuum.

Et vidit Judas quia firmior, id est robustior, *est pars exercitus Bacchidis in dextris,* id est in dextero cornu seu latere, *et convenerunt cum ipso* Bacchide *omnes constantes corde,* videlicet fortes et imperterriti ; *et contrita est dextera pars ab eis,* id est, dexterum cornu illud a Juda ac suis est dissipatum et victum, atque in fugam conversum, sicut subjungitur ; *et persecutus est eos* [*usque*] *ad montem Azoti.* In quo patet mira fortitudo, strenuitas, et elegantia Judæ et virorum suorum, et quod Deus omnipotens illum pusillum gregem suum in extremo illo conflictu non

A reliquit, sed mirabiliter confortavit, quamvis eos pro magna parte permisit occidi, quia feliciter obierunt, et virilissime suas compleverunt ac concluserunt congressiones et expeditiones. Unde et Josephus circa hoc refert : Videns Judas Bacchidem cum suis electis in dextero cornu ordinatum, congregans animosissimos viros, invasit illam partem exercitus, et confligens ibi, ordinem eorum dirupit, et medios ad fugam convertit.

Et qui in sinistro cornu erant, viderunt
B *quod contritum est dexterum cornu, et secuti sunt post Judam et eos qui cum ipso erant, a tergo. Et ingravatum est prælium* contra Judam et suos, qui stabant in medio hostium adversariis circumsepti, jamque lassati, quia a mane usque ad vesperam pugnaverunt ; *et ceciderunt multi ex his et illis ;* plures tamen ex exercitu Bacchidis. *Et Judas cecidit, et ceteri fugerunt,* tali ac tanto capitaneo suo prostrato. Qui (ut Josephus scribit) fugere nolens, stans hostibus circumseptus et fortiter pugnans
C cum suis, multos interfecit adversariorum, et tandem percussus occubuit. Talis finis Judam invenit, virum fortem, magnum et bellicosum, mandatorum patris sui memorem, omnia pro libertate civium facere et pati paratum. Tali ergo virtute plenus, magnam sibi gloriam et monumenta servavit, liberans gentem suam a Macedonum servitute : qui quum principatum sacerdotii tribus annis habuisset, defunctus est. Hæc Josephus. *Et Jonathas et Simon tulerunt Judam fratrem suum,*
D id est, corpus ejus abstulerunt, non die eodem, sed paulo post : quod et ab hostibus redemerunt pecunia, ut in Scholastica (ex Josepho) fertur historia.

Et cetera verba, id est gesta, *bellorum Judæ et virtutum,* id est virtuosorum strenuorumque operum ejus, *non sunt descripta. Multa enim erant valde,* ita quod singula describi vix poterant.

Et factum est, post mortem Judæ emerserunt, id est, de profundo malitiæ suæ diu absconditæ exierunt aut proruperunt ma-

Digitized by Google

nifeste in medium, exstincto eo cujus timore non audebant hoc facere, viri *iniqui in omnibus finibus Israel,* etc. *In diebus illis facta est fames,* id est caristia, *magna valde* in terra Juda, *et tradidit se Bacchidi omnis regio eorum cum ipsis,* id est, Judæi communiter subjecerunt se Bacchidi sub tributo, seu etiam aliis modis, pro necessariis vitæ adipiscendis. *Et facta est tribulatio magna in Israel:* quoniam Bacchides amicos Judæ confusibiliter crudeliterque peremit.

Et congregati sunt omnes amici Judæ, et dixerunt Jonathæ : Ex quo frater tuus Judas defunctus est, vir similis ei non est qui exeat contra inimicos nostros. Nunc itaque hodie te elegimus esse pro eo in principem et ducem. Et suscepit Jonathas tempore illo principatum ducatus et pontificatus, non ambitiose, sed ex communi et concordi populi sui electione, et tempore tantæ angustiæ, ut esset primus in omni congressu et acie. *Et fugerunt* Jonathas ac sui, eo quod Bacchides vellet eos occidere : et fugerunt caute, non vituperabiliter timide, *in desertum,* quousque adunarent se invicem, et exercitum congregarent, *et consederunt ad aquam lacus Asphar,* id est Mortui maris, per quod transit Jordanis, juxta illud Josue (*Josue* III, 16.) : Aquæ Jordanis inferiores, in mare Solitudinis, quod nunc vocatur Mortuum, descenderunt. *Et die sabbatorum venit Bacchides,* ad impugnandum Jonathan : venitque sabbati die, vel in contemptum religionis Judæorum sabbato libenter quiescentium; vel putans Jonathan die illa non pugnaturum, aut saltem invite.

Et Jonathas misit fratrem suum ducem populi, id est, Jonathas fratrem suum Joannem misit cum aliquibus quibus eum præfecit, *et rogavit Nabuthæos amicos suos :* qui secundum Josephum, Nabuthæi dicuntur ab urbe nomine Nabath ; *ut commendaret illis apparatum suum,* id est, supellectilem suam apud illos deponeret, quousque contra Bacchidem ipse Jonathas dimicaret. Aliqui tamen habent, Ut com- A modarent illis apparatum suum, id est, quatenus Nabuthæi concederent Jonathæ ac suis arma sua atque tentoria. *Et exierunt filii Jambri ex Madaba,* id est urbe sic dicta, *et comprehenderunt Joannem* præfatum Jonathæ fratrem, etc. *Et recordati sunt sanguinis fratris sui :* id est, Jonathas et Simon recolentes injustam fratris sui Joannis occisionem a filiis Jambri, fecerunt ultionem, quæ in textu qui planus est, recitatur. *Et vindicaverunt,* id est, vindicando exercuerunt, *vindictam* B *sanguinis,* id est effusionis sanguinis, *fratris sui,* zelo justitiæ.

Et dixit ad suos Jonathas : Surgamus et pugnemus contra inimicos nostros, videlicet Bacchidem et ejus exercitum. *Non est enim hodie, sicut heri et nudiustertius,* id est sicut præteritis diebus, in quibus fuit nobis libertas eundi ac divertendi hinc inde. Nunc autem oportet nos pugnando prævalere, aut infeliciter subdi seu trucidari. *Nunc ergo clamate in cœlum,* Deum cœli invocando. *Et commissum* C *est bellum. Et extendit Jonathas manum suam percutere Bacchidem,* quatenus principe impiorum hostium interempto, celerius prævaleret. Estque probabile, quod Bacchides vir valde audax, animosus et fortis, appropinquavit ad Jonathan ut eum occideret. *Et divertit* Bacchides *ab eo retro :* alioquin fuisset occisus a Jonatha. *Et ceciderunt de parte Bacchidis mille viri : et reversi sunt in Jerusalem* ipse Bacchides et sui, occisis de eorum exercitu mille viris.

D *Et ædificaverunt,* id est, captas munierunt, et in aliquibus exstruxerunt, *civitates munitas in Judæa ; et posuit custodias in eis,* id est custodes et raptores de populo suo, *ut inimicitias exercerent in Israel,* id est, populum Judæorum spoliarent ac molestarent. *Et accepit filios principum regionis,* id est, filios principalium Judæorum sumpsit, *in obsides,* ne vel ipsi vel patres eorum contra se rebellarent, Jonathan adjuvando. *Et præcepit Alcimus destrui muros,* id est parietes seu muni-

Digitized by Google

menta muralia, *domus sanctæ interioris,* A id est Sancti sanctorum, *et opera Prophetarum,* id est ædificia templi facta ex instigatione Zachariæ et Aggæi prophetarum (1 Esdr. v, 1; vi, 14; Agg. i, 8, 14; Zach. 16; iv, 9.) sanctorum, ut patet in Esdra et Aggæo. *In illo tempore percussus est Alcimus,* id est plagatus a Deo, et occisus propter facinora sua.

Et apprehendit de viris regionis, qui principes erant militiæ ipsius Bacchidis, seu principales in ejus exercitu, *quinquaginta viros, et occidit eos.* Hoc Jonathas fecit, quum post mortem Alcimi Bacchides redisset ad regem, et rursus expletis duobus annis ad Judæam fuisset reversus. *Et contritus,* id est victus, non occisus, *est Bacchides ab eis,* hoc est a Jonatha et Simone. *Et misit ad eum,* puta ad Bacchidem volentem ad propria remeare, *Jonathas legatos componere cum ipso* Bacchide *pacem, et reddere ei captivitatem,* hoc est, ut Bacchides redderet Jonathæ eos quos de populo Jonathæ captivavit. Jonathas quoque præbuit se paratum reddere Bacchidi, quos captivos habuit de populo Bacchidis, ut Josephus refert. Et in hoc uterque consensit. *Et cessavit gladius ex Israel,* id est, populus Israel a solita hostium impugnatione est liberatus. Nihilo minus post hæc habuerunt et alia prælia, ut in- B fra habetur, sed non tam dura neque ita assidua, sicut ante. *Et habitavit Jonathas in Machmas,* id est urbe Judææ sic nominata : de qua exponitur illud primi Regum libri, Erant cum Saul duo millia in Machmas. (1 Reg. xiii, 2.)

ARTICULUS X

EXPOSITIO CAPITULI DECIMI : ET ANNO CENTESIMO SEXAGESIMO ASCENDIT ALEXANDER.

GESTA Jonathæ, bella ac prosperitas C ejus sub multis regibus habita, hic narrantur. *Et anno centesimo sexagesimo ascendit Alexander Antiochi filius, qui* Alexander *cognominatus est Nobilis,* sicut avus ejus Epiphanes est cognominatus, sive Illustris. (1 Mach. i, 1.) Aliqui autem accipiunt hoc loco Nobilem et Illustrem pro eodem ; et addunt quod Alexander iste fuit filius Antiochi Nobilis seu Illustris, et frater Antiochi, qui Eupator vocatus est. *Et occupavit Ptolemaidam ; et receperunt illum, et regnavit illic,* id est in urbe illa Syriæ. D Atque, ut Josephus refert, ex proditione militum in Ptolemaida commorantium, Alexander fuit receptus : quia militibus illis displicuit Demetrius propter suam superbiam, quia dum se clausisset in quadam turre regali, quam non longe ab Antiochia construxerat, a nemine videbatur ; sed et rem publicam ut desidiosus neglexit, ideo subditi oderant eum. *Et misit Demetrius rex epistolam ad Jonathan verbis pacificis,* ex timore, ne Jonathas auxiliaretur Alexandro, memor molestiarum et injuriarum quas a Demetrio toleravit. *Et dedit ei potestatem congregandi exercitum, et fabricare arma.* Unde elicitur, quod Judæi vehementer premebantur jugo regum illorum. *Et habitavit Jonathas in Jerusalem, et cœpit ædificare,* id est meliorare in structuris, *et innovare civitatem. Et fugerunt alienigenæ,* id est gentiles, *qui erant in munitionibus,* id est locis munitis, *quas ædificaverat Bacchides* prope arcem, vel secundum quosdam, extra et prope Jerusalem. *Tantum in Bethsura remanserant aliqui ex his qui reliquerant legem,* id est apostatæ legis ; in arce quoque, ut infra et in Josepho patet.

Et audivit Alexander rex, qualiter Demetrius scripserat Jonathæ : idcirco et ipse

Digitized by Google

scripsit ei amorosam epistolam ex affectu non ficto, misitque ei munera pretiosa, ut patet in littera, in qua non est difficultas. *Et induit se Jonathas stolam sanctam,* id est vestem pontificalem. Nam Alexander non solum constituit eum summum sacerdotem, sed etiam misit ei stolam, ut Josephus narrat, quamvis hoc textus non dicat. *In die solenni Scenopegiæ,* id est dedicationis templi primi a Salomone constructi, ut quidam exponit : quæ expositio probatur inepta, quia in lege communiter per festum Scenopegiæ intelligitur festum Tabernaculorum. Josephus quoque refert : Suscipiens epistolam Alexandri Jonathas, induitur stola sacerdotali, festo Tabernaculorum instante. Festum quoque Scenopegiæ occurrebat septimo mense, ut patet in Levitico; de quo mense loquitur hic Scriptura, dicendo, Et induit se Jonathas stolam sanctam septimo mense. Verumtamen stolam illam a rege missam ipse consecravit, antequam utebatur ea in Dei obsequio.

Lev. XXIII, 34.

Et audivit Demetrius verba ista, quod scilicet Alexander scripsit et munera contulit Jonathæ, *et ait* consiliariis suis : *Quid hoc fecimus,* id est, cur ita habuimus nos, quod hoc fieri permisimus, *quod præoccupavit nos Alexander apprehendere amicitiam Judæorum ad munimen sui,* id est ad suam protectionem et opem ? *Scribam et ego illis verba deprecatoria et dignitates et dona, ut sint mecum in adjutorium. Et scripsit* Demetrius *eis,* Jonathæ ac populo ejus, *in hæc verba : Quoniam servastis ad nos pactum, et mansistis in amicitia nostra, et non accessistis ad inimicos nostros* per confœderationem, *gavisi sumus,* etc. Hæc falsa erant et ficta, ut Jonathas erubesceret non adhærere Demetrio. *Et remittemus vobis præstationes multas,* id est multa quæ nobis dare solebatis certis temporibus : imo *dabimus vobis donationes,* id est munera. *Et nunc absolvo vos et omnes Judæos* in meo dominio commorantes, *a tributis, et pretia salis indulgeo,* id est pecunias quas solvistis pro sale, quod confecistis in terra nostra ex aqua maris, super quod pro parte sita est terra Judææ. Sicque aquæ de mari eductæ per alveos, super terram vertebantur in sal per solis calorem. *Et coronas remitto,* quas solvere consuevistis, *et tertias seminis,* id est tertias frugum partes. Merito ergo Esdras locutus est : Fructus ejus multiplicantur regibus, quos posuisti super nos. *Et dimidiam partem fructus ligni,* id est arborum, *in totum tempus* præsidentiæ meæ.

II *Esdr.* IX, 37.

Et Jerusalem sit sancta, id est, Dei cultus exerceatur in ea et in templo ipsius, *et libera* a tributis ; *et decimæ et tributa,* quæ nobis solvere solent, *ipsius sint,* id est, ei remaneant pro bono ejus communi. *Remitto etiam potestatem arcis,* ita ut nullus in ea moretur contra Jonathæ voluntatem. Ideo additur, *et do eam summo sacerdoti,* non simpliciter, sed *ut constituat in ea viros quoscumque ipse voluerit,* qui molestiam non ingerant intrantibus templum; *qui custodiant eam* pro rege, ut Josephus addit : quod et verbis sequentis concordat capituli. *Et omnem animam,* id est personam, *Judæorum captivam in omni regno meo, relinquo liberam gratis. Et omnes dies solennes,* id est majora festa, ut Paschæ, Pentecostes, Tabernaculorum et Tubarum, quæ semel venerunt in anno, *et sabbata* in omni hebdomada venientia, *et neomeniæ,* id est festa in exordiis mensium celebranda, *et dies decreti,* id est, pro celebrandis festivitatibus ex certis casibus instituti seu ordinati, quemadmodum dies Sortium pro interfectione Aman liberationeque Judæorum, et dies victoriæ Judith, *et tres dies ante diem solennem,* id est præcipuam legis solennitatem, *et tres dies post eam.* Josephus vero ait pluraliter, Ante eos, et, Post eos : et sic per diem solennem forsitan designantur solennes dies semel in anno venientes. Solennitas autem Paschæ et Tabernaculorum duravit septem diebus, prout in Levitico habetur. *Sint omnes dies immunitatis* ab exactione, *et remissionis* a vectigali-

Esther IX, 21. *Judith* XVI, 31. *Lev.* XXIII, 6, 8, 34.

Digitized by Google

bus, *omnibus Judæis qui sunt in regno* A *meo; et nemo habebit potestatem agere aliquid* contra Judæos in foro contentioso, *et movere negotia adversus aliquem eorum in omni,* id est quacumque, *causa,* in prætactis diebus.

Et ut adscribantur ex Judæis in exercitu regis ad negotia bellica, pro defensione reipublicæ, qui sint quasi milites et stipendiarii regis, et præcipui defensores Judæorum in regno meo manentium, *usque ad triginta millia virorum. Et dabuntur illis copiæ,* id est necessaria ad sua officia B peragenda, ut arma, stipendia aut consimilia, *ut oportet* dari *omnibus exercitibus regis; et ex ipsis* triginta millibus Judæorum, *ordinabuntur* aliqui per principes meos, *qui sint* custodes et propugnatores *in munitionibus regis magnis,* id est fortalitiis. *Et ex his constituentur* qui sint *super negotia regni,* id est aliqui officiati ad expediendum negotia, *quæ aguntur ex fide,* id est, qui tantæ sint reputationis, quod eis credatur, *et ambulent in legitimis suis, sicut præcepit rex in terra Juda,* C id est, ubique in regno meo permittantur vivere secundum legem patrum suorum, sicut præcepi eos permitti sic vivere in Judæa. *Et tres civitates quæ additæ sunt Judææ ex regione Samariæ, cum Judæa reputentur,* tanquam de jure pertinentes ad eam, *ut sint sub uno,* scilicet principe sacerdotum. Ideo subditur, *et non obediant alienæ potestati, nisi summo sacerdoti.* Judæi namque post reditum a Babylone per pontifices regebantur. *Ptolemaida et confines urbes ejus, quas dedi donum san-* D *ctis qui sunt in Jerusalem,* id est ministris templi, sacerdotibus ac Levitis, *ad necessarios sumptus sanctorum,* id est ministrorum illorum divinis consecratorum.

Et ego singulis annis dabo ad sacrificia aut consimilia, *quindecim millia siclorum argenti,* id est tantam pecuniam. Siclus
vd. xxx, autem, ut in lege habetur, viginti obolos habet. Sed sicli erant diversi. *De rationibus regis,* id est de rebus et bonis ad me de jure spectantibus. *Et omne quod reliquum fuerit, dabunt* qui præsunt negotiis *in opera domus,* id est ad ea quæ necessaria sunt in templo. *Et super,* id est ultra *hæc quinque millia siclorum quæ accipiebant* officiati mei pro me, vel alii reges, *de sanctorum ratione,* id est de pertinentibus ad templi ministros, vel ad templum, *ad sacerdotes pertineant, qui ministerio* sacerdotali *funguntur. Et quicumque confugerint in templum, et in omnibus finibus ejus,* id est infra septa ipsius, *obnoxii regi in omni negotio,* id est adstricti ad satisfaciendum mihi pro culpa quacumque, *dimittantur; et universa quæ sunt,* id est attinent, *eis, libera habeant. Et ad ædificanda vel restauranda opera sanctorum,* id est ædificia templi et appendicias ejus, *sumptus dabuntur de ratione,* id est reditibus, *regis.*

Ut autem audivit Jonathas et populus ejus sermones istos, non crediderunt eis: nam ficti erant et blandi, ex timore prolati. *Et complacuit eis in Alexandrum,* qui ex sinceritate quadam scripsit et contulit eis; *quia ipse fuerat eis princeps sermonum pacis,* id est præcipuus repromissor atque exhibitor verborum pacificorum, non loquens nec scribens eis dolose, *et ipsi* Alexandro *auxilium ferebant omnibus diebus* opportunis. Circa hoc quæritur, an in hoc bene egerunt. Et apparet quod non: quoniam Alexander iste non habuit jus ad possidendum hoc regnum Demetrii. Fuit enim ex semine Antiochi Illustris qui regnum invasit, expulso filio fratris sui senioris Seleuci, cui regnum competebat de jure, ratione primogenituræ. Quid ad hanc respondendum sit quæstionem, non video, nisi forsan quod Demetrius ob suam in Judæos tyrannidem, et ob alia crimina meruerit regno privari.

Et congregavit Alexander rex exercitum magnum, et admovit castra contra Demetrium. Et commiserunt prælium duo reges, et fugit exercitus Demetrii, etc. *Et cecidit,* id est occisus est, *Demetrius in die illa.* Circa hoc Josephus scribit: Demetrius fortiter pugnans, non paucos ho-

Digitized by Google

stium prostravit. Quumque fugans alios equus ejus cœni barathro, id est profundo luto, inhæsisset, minime fugere valens, occiditur. Videntes etenim hostes quod ei accidisset, reversi, circumdederunt eum; et omnibus in eum jacula destinantibus, quum ipse pedestris fortiter resisteret, postea perfossus vulneribus lapsus est. *Et misit Alexander ad Ptolemæum regem Ægypti legatos, dicens : Quoniam regressus sum ad regnum meum,* etc. *Et nunc statuamus ad invicem amicitiam, et da mihi filiam tuam uxorem :* quod Ptolemæus libenter fecit. *Et scripsit Alexander Jonathæ, ut veniret sibi obviam* in Ptolemaida civitate. Quo quum Jonathas pervenisset, dedit Alexandro ac Ptolemæo munera pretiosa et magna; et honoraverunt eum, præcipue Alexander, qui jussit eum purpura mox vestiri ac secum sedere, et primum esse amicorum suorum, ac ducem atque participem principatus. Denique, sicut in Scholastica fertur historia, quatuor sunt insignia regalia, scilicet purpura, fibula aurea, diadema, et sceptrum.

Consequenter describitur bellum Jonathæ contra Demetrium prætacti Demetrii filium. *In anno centesimo sexagesimo quinto venit Demetrius filius Demetrii a Creta* civitate : de qua ex parte matris fuerat oriundus; ideo patre suo occiso, illuc confugit. In urbe illa postea fuit archiepiscopus ipse Titus apostoli Pauli discipulus. Jupiter quoque fuit rex Cretæ. De Cretensibus vero allegat Apostolus illud poetæ : Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri. *Et audivit Alexander* adventum Demetrii, *et contristatus est valde,* timens ab illo vastari, quia Demetrius ille fuit de linea regalis prosapiæ, ex semine primogeniti magni Antiochi, *et reversus est* Alexander *Antiochiam* regni sui metropolim. *Et constituit Demetrius Apollonium ducem, et congregavit exercitum magnum,* ut in primis expugnaret Jonathan, quem scivit Alexandro fortiter confœderatum ; *et accessit ad Jamniam* in Judæa prope mare sitam, *et misit ad Jonathan* ipse Demetrius rex, vel Apollonius ex parte ipsius [*dicens*] :

Tit. I, 5.

Ibid. 12.

Tu solus resistis nobis, id est, præcipue impedis nos, roborando audaciam Alexandri. *Ego autem factus sum in derisum et in opprobrium* ab Alexandro et suis, qui occupant terram patrum meorum, nec me volunt recipere, et etiam a te et tuis, *propterea quia tu potestatem exerces adversus nos in montibus,* ita quod in locis montanis, et in urbibus fortalitiisque hujusmodi confidis, ad quæ difficile est ascendere, præsertim equitibus. *Nunc ergo si confidis in virtutibus tuis,* id est robore tui exercitus, seu corporalibus viribus, aut justitiis, quibus facta tua coloras, *descende ad nos in campum,* ut in loco plano præliis apto pugnemus ; *quia mecum est virtus bellorum,* id est fortitudo exercitus atque industria præliandi. *Interroga, et disce quis sum ego :* quasi dicat, Si excellentiam meam perpenderes, te mihi opponere non auderes. Loquitur autem comminatorie, præsumptuose, superbe, tanquam volens Jonathan perterrere : qui confidens in Domino magis quam in virtutibus suis, ex verbis tantæ improbitatis fuit magis ad magnanimitatem et confidentiam provocatus, sicut subjungitur.

Ut audivit autem Jonathas sermones Apollonii ex ore nuntii seu ex epistola, *motus est animo* ad justam indignationem, et ad iram per zelum atque audaciam, quemadmodum David ex verbis Goliath. Erant namque devoti cultores veri Dei : in quo confidentes, verba idololatrarum spernebant. *Et elegit* Jonathas *decem millia virorum,* etc. *Et applicuerunt* Jonathas et Simon frater ejus cum exercitu suo, *in Joppen,* id est extra et prope Joppen : nam subditur, *et exclusit eum a civitate,* id est, populus in Joppe exsistens, portas clausit, ne Jonathas introiret cum suis ; *quia custodia Apollonii Joppe erat,* id est, milites ab Apollonio constituti in urbe illa, ad succurrendum sibi tempore opportuno ; *et oppugnavit* Jonathas *eam. Et exterriti qui erant in civitate,* ne caperet eam et

I *Reg.* XVII, 26, 36, 45-47.

Digitized by Google

ipsos occideret, *aperuerunt ei.* Et prælium A commiserunt contra se invicem Jonathas et Apollonius, non statim tunc, sed paulo post.

Et cognovit Jonathas, quoniam sunt insidiæ post se, id est, quod Apollonius aliquos dimisisset occulte, qui a tergo invaderent Jonathan et suos tempore prælii. *Et circuierunt* Jonathas et sui *castra ejus,* puta Apollonii, antequam pugnaverunt, ne includerentur a viris Apollonii, *et jecerunt* milites et sagittarii Apollonii *jacula in populum* Jonathæ, *a mane usque ad* B *vesperam. Populus autem stabat sicut præcepit Jonathas ; et laboraverunt equi eorum,* videlicet militum Apollonii. Circa hoc Josephus scribit : Jonathas suis præcepit, sagittas equitum testudine facta excipere. Quod quum fecissent, nihil lædebantur, quamvis hostes super eos frequentia tela vibrarent, usquequo suas evacuassent sagittas : nam sagittæ corpora clypeis septa minime contingebant, quum constipatione testudinis tela venientia refugarentur. *Et ejecit,* id est, ad bellandum repente C direxit, *Simon exercitum suum,* videns adversarios jam lassatos, *et commisit contra legionem* pedestrem, quibus equites non valebant multum succurrere. Propter quod subditur : *Equites enim fatigati erant* sagittando. *Et contriti sunt ab eo,* id est a Simone, hi qui erant in legione, *et fugerunt. Et intraverunt in Bethdagon idolum suum,* id est in domum seu templum Dagon dei vel idoli sui, *ut se,* id est eos, *liberaret. Et accendit Jonathas Azotum,* et templum illud cum exsistentibus in se. *Et fuerunt qui ceciderunt gladio, fere octo millia virorum.*

Et movit inde Jonathas castra, et applicuit [*ea*] *Ascalonem,* quæ fuit una de quinque principalibus urbibus Philistinorum ; *et exierunt obviam illi,* videlicet Jonathæ, *in magna gloria,* non audentes se ei opponere.

Et ut audivit Alexander rex sermones istos, addidit adhuc glorificare Jonathan ad regratiandum ei, quia expugnavit adversarios Alexandri. *Et misit ei fibulam auream, sicut est consuetudo dari cognatis regum.* Josephus dicit, Torquem auream. Porro jam supra in isto capitulo dictum est, quod misit Jonathæ purpuram, aureamque coronam. Quumque juxta præhabita, sint quatuor insignia regalia, patet quod misit Jonathæ tria, quartum (scilicet sceptrum) sibi reservans. *Et dedit ei Accaron,* unam quinque principalium civitatum Philistiim, *et omnes fines ejus,* id est urbes et villas Accaroni confines, *in possessionem.*

ARTICULUS XI

EXPOSITIO CAPITULI UNDECIMI : ET REX ÆGYPTI CONGREGAVIT EXERCITUM.

DESCRIBUNTUR hic gesta quædam plu- D rium regum, videlicet regis Ægypti, regumque Syriæ Alexandri et Demetrii, et principaliter gesta Jonathæ sub eisdem. *Et rex Ægypti* Ptolemæus Philometor, secundum Josephum, *congregavit exercitum* copiosum, *sicut arenam quæ est ad oram,* id est in littore, *maris :* quod hyperbolice accipi potest ; *et quærebat obtinere regnum Alexandri dolo, et addere illud regno suo :* quod fuit detestanda ambitio, et multum innaturalis, quum Alexander esset gener ipsius, essetque spes quod ad nepotem aut neptem Ptolemæi ex filia sua Cleopatra Alexandri uxore, devolvendum esset regnum Alexandri. Sed infelix ambitio caret oculo, tamque crudelis est, quod nec patri parcit, nec fratri. *Et exiit* Pto-

Digitized by Google

lemæus de Ægypto *in Syriam verbis pacificis,* simulans se venisse ad profectum generi sui, *et* ideo urbes *aperuerunt ei,* præsertim quia Alexander hoc eis commisit.

Et ut appropinquavit Ptolemæus *Azoto, ostenderunt ei* Syri pergentes cum ipso, ut Josephus tangit, *templum Dagon incensum, et Azotum* quoque incensum, *et cetera ejus demolita,* id est destructa, *et corpora* occisorum *projecta, et eorum qui cæsi erant in bello, tumulos,* id est sepulcra, quia tanquam viliores erant sepulti. *Et narraverunt regi, quia hæc fecit Jonathas, ut invidiam facerent ei,* id est, ut regem inflammarent invidia contra Jonathan; *et tacuit rex,* nolens contra Jonathan amicum Alexandri litem assumere, ne Alexander percipiendo tale litigium, malum aliquid suspicaretur contra Ptolemæum. *Et occurrit Jonathas regi* Ægypti *in Joppen,* volens pro posse pacem amicitiamque servare cum regibus propter commune populi sui bonum. *Rex autem Ptolemæus obtinuit dominium civitatum* Syriæ, auxilio militum suorum, quos in singulis posuit urbibus illis, *usque Seleuciam maritimam,* id est urbem sic appellatam ad mare sitam; *et cogitabat in Alexandrum consilia mala,* qualiter posset eum omnino opprimere fraudulenter.

Circa hæc gesta, multa scribit Josephus, quæ huic historiæ non concordant, nec cum ea videntur posse concordari, nisi forsan multum extorte. Ideo magis credendum est huic libro.

Et misit legatos ad Demetrium, dicens: Veni, componamus inter nos pacta pacis et amicitiæ fœdus, et dabo tibi filiam meam quam habet Alexander. Tale divortium fuit omnino illicitum. *Pœnitet enim me quod dederim illi filiam meam. Quæsivit enim me occidere.* Hoc secundum Josephum ita fuit. Nam refert Ptolemæum exisse Ægyptum ad præbendum solatia Alexandro, et tamen in Ptolemaida fuerit quasi occisus ex insidiis Alexandri, quas per Ammonium Ptolemæo paravit. Et aliqui dicunt
A quod voluit Ptolemæum inficere. Sed textus non consonat, asserens Ptolemæum egressum, ut dolo regnum Alexandri acquireret. Subditur: *Et vituperavit eum,* videlicet Ptolemæus Alexandrum, *propterea quod concupierat regnum ejus. Et intravit Ptolemæus Antiochiam* metropolim Syriæ, ut ibi coronaretur super Syriæ regnum. Unde subjungitur: *Et imposuit capiti suo duo diademata, Ægypti et Asiæ.* Quare non ait, Ægypti et Syriæ? nisi forsan quoniam Syria est pars Asiæ, prout
B Asia dicitur una de quatuor plagis vel partibus mundi.

Et audivit Alexander fraudes et practicas Ptolemæi, *et venit ad eum in bellum,* etc.; *et fugavit eum,* scilicet Alexandrum Ptolemæus. Occulta quippe sunt *Ps. xxxv. 7.*
judicia Dei, qui permittit interdum pejores melioribus seu minus pravis prævalere, ex certa et legitima causa quæ homines latet: sicut in libro Judicum leguntur filii *Judic. xx. 21, 25.*
Benjamin injustissimam causam habentes, ceteris tribubus Israel justam pugnandi
C causam habentibus, imo ex divina revelatione ad bellum procedentibus, bis prævaluisse. Certum est autem, Alexandrum istum fuisse idololatram, atque in multis culpabilem. *Et fugit Alexander in Arabiam* cum filio suo Antiocho ad parentes maternos; *et abstulit Zabdiel Arabs caput Alexandri, et misit Ptolemæo.* In Scholastica fertur historia: Rex Arabum timens potestatem Ptolemæi, occidit Alexandrum, et reservavit filium ejus. Ptolemæus vero, capite Alexandri viso, gavisus fuit. *Et Pto-*
D *lemæus mortuus est in die tertio,* postquam caput acceperat Alexandri. Sicque Deus justo judicio punivit celerrime tantas Ptolemæi impietates. *Et qui erant in munitionibus,* id est hi quos rex Ægypti constituerat in munitis Syriæ locis, *perierunt ab his qui erant intra castra,* id est, opprimebantur a militibus et pugnatoribus Demetrii, quorum multi ante adhæserant Alexandro. Demetrius namque et Syri noluerunt loca sua munita ab Ægyptiis possideri.

Digitized by Google

In diebus illis congregavit Jonathas eos qui erant in Judæa, ut expugnaret arcem, etc. *Et abierunt quidam viri iniqui ad regem Demetrium, qui nuntiaverunt ei quod Jonathas obsideret arcem. Et ut audivit, iratus est,* id est, Demetrius iratus est contra Jonathan, quum sibi denuntiatum esset a quibusdam perfidis apostatisque Judæis, quod Jonathas obsideret arcem. *Et dedit se periculo,* id est, Jonathas exposuit se periculo mortis, pergendo ad regem Demetrium cum sacerdotibus ac senioribus Judæorum, non obstante quod contra regis præceptum jussit continuari arcis obsidionem : de qua re intendebat regi causam rationabilem assignare. *Et invenit gratiam in conspectu ejus,* puta Demetrii, cui attulit munera pretiosa et multa, per quæ mentem Demetrii emollivit. Omnipotens quoque ad nutum immutat principum corda. (Prov. XXI, 1.) Unde et Demetrius, præter spem Jonathæ, multipliciter honoravit exaltavitque Jonathan, quemadmodum Alexander, nec accusatoribus ejus audientiam præbuit.

Et postulavit Jonathas a rege ut immunem, id est a tributo seu obsequiis, vel gravaminibus solitis liberam, *faceret Judæam, et tres toparchias,* id est principatus urbes, *id est Samariam,* quæ fuit metropolis in regno decem tribuum, *et confines ejus,* id est duas urbes ei confines; *et promisit ei,* videlicet regi, *talenta trecenta,* in recompensam emolumentorum consuetorum. *Et concessit rex, et scripsit Jonathæ epistolas de his omnibus, hunc modum,* id est tenorem et formam, *continentes :*

Rex Demetrius Jonathæ fratri salutem, et genti Judæorum. Exemplum epistolæ quam scripsimus Lastheni parenti nostro de vobis, misimus ad vos. Lasthenes iste creditur fuisse propinquus, carus et familiaris Demetrio, specialiter quoque honoratus ab eo : propter quod vocavit eum parentem. Propter quod etiam scripsit ei propria gesta : sicque gratiam et beneficia quæ concessit Jonathæ ac Judæis, si- A gnificavit Lastheni, et formam epistolæ illi missæ, misit et Jonathæ ac populo ejus. *Genti Judæorum decrevimus benefacere, propter benignitatem quam erga nos habent. Statuimus ergo,* id est, ordinamus et exhibemus, *illis omnes fines Judææ, et tres civitates,* videlicet *Lydan et Ramathan quæ additæ sunt Judææ ex Samaria,* hoc est ex civitatibus regni decem tribuum. Porro Samaria interdum accipitur pro speciali urbe regionis illius, et sic fuit tertia urbs, pro cujus immunitate institit B Jonathas. *Sequestrari,* id est separari, et ad inhabitandum concedi, *omnibus* Israelitis *sacrificantibus in Jerosolymis* in templo, id est veri Dei cultoribus, *pro his* donationibus et exactionibus, *quæ ab eis rex* Syriæ, scilicet ego seu quicumque prædecessor meus, *prius accipiebat per singulos annos, et pro fructibus terræ et pomorum,* id est arborum. *Et alia quæ ad nos pertinebant decimarum et tributorum, ex hoc tempore remittimus eis* pro trecentis talentis, quæ in horum recompensam C Jonathas nobis solvet. *Et areas salinarum,* id est loca, in quibus conficitur sal, modo tacto præcedenti articulo : (I Mach. X, 29.) de qua re plenius scripsi super illud Proverbiorum, Acetum in nitro, qui cantat carmina cordi pessimo; (Prov. XXV, 20.) *et coronas quæ nobis deferebantur,* id est, a Judæis persolvebantur, *omnia concedimus,* id est relinquimus *eis,* non exigimus, ex causa præhabita. *Nunc ergo curate facere horum exemplum,* id est, ista diligenter conscribite in materia bene durabili, *et detur Jonathæ* ad dispo- D nendum de ejus custodia, *et ponatur in monte sancto* Sion, *in loco celebri* templi ad perennem memoriam.

Et videns Demetrius quod siluit terra in conspectu suo, id est, quod habitatores terræ sibi non repugnarent, *dimisit exercitum suum,* ex proprio populo suo collectum, *excepto peregrino,* id est alieno, *exercitu, quem contraxit ab insulis gentium,* id est a Creta ac aliis gentibus, quarum subsidio intravit terram regni patrum suorum ; *et inimici ei erant omnes exercitus*

Digitized by Google

patrum ejus, id est proprius et nativus exercitus, qui et patribus suis servierat. Indignabantur enim regi, quod peregrinum illum exercitum, ipsis licentiatis, apud se retinebat, et quia solitas eis diminuebat annonas : imo, secundum Josephum, reges priores consueverunt eis dare annonas etiam tempore pacis, quatenus tempore prælii essent ad omnia promptiores.

Tryphon autem quidam erat partium Alexandri primus *, id est præcipuus inter fautores ac principes Alexandri, dum ille vixit : qui videns exercitum contra Demetrium murmurare, intravit Arabiam, ut inde deduceret filium Alexandri, cui putavit exercitum mox adhæsurum. *Et mansit ibi,* id est in Arabia ipse Tryphon, *diebus multis :* quia Antiochus ille fuit nimis juvenis ad regnandum, et princeps qui eum nutrivit, non cito neque faciliter acquievit petitioni Tryphonis, ut Josephus narrat.

* alias *prius*

Et misit Jonathas ad Demetrium, ut ejiceret eos qui in arce erant. Ex hoc non sequitur, quod Jonathas cessavit ab arcis obsidione, sed potius quod non poterat eam ad libitum expugnare. *Et qui in præsidiis erant,* id est in locis munitis Judææ hinc inde : *quia impugnabant Israel,* id est populum Judæorum ex fortalitiis illis, exeundo de illis ad deprædandum et impugnandum. Erant enim partim gentiles, partim Judæi apostatæ. Cui petitioni dixit se rex satisfacturum et majora facturum, præsertim si Jonathas sibi auxiliatores transmitteret. *Misitque regi tria millia virorum fortium. Et occupaverunt qui erant de civitate, itinera civitatis,* id est, vias et plateas urbis sic munierunt, ut nec rex posset aufugere, nec ab extra aliquis sibi in auxilium advenire. Sed per hoc sibi ipsis laqueum extenderunt, quoniam victi sunt, nec potuerunt fugere expedite propter hujusmodi impedimenta. *Et vocavit rex Judæos in auxilium, et convenerunt omnes simul ad eum, et dispersi sunt omnes per civitatem :* id est, Judæi undique discurrebant per urbem, insequendo, fugando, occidendoque æmulos; *et occiderunt illa die centum millia hominum, et succenderunt civitatem* pro parte : quo viso, residui postulaverunt a rege pacem et veniam. Sicque Judæi famosi effecti sunt in regno Demetrii.

Verumtamen Josephus circa hæc multa refert, quæ non videntur multum consona textui huic, videlicet quod exercitus ille peregrinus adhuc cum Demetrio fuit, et quod Judæi ascenderunt super tecta domorum, quæ ibi plana fuerunt, atque ex alto contra adversarios præliabantur, jacula et alia emittendo, unde nec lædi valebant; et quod transiliebant de tecto in tectum, ac multa similia.

Et siluit terra in conspectu ejus, id est Demetrii, post tantam victoriam, et metropolis suæ prostrationem ac subjugationem sub eo. *Et mentitus est omnia quæcumque dixit,* id est, quæ Jonathæ scripsit ac promisit de beneficiis impendendis gratiisque agendis.

Post hæc autem reversus est Tryphon ab Arabia, *et Antiochus puer adolescens,* filius Alexandri, *et regnavit, et imposuit sibi diadema* regni Syriæ; *et congregati sunt ad eum exercitus, quos disperserat Demetrius, et pugnaverunt contra eum,* puta Demetrium, *et fugit* Demetrius. *Et accepit Tryphon bestias,* id est elephantos, vel secum adductas, vel a Demetrio fugiente sublatas, *et obtinuit Antiochiam. Et scripsit Antiochus adolescens Jonathæ:* et hoc de consilio Tryphonis, quatenus Jonathas adjuvaret Antiochum, sicut adjuverat ipsius patrem Alexandrum ; *dicens : Constituo tibi sacerdotium,* id est, pontificatum tibi concedo. Concessionem namque a Demetrio factam, reputavit Antiochus cassam. *Et constituo te* principem *super quatuor civitates* extra regionem Judææ. *Et misit* Antiochus *illi vasa aurea in ministerium* templi vel mensæ suæ, *et dedit ei potestatem,* id est auctoritatem, *bibendi in auro,* id est ex aureis scyphis, *et esse in,* id est indui, *purpura, et habere fibulam auream* seu aureum torquem ; *et Si-*

Digitized by Google

monem fratrem ejus constituit ducem, id est officiatum in aliqua dignitate, *a terminis Tyri usque ad fines Ægypti,* id est usque ad principium confiniorum regionis Ægypti exclusive, quia super Ægyptum non habuit principatum iste Antiochus.

Et exiit Jonathas, et perambulabat trans flumen Euphraten *civitates,* ut induceret eas ad cohærendum Antiocho. *Et congregatus est ad eum omnis exercitus Syriæ* ad faciendum hoc plenius. *Et abiit Gazam* propter eamdem causam; *et concluserunt se qui erant Gazæ,* nolentes aperire Jonathæ, neque Antiocho obedire; *et succendit quæ in circuitu erant civitatis* attinentia Gazæ, *et prædatus est eam,* auferendo divitias ejus quas reperit extra urbem. *Et rogaverunt Gazenses Jonathan* pacem et veniam, *et dedit illis dextram.*

Et audivit Jonathas quia prævaricati sunt principes Demetrii, injuriando vel Jonathæ vel Antiocho, *in Cades quæ est in Galilæa,* quia in illo oppido fuerant congregati *cum exercitu multo, volentes eum removere a negotio regni,* id est a principatu sibi concesso ab Antiocho, imo et dudum a Demetrio; *et occurrit illis. Fratrem autem suum Simonem reliquit intra provinciam* Judææ ad ejus custodiam. *Et applicuit Simon ad Bethsuram* civitatem, in qua fuit fortalitium post arcem fortissimum, atque in eo adversarii Judæorum obedientes Demetrio, *et conclusit eos,* qui erant in oppido et fortalitio illo. Sicque nequibant egredi, aut necessaria adipisci. *Et postulaverunt ab eo,* id est a Simone, *dextras accipere,* id est assecurationem vitæ, ut dimitterent ei locum, salva vita ipsorum : quibus in hoc acquievit. *Et posuit in ea præsidium,* id est, in Bethsura et ejus fortalitio constituit custodiam armatorum de populo suo.

Et Jonathas et castra ejus applicuerunt ad aquam Genesar : quæ alio nomine appellatur mare Genesar, sive Genesareth, ac mare Galilææ; *et ante lucem vigilaverunt,* id est, vigiles ac parati ad prælium erant, *in campo Asor* civitatis. *Et ecce castra alienigenarum,* videlicet principes et exercitus Demetrii, *occurrebant ei in campo,* forsan eodem, *et tendebant ei insidias in montibus,* in quibus multi occulte manserunt. *Et fugerunt qui erant ex parte Jonathæ omnes* præter duos, quoniam territi erant videndo insidias ex montibus erumpere. *Et scidit Jonathas vestimenta sua.* Si fuit armatus, quomodo potuit suas scindere vestes? Respondetur quod scidit vestes aliquas, quibus ad ornatum fuit super arma indutus. *Et posuit terram in capite,* id est super caput, *et oravit* pro confortatione sui et suorum qui fugerunt, ut redirent ad ipsum. Sicque suo dolore, humiliatione et oratione, exquisivit auxilium Dei, qui exaudivit suum propugnatorem fidelem. *Et conversus est Jonathas,* cum duobus qui secum remanserant, *ad eos,* id est ad alienigenas, *in prælium, et convertit illos,* id est, fecit ipsos alienigenas reverti *ad se,* provocando eos ad bellum, qui fugientibus Judæis, cœperunt recedere ut victores. *Et viderunt qui fugiebant partis ejus,* id est, Judæi exsistentes ex parte Jonathæ, qui paulo ante fugerunt, viderunt Jonathan cum duobus invasisse adversarios suos; *et reversi sunt ad eum* animati exemplo audaciæ ejus, *et insequebantur cum eo alienigenas usque ad Cades, ad castra sua,* id est ad loca illa alienigenarum, ex quibus venerunt ad prælium. *Et ceciderunt de alienigenis tria millia virorum; et reversus est Jonathas in Jerusalem.*

Luc. v, 1; Joann. vi, 1.

Digitized by Google

ARTICULUS XII

EXPOSITIO CAPITULI DUODECIMI : ET VIDIT JONATHAS QUIA TEMPUS EUM JUVAT.

MULTA hic gesta Jonathæ recitantur, A et specialiter, qualiter post renovationem amicitiæ cum Romanis, cito fuit deceptus et captus. *Et vidit Jonathas quia tempus eum juvat.* Non est hoc intelligendum, quasi facta hominum tempori aut fato subjaceant; sed consuetudo est Scripturæ, ut tempori adscribantur ea, quæ contingunt in tempore : sicut et Christus in Evangelio loquitur, Crastinus dies sibi ipsi sollicitus erit; et rursus, Sufficit (inquit) diei malitia sua. Sicque dicitur tempus ipsum Jonathan adjuvisse, quia Deus B in tempore ejus gratiose ei adfuit. Unde et Josephus hoc convenienter expressit, dicendo, libro Antiquitatum tertiodecimo : Quum vidisset Jonathas omnia sibi divina providentia secundum suam accidere voluntatem, etc. *Elegit viros* nobiles ac prudentes, ad tantæ legationis peragenda negotia aptos : qui infra exprimuntur in textu; *et misit eos Romam, statuere et renovare cum eis amicitiam; et ad Spartiatas,* id est Lacedæmonios, ut infra magis elucidabitur, *et alia loca,* id est ad habi- C tatores aliorum locorum sibi dilectos, *misit epistolas secundum eamdem formam,* qua scripsit Romanis, hoc est secundum similem sensum, videlicet, de institutione et renovatione amicitiæ inter eos. *Et dederunt illis epistolas per loca,* id est, Romani dederunt legatis Jonathæ epistolas ad reges et principes inter Romam et Judæam commorantes, *ut deducerent eos,* puta legatos Jonathæ, *cum pace in terram Juda.*

Matth. vi, 34.

Ibidem.

Et hoc est exemplum epistolarum, quas scripsit Jonathas Spartiatis : Jampridem, D id est pristino tempore dudum evoluto, *missæ erant epistolæ ad Oniam summum sacerdotem a Dario, qui pugnabat*,* id est, pugnando contra hostes regnavit, *apud vos,* id est in vobis et super vos, *quoniam estis fratres nostri,* id est cognati ex genere Abrahæ, *sicut rescriptum continet quod subjectum est,* id est, sicut epistola responsiva, ab Onia pontifice missa præfato regi Spartiatarum, includit. Porro forma epistolæ missæ a rege Spartiatarum Oniæ, non ponitur hic, sed Josephus tertiodecimo Antiquitatum libro recitat eam hoc modo : Rex Lacedæmoniorum Arius, Oniæ salutem. Legentes scripturam aliquam, invenimus ex uno genere Judæos et Lacedæmones exstitisse, et familiaritatem cum Abraham socialiter habuisse. Justum ergo est, quum fratres exsistatis, et transmittere ad nos et petere quæ vobis necessaria judicatis. Facimus vero et nos idem, et vestra propria simul et nostra communia reputamus. Hæc Josephus. *Et suscepit Onias pontifex virum qui fuerat missus* a rege Lacedæmoniorum Dario, quem (ut tactum est) Josephus nominat Arium, *cum honore; et suscepit** Onias, *epistolas* regis præfacti : et forsan fuit una et satis brevis epistola, quamvis pluraliter dicatur epistolæ, juxta morem loquendi, quo frequenter singulare ponitur pro plurali, et econverso; *in quibus significabatur de societate et amicitia,* habita et habenda inter Judæos et Spartiatas.

* alias regnabat

* accepit

Nos, hoc est ego Jonathas et populus meus, *quum nullo horum indigeremus,* id est nullo humano auxilio atque solatio pro præsenti, quia nunc pacem habemus, et prosperitate lætamur. Vel, ut Josephus tangit, iste est sensus : Nos, quum nullo horum indigeremus, id est, ad probandum vos esse nostros cognatos, non indigeremus extranea probatione, quia per sacras

Digitized by Google

nostras Litteras, id est Scripturas, hoc esse credimus. *Habentes solatio sanctos libros,* videlicet Scripturas veteris Testamenti, *qui in manibus nostris sunt :* in quibus jam tempore pacis exercemur, et magnam ac spiritualem consolationem haurimus et ex-
Ps. cxviii, 103. perimur, juxta illud Psalmi : Quam dulcia faucibus meis eloquia tua ! Super mel ori meo. Etenim divina Scriptura est paradisus deliciarum, promptuarium sapientiæ atque scientiæ, recreatio intellectus, inflammatio voluntatis, doctrix fidei, genitrix spei, desperationem exstinguens, confidentiam B veniæ præbens, mensa refectionis internæ, impinguatio mentis benevolæ, cibus et potus, medicina et lumen, opulentia animarum, conciliatrix ac conservatio gratiarum, via æternæ salutis. Hinc ait Aposto-
Rom. xv, 4. lus : Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus. *Maluimus mittere ad vos,* quam hoc ipsum negligere, *renovare fraternitatem et amicitiam,* ea recolendo quæ conservativa et augmentativa earum sunt. *Multa* C *enim tempora transierunt ex quo misistis ad nos,* scilicet tempore regis vestri præfati, et Oniæ. *Nos ergo in omni tempore* opportuno, *sine intermissione,* horis statutis, sicut subjungitur, *in diebus solennibus, memores sumus vestri in sacrificiis et observationibus* mandatorum, cærimoniarumque legis, orando et sacrificando pro vobis, ut fraterna requirit dilectio. *Lætamur itaque de gloria vestra,* hoc est, vestræ prosperitati et paci ex caritate congratulamur. *Et nunc bene facietis, respondentes* D *nobis ad hæc.*

Consequenter ponitur rescriptum Spar-
* Arius tiatarum Jonathæ et suis remissum. *Onias*,* qui fuit *rex Spartiatarum* tempore Jonathæ, *sacerdoti magno,* id est pontifici Judæorum, *salutem. Inventum est in Scriptura de Spartiatis et Judæis, quoniam sunt fratres, et quia sunt de genere Abraham.* In quo libro Scripturæ veteris Testamenti scriptum sit istud, potest inquiri. Et di-
Gen. xxv. cunt quidam, quod in Genesi, ubi genera- A tiones Abrahæ describuntur, tam ex Isaac quam ex Ismaele, tam ex filiis Ceturæ, ex quibus teste Hieronymo innumerabiles gentes exortæ sunt. Verumtamen in nostra translatione non invenitur istud sub nomine Spartiatarum aut Lacedæmoniorum. Forsitan tamen in Hebræo sub aliis reperitur nominibus.

Quidam vero his objicit, quia in prætacta epistola Arii regis Lacedæmoniorum, dicuntur Lacedæmones cum Abraham familiaritatem socialiter habuisse, non ergo B fuerunt de semine ejus. Hinc ille concludit : Magis videtur quod Spartiatæ descenderunt de Nachor fratre Abrahæ, qui cum Abraham diu socialiter vixit : cujus etiam generatio in Genesi describitur. Verum ista Gen. xxii, 20-24.
objectio probatur inepta, quoniam in præinducta epistola, non solum Lacedæmones, sed et Judæi dicuntur familiaritatem cum Abraham socialiter habuisse. Si igitur Lacedæmones idcirco non sunt de genere Abrahæ, quia socialiter habuerunt familiaritatem cum eo, sequetur quod nec C Judæi sint de genere aut semine Abrahæ, quia dicuntur familiaritatem cum ipso socialiter habuisse. Denique in textu apertissime dicitur : Inventum est in Scriptura de Spartiatis et Judæis, quoniam sunt fratres, et quia sunt de genere Abraham : non ergo de genere Nachor fratris Abrahæ. Porro, quod dicuntur familiaritatem socialiter habuisse cum Abraham, intelligi potest dupliciter. Primo, quantum ad patres eorum, quoniam Isaac per quem Judæi descenderunt de Abraham, et unus filiorum D Ceturæ, per quem Spartiatæ descenderunt de Abraham, socialiter familiariterque vixerunt ad tempus cum Abraham. Secundo, ut sicut in Scripturis sæpissime per Jacob intelligitur populus Israel natus ex Jacob, ita per Abraham intelligatur aliqua ejus posteritas, cum qua Judæi et Lacedæmonii familiaritatem ac societatem habuerunt, vel ad se invicem.

Pecora nostra et possessiones nostræ, vestræ sunt ; et vestræ, nostræ : id est, tanta est inter nos fraternitas atque dilectio, ut

Digitized by Google

bona nostra communia reputentur, et parati simus bona nostra pro vestra commoditate exponere, sicut et vos vestra pro nobis. Hoc consonat et alludit ei quod in præmemorata epistola Arii regis Spartiatarum habetur : Vestra simul et nostra communia reputamus.

Sequitur alius apparatus prælii, in quo principes Demetrii fugerunt timore Jonathæ ac suorum. *Non enim dedit eis spatium* loci aut temporis, *ut ingrederentur regionem ejus,* id est Judæam, quia intulissent aliqua damna fructibus terræ seu aliis rebus. *Et misit speculatores in castra,* id est circa et prope turbas *eorum. Reversi* speculatores *nuntiaverunt* Jonathæ, *quia constituunt* alienigenæ *supervenire illuc,* puta ad Jonathan, *nocte,* ut improvise percuterent eum ac populum suum. *Et accenderunt focos in castris suis :* id est, alienigenæ quum cognovissent Jonathan et ejus exercitum esse paratum ad prælium contra eos, timuerunt et fugere decreverunt ; et ne in fuga deprehenderentur a Jonatha insequente, accenderunt luminaria quædam in castris suis, quasi ad designandum quod essent mansuri et pugnaturi. *Et divertit Jonathas ad Arabas, qui vocabantur Zabadæi ; et percussit eos.* Isti, secundum
I Mach. IX, 36, 37. quosdam, fuerunt qui supra vocantur filii Jambri, qui Joannem fratrem Jonathæ occiderunt.

Et reversus est Jonathas ; et cogitavit ædificare præsidia, id est loca munita seu fortalitia *in Judæa, et exaltare altitudinem magnam,* hoc est construere murum valde sublimem et fortem, *inter medium arcis,* quæ fuit in monte Sion, *et civitatis,* id est residuæ partis civitatis Jerusalem, *ut separaret eam,* scilicet arcem, *a civitate, ut esset ipsa* arx *singulariter,* id est separate consistens ab urbe, *et neque emant neque vendant,* id est, exsistentes in arce, non possint habere communionem cum civibus, nec ab eis necessaria vitæ acquirere. *Et cecidit murus qui erat super torrentem* Cedron *ab ortu solis,* id est situs prope seu versus torrentem illum a parte orientali, *et reparavit eum,* faciendo ibidem murum robustiorem. *Et Simon ædificavit Adiada in Sephela,* id est munitionem in loco sic dicto. Imo, secundum Josephum, fecit fortalitia quædam in provincia, hoc est extra Jerusalem in Judæa.

Consequenter describitur, qualiter impiissimus Tryphon ambitiosissime optans regnare in Asia, seu Syria Asiæ parte, decrevit fraudulenter trucidare Antiochum regem ; sed metuens resistentiam pati a Jonatha, proposuit in primis occidere Jonathan, quem et fefellit, sicut in textu qui planus est, recitatur.

Et misit Tryphon exercitum suum et equites in Galilæam, ad interficiendum triginta septem millia quæ Jonathas illuc remisit. *At illi quum cognovissent quia comprehensus est Jonathas :* hoc enim suspicabantur pro certo, viso exercitu Tryphonis eos insequente ; *et periit.* Putabant namque eum jam esse occisum ; aut prope jam erat ut occideretur. *Hortati sunt semetipsos :* et in hoc sapienter egerunt atque virilius quam Assyrii, qui cognita morte Holofernis principis sui in fugam Judith xv, 1-4.
sunt versi. *Et videntes hi qui insecuti fuerant,* id est exercitus Tryphonis, *quia pro anima res illis est,* id est, quod viri Jonathæ parati erant pugnare tam fortiter, ut decet pro defensione propriæ vitæ, præsertim dum [non] est spes fugiendi, *reversi sunt* ad Tryphonem, non audentes contra Judæos inire certamen. *Illi autem venerunt omnes cum pace in terram Juda :* cum pace (inquam) temporis, non pectoris : quia de Jonathæ et suorum deceptione doluerunt vehementissime.

Digitized by Google

ARTICULUS XIII

EXPOSITIO CAPITULI TERTIIDECIMI : ET AUDIVIT SIMON QUOD CONGREGAVIT TRYPHON EXERCITUM.

QUALITER post Jonathan præfuit Simon frater ipsius, hic enarratur. *Et audivit Simon quod congregavit Tryphon exercitum copiosum* ad destruendum Judæam. *Videns quia in timore populus est,* quia non habuit caput principemque regentem, *congregavit populum* in Jerusalem, *et adhortans, dixit : Vos scitis quanta ego et fratres mei et domus patris mei,* id est cognati mei, *fecimus pro legibus* nobis per Moysen datis conservandis, *et pro sanctis,* id est pro templi et divini obsequii tuitione ; *horum gratia perierunt,* id est, corporaliter occisi sunt, *omnes fratres mei,* videlicet Joannes a filiis Jambri, Eleazarus ab elephante super eum cadente, Judas a Bacchide, Jonathas a Tryphone ; *et relictus sum ego solus. Et nunc non mihi contingat parcere animæ meæ,* id est vitæ corporali, ita quin eam exponam periculis mortis pro defensione legis divinæ ac plebis meæ ; *non enim melior sum fratribus meis. Vindicabo itaque gentem meam,* id est injurias populi mei zelo justitiæ. *Et accensus est spiritus populi simul, et responderunt* Judæi *voce magna,* hæc audientes : *Tu esto dux noster.* Itaque Simon iste prudens et sagax, non ambitiose ad præsidentiam se ingessit, sed ex caritate et pro communi necessitate paratum se obtulit ad onera, pericula et labores, magis quam ad honores. *Pugna prælium nostrum,* etc.

Et congregans omnes viros bellatores, acceleravit consummare muros. Et misit Simon *Jonathan filium Absalomi, et cum eo exercitum novum in Joppen* urbem : I Mach. xii, 33, 34. quam (ut præcedenti habetur capitulo) sibi subjecit, atque in ejus fortalitio quosdam A de suis constituit ; sed jam fortiores, plures, et quibus amplius confidebat, voluit in illo reponere, qui nullo modo Tryphoni se subderent. *Et ejectis his qui erant in arce, mansit illic ipse.* Hoc non videtur posse exponi de arce montis Sion, quum paulo post in isto dicatur capitulo : Qui vers. 21. autem in arce erant, miserunt ad Tryphonem legatos, etc. Ideo potest intelligi de arce fortalitii siti in Joppe, in quo præfatus Jonathas Absalomi filius mansit cum suis pro certa custodia, aliis inde remotis.

B *Et ut cognovit Tryphon quia surrexit Simon* in promotione ad ducatum, *et quia commissurus,* id est pugnaturus, *esset cum eo,* id est contra, *prælium,* nisi ipsemet Tryphon cederet, *misit ad eum,* videlicet Simonem, *legatos, dicens : Pro argento quod debebat frater tuus in ratione regis,* id est in exactione facienda fratri tuo ex parte regis de debito persolvendo, *detinuimus eum. Et nunc mitte argenti talenta centum et duos filios ejus obsides,* pro securitate quod non resistet regi. Ideo C subditur, *ut non dimissus fugiat a nobis,* id est, ne ab hac captivitate relaxatus, recedat a nobis per rebellionem ; *et remittemus eum* acceptis filiis ejus atque pecunia.

Et cognovit Simon quod cum dolo loqueretur secum per nuntios. Erat enim Simon vir perspicax et acutus. *Jussit tamen argentum dari,* id est Tryphoni mitti, *et pueros, ne inimicitiam magnam sumeret ad Israel,* id est, ne ipse Simon incurreret displicentiam et inimicitiam Israelitici D populi, qui mortem Jonathæ imposuisset Simoni, nisi misisset argentum ac filios Jonathæ. Populus namque dixisset, quod

Digitized by Google

Simon ex avaritia vel ambitione non misisset pecuniam aut pueros, quatenus ipsemet Simon in principatu maneret. Tamen, ut Josephus refert, Simon exposuit populo et suis amicis fraudem Tryphonis. Nihilo minus de consilio amicorum misit quæ impiissimus Tryphon postulavit. Sicque videtur Simon in isto bene egisse ad vitandum scandalum communitatis et periculum magnum politiæ suæ totius : nam fuisset seditio mota in populo. Quod si objiciatur, non fuisse licitum innocentes juvenes ita exponere morti : respondetur, quod in tali casu id licuit, quia et corporalis mors puerorum fuit minus malum quam mala prætacta. Nam laudabiliter exponit quis se ipsum morti corporali pro bono communi.

Et Simon et castra, id est exercitus *ejus, ambulabant in omnem locum quocumque ibant,* id est per loca propinqua locis per quæ Tryphon cum suis transivit et gyravit ad impugnandum Judæam, ut ubique possent Tryphoni resistere. *Qui autem in arce* Jerusalem *erant, miserunt ad Tryphonem legatos, ut festinaret venire per desertum, et mitteret illis alimonias,* etc. *Erat autem nix valde multa,* quæ impedivit iter et adventum Tryphonis, quia præ nivis multitudine non patuit sibi via. *Et quum appropinquasset Bascaman,* id est loco sic dicto, *occidit Jonathan et filios ejus.* Ecce sic Deus omnipotens permittit in hoc sæculo nequam reprobos et iniquos, electis et justis prævalere ad electorum purgationem, sicut in Jonatha isto ac filiis ejus.

Et misit Simon, et accepit per manus nuntiorum suorum, *ossa Jonathæ fratris sui, et sepelivit ea in Modin,* in sepulcro parentum suorum. *Et ædificavit super sepulcrum patris sui,* et etiam matris, *et fratrum suorum, ædificium altum visu,* ita quod a remoto quivit videri, *de lapide polito,* id est ex politis lapidibus, *ante et retro. Et statuit septem pyramidas,* id est structuras altas et quadratas a latitudine incipientes, et in angusto finem sumentes, quia inferius erant latæ, superius arctæ : quæ antiquitus fiebant in sepulcris magnorum ; *unam contra unam, patri et matri,* id est ex una parte unam pro patre, et ex parte opposita aliam pro matre ; *et* simili ordine quatuor pyramidas, *quatuor fratribus* jam defunctis ; septimam pro se. *Et his circumposuit columnas magnas* sustentantes structuram ædificii memorati, *et super columnas arma ad memoriam æternam* strenuissimorum operum bellicorum Mathathiæ filiorumque ejus ; imo in recordationem divinorum auxiliorum ac triumphorum eis desuper concessorum ; atque ad intuentium ædificationem, ut considerarent qualiter sit pugnandum pro defensione legis divinæ, et pro conservatione justitiæ, ac pro bono communi ; *et juxta arma, naves sculptas.* De armis vero aliqui dicunt quod erant vera arma, sicut supra monumenta fortium pugnatorum suspenduntur quandoque vexilla et scuta. Alii dicunt quod fuerant arma sculpta.

Tryphon autem quum iter faceret cum Antiocho rege adolescente, cujus exstiterat tutor, *dolo occidit eum, et regnavit pro eo. Et imposuit sibi diadema Asiæ,* alliciens sibi milites promissis et donis ; *et fecit plagam magnam in terra.* Factus enim rex, ostendit suam ferociam quam ante celavit in multis. *Et ædificavit Simon præsidia,* id est loca munita, *Judææ,* ad resistendum Tryphoni, cujus tyrannidem novit.

Et misit ad Demetrium, ut faceret remissionem regioni, id est, Judæis faceret relevamen ab aliquibus gravaminibus, exactionibus seu tributis eis impositis, *quia omnes actus Tryphonis per direptionem,* id est dissipationem et deceptionem, *fuerant gesti.* Idcirco Simon cum suis maluit fovere partem Demetrii, quam Tryphonis, qui nihil juris habebat in regno. *Et Demetrius respondit ei : Rex Demetrius Simoni summo sacerdoti et genti Judæorum. Coronam auream et bainem**. Bainem, secundum Rabanum, est ornamentum colli ex aureis annulis factum. Itaque, Co-

* alias *hem*

Digitized by Google

ronam et bainem *quam misistis* in signum amicitiæ, *suscepimus* gratanter ; *et parati sumus vobiscum facere pacem magnam,* ut cum vestro auxilio expugnem Tryphonem, *et scribere præpositis regis,* id est officiatis ac ducibus nostris, *remittere vobis quæ indulsimus,* ne quid exigant a vobis ultra quam commisi eis. *Quæcumque enim constituimus,* id est, ordinavimus aut concessimus *vobis, constant,* id est, certa seu firma sunt. *Remittimus quoque* vobis *ignorantias et peccata,* id est, quocumque modo peccastis in nos, ferendo auxilium adversario nostro Antiocho. *Et si qui ex vobis apti sunt conscribi inter nostros* milites vel amicos, *conscribantur* quum fuerint comprobati.

Anno centesimo septuagesimo ablatum est jugum gentium ab Israel, id est, gravamen, tyrannicumque dominium regum gentilium et eorum satellitum, a Judæis cessavit magis perfecte quam ante. Postea tamen habuerunt impugnationem ab illis, ut infra habetur, sed modicum fuit, et comparatione priorum gravaminum quasi nihil. *Et cœpit populus Israel scribere in tabulis et gestis publicis,* id est historialibus libris publicorum notabiliumque gestorum, prospera et adversa quæ eis sub Mathathia ejusque filiis acciderunt.

In diebus illis Simon applicuit ad Gazam, urbem Philistiim, *et circumdedit eam castris,* id est tentoriis seu pugnatorum turbis : quia fortassis adhæsit urbs illa Tryphoni ; *et percussit turrem unam. Et qui eruperant, erant intra machinam* turris percussæ *et civitatem,* ne occiderentur in turre, *et factus est motus magnus,* timor, ululatus, admiratio, desolatio, *in civitate :* quia viderunt se non posse Simonis manum evadere. Ideo *postulabant sibi a Simone dextras dari,* id est pacem concedi : quæ per applicationem manus dextræ solet conferri. *Et ejecit eos,* scilicet illos idololatras, *de civitate* Gazæ ; *et emundavit ædes,* id est templa et fana seu alia loca, *in quibus fuerant simulacra,* id est idola quæ inde ejecit, et loca aqua lustra-

A tionis adspersit, seu aliis modis mundavit ; *et tunc intravit in eam,* scilicet civitatem, *benedicens Dominum,* qui sibi victoriam concessit. *Et ejecta ab ea omni immunditia,* id est idololatriæ spurcitia, *collocavit in ea viros qui legem facerent,* id est cultores veri Dei, qui legis præcepta implerent, *et fecit sibi habitationem,* id est, tam fortiter eam munivit, quod erat apta pro sua habitatione tempore opportuno.

Qui autem erant in arce Jerusalem, prohibebantur egredi, et ingredi regio-
B *nem* Judææ. Erant namque arctati et conclusi per murum altum et fortem, quem Jonathas fecit inter arcem et urbem Jerusalem, ut supra patuit. *Et clamaverunt* I *Mach.* XII, 36.
ad Simonem, ut dextras acciperent, quatenus vivi dimitterentur ; *et dedit illis, et ejecit eos inde, et mundavit arcem a contaminationibus* idolorum atque similium spurcitiarum. *Et intraverunt* Simon ac alii sacerdotes et majores de populo, *in eam cum laude* Dei, *et ramis palmarum* in signum lætitiæ ac triumphi, *et cinyris,*
C id est musicis instrumentis, sonum magnum qui commovet aerem, facientibus : de quibus dictum est in expositione supra *Ibid.* IV, 54.
habita ; *et cymbalis, et nablis,* id est citharis, *et hymnis,* id est psalmis *et canticis* aliis spiritualibus, *quia contritus est inimicus magnus ex Israel,* id est congeries hostium molestissimorum, qui tot annis fuerunt in arce. *Et constituit,* id est, Simon ordinavit, *ut omnibus annis agerentur dies hi,* quibus purgata et pacifice possessa est arx, *cum lætitia,* tanquam
D festivi in memoriam beneficii tanti. *Et munivit montem templi,* id est montem Sion in quo fuit templum, muris, turribus, armis et provisionibus ; *et habitavit ibi* juxta templum pontifex templi.

Et vidit Simon Joannem filium suum, qui postea nominatus est Joannes Hyrcanus, *quod vir esset prælii,* id est, aptus ad prælia præ ceteris filiis suis, videlicet audax, *fortis,* prudens, et diligens ; *et posuit eum ducem universarum virtutum,* id est principem omnium exercituum

Digitized by Google

seu pugnatorum suorum ; tamen sub se. Simon enim mansit supremus dux populi. *Et habitavit in Gazaris,* id est in Gaza urbe præfata, valde munita et bene provisa, ut in ea resisteret hostibus Israel. In A hoc facto datur exemplum prælatis, ut eos quos viderint ceteris virtuosiores et prudentiores, præficiant aliis, tanquam ad spiritualia certamina aptiores, omni personarum acceptione seclusa.

ARTICULUS XIV

DECLARATIO CAPITULI QUARTIDECIMI : ANNO CENTESIMO SEPTUAGESIMO SECUNDO.

PROSPERITAS magna Simonis et Judæorum sub ejus regimine, hic narratur. Aliqua tamen præmittuntur et inseruntur. *Anno centesimo septuagesimo secundo congregavit rex Demetrius exercitum suum, et abiit in Mediam,* id est in regnum Medorum, *ad contrahenda sibi auxilia* contra *Tryphonem.* Rex autem Medorum per unum principum suorum percussit exercitum Demetrii, ipsumque Demetrium princeps ille perduxit ad regem illum Medorum atque Persarum, qui et incarceravit Demetrium, ac paulo post interfecit, ut Josephus refert.

Et siluit terra Juda, id est, a notabilibus bellis quievit populus Judæorum, *omnibus diebus Simonis,* id est omni tempore sui ducatus. Aliquod tamen bellum fuit sub ejus ducatu, sed populus Judæorum in eo prævaluit. Et quod modicum est, reputatur pro nihilo. *Et quæsivit bona genti suæ,* præsertim bonum spirituale, inducendo Judæos ad cultum Dei devotum : exteriorem quoque tranquillitatem eis quæsivit et conservavit, referendo eam ad spiritualem profectum. Et hoc ad omnem pertinet præsidentem, potius quærere bonum commune populi sibi subjecti, quam propria commoda. *Et placuit illis potestas ejus :* quia viderunt quod quæreret bonum commune, et pie ac mansuete præesset, non opprimens quemquam injuste. *Et cum omni gloria sua accepit Joppen,* id est, inter cetera sua magnifica gesta, obtinuit et possedit urbem nomine Joppen maritimam, B *in portum,* ita quod ibi fuit navigantium quies et statio, *et fecit introitum in insulis maris,* id est, ordinavit quod a Joppe per aquam fuit iter publicum ad provincias in aquarum medio sitas. *Et congregavit captivitatem multam,* id est, Judæos hinc inde a captivitate redemit, et in Judæam reduxit. Vel sensus est, quod multos captivavit gentilium. *Et dominatus est Gazaræ,* id est Gazæ urbi, *et Bethsuræ :* quæ urbes specialiter exprimuntur, quia in eis C erant fortalitia valde fortia, et a regibus frequenter possidebantur ; fuitque difficile ea sibi subjicere ; *et arci* Jerusalem, quam nec Judas, nec Jonathas potuit obtinere.

Seniores in plateis sedebant tempore suo, *et de bonis terræ tractabant,* conferendo de prosperitate Judææ ; *et juvenes induebant se gloriam,* id est præclarum amictum, et jucunditate multiplici replebantur, *et stolas belli,* id est bellicum apparatum ad exercitium, quatenus si causa D exigeret, essent ad bella periti. *Et civitatibus tribuebat alimoniam,* faciendo in eis provisiones communes ; *et constituebat,* id est, sic disposuit *eas, ut essent vasa munitionis,* id est apta instrumenta defendendi se contra hostes, et ut ipsi cives essent armati atque idonei se tueri. Nempe, secundum idioma Hebræum, vasa vocantur quæcumque instrumenta, seu media vel principia, alicujus effectus contentiva

Digitized by Google

Act. ix, 15. aut productiva : sicque Paulus vocatus est, vas electionis. *Quoadusque nominatum est nomen gloriæ ejus,* id est nomen ejus famosum et inclytum, *usque ad extremum terræ,* id est valde longe et late : ut sit hyperbolicus sermo, quo aliquid dicitur per excessum sine mendacio, ad insinuandum magnitudinem rei. *Et confirmavit omnes humiles populi sui,* id est obedientes Deo et sibi ; superbos autem et transgressores dejecit : ideo fuit verus famulus ejus, qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. (I Petr. v, 5; Jacob. iv, 6.) Hinc subditur : *et abstulit omnem malum et iniquum* pro posse. Nam collapsa et deformata reformavit pro viribus ; incorrigibiles autem tulit de medio. *Et legem exquisivit,* id est, circa legis intelligentiam ac adimpletionem diligens fuit. *Sancta,* id est sacra loca et contenta in eis divino cultui deputata, *glorificavit; et multiplicavit vasa sanctorum,* id est vasa divi obsequii.

Et auditum est Romæ quod defunctus esset Jonathas : nam et in Roma multi morabantur Judæi ; *et usque in Spartiatas,* (I Mach. xii, 2, etc.) de quibus jampridem dictum est, auditum est hoc. *Et contristati sunt valde,* quod ita dolose et impie est occisus cum filiis suis. Unde pro consolatione Simonis, tam Romani quam Spartiatæ scripserunt ad eum epistolas de renovatione amicitiæ et societatis. Forma autem epistolæ Romanorum non ponitur hic, sed forma epistolæ Spartiatarum subjungitur.

Hoc exemplum epistolarum quas miserunt Spartiatæ : Spartianorum princeps,* (*alias principes) id est rex, *et civitates,* id est communitates seu civitatum rectores, *Simoni summo sacerdoti et populo Judæorum, salutem. Legati qui missi sunt ad populum nostrum* ex parte vestri, *nuntiaverunt nobis de vestra gloria,* id est excellentia, *et honore,* victoria *et lætitia,* quia nunc estis in præcipua prosperitate, *et gavisi sumus.* Quamvis enim de morte Jonathæ dolebamus, tamen de subsecuta vestra exaltatione lætamur. *Et scripsimus quæ ab ipsis legatis erant dicta in conciliis populi,* id

A est in publicis ac solennibus congregationibus majorum nostrorum. Vel, In consiliis populi, id est in libris consiliorum, in quibus continentur decreta, ordinationesque populi nostri, seu ipsum populum concernentes. Scripsimus, inquam, *sic,* id est sub hac forma : *Numenius Antiochi* filius, *et Antipater Jasonis filius,* qui fuerunt Judæi, *legati Judæorum, venerunt ad nos :* hos quippe miserat Jonathas Spartiatis, ut habetur supra (I Mach. xii, 16, 17.); *renovantes nobiscum pristinam amicitiam. Et placuit*

B *populo* Spartiatarum *excipere viros,* puta legatos prædictos, *gloriose,* id est cum grandi honore propter honorabilitatem et dilectionem eorum a quibus missi fuerunt, et quoniam causa legationis eorum acceptabilis fuit, *et ponere exemplum,* id est scriptum, *sermonum eorum in segregatis populi libris,* id est in codicibus nostræ communitatis seorsum sollicite repositis et conservatis, *ut sit ad memoriam* amicitiæ et societatis inter nos et vos, *populo Spartiatarum* sicut et nobis. *Exemplum*

C *autem,* id est exemplarem epistolam, *horum scripsimus Simoni magno sacerdoti.*

Post hæc autem misit Simon Numenium et aliquos secum *Romam, habentem clypeum aureum magnum, pondo mnarum mille,* id est, ponderantem mille mnas. Mna autem dicitur † pondus centum drachmarum, seu libra una vel talentum, secundum Papiam *. (* Cf. Cangii Glossar. v° Mna.) Secundum Hugonem vero est drachma, vel duæ libræ atque dimidia. *Ad statuendam,* id est firmandam, *cum eis societatem. Quum audisset autem*

D *populus Romanus sermones istos* legatorum Simonis de amicitia roboranda, *dixerunt : Quam gratiarum actionem reddemus Simoni, et filiis ejus* patrem suum strenue adjuvantibus ? quasi dicant : Plene ei regratiari non valemus, quum simus unum corpus effecti cum populo et fratribus ejus, pro quibus ipse tot et tanta fecit, laboravit, ac pertulit. *Restituit enim ipse fratres suos,* id est, locum eorum supplevit, et ipsorum injurias ultus est, ac terram ipsorum reduxit ad prosperitatem

Digitized by Google

præcipuam. *Et statuerunt* Romani *ei,* videlicet Simoni ac populo ejus, *libertatem* ab obsequiis quibusdam seu tributis; *et descripserunt* hæc ipsa *in tabulis æreis,* ut jugis maneret horum memoria; *et posuerunt in titulis,* id est, Judæi reposuerunt tabulas Romanorum inter scripta alia ad memoriam reservata, *in monte Sion,* id est in aliquo templi loco.

Et hoc est exemplum scripturæ, id est decreti quod majores Judæorum inter se constituerunt de Simonis sublimatione : *Octavadecima die mensis Elul,* secundum Hebræos : cui apud nos dicitur correspondere Augustus; *anno centesimo septuagesimo secundo* regni Græcorum : quo anno intravit Demetrius regionem Persarum, et captus fuit, ut fertur in exordio hujus capituli; *anno tertio sub Simone magno sacerdote,* id est tertio anno pontificatus Simonis hujus, *in conventu magno,* etc., *nota facta,* id est publice declarata, *sunt hæc :*

Quoniam frequenter facta sunt prælia in regione nostra, scilicet in Judæa et a populo Judæorum contra gentiles; *Simon autem Mathathiæ filius, ex filiis Jarib.* Supra legitur, Ex filiis Joarib, et est idem (I Mach. II, 1.) nomen : sicque ex dictis ibidem, patet sensus verbi istius. *Et fratres ejus dederunt se periculo,* id est, arduis bellis et discrimini mortis corporalis exposuerunt se, *ut starent sancta ipsorum,* id est, sacra loca, ut templum et attinentia ei ac sacrificia, *et lex,* id est, cultus Dei secundum legem Moysis, in suo manerent vigore, etc. *Et Gazaram,* id est urbem nomine Gaza, *munivit; et quæcumque apta erant ad correptionem eorum, posuit in eis,* id est arma et cetera per quæ hostes poterant refrenari et castigari, collocavit in urbibus illis. *Et in diebus ejus,* scilicet Simonis, *prosperatum est, ut tollerentur,* id est expellerentur, *gentes,* quæ *in civitate David, in arce erant,* (Ibid. XIII, 49.) ut patuit in fine præcedentis capituli; *de qua* arce *procedebant* impii commorantes in ea, *et contaminabant omnia quæ in circuitu sanctorum*

A *sunt,* id est, loca sacra quæ erant in gyro templi, violabant, committendo in eis facinora seu idololatriæ vitia, *et inferebant plagam magnam castitati,* id est puritati cultus divini ac sacris ministris templi; vel etiam mulieres virginesque rapuerunt Hebræas, et polluerunt.

Et rex Demetrius statuit illi summum sacerdotium, ut præcedenti habetur capitulo. (I Mach. XIII, 36.) *Audivit enim quod appellati sunt Judæi a Romanis amici et socii et fratres,* tam tempore Judæ, quam Jonathæ ac Si-

B monis. Romani autem jam monarchiam pro magna parte tenebant, et timebantur: ideo ad complacendum eis, atque ad evitandum eorum offensam, Demetrius honoravit Simonem ac Judæos; et item ut adjuvaretur ab ipsis, ut patuit. *Et quia Judæi et sacerdotes eorum consenserunt eum esse ducem suum ac summum sacerdotem.* Institutio enim fiebat a rege vi magis, quam jure; et ad institutionem accessit plebis consensus. Consenserunt autem in promotionem Simonis, non solum quo-

C ad suam personam, sed etiam quantum ad posteros. Ideo additur, *in æternum,* id est per omne tempus durationis veteris Testamenti, *donec surgat Propheta fidelis,* id est, quousque Deus per verum Prophetam revelet aliter esse debere. Judas quippe et fratres ejus quamvis functi sint sacerdotio summo ex privilegio speciali, non tamen erant de semine pontificum per lineam rectam; nec pater eorum pontifex fuit, nec filius pontificis, sed descendit ex uno viginti quatuor sacerdotum (I Par. XXIV, 7.)

D quos David instituit, ut tactum est. (I Mach. II, 1.) Quidam tamen exponunt sic : Donec surgat Propheta fidelis, id est, Christus nascatur ac veniat. Sicque impletum fuit : quoniam posteri Simonis præfuerunt in pontificio et ducatu usque ad Herodem Ascalonitam, sub quo natus est Dominus et Salvator. De quo in Deuteronomio Dominus repromisit : Prophetam suscitabo eis de medio (Deut. XVIII, 18.) fratrum suorum tanquam te.

Et ut sit super eos dux, id est princeps in bellicis rebus atque civili regimine; *et*

Digitized by Google

ut cura esset illi pro sanctis, id est pro conservatione cultus et observantiis, tanquam pontifici, in spirituali quoque regimine præsidenti ; *et ut constitueret præpositos super opera eorum,* id est diversos officiatos super temporalia ac spiritualia, *et super regionem,* qui certis præessent urbibus, *et super præsidia,* id est fortalitia ; *et ut audiatur ab omnibus* Judæis, per obedientiam ; *et scribantur in nomine ejus omnes conscriptiones in regione,* id est, in descriptione notabilium actuum annotetur tempus ab annis præsidentiæ Simonis, ut ita dicatur, Anno secundo aut tertio pontificatus Simonis gestum est hoc ; *et ne liceat ulli* Judæorum *convocare conventum,* id est generalem congregationem, *sine ipso;* id est absque licentia Simonis.

Et suscepit Simon principatum, non ex ambitione, sed pro communi bono. *Et scripturam istam dixerunt,* id est decreverunt, *ponere in tabulis æreis,* ut jugiter in memoria permaneret, *et ponere eas in peribolo sanctorum,* id est in muro atrii domus Domini, totum templum ambiente per gyrum. *Exemplum autem eorum,* id est scriptorum istorum, *ponere in ærario,* id est loco thesauri.

ARTICULUS XV

EXPOSITIO CAPITULI QUINTIDECIMI : ET MISIT REX ANTIOCHUS FILIUS DEMETRII EPISTOLAS.

PROCESSUS præsidentiæ Simonis usque ad obitum ejus describitur hic. *Et misit rex Antiochus filius Demetrii* a Persis occisi, *epistolas Simoni sacerdoti, continentes hunc modum : Rex Antiochus Simoni sacerdoti magno et genti Judæorum. Quoniam quidam pestilentes,* ut Tryphon et sui fautores, qui se ipsos ac alios variis vitiis corruperunt, *obtinuerunt regnum patrum nostrorum; volo autem vindicare regnum,* id est injuriam regno meo illatam, etc. *Volo autem Jerusalem sanctam esse,* id est deputatam cultui Dei, *et liberam* a gravaminibus et tributo. *Et omne debitum regis,* quod mihi aut patri meo tenebamini dare, *et quæ futura sunt regia**, id est mihi præstanda ex terra tua, *remittuntur tibi a me,* etc. — *Et insecutus est eum,* puta Tryphonem *Antiochus, et venit* Tryphon *Doram,* id est ad urbem sic appellatam, *fugiens per maritima loca,* id est mari propinqua.

* regi

Consequenter per recapitulationem ponitur forma epistolæ, quam (ut præcedenti fertur capitulo) Romani miserunt Simoni pontifici, adhuc vivente Demetrio. *Venit autem Numenius et qui cum eo erant* missi Romam a Simone, *ab urbe Roma, habentes epistolas regibus et regionibus scriptas,* ne bellum inferrent Judæis, *in quibus continebantur hæc : Lucius consul Romanorum,* qui tunc per consules regebantur, *Ptolemæo regi* Ægypti *salutem.* Epistola autem expositione non indiget : ex qua tamen elicitur, quod Romani jam tempore illo longe ac late præsidebant.

I Mach. xv, 24-26.

Antiochus autem applicuit castra in Doram, id est in circuitu urbis illius, *secundo :* ex quo trahitur, quod primam obsidionem interrupit ad tempus, forsan ob hiemem aut similem causam. *Et misit ad eum Simon duo millia virorum in auxilium,* etc. *Et noluit* Antiochus *ea accipere,* quia videbat se non indigere auxilio Simonis, propter quod ante amicabiliter scripserat ei. *Et misit ad eum Athenobium, dicens : Vos tenetis Joppen et Gazaram et arcem quæ est in Jerusalem, civitates regni mei.* In hoc rex iste erravit, quia tam jure prælii, quam ex promissione divina, prætactæ urbes ad filios Israel pertinebant, imo et tota Philistæa, ut patet

Digitized by Google

Num. xxxiv, 5, 6; *Josue* xiii, 2, 3.

in Numerorum et Josue libris. *Nunc ergo tradite,* id est, nobis restituite, *civitates quas occupastis,* etc. *Et exterminii quod exterminastis et tributorum civitatum, alia quingenta talenta argenti,* id est, totidem argenti talenta persolvite nobis pro exterminio hominum et locorum, quod fecistis, exterminando habitatores locorum. *Et respondit Simon* Athenobio ad se misso : *Neque alienam terram sumpsimus :* quia (ut dictum est) urbes præfatæ pertinebant de jure ad Israel. *Nos vero tempus* aptum bellandi *habentes, vindicavimus,* id est, ad proprietatem nostram reduximus, et tenemus *hereditatem patrum nostrorum. Nam de Joppe et Gazara* oppidis, *quæ expostulas* tibi restitui, *ipsi* qui erant in urbibus illis, *faciebant plagam magnam in populo nostro :* ideo habuimus justam causam expugnandi illos ; *et* nihilo minus *horum,* id est pro harum urbium possessione, *damus* vobis *talenta centum,* ne

A conqueramini contra nos. *Et non respondit Athenobius verbum* aliquod Simoni, vel ex indignatione, vel quia nequivit responsionem Simonis reprobare.

Tryphon autem fugit navi in Orthosiada, id est ad loca sic nuncupata, *et constituit rex Cendebæum ducem maritimum,* id est in territoriis sitis juxta mare, forsan Mediterraneum ; *et mandavit ei ædificare Cedronem,* id est fortalitium circa torrentem Cedron, ubi nascuntur cedri, prope Jerusalem, *et obstruere portas civitatis* Je-

B rusalem lapidibus aut machinis bellicis per gyrum seu aciebus pugnatorum. *Rex autem persequebatur Tryphonem :* qui impius Tryphon tertio imperii sui anno, secundum Josephum, est occisus. *Et pervenit Cendebæus Jamniam,* id est ad terram illam Judææ propinquam aut ejus partem, *et cœpit irritare plebem* Judæorum, eam vexando ; vel, cœpit exercitum suum irritare, id est provocare contra Judæos.

ARTICULUS XVI

ELUCIDATIO CAPITULI SEXTIDECIMI : ET ASCENDIT JOANNES DE GAZARIS.

ET ascendit Joannes de Gazaris, et nuntiavit Simoni patri suo : a quo voluit informari de modo resistendi Cendebæo. *Et elegit Simon de regione* sua *viginti millia virorum peditum et equites, et profecti sunt* simul pedites illi et equites cum Joanne et Juda filiis Simonis. *Et surrexerunt mane, et abierunt in campum,* utpote parati ad prælium contra Cendebæum ; *et ecce exercitus copiosus* Cendebæi veniens *in obviam illis peditum et equitum, et fluvius erat inter medium ipsorum. Et admovit* Joannes *castra* sua *contra faciem eorum,* id est adversariorum suorum ; *et vidit populum* suum *trepidantem ad transfretandum torrentem,* quia adversarii erant plurimi valde, *et transfretavit primus,* suo exemplo confortans et animans suos ; *et*

C *viderunt eum viri* sui tam magnanimiter transfretantem, *et transierunt* transfretando *post eum.* Sic is qui præest, in omni actu virtutum et arduis causis ac spiritualibus pugnis, debet se exemplarem ac strenuum exhibere, subditos suis ædificare exemplis, ac formam victoriæ demonstrare, et esse primus in acie. *Et exclamaverunt sacris tubis* Joannes et sui, secundum legis mandatum, ut sæpe expositum est, *Num.* x. 9
et in fugam conversus est Cendebæus ; residui autem fugerunt in munitionem, id

D est in locum munitum. *Tunc vulneratus est Judas frater Joannis.* Postea tamen convaluit, et cum patre suo Simone fuit occisus, ut infra habetur. *Joannes autem* vers. 16.
insecutus est eos, videlicet Cendebæum et suos, *donec veniret Cedronem,* id est ad

Digitized by Google

munitionem ibi constructam, *quam ædificavit* Cendebæus, ut dictum est supra in præcedenti capitulo. (I Mach. xv, 39, 40.)

Sequitur de deceptione interfectioneque Simonis. *Et Ptolemæus filius Abobi constitutus erat dux in campo Jericho.* Simon enim præfecit eum parti Judææ, videlicet locis per circuitum campi Jerichuntini. *Et exaltatum est cor ejus* ex suis divitiis, et quoniam gener exstitit Simonis; *et volebat obtinere regionem,* id est toti Judææ præesse : propter quod cogitavit Simonem socerum suum et filios ejus occidere. Maledicta namque ambitio non satiatur, et nemini parcit. *Simon autem perambulavit civitates quæ erant in regione Judææ,* non obstante senio suo, *sollicitudinem gerens earum,* id est sollicitus pro bono communi et statu salubri in temporalibus ac spiritualibus subditorum: in quo patet fervor ac diligentia ejus. Per quod instruuntur qui præsunt, ut personaliter aut per idoneos vicarios visitent subditos suos, et deformata reforment, ac sine personarum acceptione cunctis justum agant judicium, sicut et primo Regum libro Samuel legitur peregisse, et secundo Paralipomenon Josaphat rex, per aptos vicarios. (I Reg. vii, 15-17. II Par. xvii, 7-9.) *Et suscepit eos,* videlicet Simonem ac filios ejus Mathathiam Judamque, *in munitiunculam,* id est parvam et fortem turrim, *cum dolo,* ut fraude faceret, quod nec potestate nec æquitate facere quivit. Dolus namque, ambitionis est comes ac filia venenata. *Et quum inebriatus esset Simon et filii ejus,* id est bene ac copiose refecti, non tamen gulose repleti, *occiderunt eum et duos filios ejus et quosdam pueros ejus,* id est ministros, prædictus filius Abobi, imo diaboli, et ejus ministri, qui tam venerabili seni non pepercerunt. *Et scripsit hæc Ptolemæus regi* Antiocho, cui per hoc confidebat placere, eo quod occidisset adversarium ejus. *Et misit alios in Gazaram tollere,* id est ad occidendum, *Joannem :* cujus interitum

A magis optavit, quoniam noverat magnanimitatem fortitudinemque ipsius.

Ut audivit autem Joannes a puero qui evasit et præcucurrit, patrem et suos fratres esse occisos, ac aliquos esse missos pro ipso occidendo, *vehementer expavit* de tam inopinato effectu et metuens circumveniri ac perimi, *et comprehendit viros qui venerant perdere eum, et occidit eos* qui venerunt occidere eum. Sicque omnes filii Mathathiæ occisi sunt.

Et cetera sermonum, id est rerum ge-
B starum seu documentorum, *Joannis et bellorum ejus,* quæ post patrem suum commisit: inter quæ fuit præcipuum illud, quo vicit Hyrcanos : unde a victis Hyrcanis cognominatus est Hyrcanus, quemadmodum Scipio ille Romanus ab Africanis quos debellavit, vocatus est Scipio Africanus; *et bonarum virtutum* ejus, videlicet magnanimitatis, fortitudinis, justitiæ, caritatis seu actuum strenuorum, *quibus fortiter gessit, et ædificii murorum quos exstruxit* in urbe forsan Jerusalem, aliarumve civitatum
C Judææ, *scripta sunt in libro dierum sacerdotii ejus :* quem librum non habet Ecclesia, sicut nec alia quædam volumina, quæ in libris Regum ac Paralipomenon nominantur et allegantur; *ex quo factus est princeps sacerdotum post patrem suum.* Quem Joannem Hyrcanum dicit Josephus fuisse ducem atque pontificem ac prophetam.

Crudelissimus autem filius Abobi, vinculavit uxorem Simonis matrem Joannis, et duos fratres ejus juniores. Quumque Joannes acriter obsideret filium Abobi in
D oppido Achon *, pessimus ille fecit matrem Joannis ac fratres ejus super muros usque ad effusionem sanguinis flagellari, comminando quod præcipitaret eosdem. Sicque Joannes ex compassione matris ac fratrum ab obsidione cessavit. Qui triginta annis optime præfuit, ac deinde quievit in pace. Ad laudem et gloriam Omnipotentis, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

* Dagon

FINIS COMMENTARIORUM LIBRI MACHABÆORUM PRIMI

Digitized by Google

Digitized by Google

ENARRATIO
IN SECUNDUM LIBRUM
MACHABÆORUM

Digitized by Google

PROŒMIUM

SICUT in Scholastica fertur historia, secundus liber Machabæorum non est historiæ prosecutio, sed prosecutæ recapitulatio. Est enim epistola, quam scripsit Judas Machabæus et senatus Judæorum ac Jerosolymitæ, dispersioni Judæorum, id est Judæis dispersis, qui exsulabant in partibus orientis, et maxime in Ægypto : in qua insinuaverunt eis duas solennitates a se institutas, unam de purificatione templi, aliam de victoria contra Nicanorem : ad quarum solennizationem illos exhortabantur. Porro alii dicunt, quod liber iste sit abbreviatio librorum Jasonis Cyrenæi, de factis Judæ Machabæi et fratrum ejus ac populi editorum, ut patet in fine secundi capituli hujus libri. Et horum utrumque potest verificari : quia hic liber in exordio sui continet prætactam epistolam ; abbreviat quoque summatim Jasonis libros, et multa addit, quæ in primo Machabæorum volumine non habentur.

II *Mach.* I, 1, 10.

Ibid. II, 24.

Digitized by Google

Digitized by Google

ENARRATIO
IN SECUNDUM LIBRUM
MACHABÆORUM

ARTICULUS PRIMUS

ELUCIDATIO CAPITULI PRIMI : FRATRIBUS QUI SUNT PER ÆGYPTUM JUDÆIS, ETC.

F*RATRIBUS qui sunt per Ægyptum Judæis :* qui fratres nostri sunt, scilicet nati ex semine Jacob, sicut et nos, et ejusdem nobiscum sunt legis ac fidei; *salutem dicunt fratres qui sunt in Jerosolymis Judæi, et qui in regione Judæa, et pacem bonam,* id est spiritualem, internam, imo et temporalem, ordinatam ad pacem spiritualem. Habitabant autem plurimi Judæorum in Ægypto, præsertim ab eo tempore quo Ptolemæus cognomento Soter, qui post Alexandrum Magnum primus in Ægypto regnavit, plurimos Judæorum a Jerosolyma et Judæa secum captivos in Ægyptum deduxit. Cujus successor Ptolemæus Philadelphus, cupiens sibi transferri libros veteris Testamenti, plurima millia Judæorum liberavit a servitute, et remisit Judæorum pontifici : a quo petiit sibi viros doctissimos mitti ad transferendum libros legis Mosaicæ de Hebræo in Græcum. Nihilo minus adhuc multi Judæorum in Ægypto manserunt, et multiplicati sunt ibi valde : quibus missa fuit ista epistola.

Benefaciat vobis Deus, benedicendo vobis in spiritualibus ac temporalibus bonis, *et meminerit testamenti sui,* id est,

A promissiones veteris Testamenti in vobis implere dignetur. Sicque per effectum ostendat se memorem pacti seu promissionis, quod iniit et percussit cum patribus nostris in monte Sinai legem dando, imo et ante cum Patriarchis, Abraham, Isaac et Jacob, quibus tam pro ipsorum personis, quam pro posteris eorumdem multa promisit : ut in Genesi per diversa recitatur capitula. Hinc subditur, *quod ad Abraham, Isaac et Jacob locutus est,* qui sunt de numero *servorum suorum fidelium :* et sic

B aliquid hic suppletur. Potest tamen absque supplemento exponi : Meminerit testamenti sui, id est pacti sui, servorum suorum fidelium, id est concernentis servos suos fideles, et eis facti. De hoc pacto legitur in Genesi : Dixit Dominus ad Abraham : Faciam te in gentem magnam, et magnificabo nomen tuum, erisque benedictus; et semini tuo dabo terram hanc. Et alio Genesis loco ait ad Isaac : Tibi et semini tuo dabo universas regiones has, complens juramentum quod spopondi Abraham patri tuo; et

C benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. Præterea in Genesi locutus est ad Jacob : Terram hanc tibi dabo et semini

Gen. XII, 2, 7.
Ibid. XXVI, 3, 4.
Ibid. XXVIII, 13, 14.

Digitized by Google

tuo. Eritque semen tuum sicut pulvis terræ; et benedicentur in te et in semine tuo cunctæ tribus terræ.

Et det vobis cor omnibus, id est, cordis illuminationem et devotionem det omnibus vobis, *ut colatis eum,* per observantiam legis divinæ. Et præsertim colitur Deus cultu interno per fidem, spem, et caritatem; deinde per latriam, cujus actus sunt devotio, oratio, laudatio, sacrificium, juramentum, et votum. *Et faciatis ejus voluntatem,* id est ea quæ Deo sunt placita, et in primis ejus præcepta, *corde* B *magno,* id est cum ingenti cordis affectu. Potius enim respicit Deus ex quanto, quam quantum, hoc est, ex quali et quanto affectu cordis quid fiat, quam opus seu datum exterius. *Et animo volenti,* id est spontaneo, non coacto; atque ex caritate, non ex servili timore: quemadmodum in
Josue xxiv, 14. libro Josue legitur, Servite Domino corde perfecto atque verissimo. Unde et primo Paralipomenon volumine David hortatur:
I *Par.* xxviii, 9. Fili mi, servi Deo corde perfecto et animo voluntario.

C *Adaperiat cor vestrum,* intellectum illustrando, voluntatemque excitando ac inflammando, *in lege sua* intelligenda ac
Ps. cxviii, 34. adimplenda: prout orat Psalmista, Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam, et custodiam illam in toto corde meo; *et in præceptis suis,* ut ea sincere intelligatis ac impleatis; *et faciat pacem* pectoris ac
Prov. xvi, 7. temporis: juxta illud Proverbiorum, Quum placuerint Domino viæ hominis, inimicos ejus convertet ad pacem. *Exaudiat orationes vestras,* quibus petitis vere salu- D bria, et peti a Deo decentia, *et reconcilietur vobis,* misericorditer ignoscendo, *nec vos deserat in tempore malo,* id est in adversis, imo nec in vitiis et peccatis, sed in eis pie præveniat vos, et ad pœnitendum ac emendandum inducat. Denique tempus dicitur bonum aut malum, propter ea quæ contingunt aut fiunt in tempore, a quibus denominationem sortitur. *Et nunc hic,* scilicet in Jerusalem et in templo, *sumus orantes pro vobis:* in quo

A patet caritas nostra ad vos; quod et tangimus, ut vos quoque oretis pro nobis.

Regnante Demetrio, anno centesimo sexagesimo nono. Supra in primo libro facta I *Mach.* v 1; x, 67. est mentio de duobus regibus nominis hujus. Primus Demetrius fuit filius Seleuci filii Antiochi Magni: qui Demetrius jussit occidi Antiochum regem, filium Antiochi Nobilis seu Illustris; qui etiam Demetrius intravit terram patrum suorum, et cœpit regnare anno centesimo quinquagesimo primo regni Græcorum, ut dictum est in *Ibid.* vi 1-4. B primo libro. Hunc autem primum Demetrium vicit et interfecit Alexander rex, fi- *Ibid.* x, 5 lius præfati Antiochi. Deinde, anno centesimo sexagesimo quinto, venit Demetrius, prænominati Demetrii filius, et regnare exorsus est, ut patuit in eodem libro; et *Ibid.* 67. regnavit usque ad annum centesimum septuagesimum secundum, in quo captus fuit et incarceratus a rege Medorum atque Persarum, sicut præhabitum est in primo *Ibid.* xiv 1, 3. libro. Quæritur ergo, de quo Demetrio intelligatur hæc littera, ac data hujus epi- C stolæ: et videtur ex dictis, quod de secundo Demetrio, qui cœpit regnare anno centesimo sexagesimo quinto, occiso Demetrio patre suo; sed obviare videtur, quoniam glossa Rabani dicit hunc Demetrium filium fuisse Seleuci. Propter quod quidam hoc loco negat hanc glossam: quæ tamen posset salvari, dicendo, quod Demetrius iste vocetur filius Seleuci, quia fuit filius filii ejus, sicut in libris Regum etiam Asa et Josaphat ac Ezechias dicun- III *Reg.* xv 11, 24; xxii 51; IV *Reg.* xviii, 3. tur filii David regis. Insuper dici posset, D quod quota annorum istorum aliter sumitur hic, et aliter primo libro. Nam et in isto primo capitulo paulo post legitur, An- vers. 10. no centesimo octogesimo octavo, populus qui est in Jerosolymis, senatusque et Judas: quod de Juda Machabæo exponitur, qui tamen occisus fuit anno centesimo quinquagesimo secundo regni Græcorum, I *Mach.* ix, 3, 18. ut fertur in primo libro.

Nos Judæi, in Jerusalem commorantes, *scripsimus vobis* Judæis in Ægypto manentibus, *in tribulatione,* id est constituti

Digitized by Google

in afflictione, *et impetu,* id est impetuosa et subita persecutione, *qui* impetus *supervenit nobis in istis annis,* a regibus et eorum principibus infidelibus, nos dire vastantibus, *ex quo,* id est postquam, *recessit Jason a sancta terra, et a regno,* id est a terra patribus nostris promissa et data, ad divinum cultum electa, et a regione Judææ. *Portam succenderunt,* id est, portas Jerusalem combusserunt ministri regis Antiochi Epiphanis, *et effuderunt sanguinem innocentem,* plurimos in Jerusalem occidendo fideles. Quod qualiter factum sit, in primo libro recitatur diffuse. (I Mach. I, 12 et seq.) De isto Jasone, et qualiter adspiravit ad sacerdotii principatum, infra habetur. (II Mach. IV, 7 et seq.) Fuitque princeps eorum qui (ut primo libro scriptum est) abierunt ad regem Antiochum, qui dedit eis potestatem ut facerent justitias gentium. (I Mach. I, 13, 14.)

Et oravimus ad Dominum pro auxilio contra hostes, *et exauditi sumus* ab eo, quia ejus auxilio prævaluimus adversariis nostris, et recuperavimus templum : in quo recuperato *et obtulimus sacrificium,* gratias referendo, *et similaginem,* id est similam seu panes factos ex simila, quæ est tritici farina mundissima, de qua panes propositionis fiebant ; *et proposuimus panes,* id est, duodecim panes propositionis posuimus in templo, super mensam ad hoc deputatam, sicut in Exodo præcipitur; (Exod. XXV, 30, 37.) *et accendimus lucernas,* id est septem lampades quæ erant super candelabrum aureum. Præterea, qualiter factum sit totum istud, primo libro plene narratur. (I Mach. IV, 42 et seq.)

Et nunc frequentate, id est, omni anno solennizate, *dies Scenopegiæ mensis Casleu,* id est Decembris, vel Novembris, secundum quosdam, ut in expositione quarti capituli primi libri plenius dictum est. (Ibid. 59.) Per dies autem Scenopegiæ, quidam in expositione hujus capituli et alibi, intelligit festum Purificationis Dedicationisve templi, quod Judas et fratres ejus instituerunt. Quæ expositio videtur omnino inepta, quia per festum Scenopegiæ in Scripturis veteris Testamenti designatur festum Tabernaculorum, sicut et Thomas in prima secundæ, Guillelmus quoque Parisiensis in libro de Fide et legibus, et Alexander de Hales super tertium Sententiarum, testantur. Unde Magister in historiis : Quintadecima, inquit, die mensis septimi erat Scenopegia, quod sonat, fixio tabernaculorum, a σκῆνος, quod est umbra, et πηγία, quod fixio. Primo autem mensi Judæorum correspondet apud nos Martius vel Aprilis. Sicque septimo mensi illorum apud nos correspondet November aut December *. Itaque, Judæi Jerosolymitæ hortabantur Judæos Ægyptios, ut etiam festum Scenopegiæ servarent, nec illud omitterent occasione celebrationis novi festi ab ipsis instituti, scilicet Dedicationis templi, ad cujus celebrationem ipsos exhortabantur. Sicque auctor Scholasticæ historiæ, et alii antiqui expositores interpretantur hunc passum.

* September aut October

Anno centesimo octogesimo octavo. Hic, secundum quorumdam expositionem, incipit epistola missa Judæis in Ægypto morantibus, a Juda Machabæo et suis, distincta a præinducta epistola quam dicunt missam tempore Simonis post mortem Judæ et Jonathæ, Judæis pacem habentibus. Cui dicto obviare videtur quod in præhabita epistola legitur, Nos Judæi scripsimus vobis in tribulatione et impetu, ut dictum atque expositum est. Quidam tamen exponit sic, In tribulatione, id est de tribulatione : quæ expositio videtur extorta, nec textui consona, nec Glossæ, nec Rabano, nec Scholasticæ auctori historiæ. Verumtamen apparet quod ista sit alia ac specialis epistola, tam ex data ejus, quam ex personis scribentibus, et ex forma dictaminis, ut intuentibus innotescit. Qui vero vult dicere quod sit una epistola, poterit respondere : quod personæ scribentes ponuntur hic magis in speciali, quæ supra ponuntur solum in generali; similiter personæ quibus hæc scripta sunt : et quod data sit eadem in re, sed diversificatur secundum quod numeratio annorum diversimode inchoatur.

Digitized by Google

Quidquid autem de hoc dicatur, merito quæritur, qualiter ista epistola missa a Juda ac suis, asseratur data anno centesimo octogesimo octavo, quum Judas occisus sit anno centesimo quinquagesimo secundo, sicut jam fuit probatum. Ad quod Lyra respondet : In epistola Judæ, numeratio annorum non fit a principio regni Græcorum, sed ante, ut hic innuit Glossa; sed ubi incipiat, non dicit. Additque Lyra : Potest rationabiliter dici, quod incipit a duodecimo anno regni Assueri, in quo populus Israel mirabiliter liberatus fuit a persecutione Aman, ut habetur in Esther libro. (*Esther* III, 7.) Nam liberatio illa fuit multum mirabilis, et similis liberationi Judæorum sub Antiocho factæ. In probatione autem hujus dicti, Lyra præsupponit unum, quod et alibi sæpius scripsit, quod scilicet Darius, de cujus licentia templum fuit consummatum sub Zorobabel et Aggæo, fuit filius Assueri regis et Esther reginæ, ac postea victus ab Alexandro Magno.

Quod dictum stare non potest : quia non solum contrariatur Josepho, Bedæ, Rabano, aliisque antiquis doctoribus; sed et B. Hieronymo super Aggæum et Danielem, ubi affirmat, Darium de cujus licentia consummatum est templum, fuisse filium Hystaspis : cui Dario successit in regno filius suus Xerxes, post quem regnavit Artabanus; cui successit in regno Artaxerxes, qui et Longimanus vocatus est, post quem Xerxes, atque post eum Sogdianus; cui successit Darius cognomento Nothus, post quem regnavit Artaxerxes, qui cognominatus est Mnemon, et ab Hebræis dicitur Assuerus; Assuero successit Artaxerxes qui dictus est Ochus, cui successit in regno filius ejus Arsamus, post quem filius ejus Darius, qui ab Alexandro est victus. Hæc secundum Scholasticam historiam sunt narrata. Ex quibus patet, quod inter Darium sub quo templum est consummatum, et Darium ab Alexandro prostratum, valde multi regnaverunt. Josephus tamen non ponit tam multos. Sed quod Darius ille qui templum jussit compleri, non fuerit ille quem Alexander dejecit, tam Hieronymus quam Josephus aliique communiter tenent. Nec verum est quod Hebræi omnes dicunt, Darium, de cujus jussu consummatum est templum, fuisse filium Assueri, ut patet ex introductis : quæ omnia super Esdram plenius sunt probata. (In I *Esd.* IV, 24; et *Mach.* I, 1.) Ideo computatio prætacta falso innititur fundamento. Sed quia epistola ista sub Juda Machabæo scripta est Judæis in Ægyptum abductis, posset forsan computatio prætacta inchoari a Ptolemæo Sotere rege Ægypti, qui juxta jam dicta, Judæos secum duxit captivos in regnum suum.

Itaque, *Judas et senatus* Judæorum scripserunt *Aristobulo magistro Ptolemæi*. Aristobulus iste fuit natione Judæus, habitatione Ægyptius, peripateticus quoque philosophus; et Ptolemæo Philometori scripsit commenta super Moysis libros, atque in multis instruxit regem : propter quod ejus magister vocatur, prout hæc in Josepho et in Scholastica historia plenius describuntur. *Qui* Aristobulus *est de genere christorum sacerdotum*. Fuit namque de semine Aaron et posterorum ejus christorum, id est unctorum, quoniam sacerdotes in sua consecratione ungebantur, prout in Exodo atque Levitico refertur. (*Exod.* XXIX, 7, 21; *Lev.* VIII, 12, 30.) *Et his qui in Ægypto sunt Judæis* fratribus, *salutem* animæ nunc in spe et merito, postea in re et præmio, *et sanitatem* corporalem ad salutem animæ ordinatam.

De magnis periculis, id est arduis impugnationibus, *liberati a Deo,* cujus auxilio et virtute prævaluimus hostibus, *magnifice,* scilicet totis præcordiis, *gratias agimus ipsi* Deo. Qui enim beneficia non advertit, nec gratias agit, damnabiliter est ingratus. *Utpote qui adversus talem,* id est tam ferocem et potentem, *regem,* scilicet Antiochum Illustrem, *dimicavimus,* victoriamque sortiti sumus. *Ipse enim ebullire,* id est copiose ac impetuose venire, *fecit de Perside,* id est regione Persarum, *eos qui pugnaverunt contra nos,* id est duces et principes suos cum auxiliariis suis, qui nos impugnaverunt, ut patuit primo libro. (I *Mach.* III, 31 et seq.)

Digitized by Google

Nam quum in Perside esset dux ipse. Hoc exponitur non de Antiocho Nobili, sed patre ipsius, qui fuit dux et caput filii sui. *Et cum ipso immensus,* id est valde magnus, *exercitus, cecidit,* id est, occisus est, *in templo Naneæ,* id est Dianæ vel Fortunæ, secundum quosdam, *consilio deceptus sacerdotum Naneæ. Ut enim* * *cum ea habitaturus, venit ad locum Antiochus,* id est, mox quum Antiochus Magnus a Romanis de bello fugatus venisset ad templum Naneæ, quasi quieturus cum ipsa, hoc est reverentiam ei facturus ad tempus, *et ut acciperet pecunias multas,* in templo illo repositas, quas sacerdotes promiserunt ei dolose, ut comprehensum in templo occiderent : acciperet, inquam, *dotis nomine,* id est sub ratione doni gratis exhibiti. *Quumque proposuissent eas sacerdotes Naneæ,* id est, quum eas præsentassent Antiocho, ut magis crederet ipsis, et amore pecuniarum allectus, ingrederetur loca secretiora ad paratas insidias. Unde subjungitur : *et ipse cum paucis ingressus esset intra ambitum fani,* id est templi, *clauserunt templum; apertoque occulto aditu,* id est ingressu seu ostio *templi, mittentes lapides percusserunt ducem,* id est Antiochum lapidaverunt hi qui erant absconditi in abditis templi, quo ipse fuit inductus, *et eos qui cum eo erant* in templo, quoniam templorum exstitit spoliator; *et diviserunt membratim, et capitibus amputatis foras projecerunt,* in detestationem criminum ejus.

* ias Ele-

Per omnia benedictus Deus, qui tradidit impios illos in mortem : id est, divina justitia benedicatur in isto effectu, in quantum impii, Deo volente, ita puniti sunt; non in quantum in illa impiorum occisione fuerant multa peccata admixta, videlicet fraus, mendacium, prava intentio interficientium illos.

Facturi ergo, id est celebraturi, *Purificationem templi,* sicut expositum est, *necessarium duximus,* id est utile ad salutem, *significare vobis, ut et vos quoque agatis diem Scenopegiæ,* id est, non solum celebretis nobiscum templi Dedicationem, sed nec omittatis ob hoc Tabernaculorum celebritatem, nec festum de incensione ignis. Nam subditur : *et* celebretis *diem ignis qui datus est* miraculose a Deo, *quando Nehemias, ædificato templo et altari, obtulit sacrificia.* Fuit enim sacerdos, quemadmodum Esdras. I *Esdr.* II, 2.

Nam quum in Persidem ducerentur patres nostri. Istud exponitur de captivitate Judæorum sub Nabuchodonosor rege, qui eos jussit duci in Babylonem ac Babyloniæ regionem. Attamen ex illa multi Judæorum devenerunt in regionem Persarum atque Medorum : sicque ducebantur et illuc, quando in Babyloniam ducebantur. *Sacerdotes qui tunc Dei cultores erant, acceptum ignem de altari absconderunt in valle :* id est, sacerdotes cum aliis in captivitatem ducendi, ignem qui sub altari holocaustorum jugiter arsit, secum sumpserunt, atque in valle (ut dicitur) Josaphat absconderunt, *ubi erat puteus altus,* id est profundus, *et siccus.* Sic et in Joanne legitur : Puteus altus est. Et in Psalmo : Veni in altitudinem maris. *Atque in eo contutati sunt eum,* id est, in lacu illo tute et clam posuerunt hunc ignem. Ex quo elicitur, quod et tunc erant aliqui sacerdotes devoti et justi, quamvis perpauci. *Ita ut omnibus,* præter hos sacerdotes, *ignotus esset locus* in quo ignis ille fuit absconditus, quoad hoc, quod erat locus absconsionis ignis ipsius. Puteus tamen ille pluribus fuit notus. IV *Reg.* XXV, 11; II *Par.* XXXVI, 20. *Joann.* IV, 11. *Ps.* LXVIII, 3.

Quum præterissent autem dies multi, post septuaginta annos Babylonicæ captivitatis et amplius, *et placuit Deo ut mitteretur Nehemias a rege Persidis* ad reædificandum Jerusalem : a rege (inquam) Artaxerxe, a quo Nehemias licentiam petiit redeundi, ut in Nehemia habetur; *nepotes sacerdotum illorum qui absconderant* ignem, *misit* Nehemias *ad requirendum ignem* præfatum in valle prædicta; *et sicut narraverunt nobis, non invenerunt ignem* illum, quia jam fuit exstinctus, *sed aquam crassam. Et jussit eos haurire* ex puteo il- II *Esdr.* II, 1 *et seq.*

Digitized by Google

lo aquam crassam ; *et sacrificia quæ imposita erant* altari holocausti, *jussit sacerdos Nehemias adspergi aqua ipsa, et ligna quæ erant superposita* sacrificiis, jussit similiter aqua illa adspergi. *Utque*, id est postquam, *hoc factum est, et tempus adfuit quo sol refulsit*, radios sensibiliter emittendo, *qui prius erat in nubilo*, id est sub obscuro seu nube densa, *accensus est ignis magnus* divina virtute, angelico ministerio : quo ligna illa subito fuerunt incensa, *ita ut omnes* hæc intuentes ac percipientes, *mirarentur* : quum aqua soleat ignem exstinguere, non inflammare. Porro, de hac re nihil habetur in Esdra et Nehemia.

Orationem autem faciebant omnes sacerdotes dum consummaretur sacrificium : quia ab igne illo desuper dato devorabatur, sicut et sacrificium Eliæ, ut tertio Regum volumine habetur. (III *Reg.* XVIII, 38.) Erant autem magna devotione succensi ex miraculo illo. Orabantque Deum ut sacrificium ipsorum esset Deo acceptum. *Jonatha inchoante.* Iste non fuit Jonathas frater Judæ, sed quidam inter cantores præcipuus. *Et ceteris respondentibus* : sicut et nunc in ecclesia incipit cantor. *Et Nehemiæ erat oratio hunc habens modum.* Præterea Nehemias ponit quamdam orationem ejus ; (II *Esdr.* I, 5 *et seq.*) sed illam fecit adhuc cum rege Persarum exsistens, hanc vero in templo exsistens Jerusalem.

Domine Deus omnium creator : non quod universa et singula sint immediate a Deo creata, quum multa producantur a causis secundis, multa quoque generentur a principiis ejusdem speciei, ut cernimus ; sed vel simpliciter et immediate, aut quoad primordialem materiam, vel quantum ad formam substantialem, omnia sunt a Deo creata. *Terribilis* : quoniam ei nullus potest resistere, neque ab eo appellare; suntque occulta judicia ejus, et nescimus an amore simus digni, an odio, aut quid finaliter eveniet nobis. (*Eccle.* IX, 1.) Ideo dixit Apostolus: Horrendum est incidere in manus Dei viventis. (*Hebr.* X, 31.) Et Psalmista : Venite, et videte opera Dei terribilis in consiliis super filios hominum. (*Ps.* LXV, 5.) Hinc sanctus Job : Considerans (inquit) eum, timore sollicitor. (*Job* XXIII, 15.) *Et fortis*, quia omnipotens ; *et justus*, imo omnis justitiæ ac virtutis regula, fons, mensura, et causa ; *et misericors*, non per compassionis affectum, quoad divinam naturam, sed per pietatis effectum ; *qui solus es rex bonus* independenter, essentialiter et incircumscriptibiliter. Unde ait Salvator : Nullus bonus nisi Deus. (*Luc.* XVIII, 19.) *Solus præstans*, id est incomparabiliter dignus, et eminens, seu omnia donans ; *solus justus* pure, perfecte et infinite : cujus comparatione omnis creatura nullius videtur esse justitiæ, omnisque creata justitia, velut injustitia reputatur. Propter quod universæ justitiæ nostræ, sunt tanquam pannus menstruatæ. (*Is.* LXIV, 6.) *Qui liberas Israel*, id est Israeliticum populum in te confidentem, *ab omni malo* pœnæ et culpæ in vita præsenti aut futura ; *qui fecisti patres electos*, id est sanctos Patriarchas, quibus dedisti esse naturæ, *et sanctificasti eos* per infusionem gratiæ ac virtutum.

Accipe sacrificium pro universo populo tuo Israel, et custodi partem tuam, id est Israeliticam plebem quam tibi præ ceteris elegisti. *Congrega dispersionem nostram*, id est populum nostrum hinc inde per diversas regiones dispersum, et reduc ad terram hanc patrum nostrorum ; atque per fidem, spem et caritatem spiritualiter collige eos, ut sint unum mysticum corpus in te vivificatum Spiritu Sancto. *Libera eos qui serviunt gentibus*, sub tributo, vel in servos et ancillas eis venundati sunt, aut præ paupertate in exsilio obsequuntur gentilibus, a quibus spernuntur. Unde subjungitur : *contemptos et abominatos respice* oculo pietatis, *ut sciant gentes* ex nostra gratiosa et miraculosa liberatione a te facta, *quia tu es Deus noster* : qui licet sis Deus omnium jure creationis et generalis dominationis ac gubernationis, specialiter tamen es Deus noster per providentiam specialem et gratiosam directionem, et per cultum ac adhæsionem, qua tibi fideliter

Digitized by Google

adhæremus. *Afflige opprimentes nos,* id est,
in hac vita eos pie et juste castiga, et eo-
rum tyrannidem reprime, qui adversantur
bono communi cultuique divino, *et contu-
meliam facientes* cultoribus tuis *in super-
bia,* id est ex elatione : quod zelo justitiæ,
non æmulatione aut affectu vindictæ, Ne-
hemias rogavit. *Constitue populum tuum
in loco sancto tuo,* id est in terra promis-
sionis et in Jerusalem, *sicut dixit Moyses :*
qui eis promisit hanc terram; et in Deu-
Deut. xxx, 4, 5. teronomio dixit : Si ad cardines cœli fue-
ris dissipatus, inde retrahet te Dominus,
et introducet in terram pro qua juravit
patribus tuis.

*Quum autem consumptum esset sacrifi-
cium,* id est omnino combustum ab igne
prædicto : nam oblatum fuit in holocau-
stum ; *ex residua aqua* quæ super sacrifi-
cia non fuerat fusa, *Nehemias jussit lapi-
des majores* in altari exsistentes, videlicet
lapides (ut dicitur) laterales, *perfundi.
Quod ut factum est, flamma ex eis accen-
sa est* divina virtute : quemadmodum de
prætacto igne est dictum; *sed ex lumine,*
id est splendido igne, *quod* lumen *refulsit
ab altari,* in quo fuit ignis prædictus,
consumpta est : ita quod minor flamma
videbatur absorberi a majore, et a duabus
fieri una.

Ut vero manifestata est res, id est facto
isto miraculoso de ignium horum produ-
ctione et holocausti consumptione undi-
que divulgato, *renuntiatum est regi Per-*
II Esdr. II, 6. *sarum* Artaxerxi, a quo missus fuerat
Nehemias, *quod in loco in quo ignem
absconderant sacerdotes,* videlicet in val-
le prætacta, *aqua apparuit, de,* id est
cum, *qua Nehemias, et qui cum eo erant,
purificaverunt sacrificia,* id est, carnes
Lev. I, 9, 13. hostiarum laverunt (sicut in Levitico jus-
sum est de carnibus animalium immo-
laticiorum), et igne inde succenso, sa-
crificia consummavit. *Considerans autem
rex* Artaxerxes factum illud mirabile, *et
rem diligenter examinans,* per testes et
inquisitores, ne forte esset conficta, *fe-
cit ei,* scilicet Deo; vel Ei, utpote Nehe-
A miæ, hoc est ad instantiam et propter
reverentiam ejus ; *templum* Deo in Jeru-
salem.

Certum est autem, Nehemiam esse mis-
sum a rege Artaxerxe ad Jerusalem anno
regni Artaxerxis vicesimo,scilicet diu post
Esdram, sicut legitur in Nehemia ; et tunc II Esdr. II, 1, 6.
templum fuit factum et consummatum,
quantum ad suam structuram; imo sexto
anno Darii regis Persarum, ut legitur in I Esdr. VI, 15.
Esdra, exstitit consummatum : ideo factio
templi non potest hic accipi proprie pro
B ejus ædificatione. Idcirco dictum istud non
consonat opinioni erroneæ Judæorum, et
suorum sequacium, dicentium quod inter
Cyrum et Darium istum non fuerunt in-
termedii reges, nisi Cambyses et Assue-
rus, ita quod Darius iste secundum eos
fuit Artaxerxes. Imo ex isto loco probatur
falsitas opinionis illius, si factio proprie
accipiatur : quoniam factio ista templi,
contigit diu post vicesimum annum regni
Artaxerxis, ut patuit. Et tamen si Artaxer-
xes iste fuit Darius, necesse est dicere,
C quod sexto anno regni ejus factum et com-
pletum sit ædificium templi. Quod autem
inter Cyrum et Darium plures intermedii
erant, constat ex dictis, et super Esdram Cf. in I Mach. I, 1.
magis est approbatum.

Quod ergo Artaxerxes dicitur templum
Deo fecisse, intelligendum est, quod tem-
plum illud ornavit et honoravit, atque per
hoc opere demonstravit templum hoc es-
se factum Deo vero et summo. Et talis
modus loquendi frequens est in Scriptu-
ris veteris Testamenti, ut aliquis dicatur
D quid facere, quia ostendit aut dicit hoc
factum esse sive futurum. Hinc subditur :
ut probaret, id est, opere approbaret aut
testaretur, *quod factum erat,* videlicet mi-
raculum illud de ignis productione et ho-
locausti consumptione vere esse divinum.
Et quum probasset, id est, factum illud
taliter approbasset, *sacerdotibus* tanquam
veri Dei ministris, *dedit multa bona, et
alia atque alia munera,* ut orarent pro
ipso ac regno suo, et ex donis illis sacrifi-
cia procurarent ; et multa talia dedit illis

Digitized by Google

per principes suos, qui præsidebant trans flumen; *et accipiens manu tribuebat illis*, id est, etiam propria manu contulit ipsis aliqua quæ accepit de bonis suis. Nam et Nehemias post duodecim annos cum sua comitiva ad Artaxerxem reversus est, et postmodum de licentia regis, rursus ad Je- II Esdr. xiii, 6, 7. rusalem rediit, ut in Nehemia legitur : et tunc rex munera pretiosa contulit Nehe- A miæ ac suis. *Appellavit autem Nehemias hunc locum*, id est diem seu festum loci istius, puta altaris seu templi, *Nephthar, quod interpretatur purificatio*. Et supra (vers. 18) in isto capitulo vocatus est, dies ignis, etc., qui datus est de aqua crassa. *Vocatur autem apud plures*, id est ab aliis multis, *Nephi :* quod idem designat quod Nephthar.

ARTICULUS II

ELUCIDATIO CAPITULI SECUNDI : INVENITUR AUTEM IN DESCRIPTIONIBUS JEREMIÆ.

HOC loco declarantur quædam in præcedenti capitulo dicta, præsertim de (II Mach. i, 19.) asportatione ignis altaris holocausti. *Invenitur autem in descriptionibus Jeremiæ*, id est in sermonibus a Jeremia, vel ex ore ipsius scriptis : quæ tamen descriptiones, nec a Catholicis, nec ab Hebræis habentur; *quod jussit accipere ignem eos qui transmigrabantur*, id est, quod Jeremias præcepit sacerdotibus Dei cultoribus, qui a Judæa in Babyloniam transferebantur, quod secum acciperent ignem altaris holocaustorum, ut eum in valle absconderent Josaphat, *ut significatum est*, (Ibidem.) id est, prout dictum est capitulo præcedenti, *et ut mandavit transmigratis*, id est, sicut jussit sacerdotibus in Chaldæam translatis. Sic continetur in descriptionibus illis. *Et dedit illis legem*, id est, legem Moysis commisit Jeremias illis, ut eam implerent : et forsan librum legis Moysis præstitit eis ad legendum, recolendum, custodiendumque legem. Hinc subditur : *ne obliviscerentur præcepta Domini, et ut non exerrarent mentibus*, id est, ne corda eorum per infidelitatem errarent, *videntes simulacra*, id est idola, *aurea et argentea, et ornamenta eorum*, quæ in Babylone viderunt a Chaldæis adorari et coli. Et de hoc habetur in epistola (Baruch vi, 3, 4.) B Jeremiæ missa Judæis in Babylone morantibus. *Et alia hujusmodi* salubria documenta *dicens* Jeremias, *hortabatur* præfatos *ne legem*, id est assiduam memoriam et observantiam legis, *amoverent a corde suo*.

Erat autem in ipsa scriptura, id est prætactis descriptionibus Jeremiæ contentum, *quomodo tabernaculum* Moysis *et arcam* per Beseleel factam *jussit Propheta* (Exod. xxv, 9 et seq.; xxxvi, 1 et seq.) Jeremias, *divino responso ad se facto, comitari*, id est per comites seu socios viæ portari *secum* ad spatium certum. Ex hoc C apparet, quod Jeremias præscius destructionis civitatis Jerusalem, combustionisque templi a Chaldæis, sollicitus fuit pro arca ceterisque prædictis, et Dominum exoravit, ut sibi revelare dignaretur, qualiter illa essent conservanda. Cujus piæ petitioni Dominus dedit responsum ut faceret quæ sequuntur, videlicet quod duceret ea secum, *usque quo exiit*, id est, quousque ipse Jeremias eundo pertingeret, *in montem in quo Moyses ascendit et vidit Dei hereditatem*, id est in montem Nebo D in verticem Phasga, in cujus montis altitudinem Moyses Deo jubente ascendit, ad videndum terram promissionis : quæ vocatur hereditas Dei, id est terra quam Omnipotens filiis Israel præstitit hereditarie possidendam. Hinc scriptum est Deutero-

Digitized by Google

Deut. XXXIV, 1-4. nomii ultimo : Ascendit Moyses de campestribus Moab super montem Nebo, etc. *Et veniens ibi Jeremias, invenit locum speluncæ,* quam ex revelatione divina cognovit ; *et tabernaculum,* id est materias tabernaculi, *et arcam, et altare incensi,* id est thymiamatis, *intulit illuc, et ostium* speluncæ *obstruxit.*

Et accesserunt quidam simul, id est, pariter properaverunt ad locum prædictum, *qui sequebantur* Jeremiam, *ut notarent sibi locum,* in quo prædicta erant abscondita. *Ut autem cognovit Jeremias* B curiositatem illorum in inquirendo locum præfatum, *culpans,* id est increpans, *illos, dixit quod ignotus erit locus* ille tabernaculi et altaris et arcæ, *donec congreget Deus congregationem populi,* id est, populum Judæorum hinc inde dispersum, in unum recolligat, *et propitius fiat* populo propitiatione perfecta ; *et tunc Dominus ostendet hæc,* scilicet tabernaculum, arcam, altare, *et apparebit majestas Domini,* id est, Deus omnipotentiam et gloriam suam ostendet per effectus præclaros, *et* C *nubes erit* obumbrans populo Dei, *sicut et Moysi manifestabatur* columna nubis, et nubes quædam in consecratione taberna- Exod. XL, 31, 32. culi, juxta illud Exodi, Postquam cuncta perfecta sunt, operuit nubes tabernaculum testimonii, et gloria Domini implevit illud.

Quæritur, an ista impleta sunt, an implenda. Circa hoc scribit Nicolaus de Lyra : Hanc congregationem et propitiationem exspectant Judæi futuram in adventu Messiæ ; et nos intelligimus eas factas in D Joann. XI, 51, 52. Christi adventu, juxta illud Joannis : Jesus moriturus erat pro gente ; et non tantum pro gente, sed ut filios Dei qui erant dispersi, congregaret in unum. Quum ergo prædicta non sint in Christi adventu ostensa, quia secundum Hebræos a tempore captivitatis Babylonicæ usque nunc, non est ostensa aut habita arca Dei : propter hoc locus iste videtur aliquibus falsus aut saltem dubius. Posset tamen ad hoc dici, quod prædicta apparebunt in fine mundi, A in conversione Judæorum ad fidem Christi. Sed hoc videtur esse contra illud Jeremiæ : Non dicent ultra, Arca Domini ; neque Jer. III, 16. ascendet super cor, neque recordabuntur illius, nec fiet ultra. Item, quod hic dicitur de absconsione altaris et arcæ per Jeremiam, non habet apparentiam magnam : quoniam Jeremias fuit incarceratus usque ad captionem Jerusalem per Chaldæos, ut Ibid. XXXVII, 20; XXXVIII, 6, 13, 28. patet in Jeremiæ capitulis ; et sicut ante captionem civitatis ista non fecit, nec postea, ut videtur : quoniam capta civitate, Chaldæi mox confregerunt omnia pretiosa, non solum aurea et argentea, sed etiam æera, abstuleruntque secum, ut dicitur IV Reg. XXV, 13-17. quarto Regum. Propter quod non videtur verisimile, quod Jeremiæ dimiserunt arcam et altare incensi, quæ erant de auro purissimo, ut habetur in Exodo. Igitur Exod. XXV, 11; XXX, 3. propter ista et alia supradicta de morte Antiochi et de tempore Demetrii, quæ cum difficultate magna vix possunt cum aliis Scripturæ locis concordari, ut patet ex supradictis, liber iste secundus, et maxime quantum ad suam præfationem, reputatur a multis multum apocryphus. Istud tamen majorum judicio derelinquo. Hæc Lyra.

Circa hæc recolo quæ Magister in historiis recitat, S. Epiphanium episcopum de Jeremia dixisse : Hic est Jeremias, qui templum evertendum prænoscens, arcam testamenti cum his quæ in ea erant, tulit, et precibus suis eam absorberi fecit in petra. Petram vero digito signans, nomen Dei impressit, scilicet tetragrammaton, ut dicitur. Et factum est sigillum in similitudinem sculpturæ, quæ ferro cavatur ; ipsumque Dei nomen operimento nubis celatum est, ut ex tunc nec locum quis recognoscere queat, nec ipsum legere nomen usque in diem hunc et usque in finem. Et instar pristinæ figuræ, illic sæpe nubes, vel ignis nocturno fit tempore, eo quod gloria Dei ab ejus lege non desinat. Est autem petra illa in eremi terra inter duos montes, in quibus jacent Moyses et Aaron. Dixitque Jeremias præsentibus : Dominus de Sion recessit ad cœlos, inde rur-

Digitized by Google

sus in virtute venturus; et erit signum A præsentiæ ejus, quando universæ gentes adoraverint lignum. Dixitque : Hanc arcam præter Aaron producere nemo poterit; et tabulas quæ in ea sunt, nullus aperiet sacerdotum, nisi electus Dei Moyses. Et in prima resurrectione resurget hæc arca, et exibit de petra, atque ponetur in monte Sina *, et omnes gentes congregabuntur ad eam, regressum Dei sustinentes, et adversarium qui eos quæsiturus est interimere fugientes. Hæc Epiphanius, cujus verba in aliquibus videntur dissonare a B verbis litteræ hujus. Suntque verba illa Epiphanii ad intelligendum difficilia, sicut et textus iste.

** alias* Sion

Certum est tamen, litteram istam, si salvari debeat, non ita esse intelligendam, quod in primo regis Messiæ adventu fuerint tabernaculum Moysis, arca et altare incensi, realiter ac corporaliter ostendenda. Spiritualiter vero, et quantum ad res significatas per ea, ostensa sunt in primo Christi adventu, et deinceps. Quando autem et qualiter ostendenda sint realiter ac C corporaliter, non scio, nec definire præsumo; tamen ut tetigi, littera ista a falsitate poterit per piam et mysticam expositionem aliquam excusari. Quum enim ab Ecclesia receptus sit liber iste ad legendum publice in divino Officio, non apparet tutum quod dicatur falsus sive apocryphus : quia, ut sanctus ait Hieronymus, apocrypha nescit Ecclesia.

Porro, quod in præmemoratis verbis Nicolai de Lyra habetur, arcam et altare incensi fuisse de auro purissimo, non potest D stare secundum quod sonat. Arca namque fuit de lignis setim, ut legitur in Exodo. *Exod.* XXV, 10. Fuerat vero deaurata intus et extra auro mundissimo, ut eodem patet capitulo. *Ibid.* 11. Altare quoque incensi fuit de lignis setim, secundum illud Exodi, Facies et altare *Ibid.* XXX, 1. ad adolendum thymiama de lignis setim : quod etiam fuerat deauratum, ut fertur *Ibid.* 3. ibidem. Insuper, quod in præhabitis Epiphanii verbis asseritur, quod petra illa est in eremi terra inter duos montes, in quibus jacent Moyses et Aaron, requirit intelligentiam piam. De Aaron equidem constat, quod in monte Hor sit sepultus, ut in Numeris recitatur. *Num.* [XX], 25, 29. Moysen vero non in monte, sed in valle esse sepultum, probatur per id Deuteronomii ultimo : Mortuus est Moyses servus Domini in terra Moab *Deut.* XXXIV, 5, 6. jubente Domino, et sepelivit eum in valle terræ Moab.

Consequenter ad celebrationem Purificationis Dedicationisque templi, inducuntur facta Salomonis ac Moysis. *Et sicut quum Salomon petiit ut locus sanctificaretur magno Deo :* id est, Salomon exoravit ut templum a se ædificatum, consecraretur et acceptabile esset Deo immenso, ut tertio Regum describitur, secundo quoque *III Reg.* VIII, 22 et seq. Paralipomenon; *manifestabat hæc. Magnifice enim sapientiam tractabat,* id est, Salomon sapientiam sibi infusam, præclare *II Par.* VI, 14 et seq. ostendit in templi constructione et dedicatione, imo in increatæ Sapientiæ honoratione ac cultu; *et ut sapientiam habens, obtulit sacrificium dedicationis et consummationis templi :* juxta illud tertii Regum : Rex et omnis Israel cum eo, immolabant *III Reg.* VIII, 62, 63. victimas coram Domino; et dedicaverunt templum Domini. *Sicut et Moyses orabat ad Dominum, et descendit ignis de cœlo* aerio, *et consumpsit holocaustum.* Hoc fuit in consecratione Aaron filiorumque ejus, juxta illud Levitici : Egressus ignis a Domino, devoravit holocaustum, et adipes *Lev.* IX, 24. qui erant super altare. *Sic et Salomon oravit, et descendit ignis de cœlo, et consumpsit holocaustum,* a Salomone per manus sacerdotum oblatum, secundum illud secundi Paralipomenon : Quumque complesset Salomon fundens preces, ignis descendit de cœlo, et devoravit holocausta et victimas. *II Par.* VII, 1.

Dixitque Moyses, eo quod non sit manducatum quod erat pro peccato : id est, Moyses reprehendit filios Aaron, quia non comederunt hostiam pro peccato oblatam; sed ipse Moyses invenit eam exustam. Unde in littera subditur : *et consumptum est,* id est igne altaris exustum, quod fuerat

Digitized by Google

comedendum. Hinc scriptum est in Levitico : Inter hæc, hircum qui oblatus fuerat pro peccato quum quæreret Moyses, exustum reperit; iratusque contra filios Aaron, ait : Cur non comedistis hostiam pro peccato, etc.? *Similiter et Salomon octo diebus celebravit dedicationem.* Tertio libro Regum de hac fertur celebritate : Fecit ergo Salomon in tempore illo festivitatem celebrem septem diebus et septem diebus, id est quatuordecim diebus. Quomodo ergo hic dicitur celebrasse dedicationem octo diebus? Ad quod quis dicere posset, quod numerus iste non ponitur hic per præcisionem numeri majoris, et quod minor non excludit majorem. Efficacius autem respondendum per illud secundi Paralipomenon : Fecit Salomon solennitatem in tempore illo septem diebus; fecitque die octavo collectam, eo quod dedicasset altare septem diebus. Itaque de illis primis octo diebus hic agitur. Nempe, quod Salomon dicitur quatuordecim diebus celebritatem fecisse, exponitur quod primis septem diebus celebritatem fecit de templi dedicatione, aliis septem celebravit festivitatem Tabernaculorum mox sequentem.

Lev. x, 16 et seq. — III Reg. viii, 65. — II Par. vii, 8, 9.

Inferebantur autem in descriptionibus et commentariis Nehemiæ hæc eadem : id est, de observanda festivitate Dedicationis templi tempore Esdræ et Nehemiæ ædificati, continebantur et concludebantur similia jam prædictis in quibusdam scripturis et commentis Nehemiæ : quæ scripta non habentur, sicut nec præallegatæ descriptiones Jeremiæ prophetæ. Verumtamen in Esdra habetur de solennitate Dedicationis templi illius. *Et qualiter construens,* id est, ipse Nehemias faciens, *bibliothecam, congregavit de regionibus libros et Prophetarum et David.* Tempore enim illo congregavit Esdras veteris Testamenti volumina a Chaldæis incensa, videlicet Pentateuchum, Psalterium, Prophetarumque libros : quos sic reparatos, Nehemias de regionibus Judææ, Samariæ et Galilææ, seu aliunde collegit, atque in bibliothe-

I Esdr. vi, 16.

A cam suam redegit. *Epistolas* quoque *regum* Juda memoria dignas, sic congregavit; *et de donariis,* id est, scripta de muneribus exhibendis seu offerendis collegit cum ceteris. *Similiter autem et Judas ea quæ didicerat* per bellum, quod nobis acciderat, congregavit omnia :* id est, Judas Machabæus fecit conscribi ea quæ cognovit per bella quæ Judæis suo tempore contigerunt, in quibus bellis multa magna et mirabilia Dei auxilia apparuerunt, quæ æterna memoria sunt condigna. B *Si ergo desideratis hæc,* id est, si libros istos habere optatis, *mittite qui perferant vobis,* id est, destinate aliquos ad nos, qui vobis eos deportent.

* decide-rant

Acturi itaque Purificationem, id est, celebraturi festum de purgatione templi et consecratione altaris factis tempore Machabæorum, *scripsimus vobis,* ut et vos festum hoc celebretis. *Bene ergo facietis si egeritis hos dies* solenniter.

Deus autem qui liberavit populum suum frequenter, videlicet tempore Moysis et Judicum ac Regum, et nunc tempore Judæ C ac fratrum ejus, dando victoriam in plurimis bellis, *et reddidit hereditatem omnibus,* id est, Judæis cum Juda collectis, Judæam ac hereditaria quæque bona restituit : quod tamen tempore Simonis magis impletum est, quando unusquisque sedit sub vite sua, et sub ficulnea sua, et coluit terram suam cum pace, ut dictum est in primo libro Machabæorum; *et regnum,* id est regionem patrum nostrorum, vel ducatum ac regimen. Nam Judas ac fratres D ejus fuerunt duces et principes, imo et summi sacerdotes populi Judæorum : imo a tempore reversionis a Babylonica captivitate usque ad Herodem Ascalonitam, habuerunt Judæi aliquos rectores et principes de populo suo, quemadmodum in volumine Genesis Jacob testatus est : Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est. Aristobulus vero, filius Joannis Hyrcani filii Simonis, primus imposuit sibi regium diadema post reditum a Babyloni-

I Mach. xiv, 8, 12. — Gen. xlix, 10.

Digitized by Google

ca captivitate, quemadmodum Josephus A tertiodecimo libro Antiquitatum describit. *Et sacerdotium,* id est sacerdotalem dignitatem seu pontificatum, *et sanctificationem,* id est templum seu sacram observantiam legis; *sicut promisit in lege:* quia per Moysen frequenter prædixit, quod pœ-
Lev. xxv, 41-45; *Deut.* xxx, 1 *et seq.* nitentibus et conversis Judæis redderet terram patrum suorum. *Speramus quod cito nostri miserebitur,* dando nobis finalem liberationem per regem Messiam, vel eruendo nos omnino a gentilium infestatione, *et congregabit de sub cælo in locum* B *sanctum,* id est de diversis regnis in terram promissionis : quod et tempore Christi impletum est per congregationem spiritualem in fide, spe et caritate, et in militante Ecclesia, quemadmodum Isaiæ
Is. LXVI, 19, 20. ultimo Dominus dixit : Mittam ex eis qui salvati fuerint, ad gentes in mari, in Africam et Lydiam, tenentes sagittam, in Italiam et Græciam, ad insulas longe ; et adducent omnes fratres vestros.

Consequenter auctor hujus libri tangit materiam voluminis hujus, modumque pro- C cedendi, et quid moverit eum ad compilandum hoc opus. *De Juda vero Machabæo, et fratribus ejus, et de templi magni* in Jerusalem sub Zorobabel facti *purga-*
* *purificatione* *tione* * *:* de quo templo Aggæus prædixit,
Agg. II, 10. Magna erit gloria domus hujus novissimæ, magis quam primæ ; *et de aræ,* id est
I *Mach.* IV, 56. altaris, *dedicatione :* de qua habetur in primo libro ; *et de illuminationibus,* id est cœlestibus apparitionibus, cordiumque illustrationibus, *quæ de cælo factæ sunt ad eos,* id est ad Judam et ejus fratres ac D adjutores, *qui pro Judæis fortiter fecerunt,* id est, pro communi defensione Judaici populi strenue pugnaverunt, *ita ut universam regionem, quum pauci essent, vindicarent,* id est, injurias toti populo Judæorum illatas ab Antiocho rege ac suis ulciscerentur, quum tamen respectu adversariorum, essent perpauci, *et barbaram,* id est ferocem, gentilium *multitudi-*
Ibid. III. *nem fugarent :* ut patuit in primo libro ; *et civitatem* Jerusalem *liberarent, et leges quæ abolitæ erant,* id est leges et præcepta Moysis per Antiochum quasi deleta et servari prohibita, *restituerentur,* id est, denuo servarentur et conscriberentur per Judam et fratres ipsius, *Domino cum omni tranquillitate propitio facto illis,* id est Deo eis misericorditer auxiliante.

Itemque ab Jasone Cyrenæo quinque libris comprehensa, id est diffuse conscripta in quinque codicibus, *tentavimus nos uno volumine breviare.* Ex hoc quidam concludunt, quod in hac compilatione plures fuerunt. Quod stare non potest : imo unus fuit breviator et auctor hujus voluminis, ut patet in fine libri hujus, quo ait : Ego quoque in his faciam finem ser- II *Mach.* XV, 38, 39.
monis : et si quidem bene, et ut historiæ competit, hoc et ipse velim ; si autem minus digne, concedendum est mihi. Est autem consuetudo magnis authenticisque personis, dictionibus pluralis numeri uti.

Considerantes enim multitudinem librorum, et difficultatem eorum quos Jason de his rebus composuit *volentibus aggredi narrationes historiarum, propter multitudinem rerum : curavimus,* id est, sollicite providimus his qui volunt rerum istarum historias legere, ne tædio afficiantur ex prolixitate librorum, faciendo hunc librum compendiosum, *volentibus quidem legere, ut esset animi oblectatio,* id est, ut hunc librum cum cordis delectatione breviter legant ; *studiosis vero* providimus, *ut facilius possint* ista *memoriæ commendare ; omnibus autem legentibus utilitas conferatur,* id est, ut universi hæc legentes, ædificentur. *Et nobis ipsis non facilem laborem assumpsimus :* quod tamen intuitu et amore communis utilitatis libenter peregimus. Propterea subditur : *Sicut hi qui præparant convivium, et quærunt aliorum voluntati parere,* id est obedire, parando cibaria juxta eorum velle, *propter multorum gratiam,* id est profectum, *libenter laborem sustinemus : veritatem quidem de singulis, auctoribus concedentes,* id est, credentes quod ipsi auctores librorum vera scripserunt de singulis re-

Digitized by Google

bus et gestis, de quibus hic loquimur; *ipsi autem secundum datam,* id est præconceptam et tactam, *formam* scribendi per abbreviationem, *brevitati studentes. Sicut enim novæ domus architecto de universa structura curandum est,* id est, sicut principali constructori domus incumbit sollicitudo de toto ædificio et partibus ejus, et qualiter aggregentur ac redigantur in formam; *ei vero qui pingere curat,* id est per picturas et linitiones ornare domum jam factam, *quæ apta sunt ad ornatum, exquirenda sunt,* scilicet pulchri colores et confectiones, ex quibus fiunt adornationes ipsius domus : unusquisque enim habet exquirere ea, quæ ad suam pertinent artem ; *ita æstimandum est et in nobis,* id est de nobis, qui non intendimus historicum librum originaliter compilare, sed potius descriptam historiam cum venustate abbreviare.

Denique quid historiographo competat, subditur : *Etenim intellectum colligere,* id est, rerum describendarum veram intelligentiam perscrutari ac adunare, *et ordinare sermonem,* utendo stilo convenienti ac clausulis aptis, *et curiosius,* id est satis A diligenter, non immoderanter, *partes singulas quasque disquirere,* id est, investigare quascumque partes, ex quibus totum volumen est compilandum, hoc est singula quæque gesta ac verba recitatione condigna, vel singulas partes dictaminis, *historiæ congruit auctori,* id est historiographo. Quid autem congruat abbreviatori, subjungitur : *Brevitatem vero dictionis,* id est narrationis ac stili, *sectari, et exsecutiones rerum vitare,* id est omittere digressiones declarantes qualiter quæque sint B gesta, quando declarationes illæ non sunt utiles, *brevianti concedendum est,* id est, convenit ei qui scripta aliorum summatim breviare intendit.

Hinc ergo, id est statim post hæc, utpote in exordio sequentis capituli, *narrationem,* id est exordium historicæ recitationis hujus libri, *incipiemus :* siquidem dicta hucusque, per modum prologi sunt inducta. Unde subjungitur : *De præfatione tantum dixisse sufficiat. Stultum enim est, ante historiam effluere,* id est verbis superfluis abundare, C *in ipsa autem historia succingi,* id est nimium festinare, et sermonem abrumpere.

ARTICULUS III

EXPOSITIO CAPITULI TERTII : IGITUR QUUM SANCTA CIVITAS HABITARETUR IN OMNI PACE.

DESCRIPTURUS auctor libri istius victorias Judæ Machabæi et suorum, et qualiter defenderunt populum Judæorum, præmittit qualiter populus ille post magnam prosperitatem et pacem, maximas incidit clades. Itaque in isto capitulo recitat miraculosam Judæorum consolationem, et adversarii eorum prostrationem sub Onia pontifice.

Igitur quum sancta civitas Jerusalem, ad Dei obsequium præelecta, in qua fuerunt templum et studium legis, sedes pon- D tificis, imo et thronus regis a tempore David usque ad Sedeciam, *habitaretur in omni pace,* id est multum pacifice, ita quod cives ejus devoti gaudebant pace pectoris et temporis, *leges etiam,* id est præcepta Mosaicæ legis, *adhuc optime custodirentur* ab habitatoribus civitatis, *propter Oniæ pontificis dispositionem et pietatem,* id est ex virtuosa et exemplari præsidentia et gubernatione Oniæ, qui subditos sapienter disposuit et instruxit, atque in omni cultu Dei præcessit. Pietas quippe uno mo-

Digitized by Google

do idem est, quod cultus Dei seu latria; A alio modo sumitur pro misericordia; ter- *Is.* xi, 2. tio, prout est unum de septem donis. Itaque causa bonæ conversationis civium, fuit virtuositas prælati eorum, juxta illud Ec- *Eccli.* x, 2. clesiastici : Secundum judicem populi, sic et ministri ejus; et qualis est rector civitatis, tales et inhabitantes in ea. Unde et *Prov.* xx, 8. Salomon in Proverbiis dixit : Rex qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo. *Et animos odio habentes mala,* id est ex bonitate cordis illorum, qui malum culpæ abhorrent : quia ad bona vere honesta seu virtuosa, sincere afficiebantur.

Fiebat ut et ipsi reges et principes gentiles *locum,* id est urbem et templum Jerusalem *summo,* id est valde magno, *honore dignum ducerent,* tanquam summi Dei habitaculum, et cultus divini mansionem electam, *et templum maximis muneribus illustrarent,* mittendo oblationes et dona copiosa ac pretiosa ad templum, sicut et I *Esdr.* vi, 8, 9; vii, 15-23; viii, 25; II *Esdr.* iii, 7. Darius rex et alii quidam in Esdra et Nehemia fecisse leguntur : quia isti gentiles, quamvis et idola colerent, tamen unius veri et summi Dei aliqualem habuerunt notitiam; *ita ut Seleucus Asiæ rex,* filius Antiochi Magni, *de reditibus suis præstaret omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum pertinentes.* Verumtamen sicut in Scholastica fertur historia, Seleucus iste fuit iners et pessimus. Josephus vero refert patrem ejus Antiochum Magnum, fuisse liberalem ad exhibendum necessaria pro sacrificiis offerendis. Sicque Seleucus iste ad tempus in hoc imitatus videtur fuisse patrem suum, et postea pejoratus.

Deinde recitatur qualiter tribulatio cœpit in Jerusalem exoriri. *Simon autem de tribu Benjamin, præpositus templi constitutus* ad disponendum negotia templi in exterioribus rebus : non enim fuit pontifex vel sacerdos, quum fuerit de Benjamin tribu; *contendebat, obsistente sibi principe sacerdotum* Onia, *iniquum aliquid in civitate* Jerusalem *moliri,* id est fabricare. Invidebat namque Oniæ pontifici, voluitque plebem ad rebellionem inducere contra illum. Impii enim quasi mare fervens *Is.* lvii, 20. quod quiescere non potest, ut dicitur in Isaia. *Sed quum vincere Oniam non posset,* id est contra pontificem prævalere, quia Onias vir pius, justus et sapiens, erat populo carus, et multos habebat fautores in civitate potentes, *venit ad Apollonium,* unum de principibus regis Seleuci, *et nuntiavit ei, pecuniis innumerabilibus plenum esse ærarium,* id est locum thesaurorum, *Jerosolymis.* Erat autem ærarium istud locus situs juxta templum : in quo B ærario reservabantur deposita notabilium personarum et sustentacula vitæ pauperum quædam. *Et communes copias,* id est opes illas ad rem publicam pertinentes, *quæ non pertinent ad rationem sacrificiorum,* id est ad emendum victimas oblationum, *esse immensas,* id est valde multas et magnas. Etenim quia Seleucus exhibebat sumptus pro sacrificiis, dixit Simon iste, opes illas ad sacrificia non spectare, præsupponens quod rex pertinentia ad sacrificia invite auferret.

C *Statimque Heliodorus iter aggressus est* versus Jerusalem, quia Seleucus commisit ei pecunias sibi afferre. *Tunc summus sacerdos* Heliodoro *declaravit**, *deposita esse hæc,* id est opes illas esse ibi repositas, *ad procurandum victualia viduarum et pupillorum* egentium; *quædam vero esse* deposita *Hyrcani Tobiæ viri valde eminentis,* id est excellentis et fidelis personæ. In Nehemia autem fertur ipse Nehemias eje- II *Esdr.* xiii, 8. cisse de gazophylacio vasa Tobiæ infidelis. *Decipi vero eos qui credidissent loco* D *et templo, impossibile omnino esse,* id est fieri non posse nec esse permittendum a Deo, quod hi deciperentur, id est, rebus atque depositis suis spoliarentur, qui ea commendaverant templo, cum fide quod conservarentur a Domino in ipso templo seu prope illud, *quod per universum mundum,* id est per multa regna mundi (ut sit hyperbolicus sermo) *honoratur,* id est, famosum habetur, *pro sui veneratione,* id est venerabilitate, *et sanctitate,* seu pro veneratione quæ Deo exhibetur in ipso.

* ostendit.

Digitized by Google

Sacerdotes autem ante altare cum sacerdotalibus stolis, id est vestibus, *jactaverunt se,* humiliando se intimo corde, et sacerdotaliter vestiti, ut sic benignius adspicerentur a Deo; *et invocabant de cœlo.* Quare non dicit, Invocabant de terra, quum isti invocantes fuerint in terra, non in cœlo? Est igitur sensus : Invocabant, id est, auxilium sibi exhiberi implorabant de cœlo, rogantes *eum qui de depositis legem,* id est præceptum, *posuit, ut his qui deposuerant ea,* in præfato ærario, *salva custodiret Deus,* ne diriperentur. Porro de depositis Dominus aliqua jussit in Exodo. (Exod. xxii, 7-15.) *Jam vero qui videret summi sacerdotis vultum, mente vulnerabatur,* id est, ex corde condoluit ei, tam miserabiliter disposito in facie, in cujus pallore ac mortiformi dispositione vehementissimus dolor et mœror ac pavor cordis apparuerunt. Quemadmodum enim cor gaudens exhilarat faciem, (Prov. xv, 13; xvii, 22.) sic in mœrore animi dejicitur spiritus, prout Proverbiorum liber testatur. *Accinctæque mulieres ciliciis pectus,* id est, asperitate vestis cilicinæ se affligentes ac humiliantes, etc. *Sed et virgines quæ conclusæ erant,* id est, virorum juvenumque adspectibus abstractæ, et ex virginali pudore remanentes in domo vel circa templum reclusæ, et piis operibus occupatæ, quousque maritarentur, *procurrebant ad Oniam,* tanquam ad patrem spiritualem, adsistentes ei per compassionem, orationem et fletum.

Erat autem misera commixtæ multitudinis Judæorum ex personis utriusque sexus congregatorum, *et magni sacerdotis* Oniæ *in agone,* id est in laboriosa mentis angustia, *constituti exspectatio :* quoniam cum afflictione multiplici præstolabantur eventum finemque rei. *Et hi invocabant Deum omnipotentem, ut credita sibi,* id est deposita eis commissa, *his qui crediderant,* puta depositariis, *cum omni integritate conservarentur,* ut nihil de ipsis posset auferri.

Heliodorus autem quod decreverat, perficiebat, id est, implere studebat. *Sed spiritus Omnipotentis,* id est voluntas seu animus Dei, imo Spiritus Sanctus ex Patre Filioque procedens, *magnam fecit suæ virtutis evidentiam,* id est, omnipotentiam suam publice demonstravit, perterrendo et dejiciendo Heliodorum et ejus satellites. *Apparuit enim illis quidam equus terribilem habens sessorem.* Fuitque angelus sanctus, in forma equitis metuendi apparens, qui et corpus equi illius formavit ac movit : sicut de curru et equis, quibus vectus fuit Elias in cœlum, tenetur. (IV Reg. ii, 11.) *Alii etiam apparuerunt duo juvenes,* id est angeli in forma adolescentum, ad insinuandum quod angeli nunquam inveterascunt, *qui circumsteterunt eum, et ex utraque parte* Heliodorum *flagellabant,* etc. *Eumque multa caligine circumfusum,* id est præ timore et tormento nihil videntem, *rapuerunt,* id est, sacerdotes apprehenderunt, putantes quod mortuus esset, et ne ex præsentia exstincti cadaveris, præsertim perfidi hominis, sacer locus contaminaretur, qui etiam ex ingressu viventis alienigenæ contaminabatur; *atque in sella gestatoria,* id est sede portatoria, *positum ejecerunt,* id est, exportaverunt de ipso ærario.

Considerans autem summus sacerdos, ne forte rex Seleucus *suspicaretur malitiam aliquam ex Judæis circa Heliodorum consummatam,* id est, quod aliqui ex Judæis armati, taliter tractassent, aut magica arte affligi fecissent Heliodorum a malignis spiritibus, *obtulit pro salute viri,* id est pro curatione Heliodori, *hostiam salutarem* cum oratione. Aliqui vero dicunt Heliodorum fuisse occisum et mortuum, atque Oniæ precibus suscitatum, quia habetur in textu, quod in supremo spiritu, id est in agone, erat constitutus. Nihilo minus littera ista magis insinuare videtur, quod nondum exspiravit, sed letaliter exstitit vulneratus, moxque obisset, nisi per preces Oniæ, vita, id est sanitas vitæ, fuisset ei donata. *Heliodorus autem, hostia Deo oblata* per manum sacerdotis, pro gratiarum actione quod fuit curatus, *et votis*

Digitized by Google

A *magnis* Deo *promissis,* etc., *repedabat,* id est remeabat, *ad regem,* etc. *Eo quod in loco,* id est in templo, *vere sit Dei quædam virtus,* id est potestas angelica locum custodiens, imo ipsemet Deus. *Nam ipse qui in cœlis habet habitationem, visitator et adjutor est loci illius,* id est gratiosus et potens defensor, quoniam locus ille Deo exstitit consecratus, qui per effectum multiplicem visitavit eumdem.

ARTICULUS IV

EXPOSITIO CAPITULI QUARTI : SIMON AUTEM PRÆDICTUS, PECUNIARUM ET PATRIÆ DELATOR.

B RECITATUM est præcedenti capitulo, qualiter Deus virtuosum pontificem Oniam glorificavit. Hic describitur multiplex tribulatio atque injusta occisio ejus. *Simon autem prædictus, pecuniarum et patriæ delator,* id est proditor, qui suos accusavit concives et proximos, prout in exordio præcedentis narratur capituli, *male loquebatur* habitatoribus Jerusalem *de Onia, tanquam ipse* Onias *Heliodorum instigasset ad hæc,* id est ad spoliandum ærarium ; *provisoremque civitatis,* qui populo suo provisionem fecit de spiritualibus ac temporalibus bonis, *ac defensorem gentis suæ* Judaicæ, cujus pontifex fuit, quam et ab invisibilium hostium devoratione præservavit, *ausus est insidiatorem regni dicere.* Sic enim invidia mentem pervertit. Hunc impiissimum Simonem sequuntur iniqui, qui non solum se ipsos mendose excusant, sed alios quoque mendaciter criminantur, diffamant, et contra justos nituntur proximos inflammare.

Sed quum inimicitiæ Simonis contra Oniam *in tantum procederent, ut etiam per quosdam Simonis necessarios,* id est amicos, *homicidia fierent,* ita quod quosdam adhærentes Oniæ interfecerunt ; *considerans Onias periculum contentionis* inter concives : nam et intestina bella maxime nocent ; *et Apollonium insanire,* id est omnino irrationabiliter irasci et indignari Judæis, *ad augendam malitiam Simonis,* cui Apollonius iste favebat, ut patuit præcedenti capitulo ; *ad regem se contulit,* id est, Seleucum accessit. *Videbat enim, sine regali providentia impossibile esse,* secundum viam humanam, *pacem rebus,* id est personis utriusque partis, *dari :* quas rex melius potuit cohibere. Reges quoque solent multos prudentes habere. *Nec Simonem posse* facili conatu *cessare a stultitia sua,* id est a stultis operibus quæ incepit. Erat enim habituatus in vitiis, atque pravissimæ consuetudinis mole victus.

C *Sed post Seleuci vitæ excessum,* id est post mortem Seleuci regis, *quum suscepisset regnum Antiochus, ambiebat Jason frater Oniæ summum sacerdotium :* quod ab Antiocho Epiphane emere studuit. Cui et *promittebat et alia centum quinquaginta talenta argenti, si potestati ejus concederetur* ab Antiocho *gymnasium,* id est scholam gentilis ritus, *et ephebiam sibi constituere,* id est, prostibulum puerorum pulchrorum pro suo commodo facere : ephebus quippe vocatur puer formosus et D lucidus ; *et eos qui in Jerosolymis erant, Antiochenos scribere,* id est, in ritu gentilitatis esse et dici imitatores Antiochenorum.

Quod quum rex annuisset, quia gentilis erat, *et obtinuisset* ipse Jason *principatum* sacerdotii, *statim ad gentilem ritum contribules suos,* id est Judæos suæ tribus, videlicet sacerdotes et sibi ex parte matris

Digitized by Google

propinquos, *transferre cœpit*, ut sic ad paganismum induceret alios quoque Judæos. *Et amotis his*, id est ablatis a Judæis beneficiis ac privilegiis his, *quæ humanitatis causa*, id est ex pietate, *Judæis a regibus* Asiæ aut aliis *fuerant constituta*, id est data, *per Joannem* natione Judæum, qui ista procuravit a regibus, *patrem Eupolemii : qui* Eupolemius *apud Romanos de amicitia et societate functus est legatione*, id est, a Juda Machabæo missus est ad Romanos, ad constituendum cum illis amicitiam ac societatem, quemadmodum scriptum est in primo libro : (I Mach. VIII, 17.) Elegit Judas Eupolemium filium Joannis, et Jasonem filium Eleazari, et misit eos Romam ; *legitima civium jura destituens*, id est, tollens ac dissipans divina præcepta ac legis divinæ statuta seu jura, *prava instituta sanciebat*, id est, vitiosas ordinationes ac jussiones instituit. *Etenim ausus est sub ipsa arce*, videlicet prope templum, *gymnasium constituere, et optimos quosque epheborum*, id est elegantiores pueros quos potuit adipisci, *in lupanaribus ponere*, ad exercendum in illis Sodomiticum crimen.

Erat autem hoc non initium, sed incrementum quoddam et profectus gentilis et alienigenæ conversationis. Vitium enim contra naturam non pertinet directe ad infidelitatem, sed carnalitatem turpissimam. Est tamen augmentum conversationis gentilis, quæ veri Dei caret salutari notitia. Idcirco ad turpitudinem sine timore effundit se. *Propter impii et non sacerdotis Jasonis nefarium et inauditum scelus*, id est congeriem scelerum ejus. Jason autem indignissimus fuit nomine sacerdotis, nec fuit sacerdos Dei, exsecutione officii aut merito : nam et sacerdotes Dei ad idololatriam ac præfata gravissima traxit facinora. *Ita ut sacerdotes jam non circa altaris officia dediti essent, sed festinarent participes fieri palæstræ*, id est luctationis vel præfati gymnasii, *et præbitionis ejus injustæ*, id est vitiosæ exhibitionis institutionum Jasonis hujus, *et in exercitiis di-*

A *sci*, id est ludi quo discus seu plumbea scutella projiciebatur in aerem, et nunc vocatur ludus projiciendi lapides. *Et patrios quidem honores pro nihilo habentes*, id est, venerandas observantias legis a patribus eorum servatas vilipendentes, *Græcas glorias*, id est actus et ritus Græcorum gentilium, in quibus ipsi Græci gloriabantur, *optimas arbitrabantur.* In quo gravissima patet excæcatio mentis eorum, quod tam stolidissime atque falsissime judicabant. *Quarum gratia*, id est propter B quas glorias, *periculosa eos contentio habebat*, id est, intestinam dissensionem valde periculosam inciderunt : quia quibusdam idololatriæ illæ displicuerunt, aliis placuerunt ; *ac per omnia his consimiles* in cultu idololatriæ gentilitatisque ritu *esse cupiebant, quos hostes et peremptores habuerant*, videlicet Syris et Græcis ac Asianis.

In leges enim divinas impie agere, eas transgrediendo, *impune non cedit :* juxta illud Psalmistæ : Maledicti qui declinant a (Ps. CXVIII, 21.) C mandatis tuis; Job quoque : Deus inultum (Job XXIV, 12.) abire non patitur. *Sed hæc sequens tempus declarabit*, id est, veritas horum patebit ex sequentibus, in quibus et ea narrantur, quæ contigerunt post tempus illud in quo contigerunt prædicta. Tempori autem adscribuntur ea quæ fiunt in tempore.

Quum autem quinquennalis agon, id est lucta seu concertatio exercitativa, quæ de quinquennio in quinquennium fiebat, *Tyri celebraretur*, id est, in loco illo solenniter fieret, *et rex*, scilicet Antiochus D Nobilis, *præsens esset.* Fiebat enim lucta illa ad reverentiam Herculis, qui pugnator fuit fortissimus. *Misit Jason viros portantes argenti didrachmas trecentas in sacrificium Herculis : quas postulaverunt hi qui asportaverunt*, id est eas secum tulerunt, *ne in sacrificiis* Herculis *erogarentur, quia non oporteret*, id est, nec necessarium, imo nec utile esset. *Propter præsentes autem*, id est ad instantiam eorum qui aderant, *datæ sunt in fabricam navium triremium*, id est ad construen-

Digitized by Google

dum naves in quibus erant ordines tres remorum.

Misso autem in Ægyptum Apollonio, quem illuc misit Antiochus *propter primates Ptolemæi Philometoris regis* Ægypti, cujus aliqua oppida occupavit Antiochus : quæ primates præfati Ptolemæi adhuc adolescentuli, requirebant ab Antiocho ; principes Ptolemæi contra eum, oppida illa reddere non volentem, pugnam moverunt. *Quum cognovisset Antiochus alienum se a negotiis regni* Ægypti *effectum, venit Jerosolymam.* Fuit enim ab Ægypto per Romanorum legatos repulsus, ut dictum est plenius in expositione primi libri. *Et magnifice a Jasone,* quem ad pontificatum simoniace ac perverse promovit, *et civitate susceptus, cum facularum luminibus et laudibus ingressus est ; et inde in Phœnicen exercitum convertit.* Verumtamen tunc, ut videtur, fecit mala multa et magna, quæ primi libri capitulo primo recitantur. (I Mach. I, 22 et seq.)

Et post triennii tempus misit Jason frater Oniæ, *Menelaum, supradicti Simonis fratrem, portantem pecunias regi* Antiocho, *et de negotiis necessariis,* id est de causis sibi commissis, *responsa perlaturum,* id est reportaturum a rege. Circa hæc incidit quæstio, quomodo Menelaus iste dicatur frater Simonis supradicti, qui (ut præcedenti fertur capitulo) de Benjamin fuit tribu ; Jason autem et Onias de tribu Levi et Aaron erant. (II Mach. III, 4.) Josephus autem apertissime scribit duodecimo Antiquitatum libro, quod Jason et Menelaus fuerunt fratres Oniæ. Hinc Lyra hoc loco negat Josephum, propter hujus libri auctoritatem. Verum Magister in historiis et alii multi authentici et antiqui Catholici, secuti sunt Josephum : et rationabiliter, ut videtur. Judæi enim non sustinuissent Menelaum in pontificatu, nisi de genere Aaron exstitisset. Nec post reditum a Babylonica captivitate leguntur Judæi unquam aliquem habuisse pontificem, nisi de stirpe Levi et Aaron. Quod autem Menelaus dicitur fuisse frater Simonis supradicti, qui-

A dam exponunt dicentes, quod fuit frater ejus non carnis propagatione, sed imitatione et conformitate malitiæ. Juxta quem modum in Ecclesiastico scriptum est : Qui effundit sanguinem, et qui fraudem facit mercenario, fratres sunt. (Eccli. XXXIV, 27.) Posset etiam dici, quod quia tribus Levi poterat cum ceteris tribubus Israel matrimonia sociare, Menelaus iste ex parte unius parentis, præsertim matris, forsitan fuit de Benjamin tribu et Simonis frater.

At ille, videlicet Menelaus, *commendatus* B *regi* Antiocho ab ejus ministris, qui ad hoc faciendum erant (ut creditur) a Menelao per dona inducti, *quum magnificasset faciem potestatis ejus,* id est, regem et ejus potentiam magnifice commendasset, *in semetipsum retorsit summum sacerdotium,* id est, procuravit illud sibi a rege donari ambitiose, simoniace, fraudulenter. *Acceptisque a rege mandatis* quid ageret, et ut pro pontifice susciperetur, *venit,* etc. *Et Jason, qui proprium fratrem captivaverat,* id est, causa fuit quod Onias seorsum C reclusit se, ut infra habetur, *in Ammonitem,* id est regionem Ammonitarum, *expulsus est.* Illuc enim sacerdotii principatu privatus aufugit. *De pecuniis vero regi promissis* Menelaus *nihil agebat,* id est, eas Antiocho non persolvit, *quum exactionem faceret,* id est, persolvi eas regi exigeret, *Sostratus,* sicut et vectigalia persolvi exegit ; *qui* Sostratus *arci* quæ fuit in monte Sion, *præsidebat. Quam ob causam utrique,* videlicet Menelaus et Sostratus, *ad regem sunt evocati,* ad reddendum ra- D tionem, cur Menelaus regi non solvit quod debuit. *Et* comperto quod *Menelaus* fuit in culpa, *amotus est a sacerdotio,* id est pontificatu, *succedente Lysimacho fratre suo,* qui de semine Aaron fuit, ut probabilius reputatur.

Et quum hæc agerentur, contigit Tharsenses et Mallotas, id est cives ab urbibus suis sic nuncupatos, *seditionem movere* contra regem suum Antiochum, a quo videbantur contempti, *eo quod Antiochi regis concubinæ dono essent dati,* id est ob

Digitized by Google

hoc, quod Antiochus dedit eos pro munere A suæ concubinæ, ut essent sub illius dominatione. *Festinanter itaque venit rex sedare illos,* ne et concubinam suam contristaret, aut subditos contra se acrius provocaret, *relicto suffecto,* id est substituto, *uno ex comitibus,* id est principibus seu sociis sui regiminis, *Andronico* in Antiochia, ex qua venit sedare præfatos. *Ratus autem,* id est existimans, *Menelaus accepisse se tempus opportunum* procurandi interfectionem Oniæ, rege absente, *aurea quædam vasa de templo furatus* (quod B sacrilegium fuit) *donavit Andronico,* ut ejus sibi amicitiam procuraret, sicque per eum obtineret Oniam occidi. *Qui* Andronicus *quum venisset ad Oniam, et suasisset ei de asylo procedere,* id est, de loco illo in quo tutus fuit, nec poterat lædi, descendere, *statim eum peremit. Propter quod,* id est ob tam immanissimam impietatem, *indignati sunt Judæi et Græci* in Antiochia exsistentes, atque regresso regi conquesti sunt : qui Deo instigante usque ad lacrimas condoluit interfecto; et *Andronicum* C *purpura exutum,* veluti degradatum, fecit occidi.

Multis autem sacrilegiis, id est rerum sacrarum abusionibus, *a Lysimacho in templo commissis, et divulgata fama* de tantis criminibus, *congregata est multitudo* Judæorum vitia Lysimachi abominantium, *adversus Lysimachum, multo jam auro exportato* de templo per Lysimachum, illud in usus proprios convertentem. *Turbis autem insurgentibus* contra Lysimachum, *Lysimachus armatis fere tri-* D *bus millibus* qui erant de parte ipsius, *iniquis manibus,* id est adjutorio impiorum illorum, *uti cœpit. Et multi quidem vulnerati* de adjutoribus Lysimachi, *quidam autem et prostrati,* id est occisi, *omnes vero* residui de ejus exercitu, *in fugam conversi sunt; ipsum etiam sacrilegum* Lysimachum, *circa ærarium,* scilicet extra templum, *interfecerunt.*

De his ergo cœpit judicium adversus Menelaum agitari, id est, Judæi cœperunt Menelao hæc crimina et sacrilegia Lysimachi imputare, quia consilio Menelai facta fuerunt. *Et quum venisset rex Tyrum, ad ipsum detulerunt negotium missi viri tres a senioribus* Judæorum : qui tres accusaverunt Menelaum coram rege. *Et quum superaretur Menelaus,* id est, objectionibus et accusationibus contra se factis respondere non posset, *promisit Ptolemæo,* amico seu consiliario regis, *multas pecunias ad suadendum regi,* id est, ut persuaderet Antiocho Menelaum reum non esse, sed accusatores ipsius. *Et ad sententiam deduxit,* id est, Ptolemæus ille iniquus induxit regem ad proferendum sententiam pro Menelao. *Miseros autem,* id est accusatores Menelai miserabiliter criminatos et circumventos, *qui etiam si apud Scythas,* id est homines sic vocatos, qui crudeles irrationabilesque dicuntur, *causam dixissent,* id est, negotium contra Menelaum proposuissent, *innocentes judicarentur* a Scythis, quia apertissime justa fuit eorum causa ; *hos morte damnavit* Antiochus. *Cito ergo injustam pœnam dederunt,* id est, passi sunt (juxta quem modum loquendi ait Apostolus : Qui pœnas *II Thess.* I, 9.
dabunt in interitu æternas), *qui pro civitate* Jerusalem *et populo* Judæorum, *et sacris vasis* templi, *causam prosecuti sunt* contra Menelaum coram rege. *Menelaus autem propter eorum qui in potentia erant avaritiam,* id est propter cupiditatem principum Antiochi, quibus munera contulit Menelaus, *permanebat in potestate,* id est sacerdotii principatu.

Ecce quanta fiunt in hoc mundo facinora, et qualiter justi ac pii ab impiis opprimuntur, ipsique impii prosperantur ad tempus, secundum dispensationem secretorum judiciorum Altissimi. Propter quod Isaias dicit : Justus perit, et non est qui *Is.* LVII, 1.
recogitet in corde suo ; et viri misericordiæ colliguntur, et non est qui intelligat. Quæ res interdum movet fideles in admirationem, juxta illud Habacuc primo : Quare, Domine, respicis contemptores, et *Habac.* I, 13, 4.
taces, conculcante impio justiorem se ?

Digitized by Google

Propter hoc lacerata est lex, quia impius prævalet adversus justum. Propterea egreditur judicium perversum. Sed si respici-
A amus ad futuri sæculi retributiones, atque ad ordinem infinitæ sapientiæ providentiæ Dei, admiratio cessat.

ARTICULUS V

DECLARATIO CAPITULI QUINTI : EODEM TEMPORE ANTIOCHUS SECUNDAM PROFECTIONEM PARAVIT IN ÆGYPTUM.

GRAVISSIMA persecutio Judæorum per Antiochum facta, hic recitatur. Præmittitur tamen impugnatio Jasonis, et expugnatio ejus. *Eodem tempore Antiochus secundam profectionem paravit in Ægyptum,* id est, disposuit se ad ingrediendum et expugnandum Ægyptum altera vice.
1 *Mach.* I, 17-20. Qualiter autem bis intravit Ægyptum, in expositione primi libri narratum est.

Consequenter describitur, qualiter Deus futuram Jerosolymitarum prostrationem præmonstravit, per visiones et signa admonens illos ad vitæ correctionem. *Contigit autem per universam Jerosolymorum civitatem videri* a civibus ejus, *diebus quadraginta,* certis horis ac quibusdam diebus infra spatium quadraginta dierum, quamvis, ut probabile est, non singulis illis diebus, *per aera equites discurrentes, auratas stolas,* id est vestes quæ super arma indui solent, *habentes ; et cursus equorum per ordinem digestos,* id est, ordinate dispositos secundum bellicam artem ; *et congressiones fieri cominus,* id est de prope prælia exerceri ; *et scutorum motus,* quæ in bellis variis modis moventur, et ictibus opponuntur ad tuendum se ; *et galeatorum multitudinem,* id est plurimos hominum galeas habentium, *gladiis districtis,* etc., id est multipliciter agitatis, extentis, retractis. Denique hæc fiebant in aere ministerio angelorum bonorum sive malorum. Sic et S. Gregorius in homilia prima refert se igneas acies vidisse in cœlo, antequam percuteretur Italia gladio. Similiter ante eversionem Jerusalem a Ro-
B manis, signa varia præcesserunt et visa fuerunt, quæ hic partim tanguntur in textu, pleniusque describuntur a Josepho libro de Judaico bello. *Quapropter omnes habitatores Jerusalem rogabant in bonum monstra converti,* id est, signa illa monstratione digna, bonum aliquid præsignare, videlicet Judæorum victoriam : quorum tamen significabant ruinam. De bello Jud. lib. VI, c. 5.

Sed quum falsus rumor exisset, quasi vita excessisset, id est, quod obisset, *Antiochus, assumptis Jason non minus mille*
C *viris, repente aggressus est civitatem* Jerusalem, volens opprimere Menelaum, a quo fuit privatus pontificali officio, et illud recuperare, putans regem obisse, a quo erat depositus. *Jason vero non parcebat civibus suis in cæde,* id est, sine misericordia eos crudeliter interfecit ; *nec cogitabat prosperitatem adversus cognatos,* id est, circa Jerosolymitas quorum multi erant consanguinei sui, non cogitavit prospera, sed adversa eis infligere ; *malum esse maximum,* id est præcipuum dam-
D num, *arbitrans, hostium, et non civium se trophæa capturum,* id est obtinere victoriam de vere hostibus suis, et non potius de suis concivibus, quos magis oderat quam gentiles vere inimicos et adversarios suos. Propter quod potius affectavit Judæos quam gentiles occidere. *Et profugus iterum abiit in Ammonitem,* id est in regionem Ammonitarum. *Ad ultimum,* [*in*] *exitium,* id est exterminium *sui, conclusus ab Areta Arabum tyranno, omnibus odiosus, ut refuga legum,* id est apostata

Digitized by Google

a Mosaicis legibus, *peregre periit, Lacedæmonas,* id est ad regionem, urbem, seu populum Lacedæmoniacum, *profectus, quasi pro cognatione ibi refugium habiturus,* id est tanquam defendendus et pie tractandus ab illis veluti a cognatis. Lacedæmonii etenim erant Spartiatæ, nati de semine Abrahæ, ut dictum est plenius in primo libro. *Et qui insepultos multos abjecerat,* quos occidit, *ipse et illamentatus,* id est non deploratus, *et insepultus abjicitur, sepultura neque peregrina,* id est alterius terræ monumento, *neque patrio sepulcro participans.* Unde elicitur, quod apud Spartiatas ejus pravitatem et apostasiam a lege noscentes, gratiam non invenit, sed occisus fuit ac insepultus abjectus.

I *Mach.* XII, 21.

His ita gestis, suspicatus est rex Antiochus *societatem deserturos Judæos,* id est recessuros a sua obedientia, communione ac tributorum persolutione : quod impiissimus Menelaus sibi forsitan persuasit per scripta seu alio modo. Crevit namque in malitia, et ad insidias civium, ut in fine præcedentis habetur capituli. *Et ob hoc* rex *profectus ex Ægypto :* quia Romani per legatos jusserunt ei ab Ægyptiorum impugnatione recedere ; *efferatis,* id est crudelibus, *animis, civitatem quidem* Jerusalem *armis cepit.* Habitatores enim urbis inter se discordes, ei non multum restiterunt : imo faventes ei, intromiserunt eum. Tuncque fecit per milites suos inhumanissimam et atrocissimam stragem in civitate, ut fertur in textu qui planus est.

II *Mach.* IV, 50.

Ausus est etiam intrare templum universæ terræ sanctius, id est sacratius fanis et templis gentilium, utpote vero Deo consecratum ; *et scelestis,* id est vitiosis, *manibus sumens sancta vasa* templi, *quæ ab aliis regibus et civitatibus,* id est civitatum quarumdam rectoribus, *erant posita,* id est data, et per ministros templi collocata, *ad ornatum loci et gloriam,* ut Deo serviretur in eis. Cyrus enim rex Persarum, et Darius ac Artaxerxes atque Antiochus Magnus, et filius ejus Seleucus, rectores quoque nonnulli urbium aliquarum,

A exemplo regum suorum multa pretiosa decoraque vasa transmiserunt ad templum Jerusalem, ut partim ex dictis, et ex Esdra patescit. *Contrectabat indigne,* id est irreverenter, tanquam vasa communia, *et contaminabat,* applicando ea sacrilege usibus suis ac alienis.

I *Esdr.* I, 7-11; V, 14, 15; VI, 5, 8, 9 ; VII, 15-23; VIII, 25; I *Mach.* XI, 58; XV, 26; II *Mach.* III, 3.

Ita alienatus mente, id est vitiis et passionibus obscuratus, *Antiochus, non considerabat quod propter peccata habitantium, civitati Dominus modicum fuit iratus,* permittens eam ac templum ipsius B sic profanari ad breve tempus, et citra condignum. Et hoc probat per castigationem Heliodoro inflictam, ut supra habetur. *Verum non propter locum gentem, sed propter gentem locum Dominus elegit.* Nam minus principale ordinatur ad principale. Ideo locus ordinatur ad habitatores suos, et propter illorum profectum eligitur, non econtra. *Ideoque et ipse locus,* videlicet templum et civitas, *factus est particeps malorum* pœnalium, id est punitionum, *populi* sui, ita quod populus puniebatur C in profanatione et contemptu loci sui et templi ; *postea fiet socius,* id est participator, *et bonorum,* id est prosperitatum. Ista tamen est impropria locutio, quoniam inter rationalia et irrationalia ac inanimata, non est proprie loquendo societas. *Et qui derelictus est in ira,* id est justa ultione, *Omnipotentis, iterum in magna Dei reconciliatione cum summa gloria exaltabitur :* quod fuit impletum aliquo modo, quando Judas et fratres ejus templum recuperaverunt, purgaverunt et ornaverunt D : sicut in primo libro et infra quoque habetur ; plenius autem in Christi adventu, oblatione, prædicatione et miraculosa operatione in templo. Tunc enim impletum est quod Aggæus prædixit : Magna erit gloria domus hujus novissimæ magis quam primæ.

II *Mach.* III, 25 *et seq.*

I *Mach.* IV, 36 *et seq.*; II *Mach.* X, 1-8.

Agg. II, 10.

Igitur Antiochus mille et octingentis ablatis de templo talentis, velociter Antiochiam regressus est, æstimans se præ superbia terram ad navigandum, etc. Quod per hyperbolen dictum est, ad insinuan-

Digitized by Google

dum indicibilem impiissimi illius elationem. *Reliquit autem præpositos,* id est quosdam de principibus suis, *ad affligendum gentem* Judæorum : *Jerosolymis quidem, Philippum ; in Garizim* loco Samariæ, *Andronicum,* non illum quem præcedenti capitulo legitur in Antiochia occidisse. (II *Mach.* IV, 38.) Porro de hac templi spoliatione et civitatis Jerusalem afflictione, sanctique loci et vasorum ejus contaminatione, plenius dictum est in primo libro. (I *Mach.* I, 22 *et seq.*) *Quumque oppositus esset contra Judæos,* etc. Hoc ipsum scriptum est in primo libro, (*Ibid.* 30 *et seq.*) et est sensus : Quum Antiochus firmasset suum propositum ad persequendum Judæos, *misit odiosum principem Apollonium cum exercitu,* (*Ibidem.*) etc. Ista historia in primo libro habetur, quamvis nomen Apollonii ibi non exprimatur : (*Ibid.* III, 10.) quod tamen in primo libro est expressum. *Et tunc,* scilicet sabbato, *feriatis Judæis,* id est ab operibus cessantibus, *arma capere suis præcepit :* non quasi ad impugnandum Judæos, sed quasi ad exercendum hastiludia torneamentave aliqua : quia subjungitur, *Omnesque simul* Judæos, *qui ad spectaculum processerant, trucidavit.* Unde elicitur, quod Judæi non observabant se ob armationem prætactam.

Judas autem Machabæus qui decimus erat. Judas hic dicitur decimus, non in ordine fratrum, (*Ibid.* II, 4.) inter quos tertius fuit, ut patet primo libro, sed in ordine summorum pontificum : non tamen incipiendo computationem pontificum ab Aaron, inter quem et Judam multo plures fuerunt, sed a principio regni Græcorum. Circa hæc scribit quidam : Regnum Græcorum, ut scribunt quidam expositores, incepit a Seleuco, qui in Syria successit Alexandro Magno. Et tunc, scilicet tempore Seleuci, summus sacerdos fuit Onias Jaddi filius, qui, secundum hoc dictum, fuit primus pontifex ; Simon justus, secundus ; Eleazarus Oniæ filius, tertius ; quartus, Manasses Eleazari avunculus ; quintus, Onias Simonis justi filius ; sextus, Simon Oniæ filius ; septimus, Onias hujus Simonis filius, quem occidit Andronicus ; octavus, A Jason ; nonus, Menelaus ; decimus, Judas Machabæus. Hoc accipitur de glossa Rabani, quæ sumpta est ex dictis Josephi. Sed videtur deficere in duobus : Primo, quia Menelao successit Lysimachus. Et sic, qua ratione numeratur Jason et Menelaus, numeraretur et iste Lysimachus decimo loco, et non Judas. Secundo deficit, quia ponit regnum Græcorum incipere a Seleuco : quod tamen incepit ab Alexandro Magno.

Circa hæc dico, quod redargutio ista nullius aut modici est valoris. Non enim B putandum est, Rabanum ignorasse quod regnum Græcorum monarchicum seu imperiale ab Alexandro inceperit. Idcirco, dato quod dicat id, quod iste ei imponit, intelligendum est de regno Græco diviso : quo diviso in quatuor regna, primus post Alexandrum regnavit in Syria Seleucus pater Magni Antiochi, qui habuit filios duos, videlicet Seleucum et Antiochum Nobilem. Quod autem de Lysimacho objicitur, solveretur dicendo, quod modicissimo tempore præfuit, ita quod Menelaus C cui ipse successerat, rursus ei occiso successit, ut patuit præcedenti capitulo : (II *Mach.* IV, 29, 42, 47, 50.) idcirco non numeratur. Nec verum est quod Judas ei successit. Nihilo minus dici potest, quod computatio ista ab Alexandro incipiat, cujus tempore pontifex Judæorum exstitit Jaddus : (In II *Esdr.* XII, 11.) quo connumerato, aliisque præfatis, atque relictis Jasone et Menelao ac Lysimacho, qui illegitime ac pessime intraverunt, cultumque Dei dissipaverunt, et non exercuerunt, Judas est decimus, scilicet proximus post Oniam ab D Andronico interfectum.

Itaque Judas cum suis *in desertum secesserat,* scilicet cum patre suo ac fratribus, ut dictum est in primo libro, (I *Mach.* II, 28.) *ibique inter feras vitam agebat; et fœni cibo vescentes* Judas ac sui, [id est] rebus similibus fœno, utpote radicibus quibusdam et herbis ac fructibus terræ, quæ ibi poterant inveniri, *ne participes essent coinquinationis,* id est idololatriæ, transgressionisque legis Mosaicæ, ad quas Antiochus populum Judæorum coegit.

Digitized by Google

ARTICULUS VI

EXPOSITIO CAPITULI SEXTI : SED NON POST MULTUM TEMPORIS MISIT REX SENEM QUEMDAM.

DESCRIBUNTUR hic in speciali tribulationes per Antiochum et principes ejus inflictæ Judæis. *Sed non post multum temporis,* id est post breve tempus, *misit rex senem quemdam Antiochenum* tanquam authenticum, et cum eo alios quosdam, *qui compelleret Judæos* per minas et pœnas, *ut se transferrent a patriis et Dei legibus,* id est, leges divinas ab eorum patribus servatas, in patria sua relinquerent. Denique ista et multa subsequentia, dicta sunt atque exposita primo primi [I Mach. I, 41 et seq.] libri capitulo. Qui compelleret Judæos *contaminare etiam quod in Jerosolymis erat templum :* ita ut in eo sacrificarent Jovi, non vero Deo ; *et cognominare Jovis Olympii,* id est, templum illud vocare templum Jovis, cognomento Olympii, a loco illo sublimi in quo colebatur; *et in Garizim, prout erant hi qui locum inhabitabant, Jovis Hospitalis,* id est, templum quod erat Deo constructum in monte Garizim in Samaria, cognominare templum Jovis Hospitalis, prout erant rogantes qui locum illum inhabitabant. Estque idem Jupiter, qui a diversis locis in quibus colebatur, diversa cognomina sortiebatur. Quocirca pensandum, quia ut Josephus refert, Manasses sacerdos, frater pontificis Judæorum, filiam Sanaballat Samaritani ac gentilis duxit uxorem. Propter quod prohibitus fuit ad altare accedere, nisi uxorem illam abjiceret : quam nolens relinquere, ad patrem uxoris Sanaballat est profectus, qui construxit ad ejus intuitum templum Deo in Garizim monte. Videntes autem Samaritani Judæos ab Antiocho propter cultum Dei ita oppressos, postulaverunt ab ipso, ut templum Dei inter ipsos situm, Jovi consecraretur, ne ab Antiocho aut ejus principibus instar Judæorum affligerentur.

Pessima autem et universis Judæis fidelibus *gravis erat malorum,* id est persecutionum, imo et transgressionum, *incursio,* id est, boni Judæi incurrebant gravissimas calamitates et persecutiones ex sceleratissimis actibus servorum Antiochi. *Nam templum luxuria et comessationibus gentium erat plenum,* id est, vitia carnis exercebantur in templo a gentilibus ac Judæis ad paganismum conversis; *sacratisque ædibus,* scilicet atriis templi et domunculis sacerdotum in gyro templi constructis, *mulieres* impudicæ *se ultro,* id est sponte ac libere, *ingerebant, intro ferentes,* id est in loca sacra secum portantes, *ea quæ non licebat* illuc inferri, videlicet cibos ac potus lege prohibitos, aut sacrificia profana Jovi sacrificanda. *Altare etiam* holocausti *plenum erat illicitis* hostiis Jovis. *Neque sabbata custodiebantur* a majori parte Judæorum, *neque dies solennes patrii servabantur,* id est alia festa legalia a patribus olim servata in patria illa, *nec simpliciter se quisquam Judæum confitebatur,* id est, tam pauci audebant confiteri se esse fide et ritu Judæos, quod respectu aliorum quasi nulli videbantur. Attamen aliqui erant, prout [I Mach. II, 1, 14, 29.] in primo libro et infra ostenditur.

Ducebantur autem Judæi *cum amara necessitate,* id est gravi mortis formidine, *in die natalis regis* Antiochi *ad sacrificia* Jovis seu aliorum deorum quos coluit. Verumtamen illa non fuit absoluta necessitas, sed conditionata, videlicet si vivere vellent : alioqui fuissent occisi, nisi sacrificassent sic. Ideo illa necessitas non excusavit eos a peccato mortali, quoniam tene-

Digitized by Google

bantur potius mori, quam transgredi legem Dei. *Et quum Liberi,* id est Bacchi, qui credebatur deus vini et vinearum, *sacra celebrarentur,* a ministris Antiochi, *cogebantur* Judæi *hedera,* id est tali herba consimili viti, *coronati,* scilicet habentes super caput sertum factum de hedera, *Libero circuire,* id est ad honorem Bacchi ejus fanum seu altare in gyro perambulare, vel, ut aliqui dicunt, chorizare. Præterea, sicut dictum est super illud Jonæ, Præparavit Dominus hederam, hedera est arbuscula seu virgultum lata habens folia, et facit densissimam umbram, et oritur crebro in partibus Palæstinæ, secundum Hieronymum, maxime in locis arenosis : et cito crescit in altum, si habeat aliquod solidum aut stipitem, per quod ascendat ; alioqui super terram reptat. (*Jonæ* IV, 6.)

Decretum autem exiit in proximas gentilium civitates, id est, præceptum Antiochi mittebatur hinc inde per oppida subditorum ipsius, *suggerentibus Ptolemæis,* id est imitatoribus et fautoribus impii Ptolemæi : qui, ut supra habetur, induxit Antiochum ad proferendum sententiam pro Menelao et contra fideles Judæos ; *ut pari modo et ipsi* gentiles urbium illarum *adversus Judæos agerent,* id est, Judæos in suis urbibus commorantes ad sacrificandum compellerent. *Erat ergo videre miseriam,* id est miserabilem et crudelem effectum, qui subditur. (II *Mach.* IV, 46.)

Duæ enim mulieres Hebrææ fideles *delatæ sunt,* id est servis Antiochi accusatæ, *natos suos circumcidisse : quas, infantibus ad ubera suspensis, quum publice per civitatem circumduxissent,* ad aliarum mulierum Hebræarum terrorem, *per muros præcipitaverunt :* quod fuit crudelissimum opus, tam in matribus, quam in infantulis, qui suspensi fuerunt ad ubera matrum, quibus fuerant nutriendi : præsertim quum tam in Exodo, quam in Deuteronomio Dominus jusserit, Non coques hœdum in lacte matris suæ. *Alii vero* Judæi *ad proximas coeuntes,* id est simul euntes, *speluncas, et latenter diem sabbati celebrantes,* (*Exod.* XXIII, 19 ; XXXIV, 26 ; *Deut.* XIV, 21.)

A *flammis succensi sunt, eo quod verebantur propter religionem et observantiam manu sibi auxilium ferre,* id est, quia non audebant se defendere, hostibusque resistere, eo quod sabbatum esset, putantes illicitum se pugnare in sabbato : prout istud primi libri secundo capitulo plenius dictum est atque expositum. (I *Mach.* II, 32 et seq.)

Obsecro autem eos qui hunc librum lecturi sunt, aut ejus lectionem audituri, *ne abhorrescant propter adversos casus,* id est, ne propter gravissimas istas tribulationes B Judæis inflictas, scandalizentur, sive abhorreant populum Judæorum tanquam Deo odibilem, vel quasi inane sit Deo servire, qui sibi servientes permittit tam atrociter trucidari ; *sed reputent ea* adversa *quæ acciderunt* Judæis, *non ad interitum,* id est finalem perditionem seu totalem exstirpationem, *sed ad correctionem esse generis nostri :* ut scilicet, in hac vita paternaliter castigarentur a Deo, ne in æternum perirent : quod est divinæ dilectionis indicium et effectus. Propter quod scriptum est in C Proverbiorum libro : Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias, et ne deficias quum ab eo corriperis. Quem enim diligit Dominus, corripit, et quasi pater in filio complacet sibi. *Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere,* id est non permittere peccatores ad libitum diu peccare, *sed statim ultiones adhibere,* id est eos per temporales adversitates ac pœnas a peccatis reprimere, *magni beneficii est indicium,* id est evidenter beneficium grande, quum pœnæ vitæ præsentis D sint medicinales, et incomparabiliter melius sit temporaliter castigari, sicque a vitiis refrenari, quam in tempore isto sine freno delectationibus frui, ac postea in æternum puniri. (*Prov.* III, 11, 12.)

Non enim, sicut in aliis nationibus idololatris, *Dominus patienter exspectat,* id est, earum damnationem differt, emendationemque, quantum in se est, præstolatur, *ut eas quum judicii* particularis in morte singulorum, vel generalis in fine mundi, *dies advenerit, in plenitudine peccatorum*

Digitized by Google

puniat, id est, secundum exigentiam omnium vitiorum eorum condemnet ac torqueat, quum mensuram iniquitatum suarum impleverint : *ita et in nobis* Judæis *statuit, ut peccatis nostris in finem devolutis*, id est usque ad mortem absque correctione protractis, *ita demum in nos vindicet* nostra peccata per infernalia et æterna supplicia. *Propter quod nunquam misericordiam suam a nobis amovet* in toto, seu taliter sicut a gentilibus reprobis. *Corripiens vero* paternaliter in præsenti *in adversis, populum suum non derelinquit* finaliter, aut dona gratiæ subtrahendo electis, quamvis ad tempus permittat eos acriter infestari. Hæc de populo Judæorum pro cursu veteris Testamenti verificantur. Nunc autem ira Dei supervenit eis usque in finem. De populo autem christiano ista nunc dici possunt, qui est genus electum, gens sancta, populus acquisitionis, pars atque hereditas Dei : non quod universi electi sint, imo et ipsorum credentium multi sunt vocati, pauci vero electi; sed quia præ ceteris gentibus plures electi in isto sunt populo. Itaque reprobos et iniquos ac vitiosos credentes præscitos, Deus omnipotens, justus, sanctus ac metuendus, permittit prosperari ac deliciari in sæculo isto, nec virga ejus est super eos. De quibus ait in Psalmo : Dimisi eos secundum desideria cordis eorum ; ibunt in adinventionibus suis. Unde hujusmodi populo ait per Ezechielem prophetam : Zelus meus recessit a te, non irascar tibi amplius.

(I Petr. II, 9. — Matth. XX, 16. — Ps. LXXX, 13. — Ezech. XVI, 42.)

Sed hæc nobis ad commonitionem legentium, id est ad eorum exhortationem, ne abhorrescant, etc., ut dictum est, *dicta sunt** *paucis* verbis, magnam sententiam includentibus. *Jam autem veniendum est ad narrationem* rerum gestarum, in quibus adversa gravissima contigerunt populo nostro.

* sint

Igitur Eleazarus unus de primoribus, id est dignioribus majoribusque, *Scribarum*, qui erant legis periti, *vir ætate provectus, et vultu decorus, aperto ore hians* ex violentia persecutorum, volentium eum ad esum carnium porcinarum compellere, *compellebatur carnem porcinam manducare. At ille gloriosissimam mortem*, id est mortem virtuosam pro justitia et lege divina maximæ gloriæ meritoriam, *magis quam odibilem vitam*, id est conversationem vitiosam, *complectens, voluntarie præibat ad supplicium*, ex caritate ad aliorum ædificationem. *Intuens autem*, id est mente perpendens, *quemadmodum oporteret accedere*, id est, quam constanter atque fideliter necesse sit ad martyrium progredi in casu hujusmodi, *patienter sustinens destinavit*, id est, decrevit et deliberavit, *non admittere illicita*, id est non agere contra legis præcepta, *propter vitæ* temporalis *amorem*, quum vita præsens ordinanda sit ad vitam spiritualem æternalem ac gloriosam.

Hi autem qui adstabant, iniqua miseratione commoti, id est compassione fallaci trahente ad vitia, quæ venit non ex spirituali, sed sensuali amore, *propter antiquam viri amicitiam, tollentes eum secreto, rogabant afferri carnes quibus vesci licitum erat* secundum legem ; *et propter veterem amicitiam*, etc. Unde hi videntur fuisse Judæi a lege ad gentilitatem prolapsi. *At ille*, scilicet Eleazarus, *cogitare cœpit ætatis suæ et senectutis eminentiam dignam:* quia non solum longitudine temporum, sed et decore virtutum fuit ornata. Senectus enim venerabilis est non diuturna, etc., ut dicit Sapiens. *Et ingenitæ nobilitatis canitiem*, id est senium suum decoratum virtutibus, prout ingenita sua nobilitas ex Abraham et Patriarchis contracta requirebat : quoniam filius Abrahæ fuit non solum carne, sed et sanctitatis imitatione, secundum quod Christus in Joanne ait Judæis : Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. *Respondit cito :* quia in re tam justa non fuit habenda longa consultatio ; *præmitti se velle in infernum*, id est, per mortem temporalem transire ad limbum patrum. *Non enim ætati nostræ, inquit, dignum est fingere*, id est decens uti simulatione : quæ in tali casu fuisset scandaliza-

(Sap. IV, 8. — Joann. VIII, 39.)

tiva et mortale peccatum, quum pro fidei ac legis divinæ defensione dandum sit testimonium evidens ac sincerum absque confictione. *Quamobrem vitam fortiter excedendo,* id est virtuose ac fideliter finiendo, *senectute dignus apparebo,* id est, ita me habebo sicut meam condecet senectutem, ita ut merito senex appeller. (Is. LXV, 20.) Maledictus enim puer centum annorum. *Si prompto animo pro gravissimis et sanctissimis legibus honesta morte perfungar,* id est, transitorie utar. Dicuntur autem leges Dei gravissimæ, id est honestissimæ ac summe maturæ, quemadmodum homo facetus et honeste se habens, dicitur moribus gravis.

His dictis, confestim ad supplicium trahebatur. Sed quum plagis perimeretur, dixit : Domine, qui habes scientiam, etc., *duros corporis sustineo dolores,* præsertim quia tam senex sum, videlicet nonage- A narius ; *secundum animam vero,* id est superiorem animæ portionem, videlicet secundum mentis dictamen et rationis censuram, et potissime secundum caritatis impulsum, *propter timorem tuum* filialem, qui caritatem includit, *libenter hæc patior,* ne te offendam, aut a te separer. *Et iste hoc modo decessit,* omnibus nobis ædificationem salubrem et grande exemplum relinquens, ut pro Deo, pro fide, pro justitia ad mortem quantumlibet duram simus parati, nec fictione aut duplicitate B detestanda utamur.

Postremo, quoniam juxta doctrinam Apostoli, Corpora nostra templum sunt Spiritus Sancti, (I Cor. VI, 19.) atque in sacris Ordinibus constituti, præsertim consecrati sunt Deo in templum, videamus ne et corpora nostra comessatione et luxuria polluantur, sed omni virtutum exercitio occupentur.

ARTICULUS VII

EXPOSITIO CAPITULI SEPTIMI : CONTIGIT AUTEM SEPTEM FRATRES UNA CUM MATRE SUA APPREHENSOS, COMPELLI A REGE.

CELEBERRIMUM martyrium septem fratrum et venerandæ matris eorum, hic recitatur. *Contigit autem septem fratres una cum matre sua apprehensos, compelli a rege* Antiocho *contingere* * *contra fas,* id est contra præceptum legis comedere, *carnes porcinas, flagris et taureis cruciatos,* id est flagellatos extremitatibus virgularum colligatarum, atque flagellis factis de corio taurorum. *Unus autem ex illis qui erat primus, sic ait : Quid quæris, et quid vis discere a nobis ? Parati sumus mori,* etc. *Iratus itaque rex, jussit sartagines,* id est caldarias magnas, *et ollas æneas succendi ; et ei qui prior fuerat locutus,* qui et primogenitus fuit, *linguam amputari :* quasi peccasset, tam constanter respondendo, per linguam ; *et cute capitis abstracta, summas quoque manus et pe-* C *des,* id est manus et pedes quæ sunt extrema membra in corpore hominis, *præscindi.* Aliqui tamen dicunt, extremitatem manuum ac pedum, id est digitos seu pollices, secundum quod in libro Judicum Adonibezec ait : Septuaginta reges, amputatis manuum ac pedum summitatibus, (Judic. I, 7.) colligebant sub mensa mea ciborum reliquias. *Et quum per omnia inutilis factus esset,* id est ineptus ad opera vitæ præsentis, utpote membris privatus, nec diu vivere potens vita naturæ, *jussit* ei *ignem* D *admoveri,* id est applicari, *et adhuc spirantem,* id est anhelitum trahentem, *torreri in sartagine,* id est cremari et uri in caldaria seu patella.

Quod quum fieret, mater et fratres ejus non terrebantur ; sed desuper confortati, *se mutuo hortabantur fortiter mori* pro

* alias *edere*

Digitized by Google

lege divina, *dicentes : Dominus Deus adspiciet veritatem* vitæ atque justitiæ, et veram fidei sanctæ confessionem approbando, et remunerando hæc omnia, et eos qui veritati et æquitati repugnant, damnando ; *et consolabitur in nobis*, id est, nos consolabitur, atque pro temporali isto tormento gaudia conferet sempiterna. Sancti quoque martyres in ipsis suis martyriis mirabiliter consolantur et exhilarantur desuper in cordibus suis, ita quod consolatio talis frequenter copiose redundat in partem sensitivam, ac tormenta alleviat. *Quemadmodum in protestatione cantici*, id est in cantico suo cum invocatione testificationis cœli ac terræ edito ac prolato, *declaravit Moyses*, in Deuteronomio dicens : *Et in servis suis consolabitur*, id est, consolationem infundet cordibus servorum suorum. Nostra autem translatio
Deut. xxxii, 36. habet, Et in servis suis miserebitur ; et redit in idem, quoniam consolatio ista est miseratio Dei, et misericordiæ ejus effe-
II Cor. i, 3, 4. ctus. Unde et Paulus fatetur : Benedictus Deus, qui consolatur nos in omni tribu-
Ps. xciii, 19. latione nostra. Et Psalmista : Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.

Mortuo itaque illo primo hoc modo, sequentem ducebant ad illudendum, et interrogabant, etc. *At ille* respondit *patria voce : Non faciam*, etc. *Et in ultimo spiritu constitutus*, id est, secundus frater, videlicet primus in ordine post primogenitum, quum passus esset supplicia similia suppliciis fratris sui defuncti, positus in agone et prope ultimam respirationem ac exspirationem, *ait : Tu quidem, scelestissime*, id est vitiosissime, utpote publicus persecutor justorum, et adversarius legis divinæ, crudelissimusque tyrannus, *in præsenti vita nos perdis*, id est interficis; *sed Rex mundi, in æternæ vitæ resurrectione nos suscitabit*, id est resurrectione electorum, quæ erit via ad vitam beatam ac sempiternam in corpore et anima. Quæ resurrectio vocatur immutatio, id est ad melius

A mutatio, juxta illud Apostoli : Omnes qui- I Cor. xv, 51.
dem resurgemus, sed non omnes immutabimur. Christus quoque in Joanne : Proce- Joann. v, 29.
dent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ (haud dubium quin gloriæ); qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii.

Post hunc tertius frater *illuditur*, id est, cum impiorum illorum derisione puniebatur ac illusorie tractabatur. Verumtamen ipse a spe sua non illudebatur, nec stulte, sed sapientissime habuit se. *Et linguam* B *postulatus*, id est, exactus et jussus a tyranno linguam extendere, ut abscinderetur, *cito protulit* eam, tanquam ex corde paratus ad omnium membrorum suorum dilacerationem propter justitiæ defensionem, *et manus constanter extendit* ad amputationem ; *et cum fiducia* æternæ remunerationis, *ait : E cœlo ista possideo*, id est, membra corporis mei a Deo creatore cœlorum accepi et habeo. Ad corporis quoque formationem et organizationem, corpora cœlestia et eorum motores, motu, lumine C et influentia cooperantur, tanquam instrumenta omnipotentiæ ac sapientiæ Creatoris. Videtur autem in hac narratione non servari ordo historiæ, quoniam sanctus martyr iste protulit verba hæc, antequam lingua sua amputabatur. Vel, si lingua abscissa protulit ista, magnum fuit miraculum : quod certum est fieri potuisse Omnipotentis virtute, sicut in novo Testamento multi beatissimi martyres Christi linguis abscissis noscuntur locuti. *Sed propter Dei leges* implendas et defenden- D das, *nunc hæc ipsa despicio*, id est, viliter tractari permitto, et æquitati ac veritati postpono, *quoniam ab ipso* Deo *me ea recepturum spero*, melioranda ac glorificanda quatuor dotibus corporum beatorum : quæ sunt, impassibilitas, claritas, agilitas atque subtilitas. Unde et sanctus Job fas-
sus est : Credo quod Redemptor meus vi- Job xix, 25, 26.
vit, et in novissimo die de terra surrecturus sum ; et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum salvatorem meum.

Digitized by Google

Et hoc ita defuncto, quartum vexabant similiter torquentes. Et quum esset ad mortem, id est quartus frater morti jam proximus, *ait : Potius est, ab hominibus morti datos, spem exspectare a Deo, iterum ab ipso resuscitandos :* id est, eos qui ab hominibus adjudicati sunt morti propter justitiam, melius est exspectare a Deo promissam salutem, qui et resuscitandi sunt a Deo in die novissimo ; quam aliquid aliud huic contrarium facere. *Tibi enim resurrectio ad vitam non erit,* id est, non resurges in fine sæculi resurrectione beatæ immutationis seu gloriæ immortalis, sed resurrectione judicii condemnationis : quæ est mors secunda et infernalis. (*Apoc.* xx, 14.) Omnes tamen resurgent ad vitam naturæ perpetuam. Istud autem intelligendum fuit sub conditione, videlicet nisi Antiochus pœniteret ; vel per modum comminationis aut propheticæ denuntiationis.

Et quum admovissent quintum fratrem ad pœnam, *vexabant eum. At ille respiciens in eum, dixit : Potestatem inter homines habes, et quum sis corruptibilis, facis quod vis. Noli putare genus nostrum,* scilicet populum Judæorum, *a Deo esse derelictum* finaliter aut omnino; vel quantum ad animarum salutem, quia hæc ipsa castigatio et persecutio nostra, est nobis causa coronationis æternæ, et signum dilectionis divinæ ad nos. *Tu autem patienter sustine,* id est, ad tempus et instar patientium præstolare, *et videbis magnam potestatem ipsius,* id est, omnipotentiam Dei per effectum diræ ultionis experieris, *qualiter te et semen tuum torquebit.* Hoc quasi prophetice dictum videtur, quia in brevi post hæc Antiochus durissime fuit plagatus, (II *Mach.* ix, 5 *et seq.*) et infelicissime in gravissimis exspiravit tormentis, atque deinceps deputatus fuit æternis suppliciis. Filius quoque ejus Antiochus cum suo cognato Lysia fuit occisus. (I *Mach.* vii, 2, 4.) Similiter Alexander filius filii ejus; (*Ibid.* xi, 17.) deinde Antiochus filius Alexandri, (*Ibid.* xiii, 31.) et multi de cognatis eorum. Possunt etiam per semen, omnes ejus imitatores intelligi.

A *Post hunc ducebant sextum, et is,* scilicet sextus frater, *mori incipiens, sic ait : Noli frustra errare,* putando quod absque fructu hæc patiamur et sine dispositione providentiæ Dei. *Nos enim propter nosmetipsos hoc patimur,* pro nostra purgatione et coronatione, *peccantes in Deum nostrum :* per quod meruimus ista pati. Verumtamen frater iste hoc dixit in persona populi sui prævaricantis potius quam in sua persona, quemadmodum Esdras ait in sua peroratione : Deus meus, erubesco (I *Esdr.* ix, 6.) B faciem meam levare ad te, quia peccata nostra creverunt usque ad cœlum. *Et digna admiratione facta sunt in nobis,* id est adversa miranda. *Tu autem ne existimes tibi impune futurum,* id est sine ultione dissimulandum aut pertranseundum, *quod contra Deum pugnare tentaveris,* destruendo cultum ipsius, et ejus occidendo cultores : quibus ait per Zachariam, Qui (*Zach.* ii, 8.) tetigerit vos, tanget pupillam oculi mei. Unde et in Deuteronomio asseritur : Quia (*Deut.* xxxii, 43.) sanguinem servorum suorum ulciscetur. C Hinc primo Regum libro inducitur : Si (I *Reg.* ii, 25.) peccaverit vir in virum, placari ei poterit Dominus ; si autem in Dominum peccaverit, quis orabit pro eo ?

Supra modum autem communem, *mater* fratrum istorum *mirabilis,* propter excellentiam suæ virtuositatis : cui nec in lege naturæ, neque in lege Mosaica legitur aliqua par fuisse, quantum ad fortitudinem hujus constantiæ in filiorum martyrizatione; *et bonorum memoria,* id est sanctorum hominum commemoratione *digna* D ut eam sibi in exemplum proponant patientiæ ac virtutum; *quæ pereuntes,* id est mortem patientes, *septem filios conspiciens, bono animo ferebat,* id est, æquanimiter tolerabat, *propter spem quam in Deum habebat,* id est propter speratam beatitudinem, quam exspectavit a Deo dandam sibi ac filiis suis, quam ex caritate ipsis optavit. *Singulos illorum hortabatur patria voce,* id est lingua materna, vel patrum sanctorum exhortatione, *fortiter, repleta sapientia,* id est dono sapientiæ et

Digitized by Google

illuminatione superna, qua contemplabatur divina, cœlestia et æterna : quorum intuitu et amore vilipendit carnalia et caduca ; *et femineæ cogitationi,* qua interdum ex primis motibus cœpit præsentibus filiorum suorum doloribus molliter ac muliebriter condolere, *masculinum animum inserens,* id est viriles considerationes adjiciens, atque virtutum motus et effectus admiscens, per quas refrenavit ac vicit cogitationes et compassiones femineas, *dixit ad eos :*

Nescio qualiter in utero meo apparuistis, id est, qualiter sitis concepti, aucti et animati in ventre meo, ita quod per uteri mei tumorem, et corpusculorum vestrorum motionem, cœpit innotescere vos in alvo meo consistere. Nempe qualiter anima creetur ac infundatur, intellectus non capit humanus. *Neque enim ego spiritum et animam donavi vobis et vitam, et singulorum membra non ego compegi,* id est, membra vestra non formavi, sed Deus per causas secundas. Unde et sanctus Job lo-
Job x, 8. quitur Deo : Manus tuæ formaverunt me, et plasmaverunt me totum in circuitu.
Eccle. xi, 5. Hinc scriptum est in Ecclesiaste : Quomodo ignoras quæ sit via spiritus, et qua ratione compingantur ossa in ventre prægnantis; sic nescis opera Dei qui fabricator est omnium. *Neque enim ego spiritum,* id est mentem, *et animam* rationalem, id est animam ipsam formam substantialem, corpus vivificantem, animantem, regentem, in qua est mens et inferiores sensitivæque vires, *et vitam* naturæ aut gratiæ, *vobis donavi.* Anima etenim rationalis non est ab intra, neque ex traduce, sed per creationem et infusionem a Deo. Itaque per hæc verba non est intelligendum, quod in homine sint duæ aut plures formæ substantiales; sed anima una, plurium virium contentiva. Juxta quem modum ait
I Thess. v, 23. Apostolus : Deus pacis sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus vester et anima et corpus servetur. *Sed est mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem,* id est, fontaliter ex sapientia et omnipotentia sua instituit modum et processum generationis humanæ. Propter quod sanctus Job ait ad Dominum : Nonne sicut lac mulsisti Job x, 10.
me, et sicut caseum me coagulasti ? etc. *Quique omnium invenit,* id est, aliunde non accepit nec didicit, sed ex fonte sapientiæ suæ immensæ instituit, *originem,* hoc est exordium et processum cunctorum, inceptionem, cursum et ordinem universorum. Juxta hunc sensum in Baruch scriptum est : Qui fecit stellas, hic adin- Baruch III, 35, 37.
venit omnem viam disciplinæ. Apostolus quoque : Ex ipso, inquit, et per ipsum, et Rom. xi, 36.
in ipso sunt omnia. Atque Isaias : Cum Is. xl, 14.
quo iniit consilium, et instruxit eum ? *Et spiritum vobis iterum cum misericordia reddet et vitam,* id est, in resurrectione futura misericorditer rursus conjunget animas vestras intellectuales corporibus vestris : sicque vitam restituet vobis, et glorificabit corpus et animam; *sicut nunc vos ipsos despicitis,* id est, morti huic despicabili exponitis, *propter leges ejus,* id est, ut ejus impleatis præcepta.

Antiochus autem contemni se arbitratus a fratribus interfectis, a quibus fuit acriter increpatus, imo et aspernatus secundum quod vitiosus : juxta illud in Psalmo, Ad nihilum deductus est in con- Ps. xiv, 4.
spectu ejus malignus; *simul et exprobrantis voce despecta,* id est, despiciens ipse Antiochus verba fratrum exprobrantium sibi, sicut despexit eorum personas. Sicque reputavit se despectum, primo, quia sic fuit reprehensus ab illis; secundo, quia a tam vilibus secundum suam æstimationem fuit contemptus. *Quum adhuc adolescentior superesset,* ut saltem vinceret illum sua persuasione, *non solum verbis hortabatur, sed et* [*cum*] *juramento affirmabat se divitem et beatum facturum illum,* id est prosperum in præsentibus bonis, et felicem secundum suam superstitionem.

Sed quum ad hæc adolescens nequaquam inclinaretur, vocavit rex matrem, ut adolescenti fieret in salutem, id est, persuaderet filio suo evadere mortem, et

Digitized by Google

sanitatem ac prosperitatem hujus vitæ eligere. *Quum autem multis verbis eam esset hortatus, promisit se* mater *suasuram filio suo,* non tamen secundum regis intentionem, sed secundum veram dilectionem. Suasit etenim filio suo, ut veram amplecteretur salutem, et propter eam subiret mortem. *Et ait* filio : *Miserere mei,* id est, non permittas me in maximum labi mœrorem, obediendo huic tyranno, *quæ te novem mensibus in utero portavi,* etc. *Peto, nate, ut adspicias ad cœlum et terram, et ad omnia quæ in eis sunt, et intelligas quia ex nihilo fecit illa Deus* omnia. *Ita fiet,* id est, ex hoc concipies tantum timorem, dilectionem, et venerationem ad proprium Creatorem, *ut non timeas carnificem istum,* qui sic dilaniat homines, sicut carnifices bruta ; *sed dignus fratribus tuis effectus particeps,* id est, per constantiam promerens eorum frater vocari, non solum carne, sed et religione atque martyrio, *suscipe mortem* patienter et libenter propter Deum, *ut in illa miseratione,* id est in futura pia remuneratione ac coronatione, *cum fratribus tuis te recipiam,* id est, tibi rursus conjungar, et nunquam amplius a te separer, atque ex tua associatione plenius glorier ac jucunder, consors et particeps gloriæ tuæ : et tanto plus, quanto magis te diligo, et quo plus tibi cooperata sum ut pervenires ad tam beatificum finem.

Quum hæc illa tam optima ac strenuissima mater Spiritu Sancto repleta, *adhuc diceret, ait adolescens,* inflammatus eloquio dilectissimæ ac fidelissimæ matris : *Quid* sustinetis ?* quasi dicat : Inaniter exspectatis quod acquiescam persuasionibus regis. *Non obedio præcepto regis* in re tam illicita, *sed præcepto legis. Tu vero,* Antioche, *qui inventor omnis malitiæ factus es in Hebræos,* id est excogitator et inflictor tantæ persecutionis ac seductionis et subversionis in populum Judæorum, quorum multos crudelissime occidisti, multos a lege Dei ad idololatriam pertraxisti, *non effugies manum Dei,* id est potestatem ejus

* Quem

A vitia ulciscentem. *Nos enim pro peccatis nostris hæc patimur :* juxta sensum præhabitum ; *et si nobis propter increpationem et correptionem Dominus noster modicum iratus est,* id est, quia ex sua justitia castigavit nos propter peccata nostra citra condignum in sæculo isto, ne æternaliter pereamus, *sed iterum reconciliabitur servis suis,* id est, castigatis ignoscet, et post tot adversa tribuet prospera. *Tu autem, scelesle, id est scelerate, et omnium hominum flagitiosissime,* vel absolute, vel
B quantum ad aliquid, præsertim quantum ad homines tunc viventes, *noli frustra extolli vanis spebus,* id est confidentiis falsis, quibus præsumis te magna et felicia atque victorias jugiter adepturum, *in servos ejus inflammatus,* id est, ira, odio, persecutione accensus contra Dei cultores. *Non enim omnipotentis Dei judicium effugisti. Nam fratres mei modico dolore nunc sustentato,* id est tolerato isto temporali mortis supplicio parvo, tam respectu præmii gloriosi ac sempiterni, quam
C infernalis tormenti, *sub testamento æternæ vitæ effecti sunt,* id est, sub firma promissione et certa exspectatione beatificæ fruitionis sunt constituti, quam in sinu Abrahæ infallibiliter præstolantur. *Tu vero judicio Dei justas superbiæ tuæ pœnas exsolves. Ego autem trado* me, *invocans Deum maturius,* id est cum gravitate internæ affectionis ; vel quod ait, Maturius, refertur ad verba sequentia, *genti nostræ propitium fieri,* id est, rogans Deum, ut celerius fiat clemens, et misericorditer
D agens populo Judæorum, *et te cum tormentis et verberibus,* id est plagis divinæ ultionis, *confiteri, quod ipse est Deus solus.* Hoc post paucos annos fuit impletum, et sic fuit exaudita oratio hujus sancti et magnanimi adolescentis, zelo justitiæ istud rogantis. *In me autem et in fratribus meis desinet Omnipotentis ira,* præsertim quum ad beatificam Dei pervenerimus visionem. Nam et in patribus exsistentibus in limbo, aliquo modo videtur mansisse ira Dei, in quantum propter originalis

II Mach. II. 5 et seq.

Digitized by Google

peccati reatum retardabantur a gloria : quæ retardatio fuit quædam peccati illius vindicta, et hæc ira Dei vocatur.

Tunc rex accensus ira, in hunc crudelius desævit, etc. *Novissime autem et mater post filios consumpta est,* id est feliciter mortua, et (ut creditur) martyrizata.

His verbis Magister in historiis addit : Pro hac tanti prærogativa martyrii, asserunt plurimi, de his septem fratribus Ecclesiam solennizare.

Præterea, si in veteri Testamento, janua regni cœlestis nondum aperta, tam fervidi erant electissimi fratres isti ad sustinendum tam acerbum martyrium : quanto magis sub evangelica lege, aditu regni superni patefacto, debemus esse fervidi ac parati ad tolerandum quæcumque adversa, imo et amarissimas mortes pro Deo?

A Amplius, hujus venerandæ matris exemplo discant parentes sobolem suam vero, sancto et spirituali, non carnali aut sensuali amore diligere, eamque salubriter informare, nec a religionis ingressu (quæ est mors civilis atque martyrium quoddam) retrahere. Postremo, quoniam septenario universitas designatur, possunt per septem hos martyres, universi evangelicæ legis martyres figurari. Et sicut post martyres illos consummata est mater eorum, ita post eorum martyria qui in fine mun- B di sunt ab Antichristo et suis ministris martyrizandi, sancta mater Ecclesia consummabitur tota in gloria plena. Demum in novo Testamento invenitur simile præfato martyrio in beatissima femina Felicitate, et septem filiis ejus martyribus gloriosissime coronatis.

ARTICULUS VIII

ELUCIDATIO CAPITULI OCTAVI : JUDAS VERO MACHABÆUS, ET QUI CUM ILLO ERANT, INTROIBANT LATENTER IN CASTELLA.

QUONIAM Deus gloriosus post tempestatem tranquillitatem largitur, describitur hic qualiter populum suum lamentabiliter conculcatum cœpit mirabiliter exaltare, fecitque triumphare. Et quæ hic
I Mach. III, IV. scribuntur, in primo libro præhabita sunt. *Judas vero Machabæus, et qui cum illo erant,* videlicet fratres et consanguinei ejus, et qui in Judaismo permanserunt, *introibant latenter in castella* Judææ, quæ gentiles ministri Antiochi obtinuerunt et inhabitaverunt ad tempus injuste. Idcirco latenter et nocturnis temporibus ac per insidias poterant expugnari. *Et invocabant Dominum, ut vocem sanguinis ad se clamantis audiret.* Oppressio enim et interfectio innocentium, est unum de quatuor peccatis clamantibus ante Deum, quæ specialiter exigunt desuper fieri ultionem.

C *Videns autem Philippus,* quem Antiochus in Jerusalem posuit principem ad II Mach. V, 22.
affligendum Judæos, ut dictum est ante, *paulatim virum ad provectum* * *venire,* id *profectum
est Judam successive magis ac magis prævalere, *ad Ptolemæum ducem Cœlesyriæ et Phœnicis scripsit.* Quæritur, an iste Philippus, fuerit cui in primo libro legitur Antiochus suum filium commisisse. I Mach. VI, 14, 15.
Et dicunt quidam, quod imo. Contra quos objicit quidam : Primo, quoniam iste Philippus fuit in Jerusalem ; alius autem, cum D rege in Perside, quando factum est bellum istud. Secundo, quoniam iste fuit Phryx natione, ut patuit ante ; alter autem erat collactaneus Antiochi, ut capitulo fertur sequenti. II Mach. V, 22. Ibid. IX, 29.
Sed istæ objectiones videntur inanes. Si enim bene pensentur quæ hic et tertio primi libri capitulo scripta sunt, I Mach. III, 31 et seq.

Digitized by Google

missio ista ad Ptolemæum facta per Philippum, præcessit iter Antiochi ad Persidem. Ad aliam posset quis dicere, quod Philippus iste ex uno latere exstitit Phryx, ex alio collactaneus regis. Verumtamen parva est vis, an fuerit idem an alter.

At ille, scilicet Ptolemæus, *velociter misit Nicanorem, datis ei viginti millibus,* etc., *adjuncto Gorgia.* Videtur ista historia dissonare a dictis in primo libro, quum I *Mach.* III, 38, 39. scriptum sit ibi : Elegit Lysias Ptolemæum et Nicanorem et Gorgiam, et misit cum eis quadraginta millia virorum et septem millia equitum. Porro, quod hic et ibi de eodem bello fit sermo, constat ex eo quod *Ibid.* 41. additur ibi et hic de conventione mercatorum ad emendum Judæos, quos præsupponebant vincendos. Nam subditur hic : *Constituit autem Nicanor regi,* id est, ad commodum regis Antiochi ordinavit, vel regi ante suum recessum asseruit, *ut tributum quod erat dandum Romanis,* quibus tributarius fuit Antiochus, *de captivitate Judæorum suppleret,* id est, de pecunia quam accepturum se præsumpsit pro Judæis vendendis, *promittens se nonaginta mancipia,* id est servos seu supposita, *Judæorum, talento distracturum,* id est pro uno talento daturum ac undique dispersurum. Ad istud respondendum videtur, quod Philippus primo scripserit Ptolemæo, a quo missa fuerunt viginti millia : quibus paulo post, ante congressum contra Judam, Lysias addidit alia viginti millia, et equitum millia septem.

Ex quibus, scilicet Judæis cum Juda exsistentibus, *quidam formidantes,* propter multitudinem adversariorum, *et non credentes divinæ justitiæ,* id est non satis sperantes quod justitia Dei eis auxiliaretur, eorumque inimicis adversaretur, *in fugam vertebantur. Alii vero Dominum deprecabantur, ut eriperet eos de impio Nicanore, qui eos priusquam cominus,* id est prope, *veniret, vendiderat* dicendo, quod daret nonaginta mancipia Judæorum pro talento ; *et si non propter eos,* id est, si non propter ipsorum merita, sed tamen A *propter testamentum quod erat ad patres eorum,* id est propter conservationem veteris Testamenti in suo vigore, vel propter adimpletionem promissionis factæ Patriarchis de conservanda eorum posteritate.

Convocatis autem Machabæus septem millibus, qui cum ipso erant. Contra hoc objici potest, quoniam primo libro habetur, quod erant tria millia tantum. I *Mach.* IV, 6. Respondetur, quod ibi numerantur qui ceteris magis erant armati. *Rogabat* ut *fortiter* B *contenderent,* id est, pugnarent, *ante oculos habentes,* id est recordantes, *contumeliam quæ in loco sancto esset illata,* id est, quam perfidi illi intulerant templo ; *itemque injuriam civitatis* Jerusalem *habitæ ludibrio* et contemptui ; *adhuc etiam veterum instituta convulsa,* id est, præcepta patribus data, esse violata. Vel, per veterum instituta, intelligendæ sunt ordinationes aliquæ a Judæorum senioribus factæ. Itaque, propter tanta adversariorum facinora, eos crederent expugnandos. *Ad-* C *monuit autem eos de auxiliis Dei,* id est, qualiter Deus adjuvit frequenter patres eorum, sicut in Exodo, Judicum, Regum, et Paralipomenon libris narratur ; *et de prælio quod eis adversus Galatas fuit in Babylonia, ubi ut ad rem,* id est ad pugnam, *ventum est, Macedonibus sociis hæsitantibus,* id est metuentibus Macedonibus exsistentibus cum Judæis, *ipsi* Judæi *soli* exsistentes *sex millia, peremerunt centum viginti millia.* De isto bello non legitur alibi in Scripturis, neque in Jose- D pho : et tamen mirabilius fuisse videtur, quod in primo libro leguntur tria millia *Ibid.* XI, 44, 48. Judæorum missa a Jonatha regi Demetrio, occidisse in Antiochia centum millia hominum.

Constituit itaque fratres suos duces utrique ordini, unicuique eorum commisso. Et dicunt aliqui, quod in quolibet ordine seu acie erant aliqui equites, et quidam pedestres, quum tamen nec in isto, neque in libro primo legatur Judas equis usus in præliis. *Simonem et Josephum et Jonathan.*

Digitized by Google

Josephus iste dicitur fuisse is, qui primo [A] [I Mach. II, 5.] libro Eleazarus appellatur : quem duodecimo libro Antiquitatum Josephus nominat † Saphum. *Ad hoc etiam ab Esdra lecto sancto libro.* Iste fuit alter ab Esdra de Babylone reverso. Itaque Esdras iste legit ex libro Moysis aliqua verba pro pugnatorum confortatione, juxta illud Deuteronomii [Deut. XX, 2-4.] : Appropinquante prælio, stabit sacerdos ante aciem, et loquetur : Audi, Israel, nolite timere, quia Dominus in medio vestri est. *Et dato signo de adjutorio Dei* eis mox adfuturo. Quod signum potuit esse [B] clangor tubarum in ipso congressu, juxta [Num. X, 9.] illud Numerorum : Si exieritis ad bellum, clangetis ululantibus tubis, et erit recordatio vestri coram Domino, ut eruamini de manibus inimicorum vestrorum. *In prima acie ipse dux,* scilicet Judas, *commisit cum Nicanore,* id est contra Nicanorem et aciem ejus. *Et facto sibi adjutore Omnipotente, interfecerunt* Judas et sui *super novem* [I Mach. IV, 15.] *millia hominum.* Verumtamen primo libro habetur, Tria millia. Ad quod respondetur, quod in acie Nicanoris tria millia corrue- [C] runt; in toto autem adversariorum exercitu, novem millia. *Sed reversi sunt* Judas et sui *hora conclusi,* id est detenti, quoniam imminebat hora in qua cœpit celebratio sabbati : in quo quamvis potuerunt pugnare se defendendo, non tamen sponte et sine necessitate alios invadendo aut insequendo.

Et ex his qui cum Timotheo et Bacchide erant contra se contendentes, id est contra ipsos Judæos pugnantes, *super viginti millia interfecerunt* Judæi cum principe suo Juda. De isto bello habetur primo libro [I Mach. V.]. Ibi tamen habetur, Octo millia; sed additur ibi de alio bello, et poterant simul esse plus quam viginti millia. Ibi tamen non fit sermo de Bacchide; putantque aliqui quod Bacchides iste sit alter ab illo, quem in primo libro legitur cum Alcimo [Ibid. VII, 8, 9.] misisse Demetrius. *Et quum arma eorum collegissent, diligenter omnia composuerunt in locis opportunis,* ut suo tempore uterentur eisdem.

Et quum epinicia, id est festa de victoriis contra hostes obtentis, ad regratiandum Deo, *agerentur in Jerusalem, eos qui sacras januas* templi *incenderant, id est, Callisthenem,* qui fuit in hoc principalis, *incenderunt,* etc. *Facinorosissimus autem Nicanor, qui mille negotiantes,* id est mercatores, *ad Judæorum venditionem* a se faciendam *adduxerat.* Porro an mercatores illi fuerunt mille dumtaxat, an plures, ita quod ponatur hic numerus determinatus pro indeterminato, videtur ambiguum. *Humiliatus auxilio Domini ab his, quos nullos existimaverat, deposita veste gloriæ,* id est veste sua pretiosa, ne agnosceretur, *per mediterranea fugiens* secretius quo valebat, *solus venit Antiochiam,* etc., vel quia omnino solus, vel quia cum paucis venit illuc ; *et prædicabat protectorem Deum habere Judæos.* Hoc dixit, suam dejectionem excusando magis quam Deum laudando.

ARTICULUS IX

EXPLANATIO CAPITULI NONI : EODEM TEMPORE ANTIOCHUS INHONESTE REVERTEBATUR DE PERSIDE.

Mors sceleratissimi Antiochi hoc loco [D] describitur. *Eodem tempore Antiochus inhoneste revertebatur de Perside. Intraverat enim eam* urbem *quæ dicitur Persepolis,* quæ primo libro Elymaides nuncupatur [I Mach. VI, 1-3.] : quam cur introierit, dictum est ibi. *Et quum venisset circa Ecbatanam* civitatem, etc. : de qua fit mentio in Judith

Digitized by Google

Judith i, 1-3; I Esdr. vi, 2. et Esdræ libris. *Jussit agitari currum sine intermissione :* ut molestiam sibi factam in Judæis ulcisceretur ; *cœlesti eum judicio perurgente,* id est, Deo cœli justo judicio permittente impium illum sic furere contra Judæos; et ex consequenti præcipere currum sic agitari, ad quod consecuta est ruina et conquassatio corporis sui : quod fuit effective a Deo, qui permisit illum sic insanire, quatenus hanc plagam incurreret, *eo quod ita superbe locutus est venturum se Jerosolymam, et congeriem,* id est collectionem et cumulum, *sepulcri Judæorum eam facturum,* hoc est, quod occideret universos in Jerusalem commorantes Judæos, ita quod ipsa fieret occisorum sepulcrum.

Sed qui universa conspicit Dominus Deus, percussit eum insanabili et invisibili plaga, quæ intra viscera fuit latens. Non tamen fuit correctus. *Ut enim finivit hunc sermonem, apprehendit eum dolor dirus viscerum. Et quidem satis juste,* etc. *Super hæc autem et superbia repletus, ignem* iracundiæ, indignationis, impatientiæ, *animo spirans,* id est evaporans animo, id est corde et etiam corpore per verba comminatoria turbulentosque gestus, *in Judæos :* sicut de nequissimo Daciano sanctus recitat Augustinus ; *contigit illum impetu euntem,* id est celerrime procedentem in sua quadriga, *de curru cadere :* et forsan currus reversabatur. *Isque qui sibi videbatur fluctibus maris imperare, supra humanum modum superbia repletus, et montium altitudines in statera appendere,* etc., id est, tam superbe se habuit, ac si hoc putasset. Estque iste sermo hyperbolicus, ad innuendum inhumanum fastum et arrogantiam ejus. *In gestatorio,* id est instrumento facto ad portandum, *portabatur.*

Hinc ergo cœpit ex gravi deductus superbia, id est ex detestabili et importabili elatione ad extremam calamitatem dejectus, *ad agnitionem sui venire :* juxta illud Isaiæ, Tantummodo sola vexatio dabit intellectum auditui. Unde per Jeremiam Dominus : Castigo te, inquit, ne tibi innoxius videaris. *Et ait : Justum est subditum esse Deo,* cujus justam vindictam in me ipso experior, *et mortalem non paria Deo sentire :* ex quo apparet, quod divinum quid impie sensit de se. *Orabat autem scelestus hic Dominum, a quo non esset misericordiam,* id est veniam peccatorum et gratiam, *consecuturus :* quoniam ejus oratio et pœnitentia non provenit ex zelo justitiæ, neque ex caritate, neque ex odio culpæ, sed ex timore pure servili, et desiderio evadendi afflictiones corporales quas incidit. Sic et de Esau scribit Apostolus, quod non invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrimis inquisisset eam. Deinde multa et magna promisit, ut misericordiam consequeretur, id est curationem et evasionem suppliciorum divini judicii. *Et civitatem* Jerusalem, *quam* paulo ante volebat facere *sepulcrum congestorum,* id est Judæorum occisorum simul accumulatorum, *optat reddere liberam* a tributo, *ac Judæos æquales* in privilegiis *Atheniensibus facere pollicetur.* Erant quippe Athenienses privilegiati et liberati in multis, quoniam philosophiæ studium viguit ibi.

Is. xxviii, 19. — Jer. xxx, 11. — Hebr. xii, 17.

Et *desperans* de sua curatione : nam sensit dolores suos augeri assidue; *scripsit Judæis,* in quos scivit se gravius excessisse : *Optimis civibus Judæis plurimam salutem,* etc. *Si ex sententia cuncta vobis sunt,* id est, omnia prospere ad libitum vestrum vobis eveniunt, *maximas agimus gratias. Et ego infirmitate gravi apprehensus, non desperans memetipsum.* Jam dictum est, quod scripsit desperans de sua curatione. Ideo videtur ista mendaciter loqui, præsertim quum subdat, *sed spem multam habens effugiendi infirmitatem.* Ex quibus etiam verbis elicitur, quod timore mortis et desiderio corporalis sanitatis, dixit et scripsit atque pœnituit, non amore virtutum.

Respiciens autem, id est ego perpendens, *quod pater meus* Antiochus Magnus *ostendit, qui post se susciperet principatum,* scilicet quod Seleucus filius ejus senior succederet sibi in regno, *ut si quid contra-*

rium accideret aut difficile nuntiaretur, A
id est, si aliqua ardua et adversa negotia evenirent, *scientes hi qui in regionibus erant,* id est habitatores regionum ipsius, *cui esset summa rerum derelicta,* id est gubernatio regni commissa, *non turbarentur* immoderate, videlicet certi ad quem deberent recurrere in talibus causis. *Ad hæc considerans de proximo potentes quosque et vicinos,* id est reges aut principes in gyro regni mei habitantes, *insidiari temporibus,* id est observare quibus temporibus possent regnum meum commodius B
impugnare, *et eventum exspectantes,* id est opportunitatem seu effectum, in quo hoc possent implere: quod maxime esset, quando non sciretur quis esse deberet successor meus in regno : ideo *designavi Antiochum filium meum regem,* id est, institui quod ipse mihi succedat in regno, *quem sæpe, recurrens in superiora regna,* scilicet Persarum atque Medorum aut aliorum, *multis vestrum commendavi.* Istud videtur blandum magis quam verum. *Et scripsi ad eum quæ subjecta sunt* in epistola ei C
missa.

Oro itaque vos memores beneficiorum publice et privatim, id est, rogo ut vos ipsi, recordantes beneficiorum quæ vobis exhibui manifeste et in privato (quæ tamen beneficia pauca aut nulla fuisse videntur: nisi forsan ante confirmationem suam in regimine, quando suam occultans malitiam, cunctis se præbuit gratiosum), *ut unusquisque vestrum conservet fidem,* id est fidelitatem, *ad me et ad filium meum. Confido enim eum modeste et humane actu-* D
rum : quod utique spectat ad regem, ne abutatur magnitudine potestatis, et clementia decoretur. Unde et rex apum caret aculeo. *Et sequentem propositum meum, communem vobis fore,* id est pium et justum, sicut et ceteris, ne personarum acceptor exsistat.

Igitur homicida et blasphemus, pessime, id est atrocissime, nec ad salutem, *percussus a Deo, miserabili obitu vita defunctus est,* id est vita privatus. Unde elicitur, quod non vere pœnituit. *Transferebat autem corpus* ejus de loco illo ad sepulcrum patrum suorum, *Philippus collactaneus ejus,* id est eodem lacte nutritus : de quo primo libro plenius continetur. Dicitur autem hic, quod Antiochus obiit in montibus. Nihilo minus præallegato capitulo legitur decidisse in lectum, videlicet post lapsum de curru, de quo ibi nil legitur. *Qui metuens Antiochi filium, ad Ptolemæum Philometorem,* regem Ægypti, qui fuit filius Ptolemæi Epiphanis, *abiit.* Primo tamen venit et occupavit Antiochiam, et præfuit ibi. Filius autem Antiochi adhæsit Lysiæ, et opposuit se Philippo, et eum in Antiochia oppugnavit : quam contra regem tenere non valens, fugit, ut dictum est, in Ægyptum.

I. Mach. VI, 14, 15, 55, 56. — Ibid. 8. — Ibid. 63. — Ibidem.

Ex isto docemur capitulo, quam metuenda sint Dei judicia, et quam multa ad veram requirantur contritionem. Quod item plurimi videntur pœnitere in angustiis et extremis, non tamen salubriter : quoniam ex servili timore, non ex dilectione nec zelo justitiæ; nec sincere, quoniam Deum offenderunt, sed propter mala pœnalia et æterna supplicia, quæ sibi imminere verentur. Tempore ergo sanitatis et juventutis est pœnitendum.

Digitized by Google

ARTICULUS X

DECLARATIO CAPITULI DECIMI : MACHABÆUS AUTEM, ET QUI CUM ILLO ERANT.

PURGATIO templi, et varia bella Machabæi, hic describuntur. *Machabæus autem, et qui cum illo erant, Domino se protegente, templum et civitatem* Jerusalem *recepit,* id est recuperavit. *Aras autem,* etc. Ista plenius sunt descripta atque
I Mach. iv, 36 et seq. exposita primo libro : idcirco pertranseundum. *Et de ignitis lapidibus igne concepto,* id est excusso. Dicuntur autem igniti lapides, qui duri et apti sunt, ut ignis excutiatur ex eis. *Rogabant Dominum, ne amplius malis talibus inciderent,* id est, tam feroces persecutiones et clades a perfidis sustinerent; *sed ab ipso mitius corriperentur, et non barbaris et blasphemis hominibus traderentur.* Ita et David ait :
II Reg. xxiv, 14. Melius est mihi incidere in manus Domini (multæ enim miserationes ejus), quam in manus hominum. In libro Judicum filii Israel etiam leguntur Deo offenso dixisse:
Judic. x, 15. Redde tu nobis quidquid tibi placet. *Thyrsos,* id est baculos seu medios frutices, ex quibus rami hinc inde procedunt ac oriuntur, *et ramos præferebant ei,* id est, adducebant ad reverentiam Dei, *qui prosperavit mundare locum suum,* id est, prosperum dedit successum purgandi templum per Judam et suos.

Hic, scilicet filius Antiochi, *suscepto regno, constituit super negotia regni Lysiam quemdam.* Et Antiochus pater hujus Antiochi constituit super negotia regni in
I Mach. vi, 14. magna parte Philippum, ut libro primo dictum est. Antiochus vero filius præfati
Ibid. 17. Antiochi, a Lysia nutritus, præfecit eum totius regni negotiis. *Nam Ptolemæus qui dicebatur,* id est cognominatus est, *Ma-*
II Mach. iv, 21. *cer :* nam supra facta est mentio de alio Ptolemæo; *justi tenax erga Judæos esse constituit,* id est, decrevit se juste habere,

A non tyrannice neque inique, circa Judæos. Condoluit enim eorum miseriis et pressuris, quas ab Antiocho et ejus ministris sustinuerunt. Idcirco non voluit eos injuste gravare. Hinc subditur : *et præcipue propter iniquitatem,* id est iniquam oppressionem, *quæ facta erat in eos; et pacifice cum eis agere* voluit. *Sed ob hoc accusatus ab amicis,* vel suis, vel Antiochi regis: de quo subditur, *apud Eupatorem,* id est Antiochum Antiochi Nobilis filium; *quum frequenter proditor audiret,* id est, quum
B sæpe audiret se proditorem vocari; vel, quum Antiochus Eupator audiret multoties, quod Ptolemæus iste proditor esset, *eo quod Cyprum sibi creditam,* id est suæ commissam custodiæ *a Philometore* rege Ægypti, *deseruisset, et ad Antiochum Nobilem translatus,* id est sponte profectus, et de ejus familia factus, *etiam ab eo recessisset,* non satisfaciendo ejus crudelitati circa Judæos, *veneno vitam finivit :* et sic injuste interfectus est, saltem quoad causam Judæos respicientem.

C *Gorgias autem, quum esset dux locorum,* id est princeps aliquarum terrarum vel urbium circa Judæam, *assumptis advenis,* id est extraneis ad ejus auxilium confluentibus, *frequenter Judæos debellabat* quosdam, videlicet quos hinc inde improvise invasit. *Judæi vero qui tenebant opportunas munitiones,* id est congrua fortalitia in Judæa, *fugatos ab Jerosolymis* gentiles, id est a Juda aut suis inde expulsos, *suscipiebant* ad pugnandum adversus eos. *Hi vero qui erant cum Machabæo,*
D *multa vi insistentes,* id est valde fortiter obsistentes, *loca obtinuerunt,* id est, fortalitia Idumæorum, quibus præerat Gorgias, expugnaverunt. *Machabæus ad eas, quæ*

Digitized by Google

amplius perurgebant, pugnas conversus est, id est, contra fortiores adversarios, et contra impugnationes acriores personaliter dimicavit : in quo patet strenuitas et audacia ejus.

Hi vero qui cum Simone erant, id est Judæi exsistentes cum Simone fratre Machabæi, *cupiditate ducti, a quibusdam qui in turribus erant, suasi sunt pecunia ; et septuaginta millibus didrachmis acceptis, dimiserunt quosdam,* id est, pecuniam acceperunt a quibusdam gentilibus obsessis in turribus, quos permiserunt *effugere.* B *Quum autem Machabæo nuntiatum hoc esset, congregatis principibus,* id est ducibus sui exercitus, quos sibi substituit, *accusavit quod pecunia fratres vendidissent,* id est, quod pro pecunia permiserunt fugere multos gentiles, qui postea occiderunt Judæos, sicque illorum evasio fuit occisorum ab eis Judæorum perditio. *Hos ergo* Judæos *proditores factos* per acceptionem pecuniæ pro adversariorum evasione, *interfecit* Judas.

Consequenter describitur mira, magna, ac C cœlestis victoria Judæis contra Timotheum et suos concessa. *At Timotheus,* etc., *convocato exercitu peregrinæ,* id est extraneæ, *multitudinis, et congregato equitatu Asiano,* id est bellatorum ex Asia, *advenit quasi armis Judæam capturus. Machabæus autem et qui cum ipso erant, deprecabantur Dominum, ad altaris crepidinem,* id est extremitatem in circuitu, *provoluti,* A *ut inimicis eorum esset inimicus,* secundum quod impii erant (odit enim omnes qui operantur iniquitatem, et odio sunt Deo impius et impietas), sic ut illos temporaliter refrenaret atque prosterneret, ne diutius populum Dei vexarent, et cultum impedirent divinum. *Et post orationem longius de civitate* Jerusalem *procedentes,* ne adversarii intrando Judæam, damna ei inferrent, *proximi hostibus effecti, resederunt.* *Ps.* v, 7 ; *Sap.* xiv, 9.

Primo autem solis ortu, videlicet valde mane, *utrique commiserunt* pugnam, scilicet Judas cum suo exercitu contra Timotheum ac suos. *Isti,* scilicet Judas et sui, *victoriæ et prosperitatis sponsorem cum virtute Dominum habentes :* Dominus enim in Deuteronomio et alibi sæpe, spopondit fidelibus bellatoribus suis triumphum. Itaque cum virtute, id est cum efficacia, vel cum fide et spe habebant Deum triumphi sponsorem, in quo solo sperabant. *Illi autem,* puta Timotheus ac sui, *ducem belli animum habebant,* id est, in propria animositate ac robore confidebant. *Sed quum vehemens pugna esset, apparuerunt adversariis,* scilicet Timotheo et suis, *de cœlo missi :* nam sancti angeli erant in Judæorum missi subsidium ; *viri quinque in equis,* id est angeli in specie virorum equestrium, *Judæis ducatum præstantes.* Denique, quæ sequuntur difficultatem non habent. De hoc autem prælio videtur textus loqui primo libro. *Deut.* xxviii, 1-14 ; *Lev.* xxvi, 7, 8. 1 *Mach.* v, 6, 7, 37-44.

ARTICULUS XI

DECLARATIO CAPITULI UNDECIMI : SED PARVO POST TEMPORE, LYSIAS PROCURATOR REGIS.

MIRABILIS victoria contra Lysiam data Judæis, hic recitatur. *Sed parvo post* gesta in præcedenti capitulo scripta *tempore, Lysias,* etc., *congregatis octoginta millibus, veniebat adversus Judæos, exi-* D *stimans se civitatem* Jerusalem *captam gentibus habitaculum facturum.* Præsumpsit enim se occisurum aut evecturum omnes Judæos in Jerusalem commorantes, et positurum in ea habitatores gentiles. *Tem-*

Digitized by Google

plum vero in pecuniæ quæstum habiturum, ita quod oblationes, decimas, primitias, et sacrificia quæ offerri solebant in templo, converteret in lucra ac commoda regis ac sua; *et per singulos annos venale sacerdotium,* id est venditurum omni anno pontificatum, etc.

Ut autem Machabæus et sui *cognoverunt expugnari præsidia,* id est fortalitia sua a Lysia, *hortatus est* Machabæus *ferre auxilium fratribus,* id est Judæis, qui in præsidiis erant obsessi, et a Lysia impu-
Prov. xvii, 17. gnabantur. In tempore enim angustiæ comprobatur amicus. *Cumque pariter prompto animo procederent* versus Lysiam, qui munitionem Bethsuræ obsidebat, *apparuit præcedens eos eques armis aureis hastam vibrans,* ad ostendendum quod audacter aggrederentur adversarios suos. Fuitque eques ille angelus sanctus, in specie equestris viri apparens. *Tunc omnes simul benedixerunt misericordem Dominum, ferocissimas bestias et muros ferreos parati penetrare,* id est quæcumque ardua aggredi : estque hyperbole. De isto bello vide-
I Mach. iv, 28-34. tur mentio fieri quarto primi libri capitulo. Ibi tamen legitur Lysias congregasse sexaginta millia et equitum quinque millia. Ibi quoque leguntur de ejus exercitu quinque millia corruisse; hic vero undecim millia peditum, equitum vero mille sexcenti. Hæc autem videntur posse con-
Ibid. 35. cordari, per hoc quod additur ibi : Videns autem Lysias suorum fugam et Judæorum audaciam, abiit Antiochiam, et elegit milites, ut multiplicati, rursus venirent in Judæam. Sicque videtur post redisse cum pluribus, et majorem passus ruinam in suis.

Et quia non insensatus, id est usu rationis carens, *erat* Lysias. Erat tamen insensatus, id est vera et spirituali sapientia destitutus, secundum quod quidam faten-
Sap. v, 4. tur : Nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam. Unde quibusdam dece-
Galat. iii, 1. ptis scribit Apostolus : O insensati Galatæ. *Secum ipse reputans factam diminutionem,* id est, minorationem sui exercitus

A pensans, *et intelligens invictos esse Hebræos, Dei omnipotentis auxilio innitentes,* id est eo quod divino subsidio inhærerent ac juvarentur, *misit ad eos,* etc., pro pace facienda inter se et eos; *et regem compulsurum amicum fieri,* id est, quod induceret regem prece et suggestione, ad hoc quod reconciliaretur Judæis. *Annuit autem Machabæus precibus Lysiæ, et quæcumque Machabæus scripsit Lysiæ,* ut ea impretraret a rege in Judæorum favorem, *ea rex concessit.*

B Deinde in textu ponitur epistola Lysiæ ad Judæos, in qua inter cetera dicitur : *Quæcumque regi potuerunt perferri,* id est ea quæ poterant Antiocho regi convenienter insinuari ac præsentari ex parte vestra, *exposui,* id est, declaravi ei per scripta vel nuntium; *et quæ res permittebat, concessit,* id est, id quod dispositio rerum rationabiliter admisit vobis impendi, rex indulsit. Subditur data litteræ hujus : *Anno centesimo quadragesimo octavo:* quod intelligitur de annis regni Græco-
C rum; *Dioscori mensis,* scilicet Junii, in quo sol intrat signum Geminorum, qui Græce vocantur Dioscori. Sed oritur quæstio. Hæc enim epistola scripta est mortuo Antiocho Nobili, qui (ut in primo libro I Mach. vi, 16.
habetur) obiit anno centesimo quadragesimo nono : quomodo ergo scripta est ista epistola anno centesimo quadragesimo octavo? Respondetur, quod iste annus centesimus quadragesimus octavus fuit idem cum illo centesimo quadragesimo nono : sic tamen, quod exordia hujus anni diver-
D simode accipiuntur.

Regis autem epistola, ista continebat : Rex Antiochus Lysiæ fratri salutem. Illustres autem et nobiles, cognatos suos nominant fratres. Unde secundo Regum libro Joab ad Amasam : Salve, inquit, mi II Reg. xx, 9.
frater. *Patre nostro inter deos translato,* id est ad deorum societatem assumpto et deificato, quia fervens erat in cultu deorum suorum. Sic etenim reges paganorum putabant parentes suos post vitam istam deificari, sicut et nos ponimus viros san-

Digitized by Google

ctos in obitu mox angelis sociari. *Nos volentes eos, qui sunt in regno nostro, sine tumultu agere,* id est pacifice vivere, *audivimus Judæos velle tenere suum institutum,* id est legem eis a Deo suo præfixam, *ac propterea postulare a nobis concedi sibi legitima sua,* id est, dari eis a nobis licentiam observandi legum suarum statuta. *Volentes igitur hanc quoque gentem quietam esse, statuentes judicavimus templum restitui illis,* etc., id est, dari eis libertatem servandi ritus et observantias legis suæ in templo : quod utique jam recuperaverant et habebant, quando ista epistola edita fuit.

Ad Judæos autem epistola regis talis erat : Rex Antiochus senatui Judæorum, id est congregationi majorum seu collegio seniorum gubernantium Judaicum populum. Dicitur enim senatus, a *senex* et *natus,* quasi natio seniorum : quoniam seniores prudentia et ætate, ad officium præsidentiæ hujus eligebantur. *Si valetis,* id est, si prospere vobis succedit, *sic estis ut volumus :* quasi dicat, Diligimus vos, quia bona volumus vobis. Diligere enim, secundum Philosophum, est alicui bonum velle. *Adiit,* id est accessit, *nos Menelaus, dicens, vos velle descendere ad vestros qui sunt apud nos,* id est ad Judæos qui in urbibus regni nostri hinc inde morantur. *His ergo qui commeant,* id est, ad nostra transeunt loca ex loco et populo vestro, *usque ad diem tricesimum mensis Xanthici,* id est Aprilis, *dexteras damus securitatis,* id est salvum conductum, *ut Judæi* inter nos habitantes, *utantur cibis et legibus suis,* id est cibis eis licitis juxta legem suam, aliisque præceptis propriæ legis; *et nemo eorum molestiam patiatur de his quæ per ignorantiam gesta sunt :* id est propter præteritas pugnas habitas

A inter nostros et populum Judæorum, in quibus Judæi putabant se juste moveri ; vel propter alia in quibus ex ignorantia contra nostra fecerunt præcepta. *Misimus autem et Menelaum,* id est, virum istum quem misistis ad nos, remisimus ad vos, *qui vos alloquatur,* informando vos ore tenus plenius de nostra voluntate. *Valete.* Hinc dicitur, quod iste Menelaus fuit alter a pessimo Menelao, de quo dictum est supra, et de quo infra continetur. Siquidem iste Menelaus missus videtur a Juda et B suis, pro impetranda licentia quod aliqui boni in lege periti, possent invisere Judæos inter gentiles mansionem habentes, ad informandum eos de observantia legis.

II *Mach.* IV, 23 *et seq.;* XIII, 3-8.

Miserunt etiam Romani, id est legati Romanorum constituti in via versus Antiochiam, *epistolam* ad Judæos, *ita se habentem : Quintus Memmius et Titus Manilius legati Romanorum.* Magni autem Romani communiter habuerunt nomina duo ac plura. *Populo Judæorum salutem. De his,* id est, *quæ Lysias cognatus regis* C *concessit vobis, et nos concessimus,* ut sint rata. Jam enim Romani dominabantur regibus Syriæ et Ægypti ac aliis multis. Ideo auctoritatem habebant confirmandi aut revocandi concessa a regibus illis et eorum principibus. *De quibus autem ad regem judicavit referendum,* id est de majoribus causis, *confestim aliquem* nuntium *mittite* ad nos, insinuando nobis quid postuletis, *diligentius inter vos conferentes,* quid et qualiter deceat vos postulare, *ut decernamus,* id est determinemus, *sicut* D *expedit* vobis.* Videtur autem epistola ista Romanorum missa Judæis, antequam Judas misit Romam ad ineundam societatem cum ipsis. Hoc enim fuit, Antiocho et Lysia occisis regnante Demetrio, ut patet primo libro.

* *congruit*

I *Mach.* VII, 1, 2; VIII, 1 *et seq.*

Digitized by Google

ARTICULUS XII

EXPOSITIO CAPITULI DUODECIMI : HIS FACTIS PACTIONIBUS.

DESCRIBUNTUR hic varia bella ac gesta Machabæi. *His factis pactionibus,* id est confœderationibus pacis inter regem Antiochum ac Judæos, *Lysias pergebat ad regem. Judæi autem agriculturæ operam dabant :* quod ante propter assidua bella facere non valebant, saltem tam plene. *Sed hi qui resederant,* id est aliqui ex principibus regis, qui juxta Judæam post Lysiæ recessum manebant, videlicet *Timotheus,* non ille qui in fine capituli decimi narratur a Judæis occisus, *et Apollonius, sed et Hieronymus, et Demophon Superbus* * *:* qui ita cognominatus est, forsan ob suæ elationis excessum, quemadmodum rex Romanorum Tarquinius, vocatus est Tarquinius Superbus ; *et Nicanor Cypriarches,* id est princeps Cypri constitutus a rege, *non sinebant eos in silentio agere et quiete,* id est pacifice, et sine renisione.

II *Mach.* x, 37.

* alias *super hos*

Joppitæ vero, id est gentiles commorantes in urbe maritima nomine Joppe, *tale flagitium perpetraverunt : rogabant* deceptorie *Judæos, cum quibus habitabant,* id est secum morantes in Joppe, *ascendere scaphas,* id est naviculas, *quas paraverant* Joppitæ ad recipiendum in eis Judæos, *cum uxoribus et filiis* Judæorum *ipsorum,* etc. *Secundum commune itaque decretum civitatis* Joppensis, *et ipsis acquiescentibus,* id est, Judæis facientibus sicut communitas illa Joppensis decrevit fallaciter ipsos Judæos rogare, *quum in altum processissent,* id est longe a littore : ubi et aqua paulatim fit altior, tendens ad quamdam rotunditatem sicut et quælibet gutta, sicut in sphæra mundi probatur ; *submerserunt* Joppitæ *non minus ducentos* Judæos. *Quam* fraudulentissimam

A impiissimamque *crudelitatem Judas,* etc., tanquam communis patronus populi sui, zelo justitiæ viriliter vindicavit. Et sicut fecit Joppitis pro scelere facti, sic fecit Jamnitis gentilibus pro impia eorum voluntate, qua voluerunt tractare Judæos sibi cohabitantes sicut Joppitæ fecerunt. Innotuit namque Jamnitarum voluntas facinorosa per certa indicia.

Inde, scilicet a Jamnia civitate, *quum abissent* Judas et sui, *commiserunt cum eo,* id est, contra eum in via pugnaverunt B *Arabes,* etc., qui *victi, a Juda petebant dextras sibi dari,* id est pacem concedi, *promittentes se pascua daturos,* id est prata et pascualia loca Judæis circa se morantibus, et pecora multa habentibus.

Aggressus est autem Judas cum suis *civitatem quamdam firmam, quæ habitabatur a turbis promiscuarum,* id est diversarum commixtarumque, *gentium. Hi autem qui erant in ea, remissius agebant,* non resistendo viriliter, quia in fortitudine sui oppidi confidebant, *maledictis* C *lacessentes,* id est provocantes, *Judam, et loquentes quæ fas non est,* Deum Israel blasphemando aut maledicendo : quod scilicet ipsum Judam et suos juvare non posset, quemadmodum Sennacherib fecisse legitur. Quæ verba tam impia atque nefaria sunt, ut Scriptura denotet ea per eorum contraria, ut quum tertio Regum inducitur : Benedixit Naboth Deo et regi. Job quoque primo : Nisi in faciem benedixerit tibi, id est maledixerit. Et item : Benedic Deo, et morere. *Machabæus autem invo-* D *cato magno mundi Principe,* Deo majestatis immensæ : de quo et Aristoteles undecimo primæ Philosophiæ : Entia, inquit, nolunt male disponi. Pluralitas principum

IV *Reg.* xviii, 22, 30, 35; xix, 10. *Is.* xxxvi, 7, 15, 20.

III *Reg.* xxi, 10, 13. *Job* i, 11; ii, 5, 9.

Metaphys. xi in fine.

Digitized by Google

mala : unus ergo princeps. De quo ait
Job xxxiv, 13. Scriptura : Quem constituit alium super terram ? aut quem posuit super orbem, quem fabricatus est ? *Qui sine arietibus,* id est bellicis instrumentis sic appellatis, *et machinis* aliis, *temporibus Jesu,* id
Josue vi, 20. est Josue, *præcipitabat Jericho,* dejiciendo muros ejus, ut habetur Josue libro. *Irruit ferociter muris, et innumerabiles cædes fecit,* etc.

Inde venerunt Judas et sui *ad eos, qui dicuntur Tubianæi, Judæos :* qui secundum Glossam non erant Judæi natione,sed quidam Judæis confœderati, dicti Tubianæi, quasi aliena tuba vocati. *Dositheus autem et Sosipater qui erant duces cum Machabæo,* id est sub eo : quoniam Judas præfuit toti exercitui, seu parti quam sibi assumpsit ; illi vero parti exercitus, ut millenarii aut tribuni. *Peremit* Judas *decem millia viros, a Timotheo* in fortalitio quodam *relictos. Cognito autem Judæ adventu, Timotheus præmisit mulieres et pueros* sibi subjectos, et gentiles, ne a Judæis caperentur, *in præsidium,* id est fortalitium, *quod Carnion dicitur. Erat enim inexpugnabile,* id est valde difficulter expugnabile. Verumtamen Judas divi-
I Mach. v, 43, 44. na virtute expugnavit, et combussit illud cum exsistentibus in eodem, ut in primo libro legitur, ubi præsidium istud vocatur Carnaim. *Quumque cohors Judæ prima apparuisset,* id est, prima pars sui exercitus, sive prima ipsius turba seu societas venisset obviam hostibus, *timor hostibus incussus est ex præsentia Dei,* id est occulta operatione Dei ubique præsentis, populo suo gratiose adstantis. Deus enim invisibiliter corda immutat, perterret, confortat. Vel forte per aliquod signum visibile Deus præsentiam suam ostendit. *Et in fugam versi sunt alius ab alio,* id est ab invicem fugientes, et unus præ alio evadere nitens ; *ita ut magis a suis dejicerentur,* id est, a se invicem perimerentur : sicut de Madianitis legitur in libro
Judic. vii, 22. Judicum, quod mutua cæde se truncabant. *Timotheus incidit in partes,* id est in ma-

A num bellatorum qui erant sub ducatu *Dosithei et Sosipatris.*

Post horum fugam et necem movit Judas *exercitum ad Ephron civitatem munitam,* etc. Est autem historia ista primo libro I Mach. v, 46-51.
scripta atque exposita.

Inde ad civitatem Scytharum abierunt Judas ac suus exercitus. *Contestantibus autem,* etc., id est, Judæis qui inter Scythas illos gentiles manebant, dicentibus Judæ Machabæo quod Scythæ fuissent et essent eis benigni, *etiam temporibus in*B *felicitatis,* id est adversitatis ; Judas et sui admonuerunt Scythas, ut de cetero essent Judæis illis benevoli. Et sic *venerunt Jerosolymam die solenni Septimanarum instante,* id est festo Pentecostes imminente ; quod celebrabatur evolutis septem Lev. xxiii, 15, 16.
hebdomadibus, a primo die festivitatis paschalis, prout in Levitico scribitur.

Et post Pentecosten abierunt Judas et sui *contra Gorgiam. Exivit autem* Gorgias contra Judam *cum peditibus tribus millibus, et equitibus quadringentis. Qui*C *bus congressis, contigit paucos ruere Judæorum :* et hoc propter eorum iniquitatem, quæ paulo post subditur. *Dositheus vero quidam de Bachinoris*,* id est de po- *Bacenoris
pulo gentili sic dicto, Judæis confœderato ; vel de Judæis sic appellatis a loco in quo habitabant ; et iste Dositheus fuit alius a prædicto ; *vir fortis, Gorgiam tenebat,* etc. *Atque ita Gorgias fugit in Maresa,* id est in locum sic nuncupatum. *At illis qui cum Esdrin erant,* id est cum viro principali de parte Gorgiæ, *diutius pu*D *gnantibus* contra Judæos, *et fatigatis* ipsis, vel Judæis, ut aliqui dicunt : primum tamen magis consonat textui ; *invocavit Judas Dominum,* etc.

Et quum septimus dies, scilicet sabbatum, *superveniret, secundum consuetudinem legis purificati* aqua lustrationis propter contactum mortuorum in præliis, prout in Numeris fuit præceptum, *sabba-* Num. xix, 16-19.
tum egerunt, quiescendo devote in laudibus Dei. *Invenerunt autem* Judæi qui erant cum Juda, *sub tunicis interfectorum*

Digitized by Google

Judæorum in bello prætacto, *de donariis idolorum,* id est aliqua pretiosa idolis dedicata, *a quibus lex prohibet Judæos* ne talia sibi assumerent, juxta illud Deuteronomii : Non assumes ex eis quidquam. Non inferes quidpiam ex idolo in domum tuam, ne fias anathema, sicut et illud est. (Deut. vii, 25, 26.) *Omnibus ergo* Judæis ibi præsentibus, *manifestum factum est ob hanc causam eos corruisse ; et rogaverunt* Dominum *ut id quod factum fuerat delictum, oblivioni traderetur,* id est, pie ignosceretur.

At vero fortissimus Judas, qui mente et corpore fuit fortissimus, *facta collatione,* id est pia distributione facta, [vel] tractatu cum suis habito de agendis pro prædictis occisis, *duodecim millia drachmas argenti,* id est argenteos nummos, qui drachmæ vocantur. Drachma namque nummus est certæ quantitatis, habens imaginem regis. Talium ergo nummorum duodecim millia *misit Jerosolymam,* in qua erat locus sacrificiorum, videlicet templum in quo fieri debuit ista oblatio. Ideo sequitur : *offerri pro peccatis mortuorum sacrificium,* id est, ut pecunia ista offerretur ibi Deo in sacrificium, hoc est ad usus divinos pro remissione peccati illorum, qui donaria idolorum assumpserant sibi, ut dictum est, et pro aliis eorum remittendis peccatis. Speravit autem Judas eos antequam exspiraverunt, de illo suo pœnituisse peccato. *Bene et religiose,* id est pie atque fideliter, *de resurrectione* futura et generali *cogitans. Nisi enim eos qui ceciderant* per mortem corporalem ac temporalem, *resurrecturos speraret* in die novissimo (sicut sanctus Job, In novissimo, inquit, die de terra surrecturus sum), (Job xix, 25.) *superfluum videretur et vanum orare pro mortuis,* et eadem ratione sacrificium offerre pro ipsis esset inane.

Contra hoc argui potest, quoniam istud videtur sonare, ac si animæ non punirentur post vitam hanc, nisi resumptis corporibus. Possetque aliquis dicere, quod quamvis corpora non essent resuscitanda, pium tamen esset pro animarum a corpore separatarum reconciliatione et ereptione a pœnis orare atque sacrificare. Imo multæ fidelium animæ, a pœnis purgatorii liberantur per orationes et hostias ante corporum suscitationem. Et respondendum, quod plena animarum remuneratio absque corporum resuscitatione et glorificatione fieri nequit : ad quod insinuandum, istud satis extense prolatum est.

Et quia considerabat quod hi qui cum pietate, id est religione fidei cultuque Dei, *dormitionem,* id est mortem, *acceperant, optimam haberent repositam gratiam,* id est spem felicitatis æternæ, seu ipsum præmium beatificum eis paratum ac reservatum a Domino : sicut ait Apostolus ad Timotheum, Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in die illa justus Judex. (II Tim. iv, 8.) *Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare,* eleemosynas facere, sacrificiumque offerre, *ut a peccatis solvantur,* id est, a pœnis quæ debentur eorum peccatis, liberentur : quæ peccata in contritione, quantum ad culpam, remissa sunt ; et nisi in hac vita satisfiat pro ipsis, oportet quod restat post hanc vitam suppleri.

Digitized by Google

ARTICULUS XIII

EXPOSITIO CAPITULI TERTIIDECIMI : ANNO CENTESIMO QUADRAGESIMO NONO.

HIC refertur, qualiter Judas contra Antiochum Eupatorem pugnavit : quæ res primo libro diffuse describitur. (I Mach. vi, 28 et seq.) Verumtamen dicitur hic, quod Antiochus iste habuit in suo exercitu centum et decem millia peditum, et quinque millia equitum, elephantos quoque viginti duos ; in primo autem, (Ibid. 30.) quod habuit centum millia peditum, et viginti millia equitum, atque elephantos triginta duos. Respondetur, quod forsan in exercitu regis fuerunt in primis centum millia, deinde in via adjuncta sunt millia decem. De equitibus vero aliqui dicunt, quod inter eos erant quinque millia ceteris elegantiora, et in acie regis disposita, quæ hic numerantur. Vel, primo exivit cum quinque millibus equitum, deinde alia millia accurrerunt. De elephantis etiam dicitur, quod viginti duo in eis erant elegantiores, qui hic ponuntur, aliique tacentur. Sed et numerus minor simpliciter positus, non excludit majorem, et major includit minorem. Præterea quæritur, quum in præcedentibus (II Mach. xi, 13 et seq.) plenius legantur factæ pactiones pacis et amicitiæ inter Antiochum et Judæos, cur violatis pactionibus illis, rex venit adversus illos. Dicendum, quoniam Judas obsedit arcem, ideo quidam ex arce et alii iniqui Judæi accesserunt Antiochum, et conquerebantur adversus Judam et suos, (I Mach. vi, 18-27.) prout sexto primi libri capitulo plenius recitatur. Habuit item rex *currus cum falcibus,* id est currus falcatos, *trecentos :* quales et Amorrhæi quidam habuisse (Josue xvii, 16 ; Judic. i, 19.) leguntur in Josue libris et Judicum.

Commiscuit autem se illis Menelaus : de quo facta est mentio ante, (II Mach. iv, 23-29.) et ad tempus fuerat princeps sacerdotum ; *et cum multa fallacia deprecabatur Antiochum* non cessare, nisi Machabæo prostrato. Ideo subditur : *non pro patriæ,* id est compatriotarum suorum, *salute* seu prosperitate, *sed sperans se constitui in principatum,* id est pontificatum. *Sed Rex regum,* videlicet Deus omnipotens, *suscitavit animos,* id est intellectum et voluntatem, seu motus et indignationes, *Antiochi in peccatorem,* id est contra Menelaum. Etenim cor regis in manu Dei est, qui quocumque voluerit, vertit illud. (Prov. xxi, 1.) *Et suggerente Lysia, hunc* Menelaum *esse causam omnium malorum,* id est dissensionum et pugnarum inter Judæos et regem. Fuit enim unus de primis ambitiosis et iniquis Judæis, qui accesserunt ad Antiochum Nobilem, et concitaverunt eum contra Judæos. (I Mach. i, 12, 14.) *Jussit eum apprehensum in eodem loco necari. Erat autem in eodem loco turris, aggestum,* id est cumulum seu adunationem, *undique habens cineris. Inde,* id est de turre illa, *in cinerem dejici jussit sacrilegum* Menelaum, qui enormiter fuit abusus sacris rebus vasisque templi ; *et satis juste,* ut scilicet pœna corresponderet culpæ, et per quæ peccavit, per eadem puniretur. (Sap. xi, 17.) *Nam quia multa erga aram,* id est circa altare, *Dei delicta commisit,* ut patet ex dictis in isto libro, *cujus* altaris *ignis* holocausta consumens, *et cinis* ex combustis sacrificiis remanens, *sanctus est,* id est ad divina obsequia ordinatur, quemadmodum vasa templi, sancta dicuntur; *ipse in cineris morte damnatus est,* id est jussus occidi et mori per præcipitationem sui a turre in cineres.

Sed rex mente effrenatus, id est prædominanter passionatus, ira et indignatione absque freno judicii rationis repletus, *veniebat, nequiorem se patre suo Judæis ostensurus,* id est crudelius eos affligere

cupiens et intendens, quam erant a suo patre afflicti. *Omnibus itaque* Judæis *per triduum continuum prostratis* in oratione, id est competentibus horis trium dierum illorum; *ipse vero* Machabæus *cum senioribus* Judæorum, *cogitavit exire* obviam ad resistendum regi, *antequam rex intraret Judæam, et obtineret civitatem* Jerusalem, *et Domini judicio,* id est dispositioni atque arbitrio providentiæ Dei, *committere exitum rei,* id est negotii inter se et regem : sic tamen, ut sperando in Deo, faceret quod in se erat. *Dans itaque potestatem omnium Deo,* id est, Deum esse omnipotentem protestans, et omnem potestatem ei adscribens, quum non sit potestas nisi a Deo, etc. *Rom.* XIII, 1.

Et dato signo suis Dei victoriæ, id est adjutores suos informans, atque confidere faciens de obtinenda victoria virtute divina : quod potuit eis persuadere per auctoritates Scripturæ, et per signa ac gesta quæ leguntur in ea; *nocte aggressus aulam regiam,* id est appropinquans tentorio regis, *in castris,* id est aciebus adversariorum, *interfecit viros quatuordecim* * *millia.* In primo libro legitur, quod ceciderunt de exercitu regis sexcenti viri. Respondetur, quod Judas primo et improvise circa diluculum invasit regis exercitum, et tot millia interfecit in eo, sicut hic legitur. Deinde in clara die præliatus est contra regem in campo; et tunc occidit de populo regis viros sexcentos. *Et maximum elephantorum.* Hoc quoque in secundo illo conflictu dicitur factum : quamvis hic per anticipationem narretur. Fuitque elephantus ille, quem Eleazarus frater Judæ occidit, prout in primo libro fertur.

* *quatuor*

I *Mach.* VI, 42.

Ibid. 43-46.

Sed rex accepto gustu audaciæ Judæorum, id est hoc facto expertus eorum audaciam, *arte difficultates locorum tentabat,* id est, conabatur per industrias et bellicas artes aggredi et expugnare loca Judæorum munita difficulter accessibilia; *et Bethsuræ quæ erat Judæorum præsidium munitum,* quia in urbe illa habebant Judæi fortalitium valde forte, *castra*

A *admovebat,* id est, suum exercitum applicare curavit; *sed fugabatur, impingebatur, minuebatur,* id est, quidam de ejus exercitu fugabantur, impellebantur, occidebantur a custodibus illius fortalitii impetum facientibus in quosdam de populo regis. *His autem qui intus erant,* scilicet in præsidio Bethsuræ, *Judas necessaria victui mittebat. Enuntiavit autem mysteria,* id est secreta Judæ et suorum, *hostibus* videlicet Judæ, regi ac suis, *Rhodocus quidam de Judaico exercitu :* et sic fuit et B proditor populi sui, et secretorum manifestator, ideo summe vitandus, juxta illud Proverbiorum, Ei qui revelat mysteria, ne miscearis. Attamen quidam ait, quod Rhodocus iste ab adversariis captus, fuit ad revelandum hæc per tormenta compulsus. Cui dicto non videtur consonare quod subditur : *qui requisitus, comprehensus est et conclusus.* Unde apparet, quod Judas et sui sentientes sua mysteria hostibus revelari, requirebant a quo illud fieret : et comperto quod a Rhodoco, comprehende- C runt eum et expediverunt. *Iterum rex sermonem habuit cum his qui in Bethsuris erant,* id est cum exsistentibus in fortalitio illo, ut traderent sibi præsidium illud, salva eorum vita : in quo consenserunt ei. Et ipse promisit nil mali facere eis, sicut subjungitur. *Dexteram dedit* illis; *accepit* præsidium seu fidem ab illis de resignatione præsidii; *abiit. Commisit cum Juda,* id est contra Judam; *superatus est* rex, quoniam ceciderunt de ejus exercitu viri sexcenti, ut dictum est primo libro. D Aliqui tamen exponunt, quod superatus sit Judas : quia præfato capitulo scriptum est, Videntes virtutem regis et impetum exercitus ejus, diverterunt ab eis.

Prov. XI, 19.

I *Mach.* VI, 42.

Ibid. 47.

Ut autem cognovit rebellasse Philippum Antiochiæ. Istud præallegato primi libri capitulo expositum est. *Mente consternatus, Judæos deprecatus est* rex de pace componenda, *subditusque eis,* id est eorum petitioni acquiescens, *jurat de omnibus quibus justum visum est; et reconciliatus* Judæis, *obtulit sacrificium, honora-*

Ibid. 55, 56.

Digitized by Google

vit templum, munera posuit, Machabæum A *amplexatus est, et fecit eum a Ptolemaida usque ad Gerrenos ducem et principem,* id est præfectum et officiatum in certis negotiis. Sed his contrariari videntur, quæ in primo libro continentur, quo legitur : I Mach. vi, 62. Intravit rex montem Sion, et vidit munitionem loci, et rupit citius juramentum, et mandavit destruere murum in gyro : sicque templum inhonoravit, et contra Judam hostiliter egit. Ad quod dicendum videtur, quod postquam taliter egit, ad mentem reversus, inde pœnituit, et fecit quæ jam dicta sunt hic. *Ut autem venit Ptolemaidam, graviter ferebant Ptolemenses amicitiæ conventionem* factam inter Judæos et regem, *indignantes* de tali pacificatione, *ne forte fœdus* amicitiæ *irrumperent,* id est, violarent Judæi. *Lysias autem populum sedavit,* exponendo rationem facti illius.

ARTICULUS XIV

EXPLANATIO CAPITULI QUARTIDECIMI : SED POST TRIENNII TEMPUS.

BELLA Judæ et suorum gesta contra B Demetrium filium Seleuci, hic recitantur. *Sed post triennii tempus* a morte Antiochi Nobilis : quod tamen per synecdochen verificatur, quia Antiochus (ut in I Mach. vi, 16. primo libro dictum est) obiit anno centesimo quadragesimo nono, et Demetrius venit anno centesimo quinquagesimo primo, Ibid. vii, 1. ut in primo libro invenitur. Verumtamen annus qui ibi centesimus quadragesimus nonus vocatur, in isto libro centesimus II Mach. xi, 21. quadragesimus octavus supra undecimo capitulo nuncupatur : quod qualiter concordetur, tactum est ibi. *Cognovit Judas Demetrium Seleuci* filium, etc., *tenuisse regiones adversus Antiochum :* quia exercitus reliquit. Antiochum, et adhæsit Demetrio, qui fuit filius senioris filii Magni Antiochi.

Alcimus autem quidam, qui summus sacerdos fuerat ab Antiocho factus : de I Mach. vii, 5. etc.; ix, 1, etc. quo Alcimo multa sunt habita primo libro ; *sed voluntarie coinquinatus est* vitiis gentilitatis, *temporibus commixtionis :* quando jussit Antiochus ut omnes de re- D gno suo essent populus unus, ut scriptum Ibid. i, 43. est primo libro ; *considerans sibi nullo modo esse salutem,* id est optatam prosperitatem, seu corporis sanitatem sub Juda, qui ipsum propter scelera sua fugavit, *neque accessum ad altare,* Juda præsidente, *venit ad Demetrium anno centesimo quinquagesimo.* Primo libro legitur, Anno I Mach. vii, 1. centesimo quinquagesimo primo; sed concordatio est inducta. *Offerens ei auream coronam,* tanquam de jure regnanti, *et palmam,* forsitan auream in signum triumphi, et tanquam victori, *et thallos qui templi esse videbantur,* id est sublata de templo, aut similia thallis templi. Thalli autem dicuntur offertoria vasa, quibus in præcipuis festis utebantur sacerdotes, et instar C turrium erant formata. *Et ipsa die siluit* de causa propter quam venit, ne videretur regi munera dedisse propter proprium commodum.

Tempus autem opportunum dementiæ suæ nactus, id est consecutus ad aperiendum intentum insipientiæ ambitionisque suæ, *convocatus a Demetrio ad consilium,* etc. *Ipsi qui dicuntur Assidæi Judæorum,* id est inter Judæos assidue vacantes divinis, *bella nutriunt,* etc. Universæ accusationes hujus nequissimi Alcimi, sunt mendosæ. *Sed oro, o rex, et regioni* Judæorum, *et generi,* id est populo Judaico, *secundum promulgatam * omnibus humanitatem tuam, prospice,* id est, provide de * pervulgatam pace juxta tuam clementiam omnibus notam. *Nam quamdiu superest Judas,* id est

Digitized by Google

eo vivente, *impossibile est pacem esse negotiis* Judæorum. Sic ambitiosi et fraudulenti suos ornant sermones, et prophetant non posse esse pacem in communitate, nisi hi qui ipsorum ambitioni resistunt, tollantur.

Talibus autem ab hoc dictis, et ceteri amici Judæ ficti, vel amici Alcimi, *hostiliter se habentes contra Judam,* quem mendaciter accusabant, *inflammaverunt Demetrium,* id est ira, odio, indignatione adversus strenuissimum ac nobilissimum Judam. Dicit autem quidam hoc loco et alibi, quod licet Alcimus fuit de genere Aaron, non tamen descendit de eo per lineam sacerdotalem : quod non videtur posse salvari, nisi intelligatur de linea summi sacerdotii, quum in primo libro scribæ legantur dixisse de Alcimo, Homo sacerdos de semine Aaron venit. *Qui statim Nicanorem misit in Judæam,* etc. (I Mach. VII, 14.)

Audito Nicanoris adventu, Judæi conspersi terra : nam pro majore sui humiliatione superjecerunt capitibus suis terram, seu pulverem terræ ; *rogabant eum qui populum suum constituit, ut in æternum custodiret.* Deus enim vult populum Judæorum manere usque in finem mundi, in quo et innumerabiles convertentur. *Imperante autem duce,* videlicet Machabæo, *statim inde moverunt* sui ad occurrendum Nicanori. *Nicanor tamen audiens audaciam* * *comitum,* id est principum sociorumque, *Judæ,* etc., *sanguine judicium facere metuebat,* id est, per belli congressum non audebat exquirere, quis justiorem causam haberet, Judas an ipse Nicanor : ideo misit quosdam ad Judam pro amicitiis componendis. *Et quum diu de his consilium ageretur* a Juda et suis, *et ipse dux ad multitudinem retulisset,* id est, Judas causam hanc in generali sua convocatione proposuisset, *omnium* Judæorum *fuit una sententia, amicitiis annuere,* id est consensum præbere.

* virtutem

Morabatur autem Nicanor Jerosolymis, nihilque inique agebat contra Judæos. Fuit tamen idololatra, et impie agens contra Deum. *Gregesque turbarum quæ congre-*

A *gatæ fuerant,* id est, quas secum adduxerat ad pugnandum contra Judam, *dimisit* redire ad propria seu alia loca. *Habebat autem Judam semper carum ex animo, et erat viro inclinatus. Rogavitque eum ducere uxorem, filiosque procreare. Nuptias fecit,* etc. Verum de hac familiaritate et amicitia Judæ atque Nicanoris primo libro nil recitatur. Estque difficile hanc scripturam cum his, quæ in primo libro scripta sunt, concordare. Ibi enim legitur Demetrius misisse cum Alcimo Bacchidem, non Nicanorem, in primo accessu Alcimi ad ipsum Demetrium. Quumque Bacchides esset ad Demetrium regem reversus, et Alcimus non posset Judæ resistere, ad Demetrium rediit, qui tunc cum eo Nicanorem misit. Quumque Nicanor quasi decepisset Judam, conterritus est Judas, et amplius noluit videre faciem ejus, puta Nicanoris. Et post hoc commisit Nicanor prælium duplex contra Judam, sicut ibidem narratur. Hinc pro concordia videretur dicendum, quod prima vice Demetrius misit cum Alcimo Bacchidem atque Nicanorem ; vel, quod hoc loco penitus subticetur primus accessus Alcimi ad Demetrium, et missio Bacchidis cum Alcimo in Judæam : et ita, quod dictum est hic de accessu Alcimi ad regem, intelligeretur de secundo accessu Alcimi ad regem Demetrium, et quod tunc cum Alcimo fuit missus Nicanor, qui semel contra Judam pugnavit, et postea cum eo ad tempus habuit pacem, sicut hic scribitur. (I Mach. VII, 5 et seq. — Ibid. 8, 9. — B — Ibid. 20, 25, 26. — Ibid. 27, 30. — Ibid. 31, 43. — C)

Alcimus autem videns caritatem illorum, scilicet Judæ et Nicanoris, *ad invicem.* D Caritas hic extense sumitur pro amicitia sociali, non pro amore supernaturali infuso, quem certum est in Nicanore non fuisse. *Venit ad Demetrium, et dicebat* Alcimus Demetrio, *Nicanorem rebus alienis,* id est regi contrariis, *assentire,* communicando cum Juda. *Sed quia regi resistere non poterat* Nicanor, *opportunitatem observabat qua præceptum perficeret,* id est, quærebat capere Judam. Verumtamen non excusatur Nicanor a crimine, quod sic amicitiæ fœdus initum cum Juda, rupit.

Digitized by Google

Imo magis debuit a Demetrio omnino recedere, quam ei in rebus ita illicitis obedire. *At Machabæus videns austerius secum agere Nicanorem :* quia per exteriora quædam indicia aversio Nicanoris patuit Judæ; *occultavit se a Nicanore,* non ex vituperanda formidine, sed ex prudentia et cautela. Ideo subditur : *Quod ut ille,* puta Nicanor, *cognovit, fortiter,* id est prudenter et virtuose, *se a viro præventum,* ita quod eum capere nequivit, *dixit sacerdotibus : Nisi mihi Judam vinctum tradideritis, templum hoc Libero patri consecrabo,* ita ut ad honorem Liberi seu Bacchi reædificetur. Asseruit enim Nicanor, quod templum combureret atque dejiceret.

Razias autem quidam de senioribus, delatus, id est accusatus, *est Nicanori* tanquam zelator Judæ ac boni communis Judæorum ; *vir amator civitatis* Jerusalem, cujus prosperitatem in temporalibus ac spiritualibus concupivit, ac pro viribus procuravit ; *et bene audiens,* id est rationabiliter discernens quæ audiebat, indigentibus quoque benevolus ; vel, Bene audiens, id est bene auditus a populo suo, sumendo activum pro passivo ; *qui pro affectu,* id est propter caritatem suam ad populum suum, *pater Judæorum appellabatur. Hic multis temporibus continentiæ propositum tenuit in Judaismo.* Si per continentiam castitas designetur, potest dici quod mortua conjuge, de cetero castus permanserit. Per continentiam tamen potest intelligi generalis quædam virtutum conditio, scilicet moderantia seu repressio animi ab excessu. *Corpusque et animam,* id est vitam animalem, *contentus tradere pro perseverantia,* id est paratus dare in mortem pro virtutum constantia. Ad quem comprehendendum misit Nicanor. *Putabat enim, si illum,* scilicet Raziam, *decepisset,* id est, spiritualiter aut corporaliter occidisset, compellendo illum per pœnas ad paganismum, alioqui eum atrocissime trucidando, *sese cladem maximam,* id est miseriam et mœrorem gravissimum, *Judæis illaturum,* occiso spirituali et generali pa-

A tre ipsorum. Qui *quum jam comprehenderetur,* id est, comprehendi quasi inciperet, *gladio se petiit,* id est percussit, *eligens nobiliter potius mori,* scilicet propria manu, ut hic insinuari videtur, *quam subditus fieri peccatoribus,* id est a gentilibus illis ad eorum voluntatem male tractari, *et contra natales suos,* id est ad progenitorum suorum irreverentiam, *indignis injuriis agi,* id est lædi.

Videtur autem Augustinus in libro de Civitate Dei factum istud non commendare, B et ad mollitiem asserit pertinere, se ipsum occidere ad evadendum graviora tormenta. Unde quod Samson se oppressit, *Judic.* xvi, 30. et feminæ quædam sanctæ se ipsas submerserunt ne violarentur, ait non aliter excusari, nisi quod occulto Spiritus Sancti instinctu hoc egerint. Hebræi vero (ut fertur) dicunt licitum esse in duobus casibus, se ipsum occidere. Primo, ne quis acerbitate tormentorum ad infidelitatem trahatur. Secundo, ne in contemptum Dei vita sua ludibrio habeatur : et istud videtur C auctor hujus libri sensisse. Dictum tamen Augustini, quod Glossa hic sequitur, et Thomas in secunda secundæ, aliique doctores communiter, verius esse censetur. Unde qui Raziam istum excusare omnino voluerit, dicere potest, quod occulto Dei instinctu sic fecerit. Postremo, in secunda secundæ de hac re scribit Thomas quæstione 64 : Ad veram fortitudinem pertinet, non refugere mortem propter bonum commune ; sed si quis sibi inferat mortem ut vitet mala pœnaliora, habet quamdam for- D titudinis speciem (propter quod aliqui se ipsos occiderunt, æstimantes fortiter agere, de quorum numero fuit Razias) ; sed non est hoc vera fortitudo, sed quædam mollities animi dura perpeti non valentis, secundum Philosophum tertio Ethicorum, et Augustinum primo de Civitate Dei. Unde non licet se ipsum occidere ex timore consentiendi peccato : non enim sunt facienda mala ut proveniant bona, vel ut *Rom.* iii, 8. mala vitentur, præsertim quæ minora sunt et incerta.

Digitized by Google

ARTICULUS XV

EXPOSITIO CAPITULI QUINTIDECIMI : NICANOR AUTEM UT COMPERIT JUDAM ESSE IN LOCIS SAMARIÆ.

QUALITER Judas Nicanorem vicerit, hic narratur. Estque historia ista in primo libro scripta, sed aliqua hic adduntur, ibi non habita. (*Mach.* VII, 39 *et seq.*) *Nicanor autem ut comperit*, id est percepit, *Judam esse in locis Samariæ, cogitavit die sabbati*, in despectum legis ac Judæorum, vel ut Judas et sui tunc minus resisterent, *cum omni impetu*, id est ferociter ac viribus totis, celerrime *committere bellum* adversus Judam. *Judæis vero qui illum per necessitatem*, id est timore mortis, *sequebantur :* qui tamen potius debuerunt propter justitiam mori, quam mortis timore illicita operari. Ideo necessitas illa fuit conditionalis, non absoluta, sic quod oportuit eos Nicanorem sequi, si mortem evaderent, alioqui eos interfecisset. Illis ergo *dicentibus, Ne ita ferociter feceris*, etc., *ille*, puta Nicanor, *ait, Et ego potens sum super terram :* comparans se Deo præsumptuose, de quo Judæi dixerunt, Est Dominus potens in cœlo; *qui impero sumi arma :* quasi dicat, Non obstante præcepto Dei vestri, obediendum est mihi ; *et negotia regis impleri. Tamen non obtinuit* ipse Nicanor, *ut consilium perficeret*, id est, id quod de morte Judæ ac suorum tractavit atque proposuit, adimplere non potuit. *Et cogitaverat commune trophæum statuere de Juda*, id est, proposuit ipsum dejicere, sicut et ceteros, vel fornicem triumphalem sibi erigere de Judæ occisione.

Machabæus autem confidebat cum omni fiducia, id est perfecta spe, *auxilium sibi adfuturum a Deo :* præsertim quia de hoc habuit visionem, sicut paulo post subditur. *Et allocutus illos* qui secum erant, videlicet tria millia, ut in primo libro legitur, (A) *de lege et Prophetis*, in quibus Deus multa bona promittit sperantibus in se, atque pugnantibus pro se ; *admonens*, id est ad memoriam revocans, *etiam certamina quæ fecerant prius*, in quibus frequenter divina prævaluerunt virtute; *promptiores constituit eos. Singulos autem illorum armavit non clypei et hastæ munitione*, id est non tantum corporalibus armis, quibus tamen erant muniti, *sed sermonibus optimis et exhortationibus, exposito fide digno somnio*, id est visione seu oraculo facto in somno. (B)

Erat autem hujusmodi visus, id est visio seu revelatio talis imaginaria, imo et prophetalis, quia revelativa futuri, cujus etiam significationem Judas intellexit. Itaque, vidit visu interiori imaginario et intellectuali *Oniam, qui fuerat summus sacerdos :* de quo supra tertio habetur capitulo ; (II *Mach.* III, 1 *et seq.*) *virum bonum*, per caritatem, quæ facit hominem spiritualiter ac meritorie bonum ; *et benignum* ad proximos ac egenos ; *verecundum visu :* verecundia enim (C) est laudabilis passio, præsertim in juvenibus, et est timor dehonestationis. Hic tamen sumitur potius pro virtute, seu pro columbino adspectu. *Modestum moribus, eloquio decorum, et qui a puero virtutibus exercitatus sit, manus protendentem* ad Deum, ut moris est orantibus, *orare pro omni populo Judæorum. Post hoc apparuisse et alium virum ætate et gloria mirabilem*, id est mirabiliter eminentem in senio sancto ac meritis, *et magni decoris habitudinem circa illum. Respondentem* (D) *vero Oniam dixisse : Hic est fratrum amator, et*, pro id est, *populi Israel.* Vel per fratres designantur sacerdotes, quia et Je-

Digitized by Google

remias fuit sacerdos, quemadmodum Judas ac fratres ejus. *Hic est qui multum orat pro populo* Judæorum fidelium : quorum comparatione gentiles idololatræ erant quasi canes et bruta, non homines; *et universa sancta civitate, Jeremias propheta Dei,* unus de quatuor Prophetis majoribus. Eratque eximiæ sanctitatis et fervidæ caritatis. Itaque sancti in limbo detenti orabant pro viatoribus. *Extendisse autem Jeremiam dexteram, et dedisse Judæ gladium aureum, dicentem : Accipe sanctum gladium,* id est ordinatum ad sacrum usum, *munus a Deo,* quia significavit virtutem Judæ donandam, qua hostibus prævaleret. Ideo additur : *in quo dejicies,* id est occides, *adversarios populi mei Israel,* id est mihi valde dilecti, de quo oriundus sum ego.

Exhortati itaque, id est admoniti et instructi, *sermonibus Judæ, de quibus extolli posset impetus,* id est, fervor ac promptitudo celerrima ad pugnandum oriri ac surgere, *et animi,* id est corda, *juvenum confortari, statuerunt confligere fortiter, ut virtus de negotiis judicaret,* id est, fortitudo seu bonitas virtutum demonstraret, quæ pars in his rebus juste moveretur, et quæ injuste : ut scilicet Deus victoriam largiretur bene et rationabiliter motis ad præliandum; *eo quod civitas sancta* Jerusalem *et templum* ejus *periclitarentur,* id est, destructioni essent exposita, nisi Deus suis subveniret cultoribus. *Erat enim pro uxoribus et filiis et cognatis minor sollicitudo* quam pro templo ac sacris. Ideo additur : *maximus vero et primus pro sanctitate timor erat templi,* id est, destructionem sancti templi maxime formidabant ac abhorrebant, etiam plus quam propriam ac suorum occisionem : sicque affectus gratiæ prævaluit in eis affectui naturæ.

Et quum omnes Judæi ista scientes, tam qui erant cum Juda, quam exsistentes in urbe Jerusalem, *sperarent judicium futurum,* id est quod Deus secundum censuram suæ justitiæ faceret Nicanorem superari cum suis, sicut promeruit; *considerans Machabæus adventum multitudinis,* id est copiosi exercitus adversariorum, *dixit : Dominator cœlorum,* id est omnium civium supernorum atque cœlestium orbium, *mitte angelum tuum bonum ante nos,* qui sit dux, protector et adjutor noster, *in timore et tremore magnitudinis brachii tui,* id est, ita ut majestatis tuæ timorem et tremorem incutiat hostibus nostris. Unde subjungitur : *ut metuant qui cum blasphemia veniunt,* scilicet Nicanor idololatra et milites ejus, *adversus sanctum populum tuum,* id est contra nos tuo cultui mancipatos ac tibi devotos.

Nicanor autem et qui cum ipso erant, cum tubis, id est tubarum clangore, *et canticis admonebant,* id est, ad prælium se monebant. Aliquæ enim melodiæ pariunt animositatem, audaciam atque lætitiam, per quas fiunt homines ad præliandum efficaciores. *Judas vero et* sui *per orationes congressi sunt; manibus præliantes et cordibus exorantes, prostraverunt triginta quinque millia :* et ipse Nicanor corruit primus, ut primo libro *I Mach.* VII, 43. scribitur; *præsentia Dei,* id est ex gratioso Dei auxilio et consolatione ejus interna, *magnifice delectati. Facto itaque clamore, et perturbatione excitata.* Quum enim cognovissent Nicanorem corruisse, præ gaudio clamaverunt etiam cum tumultu, qui perturbatio hic vocatur. *Omnipotentem Dominum benedicebant,* laudando gratiasque agendo eidem, cujus prævaluerunt auxilio.

Præcepit autem Judas, qui per omnia corpore et animo mori pro civibus paratus erat. In quo patet virtuositas ejus et grandis dilectio ad subditos suos atque ad bonum commune, cujus promptitudo ad mortem pro re publica a corde redundavit ad corpus ipsius, appetitumque sensitivum, qui per corpus potest intelligi, quia organica potentia est. *Caput Nicanoris et manum cum humero abscissam, Jerosolymam perferri.* Istud in primo libro expositum fuit. *Ibid.* 47. *Accersiit,* id est, vocavit seu accessit, *et eos qui in arce erant,* qui erant de parte Nicanoris. Ideo voluit eos per

Digitized by Google

obtentam victoriam perterrere. *Linguam* A *etiam impii Nicanoris præcisam,* id est abscissam, *jussit particulatim avibus dari* ad comedendum, propter blasphemias per linguam ejus prolatas; *manum autem dementis contra templum suspendi,* id est, dexteram insensati ac blasphemi Nicanoris amputatam, jussit Judas ex opposito templi suspendi, eo quod dexteram extendendo, fuerat comminatus quod templum ipsum destrueret. Sicque ad commendationem et laudem divinæ justitiæ et omnipotentiæ Dei fecit Judas hæc omnia. *Omnes* B *igitur cœli Dominum benedixerunt, qui locum suum incontaminatum servavit. Itaque omnes communi consilio decreverunt, nullo modo diem istum absque celebritate præterire.*

Igitur his erga Nicanorem gestis, et ex illis temporibus ab Hebræis civitate possessa, ego quoque in his finem faciam sermonis hujus voluminis. *Et si quidem bene* hæc scripsi, *hoc et ipse velim; si autem minus digne, concedendum,* id est ignoscendum, *est mihi:* quia feci diligentiam C meam pro posse. *Sicut enim vinum semper bibere, aut semper aquam, contrarium est* dispositioni naturæ, quæ secundum diversitatem suæ qualificationis diversa requirit pocula atque cibaria; *alternis autem,* id est nunc isto nunc illo, *uti delectabile* est hominibus : quia, ut ait Philosophus, Actio correspondet naturæ agentis. Ideo, sicut Deus est simplicissimus in fine totius simplicitatis formalis ac actualis per exclusionem universæ potentialitatis, sic ipse unica simplicissima actione æternaliter gaudet. Homo autem est ens maxime compositum, non quod plures habeat partes substantiales, quam corporalia cetera, sed quia plures habet potentias, proprietates et actiones : idcirco in usu alternorum delectari potissime competit sibi. *Ita legentibus si semper exactus sit sermo,* id est, si stilus sit ubique exquisite armatus, atque armate inquisitivus usque ad singula, *non erit gratus,* id est acceptus et placens, quoniam gravat et distrahit mentem. *Hic ergo erit* liber hic *consummatus.*

Insuper ex isto capitulo instruuntur principes et milites omnesque pugnatores fideles, qualiter se debeant ad prælia præparare et in bellis se habere : ut scilicet per confessionem, orationem et satisfactionem se præparent; et in ipso prælio Deum exorent, sintque prompti pro bono communi mori. Ad laudem et gloriam Omnipotentis, qui est super omnia Deus sublimis ac benedictus. Amen.

FINIS COMMENTARIORUM LIBRI MACHABÆORUM SECUNDI

Digitized by Google

COMMENTARIA
IN PSALMOS OMNES
DAVIDICOS

Digitized by Google

Digitized by Google

D. DIONYSII

CARTUSIANI

INSIGNE OPUS COMMENTARIORUM

IN PSALMOS OMNES

DAVIDICOS

QUOS ILLE MULTIPLICI SENSU, NEMPE LITTERALI, ALLEGORICO, TROPOLOGICO, ET ANAGOGICO,
QUANTUM FIERI POTUIT, NON NISI SOLIDISSIMIS
UTRIUSQUE TESTAMENTI SCRIPTURIS DOCTISSIME EXPLANAT.

Ad Colossenses III.

Verbum Christi habitet in vobis abundanter in omni sapientia, docentes et commonentes vosmetipsos psalmis, hymnis, et canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo.

EX EDITIONIBUS COLONIÆ
PETRI QUENTEL, MDXXXI; ITEM MDXXXIV; HEREDUM
JOANNIS QUENTEL, MDLVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI ILLUSTRISSIMOQUE PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO ERARDO DE MARKA, SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ, TITULI SANCTI CHRYSOGONI PRESBYTERO CARDINALI, ARCHIEPISCOPO VALENTIÆ, EPISCOPO LEODIENSI, DUCI BUILLONENSI, COMITI LOSSENSI, ETC., DOMINO AC PATRONO SUO COLENDISSIMO, THEODORICUS LOER A STRATIS, DOMUS CARTUSIENSIS IN COLONIA HUMILIS MONACHUS, ET VICARIUS, SALUTEM ET OMNE BONUM EXOPTAT.

INTER Christianæ Ecclesiæ ceteros scriptores, qui Spiritu divino afflati, Catholicæ fidei documenta mirum in modum suis studiis et laboribus illustrarunt, etiam eximius Pater Dionysius Leuwis a Rickel, ordinis nostri Cartusiani monachus, vir in divinis Scripturis illuminatissimus, haud immerito connumerari (ni fallor) debebit, Reverendissime Pater et illustrissime Princeps : nempe cujus doctrina omnium copiosissima, toto orbe terrarum procul dubio micantissimis splendescere poterat radiis, si non incuria vel ignavia fuisset hactenus neglecta, aut certe propter impensarum inopiam, quibus nos minime sufficimus, piis lectoribus nondum in vulgus edita. Tot equidem atque tantos scripsit saluberrimæ eruditionis tractatulos, libellos, epistolas, et opera, ut apud Latinos vix parem habuisse (ut res ipsa probat) credamus. Quorum aliquos jam utcumque licuit in bonum reipublicæ Christianæ chalcographorum typis excudi curavimus a proximo anno. Nempe Commentaria in omnes B. Pauli Epistolas et ceterorum Apostolorum, quas Canonicas vocant, et in Apocalypsim divi Joannis secretorum cœlestium cognitoris, item in septem psalmos pœnitentiales. Epistolam item paræneticam ad omnes Principes Christianos, quo pacto instituendum esset prælium adversus Turcas, cum tribus revelationibus Dionysio ipsi cœlitus factis de statu Ecclesiæ (quibus permotus eam hujusmodi epistolam ad præfatos Principes scripsit, Commentaria quoque in septem psalmos pœnitentiales). Insuper clarissimum Speculum amatorum mundi, de Arcta via salutis et contemptu mundi, de Gravitate et enormitate peccati, de Conversione peccatoris, de Fonte lucis et Semitis vitæ. Præterea Præcordiale (ut vocatur) Dionysii, et Meditationes ejus. Amplius Dialogum inter patronum et canonicum, Elementationem philosophicam, et Elementationem theologicam. Cetera adhuc sub prælo manent : Monopanton, id est unum ex omnibus Pauli Epistolis ad materias retractas opusculum. Insuper liber de Natura æterni et veri Dei, Exhortatorium novitiorum, de Professione eorumdem, de Utili deductione temporis, de Mortificatione vivifica et reformatione interna, de Profectu spirituali et custodia

Digitized by Google

cordis, atque duo alii tomi minorum opusculorum. Quum hæc atque id genus illius præclari scriptoris monumenta in lucem dari curaverimus, eis tutelares quærentes patronos, indignum vehementer existimavimus, Reverendissime Pater et illustrissime Princeps, te omnium studiosorum fautorem, amicum et singularem patronum, nostro etiam Dionysio jamjam in publicum prodeunti, non conciliare patronum. Nulli equidem potius hæc opera dedicari poterant vel justius debebant, quam tibi Episcopo Leodiensi, in cujus ditione olim auctor eorum procreatus, ea multo studio atque labore conscripsit. Nos vero tui observantissimi, gravibus admodum curis et sollicitudinibus..., ea æneis imprimi characteribus enitimur pro nostra virili, nihil interim diffidentes, quin recte ab omni zoilorum seu æmulorum impetitione hic auctor sit defensus, ubi tanti Principis meruerit patrocinium. Et quis opportunius Dionysio patrocinabitur, illumque defendet, quam Erardus de Marka, adeo apud Summum Pontificem magnus, ut inter Ecclesiæ columnas firmissima basis, et tantus apud Romanorum Imperatorem semper augustum Carolum Quintum, ut nihil non possit quod ad bonum reipublicæ Christianæ attineat? Tibi itaque quum tanta sit in rem Christianam eaque innata pietas, ut acerrimus exsistas Catholicæ religionis propugnator, tam vigilans quoque Dominici gregis pastor, ut oves tibi commissas invadendi lupis illis rapacibus, ac vanæ et quidem perditissimæ hæreseos sectatoribus, nullus pateat aditus : nullus siquidem erroribus favens sub ditione tua delitescere, ne dicam hiscere de illis rebus ausit : usque adeo omnes tuam reformidant justitiam, qua in perditissimos quosque animadvertere soles. Quis mihi hic recensebit studium tuum, diligentiam, et sollicitudinem in fidei Christianæ tuitionem? quandoquidem semper exstitisti princeps pacificus, amator atque auctor pacis, ut non modo pacem et tranquillitatem sub tuo moderamine haberent tui subditi (quibus jam viginti et sex annis in pontificia majestate, dignus profecto reipsa pontificis nomine præfuisti, duplici, quod inquit Apostolus, honore dignus), quum tamen antea pluribus annis, ne dicam sæculis, prope assiduis bellis jactati fuerint. Sed et hoc curasti sedulo, ut et pacem componeres inter vicinos : quod Imperialia, Gallica, et Geldrensium cum Brabantinis meis testantur sedata bella, inter quos nemo inficiabitur te unicum reformatorem fuisse pacis atque concordiæ, ut post Deum tibi acceptum referant, quod quiete potiantur. Et hæc mihi profecto maximo sunt argumento, te nostro Catholico auctori, et illi quidem a generalium studiorum Academiis approbato, facile et absque negotio pacem procuraturum, si qui leviusculi et bonorum osores, bella adversus eum moverint. Quis enim hoc assequetur facilius, ac tua Reverendissima Dominatio, qui ferme omnibus ultramontanis pacem pro innata tua prudentia tam magnifice sæpiusque procurasti? Quis equidem felicior est, admirabili prudentia et dexteritate in rebus etiam arduissimis obeundis, ut non nisi ad res maximas a Deo, in quem omnia sunt referenda, videare procreatus? Quid alioqui sacra Cæsarea Majestas, horum non inscia, nullius consilio libentius quoties ardui aliquid in hisce regionibus sese obtulerit, quam tuo omnium prudentissimo utitur? Nec est quod dubitem, clementissime Pater, hujus auctoris Commentaria luculentissima in Psalterium totum..., quæ tibi affatim nuncupanda censuimus, grata esse, vel eo potissimum nomine quod venerando quidem et humili licet stilo, instar priscorum alta profecto sensa complexus

Digitized by Google

sit. Davidicorum quippe carminum interpretationem, explanationem, seu elucidationem tam enucleatissime nobis aperto sermone et familiari eloquio, quo non esset simplicioris litteraturæ sacerdotibus et clericis intellectu difficilis, absque verborum involucris, fucis, lenocinioque tradidit, ut non minorem Ecclesiæ fructum attulisse mihi videatur, quam ceteri qui ante eum vel hactenus in regii Psaltis Soliloquium commentaria scripsere. Nec quidquam dubito, quin et priores se, quotquot habere potuerit (cujusmodi multi procul dubio fuere), viderit, legerit, eorumque sententiis ..., una cum Theologorum (quos scholasticos vocant) dictis ad rem hanc accommodis hæc sua commentaria locupletarit. Ipse etiam omnem exponendæ Scripturæ modum observat, ut et litteralem et mysticos, nempe tropologicum, allegoricum et anagogicum, ubi littera patitur, quod hactenus nullus præstitit, prosequatur : et id quidem satis solide, sollicite, pie et religiose, ut et mentes vero intellectu instruat, et corda legentium sursum ad cœlestia rapiat et inflammet. Ut autem operi majorem conciliaremus auctoritatem, curavimus ipsum post nostros labores ad editionem exornari per venerabilem, eximiumque insignis nostræ Coloniensis Academiæ Theologum, Joannem Romberch Kirspensem, in divinis litteris apprime exercitatum, eruditumque : cujus studio et diligentia ad prototypum recognosceretur. Qui et ipsum diligenter emendavit et castigavit... Quare, si hoc opus hilari exceperis vultu, Reverendissime Domine et Pater clementissime, venerabilis Prioris mei nomine D. Petri Blomevennæ de Leydis (quem Gratia tua inter clientulos suos, jam olim ante annos aliquot connumerare cœpit), atque cognati mei M. Theodorici Hezei Theologi, Ecclesiæque vestræ S. Lamberti Leodiensis canonici, in eo animum nobis facies, ut adnitamur in majoribus tibi gratificari. Interim tuæ Reverendissimæ Dominationi, et illustrissimæ Gratiæ nos omnes, nostrumque ordinem commendamus, exorantes, ut Deus optimus maximus, ad gloriam suam, et Christianæ religionis bonum diu te nobis servare dignetur incolumem. Ex Cartusia D. Barbaræ Coloniensis. Anno MDXXXI, mensis Martii die vicesimo secundo.

Digitized by Google

CLARISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, D. GUILLELMO JULIACENSI, CLIVENSI, AC MONTENSI DUCI, MARCKENSI AC RAVENSBURGENSI COMITI, DOMINO IN RAVENSTEIN, ETC., DOMINO SUO CLEMENTISSIMO. S. P. D.[1]

QUOD hoc nostri Dionysii Opus, jam tandem diligentissime excusum in ædibus Quentelianis, Tuæ potissimum Celsitudini nuncupatum voluimus : non debet id quidem admirationi esse T. C., Princeps clarissime, quum ea certe ob multas animi præclaras dotes egregiaque decora, nulli non cumprimis sit suspicienda et venerabilis, propterea quod paternis maternisque vestigiis insistens, justitiam summopere colat, iniquitatem ferre non possit, et in eam curam velis remisque omnibus incumbat, ut in ditionibus ipsius Christiana pietas perseveret. Quidni igitur talem nostro quoque Dionysio patronum lubentes quæramus, qui ut est ipse pietatis amantissimus, ita etiam facile ab omnium calumnia vindicare possit auctorem longe piissimum? Crede mihi, clementissime Princeps, multas habes vel ab ipsa natura tibi inditas virtutes, quas si (ut speramus) in rem præsentem contuleris, erit tui nominis apud posteros omnes gloria sempiterna, atque in eorum justissimis nominibus album refereris, quibus nihil prius, nihil antiquius fuerit, quam ditiones suas omnes in Catholicæ fidei puritate conservasse. Vidimus hac nostra ætate summa cum voluptate, quam fueris in asservanda Patrum prisca traditione, religione et fide integer : speque bona fruimur, te semper tui similem futurum. Non deerunt quidem, ut solent aulæ Principum diversa alere ingenia, qui te cupiant ab Ecclesia separatum, idem sentire cum novis nostrorum temporum evangelistis, qui inter sese dissident pugnantissime : sed Deus omnipotens, qui corda Principum moderatur, aderit semper Tuæ Celsitudini, et mentem sanctissimam adspirabit, ut nihil velis aliud, quam quod ad communem pacem, pietatem, religionem pertineat. A quibus certe quantum abhorreant novi isti dogmatistæ, tædet me scriptis hisce inserere, quum nemo eos verius ac rectius prodat, quam ipsi se ipsos. Evangelistas se vocant, nempe pacis nuntios, quum per eos omnis Germaniæ pax plane perturbata sit. Quod utinam Principes plerique studio majori attendere voluissent : non sic hodie abjecta esset omnis illa Germaniæ prisca dignitas, nec tot inter nos sectis divideremur, quum jam olim in Germanis prædicata sit fides atque constantia. Quod vel illo dumtaxat nomine libentius, Princeps illustrissime, commemorarim, ut tametsi Germania misere jam dilacerata, et in multas sectas dissecta est, non tamen omnino salutem ejus et novam quamdam in religione Catholica conspirationem desperare nos debere significem, quod in dies prodeant typis excusa elegantissimis clara egre-

[1] Epistola nuncupatoria tertiæ editionis.

Digitized by Google

giaque doctorum hominum monimenta, quorum consonantissima inter ipsos et cum priscis Patribus docendi ratione, in iis præsertim, quæ ad fidei summam pertinent, possimus facile, modo ne animi quædam pertinacia præpediat, ad eam pertingere fidei et Catholicæ religionis conformitatem, quæ superioribus sæculis unquam vel sperari potuerit. Nemo enim tam improbus esse potest, ut non malit illis accedere, quorum est in declarandis fidei articulis major auctoritas, et integrior consensus, quam iis, qui nec secum ipsi satis constant, et cum aliis etiam suæ farinæ hominibus pugnas gerunt implacabiles. Atque in eorum numero, quibus nova omnia suspecta semper fuere, antiquitas cumprimis venerabilis, haud absurde ego annumerari posse crediderim Dionysium nostrum Cartusianum, qui etsi non incidit in sæculum admodum felix, tamen tantum præstitit, ut se illi nemo facile ausit æquiparare ex recentioribus. Cujus ut ego, Princeps celeberrime, innumeras alias lucubrationes prætercam, quibus certe nihil spectavit aliud, quam Christianæ prodesse reipublicæ, edidit ille commentaria in Psalmos Davidicos longe doctissima. Id vero quo tandem animo? Ut haberent, qui divino sunt mancipati cultui, unde sententiam Psalmorum solidam veramque caperent. Erunt fortassis, qui eum ob stili simplicitatem carpendum putent, sed illi suam prius carpant inscitiam, quasi ille minus doctus censendus sit, qui minori pollet sermonis elegantia. Felices illos, quibus ea contigere tempora, ut possent et eruditionis et elegantiæ fructus suaves carpere. Nec tamen propterea infelicem Dionysium nostrum, quod illi alterum horum defuerit, quum pro suæ ætatis consuetudine scripserit. Quod si illi in hoc sæculum incidere contigisset, certe nemini ego illum neque multiplici eruditione, neque sermonis splendore, neque linguarum peritia concessurum fuisse arbitror. Amabat enim et summopere avebat promovere pietatem, sed non aderant tunc illi semper ad manum opportuna instrumenta. Tamen certe omni laude prosequendus est, quod præstitit quantum ea temporis ratio sinebat. Quod si in illo minus placet sermo paulo incultior, qui illi cum omnibus scholasticis doctoribus communis est, ecce commodissime nobis excitavit Deus aliud genus hominum Religiosorum, qui licet habitu nihil admodum discrepent a Clericis, tamen revera pietati Christianæ excitandæ, promovendæ, ac in dies magis magisque augmentandæ addictissimi sunt. Vocantur ii Fratres de Societate nominis Jesu. Apud hos politiores litteræ non minori studio, quam quæ ad pietatem pertinent, traduntur. Et est revera illorum omnis mens et conatus eo perpetim intentus, ut plurimum accedat Christianæ pietati, vitia et inscitia profligentur, redeat unitas et consensio in animis Christianorum. Imo vero etiam barbaras nationes et hactenus nulla veri Dei cognitione imbutas, maximo numero in dies Christo lucrifaciunt, atque apud amplissimas Indorum ditiones, itemque in Æthiopia, aliisque remotissimis regionibus tantis clarent virtutibus, tot animas e dæmonum manibus eripiunt, ut certe nemo satis mirari possit. Taceo interim de iis, quæ in multis Europæ regnis, atque adeo etiam Coloniæ per eos præclare gesta sunt, hodieque geruntur. Nec tamen licet ita affecti sint, æmulorum iniqua judicia et obtrectationes evitare potuerunt. Fuerunt enim et sunt, eruntque semper qui illis derogent, sed mentietur iniquitas ipsa sibi dumtaxat, quum sint illorum fructus illustres et studia laudatissima, ex quibus Christus bonam arborem agnosci voluit. Speramus Catholicos Principes omnes, in quibus

Digitized by Google

non postremum obtinet locum Celsitudo Tua, hujus instituti professores, tanquam homines doctissimos atque piissimos, ut revera sunt, suis ad se stipendiis evocaturos, ut jam plerique fecerunt, daturosque operam, ut talibus potius juventutem ditionum suarum in omni pietate quam rectissime instituendam tradant, quam pseudodoctoribus quibusdam, qui verbis multa promittunt, re autem vera nihil præstant aliud, quam quod simplicem illam rudemque ætatem pessimis moribus, pravissimis artibus, et perditissimis opinionibus imbutam, in tartara secum trahunt. Unde tanta hodie in Germaniæ præclarissima natione sectarum et hæresum varietas exsistit. Non putamus ignorare Celsitudinem Tuam quale sit hominum genus, quod hic commendamus. Atque utinam tales potius admitterentur ad plebem erudiendam, quam fæx ista excucullatorum monachorum, ac desertorum sacerdotum, qui quum nihil habeant melioris spei reliqui, omni se tradunt lasciviæ et impuritati. Quod ipsum certe argumento est nimis evidenti, eos non ea quæ Jesu Christi, sed quæ carnis suæ sunt, quærere : quum tamen e diverso certissima simus edocti experientia, eos qui de Societate nominis Jesu nomen sibi sumendum statuerunt, omnem profligare iniquitatem, virtutes et bonas artes impendio promovere, denique eo suos conferre conatus omnes, ut homines Christiani ad sui auctoris et assertoris gratiam revertantur. De quibus ego plura scriberem, nisi quibusdam ceu πάρεργα videri posse timerem. Quod autem hoc Dionysii nostri in Psalmos omnes commentariorum Opus longe doctissimum, Tuæ Celsitudini potissimum dedicare voluimus, tuæ fecere virtutes, quas et nos non raro experti sumus. Rogamus autem, Princeps illustrissime, ut eo hæc excipias animo, quo a nobis offeruntur. Certe Tuæ Celsitudini pro multis beneficiis hac ipsa dedicatione vicem qualemcumque rependere voluimus. Dominus Jesus servet Tuam Celsitudinem, Princeps clementissime, in annos plurimos omnibus rebus bonis semper affluentem. Ex Cartusia Coloniensi, quarto Nonas Julias, MDLVIII.

Tuæ Celsitudinis

Capellanus humilis,

F. Gerardus,
Prior Cartusiæ Coloniensis.

Digitized by Google

PRÆFATIO

D*IXIT David filius Isai ; dixit vir cui constitutum est de Christo Dei Jacob, egregius psaltes Israel : Spiritus Domini locutus est per me, et sermo ejus per linguam meam.* II Reg. XXIII, 1, 2.

Quemadmodum Unigenitus Dei Patris, Dominus noster Jesus Christus, ex semine *Rom.* I, 3.
David specialiter incarnari ac nasci elegit (unde et germen seu filius David singu- *Jer.* XXIII,
lariter appellatur) ; sic Spiritus Sanctus animam beatissimi David prophetico lumine 5; XXXIII, 15.
excellenter implevit, eumque de Christi mysteriis præcipue illustravit : quatenus David promissa Dei beneficia recognoscens, Deo largitori gratissimus esset, atque hæc ipsa toti mundo clarissime propalaret.

Hanc igitur gratiam prophetalem sibi tam eminenter divinitus datam considerans, grata et hilari cecinit mente verba nunc introducta, in quibus de se ipso tanquam de alio loquitur : Dixit, inquiens, David filius Isai ; dixit vir cui constitutum est de Christo Dei Jacob, id est, cui specialiter facta est repromissio de Christo Dei,
videlicet quod ex semine ejus Salvator mundi prodiret. Sic enim ad eum alibi ait : De *Ps.* CXXXI,
fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Hic quippe fructus seu filius David 11.
est is, de quo ad Virginem Matrem archangelus Gabriel dixit : Dabit illi Dominus *Luc.* I, 32.
Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum. De quo Isaias
quoque prædixit : Super solium David et super regnum ejus sedebit. Quod qualiter *Is.* IX, 7.
impleatur in Christo, inquiri potest, præsertim quum ipse Pilato responderit : Re- *Joann.* XVIII,
gnum meum non est de hoc mundo. Unde et alibi protestatur : Vulpes terræ foveas 36. *Matth.* VIII,
habent, et volucres cœli nidos ; Filius autem hominis non habet ubi caput suum 20.
reclinet. Nam et requisitus a populo ut constitueretur in regem, fugit, seque abscon- *Joann.* VI,
dit. Non ergo de temporali dominio, mundanove regno exponenda sunt testimonia 15.
præinducta ; sed de spirituali regimine et æterno principatu, quibus nunc in domo *Luc.* I, 32.
Jacob et solio David, id est in militanti Ecclesia et cordibus electorum, regnat per gratiam, in futuroque sæculo regnabit sine fine per gloriam.

Merito igitur David, qui tam præclare vaticinatur de Christo, vocatur Egregius psaltes Israel, id est psalmista præcipuus populi Deum fideliter contemplantis. Quod autem adjungit, Spiritus Domini locutus est per me, ei concordat quod Christus

Digitized by Google

Matth. x, 20. discipulis dixit, Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.

Denique, præter alia multa quæ in verbis præhabitis innuuntur, hoc præcipue advertendum est, quam pulchre et clare trinitas Personarum in ipsis exprimitur. Tangitur namque persona Filii nomine *Christi;* persona vero Spiritus Sancti designatur nomine *Spiritus;* Patris autem persona exprimitur tam nomine *Dei,* quam nomine *Domini.* Christus enim, dicitur Christus et Filius Dei, sicut natus ex Deo
Ps. cix, 3. Patre æterno, quemadmodum scriptum est : Ex utero ante luciferum genui te. Sed Spiritus Sanctus, dicitur Spiritus Dei et Domini, tanquam spirative procedens ex
Joann. x, 30. Deo, id est Patre ac Filio, qui sunt unus Deus, ex quo tanquam ex uno principio æternaliter manat Spiritus Sanctus.

Digitized by Google

COMMENTARIA

IN PRIMAM QUINQUAGENAM

PSALTERII

Digitized by Google

Digitized by Google

COMMENTARIA

IN PRIMAM QUINQUAGENAM

PSALTERII

ARTICULUS PRIMUS

QUID SIT PROPHETIA, ET DE GRADIBUS EJUS, ET QUALIS PROPHETIA SIT DIGNIOR.

PROPHETIA autem ad intellectum potissimum pertinet. Est enim prophetia, supernaturalis futurorum cognitio, ex divina inspiratione adepta. Prophetæ namque dicuntur, qui Deo revelante cognoscunt ea, quæ ceteris abscondita sunt, et procul ab ipsis posita. Propter quod in libro Regum dicitur : Qui nunc dicitur Propheta, olim vocabatur Videns. Et Samuel ad Saul dixit : Ego sum Videns. (I Reg. ix, 9. Ibid. 19.)

Porro prophetia ad gratias gratis datas pertinere cognoscitur, sicut operatio miraculorum, interpretatio sermonum, discretio spirituum. Tales enim ac similes gratiæ, communes sunt bonis et malis. Gratiæ vero gratis datæ, ad aliorum utilitatem dantur et ordinantur, quemadmodum ad Corinthios ait Apostolus : Unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. In quantum igitur prophetalis notitia ordinatur ad hoc, ut aliis innotescat, sic prophetia secundario pertinet ad locutionem: sicque Propheta a præfando nomen accepit. Sed quoniam prophetia est de his, quæ naturalem rationem excedunt, neque naturali ratione probari possunt ; idcirco tertio ad prophetiam pertinet operatio miraculorum, tanquam confirmatio horum quæ prophetice annuntiantur. Et ita intelligendum est quod in Ecclesiastico scriptum est : Eliseus non timuit principem ; et mortuum prophetavit corpus ejus, videlicet quia post mortem mortuum suscitavit. In quo ostendebatur, eum verum fuisse Prophetam. Et simile de ossibus Joseph ait Scriptura. (I Cor. xii, 7. Eccli. xlviii, 13, 14. Ibid. xlix, 17, 18.)

Porro, quemadmodum naturale lumen intellectus agentis, est omnium naturalium cognitionum intellectus possibilis principium ; sic lumen supernaturale atque divinum, est prophetalium cognitionum principium. Ideo, sicut naturalis cognitio intellectus possibilis ad omnia se extendit, seu omnium capax est, quæ per naturale lumen intellectus agentis, inveniri agnoscique possunt ; sic prophetalis cognitio circa omnia illa versatur, quæ per lumen supernaturale ac divinum ostendi valent ac sciri. Per lumen autem divinum omnia utique manifestari queunt, videlicet divina et humana, creata et increata, spiritualia et corporalia, naturalia atque moralia. Unde ad omnia ista extendit se prophetia. Facta est enim aliquando prophetica revelatio de his, quæ ad Dei majestatem seu excellentiam pertinent : sicut

Digitized by Google

Is. vi, 1. Isaias de se loquens, Vidi, inquit, Domi- A
num sedentem super solium excelsum et
Ibid. 3. elevatum ; et quod audivit Seraphim ter
clamantia, Sanctus : quod ad superbenedi-
ctæ Trinitatis pertinet revelationem. Da-
nieli quoque prophetæ ostensum est, qua-
Dan. vii, 10. liter millia millium ministrabant Deo, et
decies millies centena millia adsistebant
ei : quod ad supernorum spirituum pro-
phetalem revelationem spectare non du-
bium est. Continet etiam prophetia, illa
quæ ad mores hominum instruendos respi-
Is. lviii, 7. ciunt, ut est illud : Frange esurienti pa- B
Mich. vi, 8. nem tuum. Et Michæas propheta : Indica-
bo (ait) tibi, o homo, quid sit bonum, et
quid Dominus requirat a te : utique fa-
cere judicium et justitiam, et sollicitum
ambulare cum Deo tuo.

Quanto autem aliqua naturalem ratio-
nem magis excedunt, remotiusque a nostra
cognitione distant, tanto amplius magis-
que proprie rationem prophetiæ concer-
nunt, sicut sunt futura pure contingentia,
ut actus humani. Propterea prophetia pro-
priissime pertinet ad futurorum eventuum C
cognitionem. Sic namque Cassiodorus pro-
phetiam definit, quum ait : Prophetia est
inspiratio seu revelatio divina, rerum even-
tus immobili denuntians veritate. Et ideo
Gregorius super Ezechielem testatur, quia
prophetia ita vocatur, quoniam futura præ-
nuntiat ; dum vero præterita aut præ-
sentia manifestat, nominis sui rationem
amittit.

Præterea, multi sunt gradus prophetiæ :
quorum infimus dicitur, dum aliquis ex
interiori Spiritus Sancti instinctu movetur D
ad exteriora opera : sicut frequenter in
Judic. xi, 29; xiv, 6; xv, 14. libro Judicum scribitur, quod Spiritus
Domini irruit in Jephthe vel Samson, ex
quo inducebantur ad aliqua opera exterius
exercenda. Secundus et altior prophetiæ
gradus est, dum aliquis ex illustratione
Spiritus Sancti, quædam supernaturali mo-
do cognoscit et percipit, quæ tamen natu-
raliter cognosci possunt : quemadmodum
III *Reg.* iv, 29, 33. de Salomone habetur, quod Dominus de-
dit ei sapientiam et prudentiam multam
nimis, ita quod disputavit super lignis, a
cedro quæ est in Libano usque ad hysso-
pum quæ egreditur de pariete ; disseruit-
que de jumentis et volucribus, reptilibus
ac piscibus. De talibus enim gentiles quo-
que philosophi plura disseruisse subtiliter
inveniuntur. Unde hi duo gradus ad per-
fectam prophetiæ rationem non attingunt,
quia ad supernaturalem veritatem non per-
tinent. Nihilo minus aliqua Salomoni re-
velata sunt, quæ naturalis rationis limites
omnino excedunt, præsertim in Canticis :
propter quorum cognitionem, Salomon vere
et proprie Propheta vocatur.

Est ergo tertius gradus propheticæ co-
gnitionis, quando per imaginariam visio-
nem alicui supernaturalis veritas revela-
tur : quemadmodum Daniel vidit Antiquum
dierum, id est Deum æternum, sub simili-
tudine imaginabilium rerum, quemadmo-
dum apud Danielem legitur : Adspicie- *Dan.* vii, 9.
bam, inquit, donec throni positi sunt, et
Antiquus dierum sedit ; vestimentum ejus
quasi nix candidum, et capilli capitis ejus
quasi lana alba. Istiusmodi vero prophetiæ
multi sunt gradus, prout Doctor sanctus in *Thom.* 2.2.
secunda secundæ pulchre deducit.—Prima q. 174, art. 3.
distinctio est penes differentiam somnii
et visionis sive vigiliæ. Interdum namque
prophetica revelatio in somnio infunditur,
sicut scriptum est : Per somnium in visio- *Job* xxxiii, 15, 16.
ne nocturna, aperit aures virorum. Inter-
dum autem infunditur prophetia in visio-
ne vigiliæ, quemadmodum Danieli factum *Dan.* x.
legimus. Et hic gradus est dignior primo :
quoniam major est vigor prophetici lumi-
nis, quando animam vigilantis et circa
sensibilia occupati, ad supernaturalia eri-
git, quam dum animam dormientis, atque
a sensibilibus jam vacantis, ad divina ac
supernaturalia elevat. — Secundo autem
attenditur gradus prophetiæ penes diffe-
rentiam imaginabilium sensibiliumque si-
gnorum, quibus mens Prophetæ ad intel-
lectualem supernaturalis veritatis notitiam
elevatur. Quanto enim signa hujusmodi
fuerint expressiora, tanto prophetia erit
sublimior. Quum ergo, secundum Augusti-

Digitized by Google

num, inter signa primum ac summum locum teneant verba, constat quod prophetia ejus qui vel in vigilando vel in dormiendo audit verba secum loquentis, sit altior prophetia ejus cui dumtaxat ostenduntur res quædam seu similitudines aliarum rerum significativæ : quemadmodum septem spicæ Pharaoni ostensæ, septem fertilitatis annos præfigurabant ; et olla succensa Jeremiæ ostensa, civitatis Jerusalem incendium designavit. — Tertio insuper gradus prophetiæ attenditur penes accessum ad causam ipsam propheticæ cognitionis. Altior enim est gradus prophetiæ, dum non solum verba loquentis percipiuntur, sed ipse quoque loquens adspicitur : sicut Zachariæ prophetæ ac Danieli multisque aliis angeli, per quos (teste Dionysio) propheticæ revelationes administrantur ac infunduntur, apparuerunt. — Quarto autem gradus prophetiæ pensatur ex conditione apparentis atque docentis. Si enim qui videtur, apparet in persona hominis, inferior erit prophetia, quam si appareret in persona angeli. Altissima vero censetur, A si apparet in persona Dei, quemadmodum Michæas ait : Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, et omnem exercitum cœli adsistentem ei a dextris et a sinistris.

Gen. xli, 26. Jer. i, 13 et seq. Zach. i. Dan. vii. III Reg. xxii, 19.

Postremo, summus atque dignissimus prophetiæ gradus est, quando intelligibilis supernaturalisque veritas absque imaginaria visione ostenditur, puta per solam anagogicam ac intellectualem illuminationem. Et hic modus excedit rationem prophetiæ proprie dictæ, ut Thomas affirmat. B Unde hujusmodi modus potius dicitur tertium genus prophetandi, quam gradus prophetiæ. In ratione enim prophetiæ quædam obscuritas includi videtur, sicut in ratione fidei. Propterea nec prophetia, nec fides, comprehensoribus seu Beatis in patria convenit. Sed ad rationem prophetiæ proprie sumptæ requiritur, ut per imaginariam visionem, tanquam per medium, mens Prophetæ ad intellectualem notitiam perducatur. Hoc aliqui asserunt. Ideoque secundum hos, gradus prophetiæ secundum imaginariam visionem distinguuntur.

Thom. 2,2, q. 174, art. 3.

ARTICULUS II

DE SPECIEBUS PROPHETIÆ, ET QUOMODO PROPHETIA INFALLIBILITER IMPLEATUR.

SICUT denique gloriosissimus Apostolorum princeps in secunda sua Canonica ait, Non voluntate humana allata est aliquando prophetia ; sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. Objectum enim prophetiæ est veritas supernaturalis, prout in divina cognitione consistit, ac naturalem rationem transcendit. Intellectus vero divinus futura ac prophetabilia dupliciter cognoscit, videlicet secundum se ipsa seu in se ipsis, prout scilicet sunt fienda a Deo. Secundo cognoscit ea in suis immediatis ac propriis causis, id est secundum ordinem quem ha- C bent ad eas. Prophetalis autem cognitio, est quædam expressio seu derivatio a divina scientia fluens, ac Prophetis infusa.

II Petr. i, 21.

In quantum igitur Deus benedictus et sanctus cognoscit res primo modo, accipitur prophetia prædestinationis, quæ de necessitate semper impletur. — In quantum vero agnoscit res secundo modo, accipitur prophetia comminationis, quæ non semper impletur, nisi forte secundum secretam intelligentiam, ut de subversione Ninive, et morte Ezechiæ. In hac quippe prophe- D tia annuntiatur aliquid secundum ordinem causæ ad suum effectum. Hic autem ordo,

Jonæ iii, 4. Is. xxxviii, 1.

Digitized by Google

aliis ac fortioribus causis supervenientibus, impediri potest, præsertim dum divinæ voluntati, quæ est omnium rerum prima causa, placuerit. Et ideo talis prophetia non semper impletur, sicut nec prophetia promissionis, quemadmodum apud Jeremiam apertissime declaratur. Ibi enim Dominus ait : Repente loquar adversus gentem et regnum, ut eradicem et destruam illud ; si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo, agam et ego pœnitentiam. (*Jer.* xviii, 7, 8.) Et hoc ad prophetiam comminationis clarum est pertinere. De prophetia autem promissionis, mox subditur : Subito loquar de gente et regno, ut ædificem et plantem illud ; si fecerit gens illa malum in oculis meis, agam et ego pœnitentiam super bono quod locutus sum, ut facerem eis. (*Ibid.* 9, 10.) Unde hujuscemodi propheticæ annuntiationes semper intelligendæ sunt, nisi aliunde proveniat impedimentum, videlicet ex meritis sive demeritis hominum, aut alia simili causa. Hinc enim dicit Gregorius, quod Deus non mutat consilium, quamvis mutet sententiam. — Est autem et alia species prophetiæ, quæ dicitur prophetia præscientiæ, quæ est de rebus, secundum quod Deus prænoscit futura, prout per nostrum arbitrium adimplentur : et ista est bonorum atque malorum.

Quatuor sunt ergo species prophetiæ ; verumtamen Glossa in principio libri Psalmorum, ponit duas dumtaxat species prophetiæ, videlicet præscientiæ et comminationis. Prophetia namque promissionis, sub prophetia comminationis comprehenditur, vel ad eam reducitur. Prophetia quoque prædestinationis, sub prophetia præscientiæ continetur, quia prædestinatio est pars præscientiæ. Dicitur enim præscientia, prænotio tam electorum, quam reproborum. Unde Apostolus interdum utitur nomine præscientiæ, quantum ad bonos, quemadmodum ad Romanos de Deo loquens : Quos, inquit, præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui. (*Rom.* viii, 29.) Sed quoniam electorum prænotio proprium nomen habet, quod est prædestinatio; ideo præscientia communiter sumitur, quantum ad malos, ita quod præsciti dicuntur mali et reprobi. Dicit etiam Glossa prætacta, quod prophetia præscientiæ semper impletur.

ARTICULUS III

AN DAVID FUIT EXCELLENTISSIMUS PROPHETARUM.

DIONYSIUS, primo Cœlestis hierarchiæ capitulo, duplicem tangit modum revelationis propheticæ, quæ sanctorum theologorum Prophetarumque mentibus est infusa. Interdum enim per sensibilia signa, demonstrata est veritas supernaturalis ac prophetalis ; quandoque vero per solam mentis elevationem in divina pure contemplata, sine sensibilium tegumento formarum, et sine imaginariarum similitudine specierum. Prima autem harum revelationum, symbolica dicitur : quoniam symbolum est collatio sensibilium formarum, ad invisibilium demonstrationem. Secunda vero, anagogica nuncupatur. Anagoge namque est pura mentis ascensio ad divina.

Denique, secundum Augustinum, tribus modis causatur seu fit prophetalium formarum ostensio. Aliquando enim fit sola imaginaria visione, sine intellectuali revelatione : sicut in Nabuchodonosor, qui vidit statuam grandem (*Dan.* ii, 31); et in Balthasar filio ejus, qui vidit articulos (*Ibid.* v, 5); atque in Pharaone, qui vidit septem boves et septem spicas (*Gen.* xli, 2, 7) : et horum nullus erat propheta. Ad prophetiam

Digitized by Google

enim exigitur primo alicujus revelandi A ostensio; secundo, propositæ veritatis perceptio. Propter quod in Daniele scriptum est: Intelligentia opus est in visione. Et ideo Joseph et Daniel, qui prædictas visiones imaginarias intelligebant et exponebant, Prophetæ fuerunt. Interdum autem in prophetali revelatione simul infunduntur imaginaria visio et intellectualis perceptio: et hoc modo omnes Prophetæ duodecim, quorum libros habemus, prophetaverunt. Interdum vero infunditur prophetia secundum solam intellectualem illustratio- B nem: et hic modus prophetandi est purior atque præstantior. Sic David prophetasse ab omnibus dicitur. Unde Glossa in exordio Psalterii asserit, quod alii Prophetæ per quasdam rerum imagines et integumenta verborum prophetaverunt, videlicet per somnia, et dicta, ac facta; David autem solus Spiritus Sancti instinctu, sine omni exteriori adminiculo, suam edidit prophetiam.

Dan. x, 1.

Fit autem prophetia quatuor modis: Primo, per facta, ut arca Noe significavit C Ecclesiam, et per sartaginem ferream, inter Ezechielem et Jerusalem positam, designabatur devastatio urbis Jerusalem. Secundo, prophetia fit per verba seu dicta, sicut ad Abraham dictum est: In semine tuo benedicentur omnes tribus terræ. Tertio, per visiones, sicut Moyses vidit rubum ardere, nec tamen consumi. Quarto, per somnium. — Præterea quædam est prophetia de præterito, sicut Moysi prophetica revelatione innotuit creatio mundi. Unde quod ait, In principio creavit Deus D cœlum et terram, prophetia est. Alia est prophetia de præsenti, sicut dum aliquis Spiritu Sancto revelante cognoscit, quid alius cogitat. Et sic Elisabeth de incarnatione Christi et ejus præsentia prophetavit: Unde (inquiens) hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? Tamen ut dictum est, prophetia proprie dicta, non est nisi de futuro. — Et quia donum prophetiæ pertinet ad gratiam gratis datam, non ad gratiam gratum facientem; idcirco per ma-

Gen. vi, 14. *Ezech.* iv, 3. *Gen.* xxii, 18. *Exod.* iii, 2. *Gen.* i, 1. *Luc.* i, 43.

los etiam, spiritus prophetiæ aliquando loquitur, sicut per Balaam: qui quamvis ariolus et magus ac pessimus fuerit, pulcherrime tamen prophetavit, quemadmodum in libro Numerorum habetur.

Num. xxiv, 5 *et seq.*

Est igitur quæstio, an David sit maximus Prophetarum. Et quod sit ceteris Prophetis, qui imaginarias aut corporales visiones habebant, sublimior, palam est ex præinductis. Sed de hoc maxime est quæstio, an sit major Propheta quam Moyses.

Hanc vero quæstionem S. Thomas inducit; eamque solvendo testatur, quod omnibus consideratis, simpliciterque loquendo, Moyses excellit in dono prophetiæ sanctum David, quamvis vel David, vel alii, quantum ad aliquid, possint excedere Moysen: quia videlicet de Christi mysteriis plenius sunt locuti, ut David; vel quia majora fecerunt miracula, ut Josue, ad cujus præceptum sol et luna steterunt immobiles in cœlo unius diei spatio. Quod vero Moyses, absolute loquendo, sit Propheta altissimus, probatur, quia ad prophetiam præcipue spectat visio tam imaginaria, quam intellectualis; item denuntiatio veritatis ostensæ, atque miraculorum ostensio. Moyses autem in omnibus his excellebat. Primo, quoad intellectualem visionem: quoniam secundum Augustinum, in hac vita vidit Deum per essentiam, sicut et Paulus in raptu, ut Augustinus duodecimo super Genesim ad litteram, et in libro de Videndo Deum, fatetur. Unde in libro Numerorum de Moyse dicitur: Palam et non per ænigmata Deum videt. Secundo, Moyses reliquos omnes præcellit, quantum ad imaginariam visionem, quam quasi ad libitum habuit, non solum audiendo et in somno, sed et videndo angelum colloquentem sibi, et vigilando. Et ideo in Exodo dicitur, quod loquebatur ei Dominus, id est angelus Domini, facie ad faciem, sicut loqui solet homo ad amicum suum. Tertio, Moyses excellit quoad denuntiationem, quoniam toti populo loquebatur, proponens ei legem. Quarto, excellit Moyses quoad miraculorum ostensionem, quia multa magna

Thom. 2, 2, q. 174, art. 4. *Josue* x, 12, 13. II *Cor.* xii, 2-4. *Num.* xii, 8. *Exod.* xxxiii, 11.

Digitized by Google

fecit miracula coram iniquis et populo universo.

Sed huic responsioni contradicit Nicolaus de Lyra, præsertim in hoc, quod Thomas idcirco præfert Moysen David in dono prophetiæ, quia vidit in præsenti vita Deum per essentiam, quoniam talis visio ad prophetiam nil pertinet. Verumtamen determinatio Thomæ conveniens est. Quamvis enim visio ista directe ad prophetiam non pertinet, tamen eo modo quo miracu- A lorum operatio ad eam pertinere asseritur, ipsa quoque ad eam pertinere censetur. Unde in Deuteronomio scriptum est : Non surrexit ultra Propheta in Israel sicut Moyses, quem nosset Dominus facie ad faciem, in omnibus signis atque portentis quæ per eum fecit Dominus in terra Ægypti. *Deut. xxxiv, 10, 11.*

Quod ergo David dicitur eximius Prophetarum, intelligendum est quantum ad hoc, quod de Christi mysteriis excellentius et evidentius prophetavit.

ARTICULUS IV

DE QUADRUPLICI EXPOSITIONE SACRÆ SCRIPTURÆ, ET SEPTEM REGULIS AD INTELLIGENTIAM SCRIPTURARUM SANCTARUM VALDE UTILIBUS.

TOTA fere sacra Scriptura, seu theologicalis doctrina, sub quibusdam figuris ac similitudinibus mirabiliter est velata, quatenus veritas indignis et pravis hominibus occultetur, studiosis vero ac piis occasio bonæ exercitationis præstetur ; et item, quoniam secundum Dionysium, impossibile est aliter nobis innotescere divinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum anagogice circumvelatum. Unde Damascenus : Scire, inquit, oportet nos homines in hac grossa carne exsistentes, res divinas et immateriales non posse agnoscere, nisi quibusdam notis imaginibus et connaturalibus formis usi fuerimus. Et ideo Augustinus ait : Notitia proprietatum naturalium rerum, reserat nobis sanctarum abdita Scripturarum. Hinc ergo contingit, quod sacra Scriptura multis modis exponitur, eo quod non solum nomina significent res, sed etiam res una significet aliam. Nam res ipsæ comparantur ad intellectum divinum, sicut verba ad proferentem : quoniam ipse dixit, et facta sunt. *Ps. cxlviii, 5.* Sacratissima igitur theologia non solum attendit vocum significationes, sed etiam rerum proprietates.

B Quatuor itaque modis exponitur sacra Scriptura : videlicet litteraliter seu historice, et spiritualiter seu mystice. Sed mysticus intellectus est triplex, scilicet allegoricus, tropologicus seu moralis, et anagogicus. Historia enim docet quid sit factum, allegoria quid credendum, tropologia quid faciendum, anagogia quid sperandum. Historia autem est rei gestæ narratio. Sensus vero historicus seu litteralis, est fundamentum seu basis intellectuum aliorum : et ex eo solo valet argumentum ad fidei C probationem, sicut in epistola contra Vincentium Donatistam asserit Augustinus. Denique sensus allegoricus est, quando ex dicto vel facto alicujus personæ, aliud quid intelligitur pertinens ad Christum et corpus ejus mysticum, quod est Ecclesia : sicut dum ea quæ in veteri Testamento ad litteram sanctis patribus contigerunt, de Christo intelliguntur ; vel ea quæ ad Synagogam spectabant, ad Ecclesiam referuntur. Omnia namque in figura contingebant illis, et scripta sunt ad nostram eruditionem. *I Cor. x, 11; Rom. xv, 4.* D Sensus vero tropologicus est, quando ea quæ de Christo vel de Sanctis scribuntur et recitantur, ad nostram moralem in-

Digitized by Google

formationem aptantur et exponuntur. Sensus autem anagogicus est, quando ex his quæ temporaliter facta sunt, ad contemplationem æternorum perducuntur; et ea quæ ad militantem Ecclesiam pertinent, ad statum triumphantis Ecclesiæ referuntur.

Horum autem solet poni exemplum in hac dictione, Jerusalem : quod quia commune est et pene omnibus notum, omitto; ponamque exemplum in integra oratione. *Exod.* XVI, 4 *et seq.* Id enim quod de manna scriptum est, secundum litteralem sensum exponitur de cibo illo, quem Deus pluit filiis Israel in deserto. Allegorice vero exponitur de superdignissimo corporis et sanguinis Christi Sacramento. Manna enim figura fuit Sacramenti altaris. Tropologice quoque exponitur de spirituali nutritione, qua Deus quotidie servos suos fideles in præsenti exsilio interius alit, consolatur, ac roborat per caritatem et gratiam. Anagogice autem exponitur de felicissima illa refectione Beatorum in patria, ubi ipsa superessentialis Divinitas est Beatorum edulium per beatissimam fruitionem. Unde et scriptum est : Beatus qui manducabit panem in regno Dei. *Luc.* XIV, 15. Et iterum : Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos. *Ps.* XXXV, 9.

Porro septem sunt regulæ, quas Augustinus, Beda et Haymo referunt a Tichonio positas, per quas omnes ambiguitates contrarietatis litteralis explanantur et dissolvuntur. His enim regulis sanctarum Scripturarum series variatur, atque expositio immutatur. — Prima regula est, quod interdum de Christo et corpore ejus mystico fit sermo sub una invariataque voce, et ita fit transitus de uno in aliud, ac si de eodem fieret sermo. Tunc ergo considerandum est, quid uni, et quid alteri congruere possit. Christus namque vicissim in persona membrorum suorum aliquid loquitur, quasi de se ipso, ut ibi : Quare me dereliquisti longe a salute mea? *Ps.* XXI, 2. Et iterum : Esurivi, et non dedistis mihi manducare. *Matth.* XXV, 42. Et rursus : Saule, Saule, quid me persequeris? *Act.* IX, 4. — Secunda regula est, quod sancta Scriptura aliquando simul loquitur de corpore Christi mystico quod vere ad Christum pertinet, et corpore mystico quod solo nomine ad ipsum spectat, ut sunt reprobi : sicut dum dicitur, Quum occideret eos, quærebant eum, et revertebantur, et diluculo veniebant ad eum. *Ps.* LXXVII, 34. In tali enim locutione videtur Scriptura de eisdem loqui, quum tamen de diversis loquatur. Nam alii occidebantur, et alii quærentes Deum, revertebantur. — Tertia regula est, quod sacra Scriptura interdum sub eadem voce, aliquid pro suo tempore faciendum litteraliter indicat, et Spiritus nobis ex hoc alia suo tempore facienda insinuat : sicut in præceptis cærimonialibus veteris legis, quæ modo ad litteram mortifera essent, sed tempore legis utiliter observari volebant. Unde Apostolus : Littera, inquit, occidit, spiritus autem vivificat. *II Cor.* III, 6. — Quarta regula est, quod divina Scriptura nonnunquam quasi sub eadem voce ac pari sententia, transit de genere ad speciem, de toto ad partem, et econverso : talisque modus loquendi, in Prophetis est maxime generalis, ut quando sub comminatione unius gentis seu regni, intendunt Prophetæ prædicere ea quæ omnibus generaliter sunt futura. Sicut dum Isaias de Babylone et Tyro vaticinatur, intendit similia esse ventura omnibus eadem mala agentibus in communi. Unde et Christus in Evangelio ait : Quod vobis dico, omnibus dico. *Marc.* XIII, 37. — Quinta regula est, quum totum per partem, vel partem per totum Scriptura designat, sicut de triduo dominicæ sepulturæ. Tales modi loquendi, per synecdochen excusantur. Ad hunc autem modum referuntur omnes numerorum ac temporum defectus atque excessus : sicut dum ponitur præteritum pro futuro, vel aliquid minus de integro numero : tunc namque quod modicum est, pro nihilo reputatur. — Sexta regula est de recapitulatione et anticipatione, ut quum Scriptura redit ad ea quæ præterierat, quatenus aliquid addat, vel convenientius recitet : quemadmodum in Genesi postquam commemoravit Scriptu-

ra filios Noe divisos per linguas et gentes, postmodum subdit, Et erat populus unus et labium unum : quod utique ante divisionem prædictum fuit. Simili modo, quod postea factum est, per anticipationem aliquando antea narratur. Talia ergo per hanc regulam verificantur et excusantur.— Septima regula est, de diabolo et corpore ejus, sicut dum ea quæ dæmonis sunt, reprobis adscribuntur, vel vice versa : ut in Isaia A offendimus, quod sub persona regis Babylonis, fit sermo de Lucifero, qui caput est omnium malorum. Unde sic legitur : Quomodo cecidisti, Lucifer, qui mane oriebaris ? Similiter in Ezechiele, sub persona regis Tyri, fit sermo de casu diaboli. Et Christus in Evangelio de Juda proditore dixit : Unus ex vobis diabolus est.

Gen. xi, 1, 6. — Is. xiv, et seq. — Ibid. 12. — Ezech. xxviii, 12 et seq. — Joann. vi, 71.

Hæc autem memoriter retinenda sunt, propter intelligentiam futurorum.

ARTICULUS V

DE TITULO ET AUCTORE, AC VARIA TRANSLATIONE LIBRI PSALMORUM.

NUNC de titulo libri Psalmorum videndum est. Est igitur titulus talis : *Incipit liber Hymnorum, seu Soliloquiorum Prophetæ de Christo.* Hic titulus a catholicis doctoribus diversimode valde exponitur. Id tamen in quo omnes concordant, primo tangendum est. Dicitur igitur liber iste, liber Hymnorum, quoniam hymnus est laus Dei cum cantico. Canticum vero est exsultatio mentis de bonis æternis concepta, in vocem prorumpens. Quoniam itaque liber iste docet nos Deum laudare cum exsultatione habita de æternis non solum corde, sed etiam voce, idcirco congrue dicitur liber Hymnorum. Sunt vero hi hymni in Hebræo metrice scripti : quod in translatione servari difficile fuisset. — Additur autem in titulo : Seu Soliloquiorum : et hoc ideo, quoniam David ex sola Spiritus Sancti inspiratione, ac intellectuali revelatione, sine omni exteriori adminiculo, psalmos edidit ; sicque inter ipsum et Spiritum Sanctum, quasi quoddam soliloquium fuisse videtur. Vel ideo, quoniam liber iste de solo Christo principaliter tractat et loquitur. Vel ideo, quia devota mens psalmos decantando, cum Deo quoddam soliloquium habet : quod utique tanto suavius, affectuosius, ardentius, atque B sincerius est, quanto anima virtutem ac sensum psalmorum profundius clariusque cognoscit et sapit. — Sequitur autem in titulo : Prophetæ. Omnes namque concordant in hoc, quod universi psalmi ex divina inspiratione conscripti sunt ab aliquo Prophetarum. Sed an ab uno dumtaxat, vel certe a pluribus, de hoc varia exstat opinio, sicut infra patebit. — Sequitur quoque in titulo : De Christo. Ecce materia seu subjectum libri Psalmorum. Est enim de Christo, non utique de sola C Christi persona, sed de toto Christo, hoc est de ipso et ad eum pertinentibus, nempe de Sponso et Sponsa, seu capite et mystico corpore. Interdum enim agit de capite, id est de ipso Christo secundum se ; interdum de corpore ejus, id est Ecclesia. Interdum vero agit de Christo secundum utrumque. Denique, de Christo secundum se agit tripliciter. Primo secundum ejus divinitatem, ut ibi : Ego hodie genui te. Secundo, quoad ejus humanitatem, ut ibi : Ego sum vermis. Tertio D transumptive, sicut dum Christus utitur voce membrorum, ut ibi : Deus, tu scis insipientiam meam.

Ps. ii, 7. — Ps. xxi, 7. — Ps. lxviii, 6.

Nunc considerandum est, in quo doctores dissentiant exponendo titulum istum.

Digitized by Google

Primo ergo discordant in hoc quod dicitur, Incipit liber. Quidam enim dicunt quinque esse libros Psalmorum, propter quinque distinctiones quæ fiunt in libro isto per Fiat, fiat. Alii autem asserunt unum tantummodo esse librum, quoniam postea dicitur, In capite libri scriptum est de me. Et in Actibus Apostolorum dicitur, Sicut scriptum est in libro Psalmorum. Non dicitur, In libris; sed, In libro. Verumtamen videtur, salvo meliori judicio, quod utraque positio posset verificari, ut videlicet dicatur unus liber totalis, et plures libri partiales, quemadmodum et liber Regum unus vocatur, qui tamen in quatuor libros partitur. Liber quoque duodecim Prophetarum dicitur unus, quem constat dividi posse in duodecim libros partiales, præsertim quum Nahum propheta, cujus vaticinium pene brevissimum est, in prophetiæ suæ exordio dicat, Liber visionis Nahum.

Ps. XXXIX, 8. *Act.* I, 20.

Secundo discordant circa hoc quod dicitur, Prophetæ, videlicet in auctore psalmorum. Quidam enim affirmant omnes psalmos a David compositos, nempe Augustinus, Cassiodorus, Glossator, et alii multi. Alii vero contra tenent oppositum, puta Hieronymus, Hilarius, Chrysostomus, quos sequitur Nicolaus de Lyra, asserentes Hebræorum doctores affirmare multos esse auctores psalmorum. Quid autem horum sit verius, certitudinaliter discernere nequeo.

Verumtamen sicut Gregorius primo libro Moralium super Job, supervacuum esse testatur multum inquirere quis fuerit auctor libri Job, quando certissimum est librum ipsum a Spiritu Sancto, sicut a principali auctore editum; sic etiam modo videtur supervacuum curiose scrutari, aut multum contendere, an solus David ediderit psalmos, quum utique planum sit omnes psalmos revelatione Spiritus Sancti esse conscriptos. Nihilo minus probabilius veriusque opinor, a solo David librum Psalmorum esse compositum. Alias namque verum non appareret, omnes psalmos ex anagogica Spiritus Sancti revelatione, id est sine omni exteriori adminiculo imaginariarum formarum, et corporalium specierum sensibiliumque signorum, fuisse revelatos ac editos. Vel certe David dici non poterit eximius Prophetarum, tanquam qui solus anagogica et non symbolica revelatione prophetavit. Præterea, quæ a Deo sunt, ordinata sunt. Quum ergo, ut pene omnes concorditer adstruunt, Esdras Spiritu Sancto revelante ac disponente, psalmos reparaverit, ac in unum collegerit, non videtur quod tam diversorum auctorum seu Prophetarum psalmos tam confuse misceret, ac inordinate disponeret, nunc unius, nuncque alterius psalmum describens: quasi liber iste esset rapiarius quidam, sive quoddam ex dictis diversorum collectum. Et mirum videtur, cur psalmos David non redegerit in librum specialem, quum certum sit, majorem partem psalmorum ab ipso compositam, præsertim quum in reparatione aliorum Prophetarum, talem formam servaverit. Quamvis enim duodecim Prophetarum vaticinia in unum collegerit librum, singulorum tamen scripta seorsum posuit, cuilibetque Prophetæ specialem ac partialem deputans librum, non obstante quod nonnulli eorum in materia multum concordent, et aliqui valde breves sint. Attamen, si non solus David edidit psalmos, tunc utique ista commixtio psalmorum non est inordinata dicenda, neque confusa, sed ex certa ratione facta: quam quia invenire non valeo, id quod modo dixi, probabilius puto, quamvis nihil determinative affirmo.

Rom. XIII, 1.

Advertendum autem est, quod S. Hieronymus ter transtulit librum Psalmorum. Primo, secundum Septuaginta interpretes: quod appellatur Psalterium Romanum, quoniam Ecclesia sancti Petri utitur eo. Secundo, ad instantiam Paulæ et Eustochii fecit aliam translationem, non multum a prima differentem, licet Hebraico magis vicinam: et dicitur Psalterium Gallicanum, quia Damasus Papa ad preces

Digitized by Google

Hieronymi fecit illud in ecclesiis Gallicanis cantari; et ista translatio apud Latinos communior est. Tertio, transtulit librum hunc pure juxta Hebraicum, ad instantiam cujusdam sancti episcopi nomine Sophronii, qui cum Judæis frequenter disputabat. Unde indiguit textu per omnia simili A Psalterio, quod in Hebræo habetur : nam illud solum a Judæis recipitur.

Intentio vero libri Psalmorum est, Christi mysteria pandere, sicque genus humanum in veteri Adam lapsum ac deformatum, in novo homine Christo erigere, reformare, ac beatificare.

ARTICULUS VI

DE VIRTUTE PSALMORUM, ET DE MODO ORANDI ATQUE PSALLENDI.

QUONIAM igitur psalmodia est quoddam soliloquium Spiritus Sancti cum pia devotaque anima, constat neminem posse virtutem psalmorum vere et experimentaliter cognoscere, nisi eum qui puro et stabilito ac libero animo, sacratissima psalmorum verba decantat, munda ac fixa mente Deo intendens, sensumque verborum cum ingenti attentione advertens, et velut ex proprio affectu ea formans atque pronuntians. Hoc enim (ut ait Basilius) est psallere sapienter, quatenus cum intellectuali dulcedine et interno sapore verba Spiritus Sancti promamus, cum omni reverentia et cordis custodia nosmetipsos ante Dei conspectum, qui vere ubilibet præsens est, statuendo, ac recolendo quod scriptum est : Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper. Et iterum : Vivit Dominus, in cujus conspectu sto hodie. Illud quoque Jeremiæ : Maledictus homo qui facit opus Dei negligenter. Nam Spiritus Sanctus qui est ignis innocue ardens, ac ardentissima caritas, affectuosissima verba in psalmis deprompsit, omnique generi hominum convenientes sermones descripsit : nunc ea proponens quæ perfectos respiciunt, et ex magno caritatis fervore canenda sunt; nunc vero proponens quæ pœnitentes et imperfectos concernunt. Imo omni virtuoso affectui apta cantica exhibet. Interdum enim proponit quæ in persona Christi dicenda sunt, interdum quæ B in persona Ecclesiæ, interdum quæ in persona peccatoris ac pœnitentis, interdum quæ in persona efficaciter proficientis, interdum quæ in persona perfecti et fervide diligentis, interdum quæ in persona justi et cum Deo æquitatem zelantis, interdum quæ in persona gratias agentis. Unde qui psalmos cum perfecta devotione cantare seu legere cupit, necessario indiget ut suum affectum sensui psalmorum conformet, omniumque prædictarum personarum similitudinem sibi assumat, prout C psalmorum sententia exigit. Ait namque Dionysius tertio Cœlestis hierarchiæ capitulo, quod psalmi per modum divinæ laudis, includunt et continent quidquid sacra Pagina comprehendit.

Ps. xviii, 15. III *Reg.* xvii, 1; IV *Reg.* iii, 14. *Jer.* xlviii, 10.

Idcirco verissime dictum est, quod nullus mortalium potest vel mente concipere, vel verbis exprimere virtutem psalmorum. Omnium enim vitiorum eradicationem, omnium virtutum adeptionem, omnisque perfectionis plenitudinem docent; fidem illuminant, spem roborant, caritatem in- D flammant, humilitatem instruunt, mansuetudinem specialissime commendant, patientiam ceterasque virtutes erudiunt, mentem devote psallentis vehementer oblectant, omnem vitiosam sæculique tristitiam auferunt. Et qui in continua psalmorum decantatione lætatur, cœliformem atque angelicam vitam in hoc sæculo nequam ducit, carnales delectationes fasti-

Digitized by Google

dit, vanos et infructuosos sermones, sæculares rumores ac temporis amissionem vehementer abhorret, ab humano colloquio separari satagit, cum Deo sermocinari conatur, omniumque gratiarum splendore incessabiliter adornatur. Insuper in psalmis ignitissimæ et affectuosissimæ orationes continentur, et jucundissima gratiarum actio, humillima peccatorum confessio, excellentissima Dei laudatio, omnis boni commendatio, omnis mali detestatio, et præclara ac sublimissima ad Deum mentis erectio. In psalmis quoque descripta sunt impiorum tormenta, electorum merces et gaudia, incipientium rudimenta, proficientium progressio, perfectorum plenitudo, vita activorum, speculatio contemplativorum.

De modo autem psallendi quid aptius potest doceri, quam quod devotissimus atque dulcissimus ille Bernardus inducit? Super Cantica, serm. 47. Moneo, inquiens, vos, dilectissimi fratres, strenue laudibus interesse divinis, ut sicut reverenter, ita et alacriter Domino adsistatis, non pigri, non somnolenti, non oscitantes, non parcentes vocibus, non verba dimidia præscindentes, non integra transilientes, non fractis et remissis vocibus muliebre quiddam balbe de naribus resonantes; sed virili, ut dignum est, sono atque affectu voces Sancti Spiritus depromentes, nec aliud quam quod canitur cogitantes. Spiritus enim Sanctus gratum non habet, quidquid ei obtuleris, neglecto eo ad quod teneris. Nempe, ut ait Basilius, Deus orandus est atque laudandus, non vaga et huc illucque discurrente anima; sed in spiritu sollicito ac timorato adorare oportet, et ante orationem animam præparare, Eccli. XVIII, 23. varias et impertinentes occupationes abjiciendo, ac aliquid salutare interioribus imprimendo, et magno serio inchoando, ne modicus error in principio, augeatur in prosecutione, magnusque fiat in fine.

Sed sic orare et psallere, multa requirit, et sanctam conversationem efflagitat, quatenus homo ante orationem ita se habeat, ut possit per gratiam Dei in ipsa oratione ac laudis tempore, stabili mentis intuitu A atque ardenti affectu Deo intendere, ac sensum perpendere, divinorum eloquiorum virtutem gustare. Omnino enim oportet aggravantem vitare tristitiam, resolventem odio habere lætitiam, inordinatum timorem, immoderatam sollicitudinem, omnemque irrefrenatam concupiscentiam, et irrationabilem animæ passionem expellere: et quanto poterimus animam nostram ab omnium inferiorum virium operationibus magis suspendere, et a sensibilium memoria et amore magis abstrahere; tanto B poterimus divinis præconiis sanctisque precibus, affectuosius, dulcius atque salubrius intendere ac vacare. Spiritus enim est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu oportet adorare. *Joann.* IV, 24.

Denique in cantu omnis curiositas, omnis dissolutio, omnis discordia, summe vitandæ sunt; et summopere satagendum, ne alicui placere intendamus, nisi Altissimo, in eo dumtaxat spiritualiter gloriantes, ab eo solo videri, audiri, ac præmiari optantes, sensui verborum semper et Deo C magis quam cantui et modo cantandi intendentes, illud dictum B. Augustini pensando: Dum mihi contingit, ut me cantus magis quam res quæ canitur, moveat, pœna committere digna me profiteor, et tunc mallem non audire cantantem. Conemur ergo, ut id in mente nostra versetur, quod ore profertur. Et si quispiam tantæ scientiæ non est, ut Scripturas sanctas intelligat, et proinde psalmodiæ sensum mente considerare nequeat; vel certe si id quod canitur, quantum ad superficiem atque hi-D storicum sensum, tale sit, ut nullam vel modicam videatur devotionem includere, cujusmodi est illud, Etenim passer invenit sibi domum, et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos: *Ps.* LXXXIII, 4. tunc studere debemus, ut mentem nostram cum cordiali affectu ad Deum levemus, pensantes nos ante Dei conspectum adstare, et summo universorum Dominatori ac Judici ministrare. Sicque divinam majestatem aut aliud aliquid divinum considerantes, poterimus cum magna devotione Deo adsistere.

Digitized by Google

ARTICULUS VII

DE INTENTIONE ET FORMA PROCEDENDI PRÆSENTIS EDITIONIS.

QUAMVIS autem sacra Scriptura jam a A sanctis et magnis ac orthodoxis doctoribus plenissime videatur exposita, præsertim liber Psalmorum, nullusque possit David perfecte exponere, nisi Spiritus Sanctus qui per David locutus est animam ejus copiose illustraverit, docuerit atque perfecerit; nihilo minus in Dei bonitate vehementer confidens, conabor quod proprias vires prorsus excedit, nempe ipsum Psalterium utcumque elucidare, spe præmii quod Sapientia pollicetur, dicens :
Eccli. xxiv, 31. Qui elucidant me, vitam æternam habe- B
Dan. xii, 3. bunt. Et iterum : Qui multos erudiunt ad justitiam, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates. Quod de iis intelligere congruit, quorum vita seu conversatio do-
Ps. xlix, 16. ctrinæ concordat. Peccatori autem dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas?
Dist. 19, q. 2, art. 2. Imo sicut B. Thomas super quartum Sententiarum ostendit, qui non implet quod alios docet, eo ipso quo sibi docendi onus assumit, mortaliter peccat : quoniam quantum in se est, intentionem sacræ Scripturæ evacuat. Porro cujus vita ad docendum C idonea est, profecto aureolam promeretur, etiam si nunquam ore populo prædicet, sed sacram Scripturam exponendo, seu de theologia codices componendo, universis qui eos legerint, ad eruditionem loquatur.

Sed ne quis opus istud omnino superfluum putet, intendo speciali quodam modo librum Psalmorum exponere : sic tamen speciali, ut dictis Sanctorum concordet, nec proprio sensui credam. Intendo ergo Psalterium secundum multiplicem intellectum, prout Dominus dederit, explanare : videlicet litteraliter, allegorice, tropologice et anagogice, quantum textus ipse permittit, et mihi possibile fuerit, ejusdem litteræ nunc plures, nunc pauciores expositiones tangendo, prout materia exigit. Postremo, quemadmodum a Superioribus meis mihi injunctum est, propono stili colorem, loquendi difficultatem, et impertinentes subtilitates vitare, et plano ac simplici modo procedere.

Quod ut digne ac fructuose exsequi possim, ad superbenedictæ et supergloriosissimæ Trinitatis honorem, omniumque legentium ac audientium utilitatem, totis præcordiis oro et invoco benignitatem Spiritus Sancti copiosam et incessantem : quia
sicut in libro Job habetur, Spiritus est in *Job* xxxii, 8.
hominibus, et inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam. Nam de Spiritu Sancto lo-
quens Christus discipulis : Paracletus, ait, *Joann.* xiv, 26.
Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.

NOTA HUJUS EDITIONIS AD ART. VIII ET SEQ. : Numeri versiculorum textu inclusi, in editionibus Coloniæ reperiuntur; qui autem in marginibus ad lectoris utilitatem adduntur, Vulgatæ editionis sunt.

Digitized by Google

ARTICULUS VIII

DE PRIMA (VIDELICET LITTERALI) EXPOSITIONE PSALMI PRIMI : BEATUS VIR QUI NON ABIIT.

Præfatio Auctoris de ratione tituli.

Esdras, scriba velox, qui et prophetico spiritu fulsit, libros canonicos veteris Testamenti a Babyloniis combustos, Spiritu Sancto revelante, dicitur reparasse, præter Pentateuchum, id est quinque libros Moysis, quos apud Samaritanos invenit. Ipse ergo Psalterium reparavit, et hunc primum psalmum per modum præfationis seu prologi, libro Psalmorum præmisit, sicut vulgariter dicitur. Unde nec psalmo huic titulum præsignavit, quum psalmus iste sit quasi titulus libri sequentis : quoniam continet summam atque materiam totius libri, tractatque de his in generali, de quibus in toto hoc libro tractatur in speciali.

Denique psalmus iste ad litteram de quolibet homine virtuoso intelligi potest. Et quæ sequuntur de impiis et de vanitate atque tormentis ipsorum, de omnibus malis possunt exponi. Ait ergo auctor præ-
1 sentis psalmi : (1) *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum.* Consilium est actus prudentiæ. Sed sicut prudentia duplex est, scilicet vera et falsa ; ita consilium, aliud verum, aliud falsum. Verum consilium ad eos pertinet, qui diligenter inquirunt quibus viis ac mediis ad veram felicitatem pertingant. Falsum vero consilium horum est, qui vias excogitant quibus desideratam malitiam ad effectum perducant. Itaque ait : Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum. Dupliciter aliquis abit in consilio impiorum : primo, aliis malum consilium dando ; secundo, perverso consilio consentiendo seu acquiescendo. Igitur, Beatus vir qui non abiit, id est, a Deo non recessit, in consilio impiorum, per hoc quod aliis male ac false consuluit, vel aliorum fallaci consilio acquievit. Qui enim aliis male consulit, causa et princeps est omnium malorum quæ ex suo perverso consilio fiunt. Abit autem homo seu recedit a Deo in consilio impiorum : non loco, quoniam Deus ubique est, et omnia penetrat, omnibusque æque immediatus est, secundum Dionysium ; sed dissimilitudine, quoniam per consilium impiorum facit se homo dissimilem Deo, qui justus est, et iniqua consilia odit, gratiamque abeunti in consilio impiorum aufert, et pietatis suæ præsentiam nobis subtrahit. Per nihil enim abimus a Deo, nisi per id quo separamur et elongamur ab ipso. Nil vero separat nos a Domino Deo nostro, nisi vitia nostra, quemadmodum Isaias testatur : Peccata, inquiens, vestra diviserunt *Is.* LIX, 2.
inter Deum vestrum et vos. Nihil quoque unit ac retinet nos in Deo, nisi virtutes, quarum est peccata auferre. Et ideo Isaias iterum ait : Hic est omnis fructus, ut de- *Ibid.* XXVII, 9.
leatur iniquitas.

Denique, quid est dicere, Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, nisi, Beatus vir qui permansit in consilio piorum, tam aliis recte consulendo, quam aliorum recto consilio consentiendo ? Ideo enim in Proverbiis Salomon ait : Salus, ubi multa *Prov.* XI, 14.
consilia. Et Tobias filium instruens : Con- *Tob.* IV, 19.
silium, inquit, semper a sapiente require. Præterea, quid aliud est, Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, nisi, Infelix seu miser, qui abiit in consilio impiorum, vel male consulendo, vel male consulenti se conformando ? Hinc namque sacratissimus Isaias ex Dei persona fatetur : Væ, filii desertores, ut faceretis con- *Is.* XXX, 1.
silium, et non ex me ; et ordiremini telam, et non per Spiritum meum.

Est autem homo beatus dupliciter, sci-

licet in spe, et in re. In spe vero est aliquis A beatus dupliciter : primo, secundum dispositionem remotam seu potentialem, quemadmodum pueros bonæ indolis appellamus beatos ; secundo, quantum ad dispositionem propinquam ac habitualem, sicut ait Matth. v, 8. Salvator : Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Porro in re beatus est, qui Deo perfecte jam fruitur. Beatitudo ergo in spe, viatoribus competit, et de ea nunc loquimur.

Per id quoque quod ait, Beatus vir, non existimemus mulierem exclusam. Vir nam- B que hoc loco vocatur, non a proprietate sexus, sed ratione virtutis : qui nec prosperis elevatur, nec adversis deprimitur ; qui non est sicut arundo vento agitata, sed fixus in Domino, regia via incedit : qualis Josue i, 7; xi, 15. exstitit nobilis ille Josue, qui non declinavit a dextris vel sinistris a lege Moysis. Sed hoc modo exsistere virum, feminis etiam competit, illis utique quæ tales sunt, Prov. xxxi, 10. qualis est illa de qua Salomon ait : Mulie- Ibid. 17. rem fortem quis inveniet? Et iterum : Accinxit fortitudine lumbos suos. Annon hoc C modo vir dici valet Virgo mater, de qua Dominus ad diabolum sub appellatione Gen. iii, 15. serpentis dixit, Inimicitias ponam inter te et mulierem, ipsa conteret caput tuum? Et hanc utique virilem Mulierem quædam viriles feminæ præcesserunt figurative : sicut sanctissima illa Esther, quæ in omni regali suo decore atque incomparabili ex- Esther xiv, 18. cellentia temporali, nunquam lætata est ; Judith xiii, 10. fortissima quoque illa Judith, quæ crudelissimum Holofernem tam viriliter interfecit.

Et in via peccatorum non stetit. Ex malo consilio oritur operatio prava. Operatio autem via vocatur, quia per eam ad terminum pervenitur. Nam operatio bona ducit ad jucunditatem æternam, et operatio mala, ad sempiternam miseriam. Beatus ergo, qui in via peccatorum non stetit : qui in operatione iniqua non permansit, nec male agentibus acquievit ; qui non Prov. ii, 14. gloriatur quum male fecerit, neque exsultat in rebus pessimis. De hac via ait Salomon : Est via quæ videtur homini bona ; Prov. xiv, 12. et novissima ejus deducunt ad mortem. Et rursus : Via impiorum tenebrosa ; nesciunt Ibid. iv, 19. ubi corruant. Quocontra de viis Domini scriptum est : Viæ ejus, viæ pulchræ ; et Ibid. iii, 17. omnes semitæ ejus pacificæ.

Et in cathedra pestilentiæ non sedit. Pestilentia est morbus infectivus. Cathedra vero est sedes doctoris vel judicis. Unde in cathedra pestilentiæ sedere, est alios falsa doctrina, aut malo exemplo corrumpere vel scandalizare, et fratribus offendiculum ponere. Quod quam damnabile sit, Salvator manifestat : Qui scandalizaverit, Matth. xviii, 6. inquiens, unum ex his pusillis, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris. Et iterum : Væ homini per quem scanda- Ibid. 7. lum venit. Unde et Apostolus : Non ergo Rom. xiv, 13. judicemus amplius ; sed hoc judicate potius, ne ponatis offendiculum fratribus vel scandalum. Ille utique, qui nec dicto nec facto aliis occasionem peccandi præbet, in cathedra pestilentiæ non sedet, et talis merito vocatur beatus.

Triplex autem peccatum in hoc primo versu tangitur, et vitandum docetur, videlicet peccatum iniquæ cogitationis, peccatum injustæ actionis, et peccatum perversæ instructionis. Primo quoque peccato adjungitur hoc verbum, Abiit, quod motum designat. Secundo vero adjungitur, Stetit ; et tertio, Sedit : quæ ambo quietem designant. Sed major est quies seu fixio in sedente, quam stante : quoniam qui sola cogitatione peccat, faciliter revoca- D tur ; qui vero ad opus procedit, difficilius redit : sed qui jam habituatur in malo, et alios inficit, difficillime emendatur.

Denique, quia non sufficit mala non facere, sed oportet etiam bona peragere, sicut Salvator testatur, dicens, Omnis arbor Matth. iii, 10; vii, 19. quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur ; propterea in versu sequenti ostendit, quid boni pertineat ad virum beatum, prædicta mala vitantem. Ait
ergo : (2) *Sed in lege Domini voluntas ejus :* 2
id est, desiderium cordis ejus et tota men-

tis suæ affectio tendit ad hoc, ut legem A Dei adimpleat, et secundum altissimam Dei voluntatem, omnem suam conversationem gubernet. Debemus enim divinis mandatis sponte et prompte, non coacte aut pigre, obtemperare, et ex filiali amore potius quam ex servili timore, cuncta implere, ut dicere Deo possimus : Domine, (Ps. xxxvii, 10.) ante te omne desiderium meum. Hoc namque hortatur Paulus, dicens : Probetis quæ (Rom. xii, 2.) sit voluntas Dei bona, beneplacens, et perfecta. Et iterum : Non accepistis spiritum (Ibid. viii, 15.) servitutis iterum in timore, sed accepistis B spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba (Pater). Hinc quoque David dixit : Tu autem, fili mi, scito Deum patris tui, et servi ei corde perfecto et animo voluntario. (I Par. xxviii, 9.) Sed quia voluntas de se cæca est, et amoris impetum, affectionisque impulsum sequi solet, idcirco rationis directione indiget, quatenus rationale obsequium Deo exhibeat. (Rom. xii, 1.)

Talem ergo rationis directionem ac discussionem ad virum beatum pertinere, consequenter declaratur, dum subditur : C *et in lege ejus meditabitur die ac nocte :* examinando quid Deo complaceat, quid ei displiceat, quid præcepit, quid prohibuit, qualiter homo compendiosius proficere possit, quanta beneficia Deus hominibus præstitit, quanta bona in futuro promisit, quanta est cæcitas ingratorum, quanta tormenta reproborum. Ista atque similia fideliter contemplari, est in lege Domini meditari.

Sed quomodo hoc modo potest homo meditari in lege Domini die ac nocte? Nonne D vicissim dormire, ac aliis necessitatibus hujus miserabilis vitæ vacare oportet ? Et respondendum, quod homo justus in lege Domini meditari debet die ac nocte, non quod quolibet horæ spatio, singulisque momentis, possit actualem habere divinæ legis memoriam, vel incessabiliter speculari divina ; sed quia quolibet tempore debito ac opportuno facit hoc. Sic quippe semper dicitur aliquis aliquid facere, quoniam nunquam negligit id facere quando debet : quemadmodum dicimus, Iste semper scribit, Iste semper frequentat ecclesiam. Secundum hunc sensum dicit Apostolus : Sine intermissione orate. (I Thess. v, 17.) Et Moyses : Erunt verba Domini in corde tuo, et narrabis ea filiis tuis ; meditaberis in eis sedens in domo tua, et ambulans in itinere, et dormiens atque consurgens. (Deut. vi, 6, 7.) Aliter etiam dici potest, quod aliquis dicitur orare et meditari dupliciter : primo, quoniam actus tales exercet ; secundo, quia secundum actus tales operatur et vivit : sicque incessanter die ac nocte in lege Domini meditatur et orat, qui totam vitam suam secundum tenorem præceptorum divinæ legis gubernat, quemadmodum docet Apostolus : Omne, inquiens, quodcumque facitis in verbo aut opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi facite. (Coloss. iii, 17.)

Porro, quia connaturale est nobis, ut ex similitudine sensibilium rerum ad spiritualium rerum notitiam perducamur, (Rom. i, 20.) idcirco in versu sequenti comparat Scriptura sacra justitiam viri beati ligno juxta aquas plantato. Vel comparat virum beatum ac justum ligno hujusmodi, ratione justitiæ, ita quod virtus justitiæ quæ est spirituale bonum, est causa formalis comparationis
istius. Ideo subditur : (3) *Et erit tanquam* 3
lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Lignum juxta decursus aquarum seu aquas fluentes plantatum, convenienti tempore floret, et fructum producit, quoniam radix ejus ex fluentibus aquis attrahit alimentum, videlicet humorem. Unde in Evangelio Christus dicit, quod semen natum aruit, quia non habebat humorem. (Luc. viii, 6.) Sic est homo virtuosus. Quia enim in Deo confidit, et ei adhæret, manens in Christo, sicut palmes in vite, ideo rorem gratiæ Dei et humorem conservationis a Spiritu Sancto sortitur, proficiens de virtute in virtutem, et crescens in caritate de die in diem. (Ps. lxxxiii, 8.)

(4) *Et* propterea *folium ejus non defluet :* id est, sermo ejus a rectitudine legis divinæ non cadit, quoniam implet illud

Digitized by Google

Coloss. IV, 6. Apostoli : Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, id est discretione ornatus. Non enim est procax ad loquen-
Prov. X, 19. dum, sed moderatur labia sua. *Et omnia quæcumque faciet, prosperabuntur.* Sci-
Rom. VIII, 28. mus enim (teste Apostolo) quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum. Omnia itaque quæ faciet homo, prædicto modo beatus ac justus, prosperabuntur, id est, omnes operationes suæ proficient sibi ad veram beatitudinem, seu vitam æternam. Nam et mala quæ fortasse committit, occasionaliter cooperantur sibi in bonum, eo quod cautior surgat, custoditior fiat, humilius pœniteat, imo et ardentius diligat : quoniam teste Salvatore,
Luc. VII, 47. Cui plus dimittitur, plus diligit. Propter
Rom. V, 20. quod et Apostolus ait : Ubi abundavit delictum, superabundat et gratia. Ideo etiam
Ps. XXXVI, 24. de viro electo inferius dicitur : Quum ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.

Considerandum vero, quod sermo comparatus est folio, et operatio fructui. Sicut enim floritio arboris inutilis est et inanis, quando fructus nullus subsequitur ; sic pulcher sermo atque magna seu decora verborum prolatio vana est, dum vita verbis non consonat. Ideo enim Dominus ma-
Marc. XI, 13, 14. ledixit ficulneæ folia habenti, non fructus.

Consequenter in isto psalmo agitur de vanitate impiorum, et differentia eorum a
4 justis, dum subditur : (5) *Non sic impii, non sic :* id est, ita non erit de impiis sicut de justis prædictum est. Nam non possunt comparari ligno juxta decursus aquarum plantato, sed arido ligno et sterili palmiti, membroque a capite separato. Non enim habent radicem cordis fixam in Deo, nec Christo per gratiam uniuntur, nec stabili fundamento innituntur : propterea pulveri comparantur, sicut subjungitur. *Sed tanquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ :* id est, tales sunt impii sicut pulvis a vento jactatus. Sicut enim pulvis omni vento circumfertur, sic impii variis passionibus commoventur, et a recta ratione discedunt ; nec Deo stabili mente adhærent, sed propter amorem rerum temporalium a divina dilectione recedunt, creaturas Creatori præponentes. Quid vero ex hoc consequatur, sequens versus explanat.

(6) *Ideo non resurgunt impii in judicio.* 5
Hoc dupliciter intelligi potest : Primo, de judicio discretionis, quo quotidie homines justi et vere pœnitentes se ipsos examinant, et conscientias suas discernunt, atque omne vitiosum quod in se inveniunt, dijudicant, reprobant, damnant, deflent, et vindicant, sicut scriptum est : Scrutemur Thren. III, 40, 41.
vias nostras, et quæramus, et revertamur ad Dominum ; levemus corda nostra cum manibus ad Deum in cœlos. De hoc salubri judicio ait Apostolus : Quod si nosmet- I Cor. XI, 31.
ipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. Hoc modo judicantes se ipsos, adversa æquanimiter ferunt, illud dicentes : Et nos Judith VIII, 26, 27.
ergo non ulciscamur nos pro his quæ patimur ; sed reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse, flagella Domini (quasi servi qui corripimur) ad emendationem nostram evenisse credamus. Secundo, intelligitur de futuro extremo judicio, in quo impii non resurgent, quantum ad beatam immortalitatem atque felicem immutationem, sed quantum ad damnationem majorem. Omnes enim (ut ait Apostolus) I Cor. XV, 51.
resurgemus, sed non omnes immutabimur. Sed prima expositio magis concordat verbis sequentibus. Additur enim : *neque peccatores in consilio justorum.* Consilium justorum est, ut præterita mala corrigant et deplangant, atque de cetero ad cavendum futura solliciti ac timorati exsistant. Huic consilio non se conformant peccatores, et ideo a vitiis suis non resurgunt in consilio justorum, consilio justorum acquiescendo, et dignos pœnitentiæ fructus agendo. Matth. III, 8.

Postremo ostenditur causa prædictæ distinctionis inter justos et impios. (7) *Quo-* 6
niam novit Dominus viam justorum, id est, quoniam Deus notitia approbationis novit atque acceptat viam, id est operationem seu vitam justorum. Idcirco impii separabuntur a bonis secundum modum prædictum, et opera impiorum non pro-

Digitized by Google

sperabuntur, id est, ad veram beatitudinem non perducentur, nec felicem exitum sortientur. Et ideo subditur : *et iter impiorum peribit,* id est, vita, actio et delectatio eorum destruentur, quia post temporales delicias habebunt æternam tristitiam. Unde in die novissimo, dum viderint se errasse, sero pœnitebunt, et dicent : Erravimus a via veritatis, et lassati sumus (Sap. v, 6, 7.) in via iniquitatis et perditionis.

ARTICULUS IX

EXPOSITIO EJUSDEM PRIMI PSALMI SECUNDUM ALLEGORICUM INTELLECTUM, VIDELICET DE CHRISTO.

SICUT ostensum est, allegorice sacra Scriptura exponitur, dum ea quæ in lege et Prophetis et Psalmis scripta sunt, de Christo exponuntur : quod intelligendum est de illis Scripturis, quæ de Christo ad litteram non exponuntur. Hic ergo psalmus, qui litteraliter de quolibet viro justo et impiis in communi intelligi potest, de Christo allegorice multum convenienter exponitur.

1 Ait enim : *Beatus vir,* videlicet Christus, qui a primo instanti suæ conceptionis in Virgine matre, fuit vir perfectus atque beatus : perfectus quidem non ratione ætatis, sed propter plenitudinem gratiæ, eminentiamque virtutum, ac sapientiæ perfectionem : in quibus omnibus perfecta creata est anima Christi ; nec profecit in istis quantum ad habitum, sed quantum ad exercitium. Unde scriptum est : Novum (Jer. xxxi, 22.) creabit Dominus super terram : Mulier circumdabit virum, id est, Virgo præelecta in utero habebit puerum ætate, sed virum perfectione. Fuit etiam Christus ab exordio maternæ conceptionis beatus, propter perfectissimam Divinitatis fruitionem, et clarissimam ejus beatificamque visionem : quia tam clare, tamque beate vidit anima Christi Deum a primo creationis suæ momento, sicut et modo ; nec unquam profecit in essentiali præmio Beatorum. Quoniam enim humanæ naturæ Christi, a primo suæ creationis exordio, datum est esse unitum Verbo personali seu hypostatica unione, hoc est subsistere in eodem esse personali, in quo Unigenitus Dei æternaliter subsistit, quum sit assumpta ad esse increatum Filii Dei ; multo clarius patet, quod animæ Christi a sui principio concessa est beatifica Dei visio, prout Damascenus testatur et Thomas. Minus est enim (Damasc. lib. III ; Thom. 3, q. 10.) Deum beatifice contemplari, quam ei personaliter uniri. Sic ergo est Christus beatus vir. Dicitur quoque vir, quoniam a vera fortitudine nunquam defecit, sed in omnibus virtuosissime egit.

Beatus itaque vir, scilicet Christus, *qui non abiit in consilio impiorum :* quia tentatori præcipitium et sui adorationem consulenti non acquievit, (Matth. iv, 6, 7, 9, 10.) neque Scribarum ac Pharisæorum malignis consiliis favit ; sed consilio, quod est unum septem donorum (Is. xi, 2.) Spiritus Sancti, plenissimus fuit. *Et in via peccatorum non stetit :* quia ab omni peccato immunissimus fuit. Detrahibiles enim defectus non assumpsit, sed naturales atque pœnales, ut sunt fames, sitis, timor, dolor et mors. *Et in cathedra pestilentiæ non sedit.* Nulli enim malum exemplum præbuit, neque perversa dogmata protulit, quamvis Judæi frequenter scandalizabantur (Matth. xv, 12.) ex verbis et actibus ejus : tale enim scandalum non erat nisi ex malignitate vel infirmitate ipsorum. Porro vita Christi, totius sanctitatis ac perfectionis exemplar fuit; et omnis ejus actio, nostra instructio

Digitized by Google

Joann. VIII, 12. est, sicut et ipsemet ait : Ego sum lux
mundi ; qui sequitur me, non ambulat in
tenebris. Christus quoque saluberrimam
mundo doctrinam advexit, legalibusque
præceptis evangelica consilia, universæ
perfectionis plenitudinem continentia, ad-
Matth. V, 17. didit. Non enim venit solvere legem, sed
adimplere.

Tanguntur hic tria, per quæ Christus
a protoplasto parente distinguitur. Adam
namque in consilium impiorum abiit, quan-
do serpentis et Evæ instigationi consensit.
Et in via peccatorum stetit, dum de pro-
hibiti ligni fructu comedit. Et in cathedra
pestilentiæ sedit, quum proprium crimen
excusavit, illudque in mulierem, imo Cre-
atorem quodammodo retorquere sategit :
Gen. III, 12. Mulier, inquiens, quam dedisti mihi so-
ciam, dedit mihi de ligno, et comedi. Ho-
rum autem nullum in Christo fuisse jam
patuit.

2 *Sed in lege Domini voluntas ejus.* Hoc
Christo singulariter et perfectissime con-
venit. Nam ipse solus præceptum caritatis
divinæ perfecte implevit in hac vita, et
multo perfectius quam aliquis Beatorum
in patria ipsum potuerit adimplere. Nam
toto corde, tota mente, ex omni fortitudi-
ne, et tota anima semper actualiter fere-
batur in Deum, ipsum contemplando, dili-
gendo, honorando, atque in omnibus sibi
obediendo, quemadmodum in Evangelio
Joann. VIII, 29. ipsemet de Patre loquens, testatur : Quia
quæ placita sunt ei, facio semper. Et de-
Ibid. 49, 50. nuo : Ego, ait, non quæro gloriam meam,
sed honorifico Patrem meum. Et ergo pas-
Matth. XXVI, 39. sioni jam proximus, dixit ad Patrem : Non
quod ego volo, sed quod tu. Id quoque
quod sequitur, solus Christus ut homo in
hac vita perfecte actualiterque implevit :
Et in lege ejus meditabitur die ac nocte, id
est omni tempore et omni momento. In-
tellectualis enim operatio Christi, impediri
non potuit nec interrumpi per somnum
vel actum exteriorem, aut per sensitivum
appetitum, neque per aliquid aliud. Sed
omnia quæ in ipso fuerunt, ordinatissima
erant, semperque inferius deservivit supe-
riori, et secundum illius movebatur im-
perium. Sic itaque anima Christi medita-
batur divina sine interruptione. Nam et
omnia quæ sunt, fuerunt, et erunt, et præ-
sertim ea quæ ad mysterium humanæ re-
demptionis pertinent, cognovit et semper
actualiter vidit in Verbo, sicut et modo.

Et erit tanquam lignum quod planta- 3
*tum est secus decursus aquarum, quod
fructum suum dabit in tempore suo.* Hic
designatur Christi fecunditas atque utili-
tas per comparationem ad lignum, juxta
aquarum fluenta plantatum. Tale enim li-
gnum tempore suo floret, et fructus pro-
ducit, sicque delectabile est intuenti, utile
manducanti, honestum possidenti. Ita Chri-
stus, qui est speciosus forma præ filiis Ps. XLIV, 3.
hominum, in quem desiderant angeli pro- 1 Petr. I, 12.
spicere, delectabilis est ipsum sinceriter
contemplanti, utilis spiritualiter mandu-
canti, honestissimum quoque bonum, ip-
sum per caritatem et gratiam possidenti.
Quemadmodum etiam arbor fertilis co-
piosum fructum producit, et plurimos
reficit, sic Christus multum fructum attu-
lit, dum pretiosissimo suo sanguine genus
humanum redemit, totque poma produxit,
quot animas electorum sua morte salva-
vit. Unde ad passionem jam transiens, et
crucem sibi bajulans, semetipsum viridi
ligno comparavit, dum mulieribus ipsum
plangentibus dixit : Nolite flere super me; Luc. XXIII, 28, 31.
sed super vos ipsas flete et super filios
vestros : quia si in viridi ligno hæc fa-
ciunt, in arido quid fiet ?

Potest quoque istud exponi de ligno vitæ Gen. II, 9.
in paradiso plantato, cui idcirco Christus
comparatur, quoniam sicut homo semper
vixisset, si de ligno illo edere potuisset,
ita qui Christum digne manducat, non Joann. VI, 52.
morietur in æternum. Potest etiam per li-
gnum intelligi ipsa sapientia, de qua Sa-
lomon ait, quod sit lignum vitæ omnibus Prov. III, 18.
apprehendentibus eam. Christus vero est 1 Cor. I, 24.
sapientia Dei Patris. Sapientia autem juxta
decursus aquarum plantata, est unigeni-
tus Dei Filius, veraciter incarnatus, et in-
ter homines peccatores, qui comparantur Baruch III, 38.

Digitized by Google

fluentibus aquis, sine macula conversa- A
tus. Secundum hunc igitur sensum innui-
tur incarnatio Verbi Dei ; et hæc vox, Tan-
quam, non solum dicit similitudinem, sed
etiam exprimit veritatem, quoniam hoc
modo ipsemet Christus est ipsum lignum
juxta aquarum decursus plantatum.

Et folium ejus non defluet, quia Christi
sermo, prædicatio atque oratio non erunt
inanes, neque peribunt, nec cassabuntur ;
sed fructificabunt in cordibus electorum,
et verificabuntur in finem, quemadmodum
Matth. xxiv, 35. ipsemet ait : Cœlum et terra transibunt, B
verba autem mea non transibunt. *Et om-
nia quæcumque faciet, prosperabuntur.*
Omnis operatio Christi meritoria fuit : imo
quidquid cogitavit, dixit et fecit, in quan-
tum viator, meritorium exstitit. Unde sem-
per actualiter meruit. Sed quia ipse etiam
ut homo, habens humanitatem Verbo uni-
tam, perfectissimus comprehensor fuit,
quantum ad superiorem animæ partem, id-
circo sibi ipsi de præmio essentiali nil
meruit, nec in illo unquam profecit. Nihi-
lo minus tota vita ejus essentialis præmii C
meritoria fuit : quoniam quidquid cogita-
vit, dixit et fecit, ex excellentissimo di-
vinæ caritatis fervore processit. Cui ergo
essentiale præmium meruit, nisi membris
suis seu corpori mystico, quod est Eccle-
sia? Nobis igitur tota vita Christi meritoria
fuit. Sicque omnia quæcumque Christus
fecit, prosperabuntur, id est, ad æternam
vitam proficient prædestinatis, quibus per
sacramenta Ecclesiæ, et fidem ac carita-
tem meritum Christi applicatur, et coope-
ratur ad felicitatem æternam. Hoc est quod D
Is. lv, 11. per Isaiam Dominus ait : Egredietur de
ore meo justitiæ verbum ; et non reverte-
tur ad me vacuum, sed faciet quæcumque
volui, et prosperabitur in his ad quæ misi
illud.

Consequenter agit Scriptura de his qui
Christo non uniuntur, nec ejus vestigia
4 imitantur. Ait namque : *Non sic impii,
non sic.* Nullus Sanctorum potest Christo
esse æqualis, sed similis. Nam Christus, in
quantum Deus, omnes in infinitum exce-
dit in omni perfectione ; sed ut homo,
etiam major ac dignior, Deoque carior
est, quam tota universitas electorum, an-
gelorum simul ac hominum. Non enim ad Joann. iii, 34.
mensuram dat Deus spiritum homini Chri-
sto. Boni ergo fideles, qui Christum regem
fideliter assequuntur, quemadmodum scri-
ptum est, Qui se dicit in Christo manere, I Joann. ii, 6.
debet sicut ille ambulavit, et ipse ambu-
lare : hi tales Christo in prædictis bonis
aliquo modo assimilantur, non abeundo in
consilio impiorum, nec stando in via pec-
catorum, nec sedendo in cathedra pesti-
ferorum, sed in lege Domini voluntas eo-
rum. Sed impii non sic. Ipsi enim nullo
modo sunt similes Christo, similitudine
virtutis et gratiæ, nec amantur ab ipso se-
cundum præsentem justitiam amore cari-
tatis gratifico, quum similitudo sit causa
amoris ; imo perfecto odio odit eos. Pro- Ps. cxxxviii, 22.
pterea quales sint, statim ostenditur. *Sed
tanquam pulvis quem projicit ventus a
facie terræ.* Quemadmodum enim ventus
projicit pulverem de loco suo : sic sermo
Christi projiciet impios de superficie ter-
ræ, de congregatione justorum, de socie-
tate Sanctorum, quando separabit agnos Matth. xxv, 33.
ab hœdis ; quando purgabit aream suam, Luc. iii, 17.
mittens triticum in horreum suum, et pa-
leas inexstinguibili igne comburens ; quan-
do dicturus est his qui a sinistris erunt, Matth. xxv, 41.
verbum illud asperrimum, Ite, maledicti,
in ignem æternum.

Ideo non resurgunt impii in judicio : 5
quia a Christo divisi sunt, et omni gratia
destituti, idcirco non resurgunt in judicio.
Quod intelligi potest tam de judicio dis-
cretionis, quo boni se ipsos dijudicant, (de
quo Propheta, Indicabo tibi, o homo, quid Mich. vi, 8.
sit bonum, utique facere judicium ; et
Job, Judicium eligamus, et inter nos vi- Job xxxiv, 4.
deamus quid sit melius ; et, Numquid qui Ibid. 17.
non amat judicium, sanari potest ?) quam
de judicio beatæ remunerationis, ut supra
proximo articulo explanatum est. *Neque
peccatores in consilio justorum* resurgent.
Consilium proprie appellatur inquisitio
rationis de agendis vel omittendis. Justo-

Digitized by Google

rum ergo consilium est, ut Deum præ om-
nibus diligant, ut ei reverenter deserviant,
ut in caritate et gratia ejus quotidie cre-
scant, atque de perpetratis malis digne
pœniteant. In tali autem consilio impii
non resurgunt, sed manent in fæcibus vi-
tiorum et sordibus passionum. Non au-
Ephes. v, 14. diunt Paulum clamantem : Surge, qui dor-
Coloss. III, 2. mis, et exsurge a mortuis. Et iterum : Quæ
sursum sunt sapite.
6 *Quoniam novit Dominus viam justo-*
A *rum :* id est, ea quæ nunc de differentia
impiorum atque justorum prædicta sunt,
veritatem habent : quoniam Dominus Je-
sus Christus, qui est Rex regum et Domi- Apoc. XIX, 16.
nus dominantium, Judex quoque vivorum Hebr. XII, 23.
et mortuorum, novit viam justorum, id
est, acceptam habet operationem bono-
rum, quorum utique et capilli capitis nu- Luc. XII, 7.
merati sunt. *Et iter impiorum peribit.*
Non enim ad ultimum finem, qui est Deus
benedictus, pervenient.

ARTICULUS X

EXPLANATIO EJUSDEM PRIMI PSALMI JUXTA SENSUM TROPOLOGICUM.

RECORDANDUM est autem, quoniam, sicut ostensum est, tropologicus seu sensus moralis Scripturæ est, quando ea quæ de Christo vel de Sanctis scribuntur aut recitantur, ad singulorum moralem
Rom. XV, 4. eruditionem trahuntur. Quæcumque enim de Christo capite nostro scripta sunt, ad nostram eruditionem scripta sunt. Nec solum quæ de Christo scribuntur, sed etiam quæ de Sanctis ejus leguntur, ad imitationem trahenda sunt, secundum Augustinum. Denique utilissimum est sacram Scripturam tropologice intelligere, quatenus sic Christum et Sanctos, sacram Scripturam commemorando seu proferendo, laudemus, ut ea quæ scripta sunt, ad propriam informationem trahamus : et sic imperfectum nostrum cognoscendo, salubriter doleamus, eorumque perfectionem quos laudamus, imitari studeamus.

Tropologica autem expositio hujus psalmi, non differt a prima ac litterali expositione, nisi quod sicut illa expositio docet quid factum sit, sic ista instruit quid sit faciendum. Et est sensus omnino idem, sed ad diversa refertur. Unde secundum istum sensum, scilicet tropologicum, dicit
1 Scriptura, *Beatus vir qui non abiit in con-*
B *silio impiorum :* ut scilicet hortetur ac doceat unumquemque fidelem, ne malignis consiliis acquiescat, et ne stet in via peccatorum male agendo, et ne in cathedra pestilentiæ sedeat malum exemplum præbendo, seu falsam doctrinam introducendo. Sicque omnia quæ sequuntur legenda sunt, quatenus omnia convertat et trahat devotus quilibet ad animæ suæ spiritualem doctrinam. Nam si ea quæ dicit, legit vel audit, ad impiorum tormenta vel derelictionem pertinent : potest ex his
C sanctum timorem concipere, ne et ipse similia patiatur; aut gratiarum actionem et amoris inflammationem, quia miserante Deo a talibus præservatum se videt ; seu bonam tristitiam, si se talia mala pro quibus torqueri ac deseri meruit, incidisse considerat. Si vero quæ dicit vel audit, ad perfectionem beatitudinemque justorum pertinent, potest ad imitandum succendi, et ad sperandum roborari.

Igitur secundum hunc sensum dicat devotus vel pœnitens seu alius quilibet :
D Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum : hocque dicendo, proponat nunquam malo consilio assentire ; pœniteat quoque se unquam perversis consiliis acquievis-

Digitized by Google

se; et oret Deum ut in omnibus se dirigat ad inveniendum, et consentiendum sanis consiliis, sicut Tobias docet : Omni tempore benedic Deum, et pete ab eo ut viam tuam dirigat, et omnia consilia tua in ipso permaneant. Indigemus namque, ad hoc quod non abeamus in consilio impiorum, illuminari ac dirigi a Spiritu Sancto dono consilii, quemadmodum Sapiens dicit : Quis hominum potest scire consilium Dei ? aut quis poterit cogitare quid velit Deus, nisi tu, Domine, dederis sapientiam, et miseris Spiritum tuum de cœlis?

Tob. IV, 20. Sap. IX, 13. 17.

Per hunc modum formare debet homo suum affectum in singulis quæ sequuntur, secundum exigentiam singulorum verborum : sicut quum dicit, *et in via peccatorum non stetit,* cogitet de cetero non peccare, et de operatione mala præterita doleat. Dum vero dicit, *et in cathedra pestilentiæ non sedit,* proponat nullum inficere, nullum scandalizare, ne perdat animam ejus pro quo Christus mori dignatus est. Simili modo quum dicit, *Sed in lege*

Rom. XIV, 15.

2 *Domini voluntas ejus,* studeat omnes evagationes abjicere, affectum suum a caducis rebus abstrahere, et ad divinæ legis observantiam omne desiderium suum erigere. Et ut ista adimpleat, bene advertat, et pro viribus agere studeat quod sequi-

A tur, *et in lege ejus meditabitur die ac nocte ;* hocque dicendo, omnes infructuosas et malas mentis suæ occupationes repellat, atque divinis meditationibus cor suum implere semper laboret, quemadmodum Dominus ait : Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. Is. I, 16.

Porro dum psallit, *Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum,* oret, cordialiterque desideret, ut sit sicut arbor bona, quæ bonos fructus facit : quatenus bene vivendo, alios verbo 3

B et exemplo ædificet, et non tam loquendo quam operando informet, ut illud Salvatoris adimpleat : Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant bona facta vestra, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. Dum vero ait, *Et folium ejus non defluet,* proponat se semper loquendo modestum et cautum habere. Quumque adjungit, *et omnia quæcumque faciet, prosperabuntur,* cupiat in eorum consortio numerari, de quibus ait Apostolus : Scimus quoniam diligentibus Deum omnia

Matth. V, 16. Rom. VIII, 28.

C cooperantur in bonum.

Ex his vero quæ sequuntur, *Non sic impii, non sic,* sollicitus fiat, ne ea quæ de impiis scripta sunt, sibi conveniant; sed in judicio discretionis a peccatis resurgat, et in consilio justorum permanere conetur. 4

ARTICULUS XI

EXPOSITIO EJUSDEM PRIMI PSALMI SECUNDUM ANAGOGICUM INTELLECTUM.

ANAGOGICE insuper hic psalmus exponi potest, videlicet de comprehensoribus seu Beatis in patria, ut sciamus ex hujus psalmi expositione, quid de nobis ipsis sperare debeamus.

1 Ait ergo Scriptura : *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum.* Vir, hoc loco non a sexu, sed a cordis vigore voca-

D tur : et ita angeli sancti viri dici possunt, quoniam ad omnia divina opera exercenda viriles atque fortissimi sunt. Unde de angelis dicitur : Ecce duo viri adstiterunt juxta illos. Et Gregorius : Angelus, inquit, rationale est animal, non quod sit materialis aut sensitivæ naturæ, sed propter intellectualem perfectionem. Angeli

Act. I, 10.

Digitized by Google

autem sancti non abierunt in consilio im- A
piorum, quia non consenserunt consilio
Luciferi atque cadentium angelorum. Nul-
lus quoque Beatorum hominum abiit in
consilio impiorum, in ipso finaliter per-
manendo, sed ab hac vita in bona dispo-
sitione discessit.

Itaque, *Beatus vir,* omnis electus, in
virtutibus fortis, homo vel angelus, Deo
jam feliciter fruens, *qui non abiit in con-
silio impiorum,* ruentium scilicet angelo-
rum, aut hominum perversorum. *Et in
via peccatorum non stetit,* id est, cum Lu- B
cifero aliisque Deo rebellibus non pecca-
vit, contra Creatorem superbiendo, seu ejus
similitudinem temerarie et præsumptuo-
se ambiendo. *Et in cathedra pestilentiæ
non sedit,* id est, alios ad peccandum non
induxit, quemadmodum Lucifer et infe-
2 ctores proximorum suorum. *Sed in lege
Domini voluntas ejus.* Hoc universis Bea-
tis in patria plenissime convenit, quia præ-
ceptum de dilectione Dei perfectissime im-
plent, et toto affectu ad Deum conversi
sunt, eique inavertibiliter semper adhæ- C
rent. *Et in lege ejus,* id est in præcepto
quod ipsis a Deo præfixum est in diligen-
do et operando : in hac lege meditantur
die ac nocte, id est in ævo, quod omne
tempus includit, considerantes incessa-
biliter qualiter Deo reverenter adsistant,
prompte obediant, atque in omnibus ordi-
nem suum custodiant.

3 *Et erit tanquam lignum,* etc. Omnis
Beatus Deo jam fruens, ligno juxta aqua-
rum decursus plantato optime compara-
Ps. xxxv, 9. tur, quoniam inebriatur torrente divinæ D
voluptatis : sicque copiosissimum fructum
affert, quia indesinenter sanctissimis ac-
tionibus occupatur, et nunquam otiosus
aut infecundus est, sed in continua Divi-
nitatis contemplatione ac dilectione æter-
naliter permanet. *Et folium ejus non de-
fluet,* id est, laudatio qua Deum honorat,
nunquam cessabit. *Et omnia quæcumque
faciet, prosperabuntur,* id est, ad divinum
honorem infallibiliter ordinantur; nec po-
test aliquid adversitatis eis accidere, sed
perpetua securitate Deo conjuncti sunt.

Non sic impii, non sic : id est, aposta- 4
tæ angeli hominesque injusti, non sic, id
est, non sunt beati sicut jam de angelis et
sanctis hominibus dictum est. *Sed* sunt
*tanquam pulvis quem projicit ventus a
facie terræ.* Nam angeli mali statim quum
peccaverunt, cœlo projecti sunt, sicut in
Evangelio ait Salvator : Videbam Sata- *Luc.* x, 18.
nam sicut fulgur de cœlo cadentem. Et
Isaias : Quomodo, inquit, cecidisti, Luci- *Is.* xiv, 12.
fer, qui mane oriebaris ? *Ideo non resur-* 5
gunt impii in judicio. Dæmones enim non
pœnitent, sed sunt obstinati in malo, sic-
ut et omnes damnati. Ideo non resurgunt
a sua pessima voluntate in judicio discre-
tionis, se ipsos discutiendo et corrigen-
do. *Quoniam novit Dominus viam justo-* 6
rum. Nam omnis operatio Beatorum in
patria, Deo semper gratissima est et sum-
me accepta. *Et iter impiorum peribit.* Iter
cadentium angelorum, fuit desiderium as-
cendendi ad similitudinem Dei immodera-
te. Sed hoc iter, seu talis superbia peribit,
quia nunquam adipiscentur quod adipisci
optabant.

Porro ad hanc beatitudinem electorum
in patria nos quoque perventuros spera-
mus, si ea pro posse nostro quæ ipsi fece-
runt, agamus, videlicet non abeundo in
consilio impiorum, nec stando in via pec-
catorum, nec sedendo in cathedra pesti-
lentiæ.

PRECATIO.

Auctor omnium bonorum Deus, reple
nos, quæsumus, gratia tua, ut voluntas
nostra dirigatur semper in lege tua : qua-
tenus te inspirante, die ac nocte in ea sic
meditemur, ut fructum æternæ felicitatis
percipere mereamur.

Digitized by Google

ARTICULUS XII

EXPOSITIO LITTERALIS PSALMI SECUNDI : QUARE FREMUERUNT GENTES, ETC.

TITULUS psalmi nunc exponendi talis A est : *Psalmus David*. Considerandum est autem (ut ait Hieronymus) quod liber Psalmorum est quasi magna domus, plures habens cellas sive cubicula, et quælibet cella propriam habet clavem ac januam. Ostium vero totius domus istius, est primus psalmus, cujus clavis est Spiritus Sanctus. Ceteri autem psalmi tanquam speciales cellulæ, proprias habent claves, id est titulos appropriatos. Nam sicut se habet clavis ad domum, et signum ad hospitium, ita se habent tituli psalmorum ad B psalmos, quia per eos datur introitus ad intellectum psalmorum.

Porro titulus psalmi præsentis varie explanatur, prout psalmus hic diversis modis exponitur. Quidam enim ipsum exponunt ad litteram de populo Judæorum a captivitate Babylonica redeuntium. Alii vero, de ipso David, asserentes David fecisse hunc psalmum ad laudem Dei propter victoriam Philistinorum, quos ipse devicit, quando ascenderunt contra eum, eo quod audissent eum unctum in regem totius Is- C raeliticæ plebis. Et quamvis hic psalmus ad hunc sensum aliquo modo exponi posset ac trahi, hoc tamen improprie fit. Nam quod sequitur, Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te, nec populo Judæorum, nec David proprie competit, maxime si profunde atque subtiliter exponatur, sicut patebit. Denique, si verum est quod Nicolaus de Lyra refert, nec omnes Judæorum magistri psalmum istum ita exponunt. Narrat enim Rabbi Salomonem, maximum Judæorum doctorem D modernum, circa hunc psalmum testari ac dicere : Majores nostri hunc psalmum exposuerunt de rege Messia seu Christo, sed propter hæreticos exponatur de David. Vocat autem hæreticos, Judæos ad fidem Christi conversos. Unde patet quod ipse hunc psalmum exponit de David, ad evadendum argumenta quæ Judæi conversi sumpserunt ex psalmo isto pro christianæ fidei approbatione. Verumtamen, quidquid sit de istis, nullum christianum expositorem decet vel licet hunc psalmum ad litteram exponere, nisi de Christo. Nam Act. 4, et ad Hebr. 1, inducitur psalmus iste *Act.* IV, 25, 26; *Hebr.* I, 5.
ad fidem probandam. Probatio autem fidei per sacram Scripturam, non valet ex sensu mystico, sed litterali dumtaxat, quemadmodum in epistola contra Vincentium Donatistam adstruit Augustinus.

Itaque, psalmum hunc de Christo litteraliter exponendo, titulus ejus prædictus sic intelligendus est : *Psalmus*, id est tractatus iste, qui dicitur psalmus, quoniam ad bene operandum hortatur, attribuitur *David*, id est Christo. David enim, manu fortis vel desiderabilis adspectu interpretatur : et hoc Christo potissimum convenit, quum ipse sit Dominus virtutum, qui *Ps.* XXIII, 10.
principem hujus mundi devicit, et specio- *Joann.* XII, 31.
sus forma præ filiis hominum consistit. *Ps.* XLIV, 3.

SANCTUS ergo David, Spiritu Sancto revelante prænoscens impietatem malignorum, Christum persequentium et occidentium, quasi admirans eorum malitiam, dicit : (1) *Quare fremuerunt gentes ?* 1
id est, cur gentiles, cur Romani milites, cur Herodis ac Pilati ministri, tanquam feræ seu bestiæ, irrationabiliter malignati ac moti sunt, et hoc contra Filium Dei ? *Et populi*, id est filii Israel, ad quos specialiter missus est Christus, *meditati sunt inania*, utpote cogitantes consilia quæ non *Ps.* XX, 12.

Digitized by Google

potuerunt stabilire? Volebant namque exstinguere nomen Domini Jesu, interficiendo eum sicut seductorem et impium, quem-
Jer. xi, 19. admodum de eis scriptum est : Mittamus (inquiunt) lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium. Sed hujus oppositum accidit, quia post mortem Christi, nomen ejus ubique innotuit, et fides ejus per totum mundum diffusa est. Unde
Joann. xii, 32. et ipse ante passionem dixit : Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me
2 ipsum. (2) *Adstiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum, adversus Dominum et adversus Christum ejus.* Qui
Matth. ii, 16. sunt isti reges, nisi Herodes qui Jesum adhuc infantulum perimere voluit, atque
Luc. xxiii, 11. Herodes qui eumdem cum exercitu suo sprevit, ac veste alba illusum ad Pilatum remisit? Et qui sunt principes isti, nisi
Joann. xi, 47 et seq. Annas et Caiphas ac Pilatus? Qui convenerunt adversus Dominum, id est Deum Patrem, et adversus Christum ejus, id est Filium ejus unigenitum ac dilectum. Dicitur autem uterque Herodes adstitisse contra Christum : non quia eodem tempore adstiterunt, quum tempore passionis primus Herodes obierit; sed quoniam pari malitia et infidelitate contra Christum commoti sunt.

Consequenter ponuntur verba regum ac
3 principum horum, dum subditur : (3) *Dirumpamus vincula eorum,* id est, destruamus legem ac religionem Patris et Filii, occidendo Christum, et ejus doctrinam reprobando. Hoc dixerunt, non quod agnoverint Jesum esse Filium Dei agnitione certa et stabili, vel quia putaverint eum, qui
I Cor. ii, 8. Jesum occideret, Deo resistere : si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent; sed et Jesum tanquam bla-
Matth. ix, 3; xxvii, 63. Joann. xvi, 2. sphemum et seductorem interfecerunt, arbitrantes obsequium se præstare Deo. Veruntamen ista ignorantia eos nequaquam
Sap. ii, 21. excusat, quoniam excæcavit eos malitia eorum, nec voluerunt credere divinis miraculis. Quomodo ergo impii isti dixerunt, Dirumpamus vincula eorum, nisi quoniam ille quem ipsi occiderunt tanquam im-

A pium, vere Filius Dei erat, cui qui resistit, Marc. xv, 39.
Patri quoque resistit? Qui enim non honorificat Filium, non honorificat Patrem Joann. v, 23.
qui misit illum. Bene autem per vincula intelliguntur lex Dei atque religio, quia per legem refrenantur et constringuntur iniqui, ne peccatis habenas relaxent. Religio etiam a religando vel ligando vocatur, quoniam religat hominem a mundo, et ligat eum sub divino obsequio. *Et projiciamus a nobis jugum ipsorum,* id est, non obediamus Dei Patris et Christi præceptis.
B Noluerunt enim prædicti reges et principes Christi saluberrimis consentire doctrinis.

(4) *Qui habitat in cœlis irridebit eos.* Hic 4
ponitur merces seu præmium malitiæ hominum prædictorum. Qui habitat in cœlis irridebit eos : id est, Deus justus judex, qui habitat in puris sanctisque cordibus, resuscitando Filium suum a mortuis tertia die, ostendet illos irrisione dignos. Item irridebit eos in die finalis judicii. *Et Dominus subsannabit eos.* Mos est sacræ Scri-
C pturæ, secundum Augustinum, ut idem sub aliis verbis resumat, quatenus veritas clarius innotescat, et audientes sive legentes magis attendant. Ita nunc fit. Quod enim prædixit, Qui habitat in cœlis irridebit eos, nunc repetit dicens, Et Dominus subsannabit eos : demonstrando eos omni contemptu dignissimos, quum converterit Ps. vii, 17.
malignitatem eorum in caput ipsorum, feceritque evenire omnino contrarium machinationi ipsorum. Unde Sapientia ait de impiis : Ego quoque in interitu vestro ri- Prov. i, 26.
D debo, et subsannabo, quum vobis quod timebatis evenerit. Dicitur autem Deus irridere et subsannare, non corporali motu vel modo carnali, sed propter similitudinem operis, seu ratione effectus : videlicet quia talem pœnam infligit, sicut irrisor et subsannator.

(5) *Tunc,* videlicet quando irridebit eos, 5
loquetur ad eos in ira sua. Hoc in die extremi judicii maxime fiet, quando tota Trinitas judicabit auctoritative, et Christus ut homo ministerialiter et executive. Tunc

Digitized by Google

tota Trinitas dicet reprobis per Christum, A
Matth. xxv, 41. qui sententiam proferet : Ite, maledicti, in ignem æternum. Potest quoque exponi de locutione, qua locutus est malis et reprobis per Apostolos sanctosque prædicatores : per quos loquitur Dominus in ira sua, quando foris facit reprobis prædicari verbum Dei, sed intus non aperit corda ipsorum, nec tangit affectum ; sed exigentibus culpis ipsorum, indurat eos, et obstinatos relinquit. Sic loquebatur Judæis incredulis per sanctos Apostolos. *Et in furore suo conturbabit eos.* Hoc in Judæis B Christum occidentibus videmus impletum, quia a tempore destructionis eorum a Tito et Vespasiano, de terra promissionis ejecti sunt, et multis ærumnis oppressi. In die quoque universalis judicii conturbabit eos,
Job x, 22. quando in ignem projicientur, ubi (ut ait Job) umbra mortis et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.

Consequenter inducit Propheta verba
6 Christi, de se ita dicentis : (6) *Ego autem :* tanquam dicat, Illi hoc modo peribunt, Ego autem *constitutus sum rex ab eo.* Christus C in quantum Deus, plenam habet auctoritatem omnium creaturarum : nec sic constituitur rex super aliquid, sed ipse cum Patre et Spiritu Sancto est unus et idem omnium rerum creator ac Dominus, judex
Matth. xxviii, 18. et rex ; sed prout homo est, sic data est ei omnis potestas in cœlo et in terra, sicut Matthæus scribit. Sic etiam constitutus est rex ab eo, scilicet Deo Patre, imo a tota superbeatissima Trinitate, cujus opera sunt indivisa. *Super Sion montem sanctum ejus,* id est super populum Israel, illum præ- D sertim qui credidit : qui dicitur mons, propter legis sublimitatem et gratiam electionis. Omnes quippe Prophetæ Messiam appellant regem Israel. Vel per Sion, quod interpretatur speculatio, intelligenda est Ecclesia militans, id est populus christianus Christum contemplans, et ejus lege, fide ac gratia sublimatus præ ceteris gentibus, sicut mons elevatur super circumjacentes terræ partes. *Prædicans præceptum ejus,* id est, legem evangelicam docens, primo per me ipsum, deinde per Apostolos Spiritu Sancto repletos. — In isto versu tactum est de humana Christi natura ; in sequenti agitur de ejus divina natura ac generatione æterna, dum dicitur :

(7) *Dominus,* scilicet Deus Pater, *dixit ad me,* scilicet Jesum Christum : *Filius* 7
meus es tu. Hoc in baptizatione et transfiguratione Christi dictum esse a Patre ad Filium, ex Evangelio constat. Matth. iii, 17; xvii, 5. Et dicitur Christus Filius Dei, non ut ceteri Sancti per gratiam adoptionis, sed Filius per identitatem naturæ, seu unitatem essentiæ : quoniam ex substantia Patris est genitus ab æterno. Et ideo additur : *Ego hodie genui te,* id est in die æternitatis : in qua non est prius et posterius, novum vel vetus, mutatio vel vicissitudinis obumbra- Jacob. i, 17.
tio ; sed dies ista est ipsamet æternitas, quæ est interminabilis vitæ tota simul perfecta possessio. Ista æternitas omne tempus comprehendit, atque per omnem temporis differentiam significatur : quia dicimus, Deus fuit, Deus est, Deus erit ; convenientius tamen designatur per præsens tempus, quod habet se per modum quieti et fixi. Volens ergo Propheta æternam Christi generationem subtiliter insinuare, usus est tempore præsenti, dicens, Ego hodie genui te : quæ sunt verba Patris ad Filium. Quidquid enim Pater agit et scit, hoc Filio dicit : et generando dicit, quoniam generando dat Filio divinam essentiam : quam dando, dat omnis veritatis notitiam, quum divina essentia sit ipsa sapientia, cujus non est numerus. Ps. cxlvi, 5.

(8) *Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam.* Verba sunt Patris ad Chri- 8
stum hominem, cui non competit postulare a Patre secundum quod Deus. Dicit ergo ad Filium incarnatum Deus Pater : O Fili, postula a me, et dabo tibi gentes. Hoc Chri- Joann. xvii.
stus frequenter fecit, quando pro mundi salute rogavit : et passio ejus erat postulatio efficacissima, quia per eam meruit sibi regnum militantis Ecclesiæ. Et dabo tibi gentes hereditatem tuam. Hanc promissionem Pater implevit, quando per prædica-

Digitized by Google

tionem Christi et Apostolorum ac successorum ipsorum gentiles convertit ad Christum : sicque gentiles, qui ante possidebantur a dæmone, possidentur a Christo; et facti sunt ejus hereditas, qui olim ad mundi principem pertinebant. *Et possessionem tuam terminos terræ :* id est, dabo tibi non unam provinciam, unam linguam, unumve regnum, sed terminos terræ, id est, fines mundi tuæ legi subjiciam. (*Ps.* xviii, 5; *Rom.* x, 18.) In omnem namque terram exivit Apostolorum doctrina. Unde inferius dicitur : (*Ps.* lxxi, 8.) Et dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum. De hac regia Christi dignitate et mundi subjectione, Daniel dicit : (*Dan.* vii, 14.) Antiquus dierum, id est Deus æternus, dedit ei potestatem, et honorem, et regnum; et omnes populi, tribus, et linguæ servient ei.

9 (9) *Reges eos in virga ferrea.* Christus regit Ecclesiam in virga ferrea, id est in constanti et immobili æquitate. Nam lex christiana et Christi doctrina, quibus reguntur Christifideles a Christo per ejus vicarios seu prælatos, comparantur ferreæ virgæ, propter rigorem justitiæ : quoniam omne malum quantumcumque sit parvum, prohibent et condemnant aliquo modo. *Et tanquam vas figuli confringes eos :* non utique conterendo naturam, vel corrumpendo exsistentiam naturalem; sed vitia exstirpando, mores corrigendo, propriam voluntatem eorum frangendo.

10 (10) *Et nunc, reges, intelligite.* Hic ponitur salubris doctrina præsidentium, imo et omnium. Et nunc, id est sicut prædictum est de regimine Christi, reges, id est omnes vicarii Christi, qui ejus populo præsidetis, imo et singuli qui reges esse debetis, regendo vos ipsos secundum rationis imperium, intelligite dicta atque dicenda. *Erudimini, qui judicatis terram,* id est, acquiescite meæ informationi, qui judicatis habitantes in terra.

11 (11) *Servite Domino in timore,* ut sitis timorati atque solliciti, quomodo digne regalis subjectos, et reverenter ambuletis coram Deo, ne elatione aut vana securitate seducti, negligenter agatis quæ vobis præcepta sunt. Ideo namque scriptum est : Si (*Eccli.* xxvii, 4.) non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua. Nam timor Dei expellit peccatum. (*Ibid.* i, 27.) *Et exsultate ei cum tremore :* id est, o reges terræ et homines universi, exsultate ei, id est, gaudete ad laudem Dei : gaudete, inquam, in exercitiis cultus divini, in laudibus Dei, in omni ejus obsequio, et præsertim in contemplatione ac dilectione ipsius : et hoc, cum tremore, id est cum magno ac reverentiali timore, ne exsultationem vestram dissolutio aliqua consequatur vel incustodia cordis; sicque spiritualis jucunditas in carnalem lætitiam convertatur, quemadmodum accidit his, qui spiritu inchoant, (*Galat.* iii, 3.) sed carne consummant. Hæc autem non de servili timore, sed initiali aut filiali intelligere congruit.

(12) *Apprehendite disciplinam,* id est, libenter amplectamini informationem fraternam, increpationem caritativam et flagella Dei, et æquanimiter ferte adversa; *nequando irascatur Dominus,* propter negligentiam vestram et impatientiam; *et pereatis de via justa :* nam dum Deus irascitur peccatori, tunc eum relinquit; quum vero a Deo homo relinquitur, et gratia ejus privatur, tunc statim perit, cadit, et errat de via justa, id est de observatione præceptorum et de omni meritoria actione. 12

(13) *Quum exarserit in brevi ira ejus,* 13
id est, quum ira Dei vehementer fuerit inflammata, sicut præcipue erit in die judicii; tunc *beati omnes qui confidunt in eo,* id est, omnes qui modo sperant in Domino, tunc invenientur beati. Dicitur autem, In brevi, quia finale judicium non diu durabit; vel, In brevi, quia nescimus (*Matth.* xxv, 13.) diem neque horam, qua de præsenti vita migraturi sumus : quando utique juste judicabimur, quoniam secundum opera sua (*Rom.* ii, 6; I *Cor.* iii, 8.) unusquisque recipit, mox quum de corpore exit.

Digitized by Google

ARTICULUS XIII

EXPOSITIO EJUSDEM SECUNDI PSALMI TROPOLOGICA.

DENIQUE tropologice explanando hunc A
psalmum, tunc hoc quod dicitur, Quare fremuerunt gentes, sunt verba cujuslibet Christiani, Christi vestigia cruciformiter imitantis, qui cupit pati cum Christo, quatenus postea regnet cum eo.

Quilibet ergo vere fidelis, malignitatem persequentium homines justos admirans,
1 dicat : *Quare fremuerunt gentes,* id est
homines infideles, Turcæ, pagani, Judæi,
hæretici ? *et populi,* id est mali Christiani, mundi amatores ac carnaliter sapien-
2 tes, *meditati sunt inania? Adstiterunt re-* B
ges terræ, id est imperatores ac alii reges
increduli, persecutores atque tyranni ; *et principes,* id est reliqui omnes judices, et etiam principes, solo nomine christiani, *convenerunt in unum,* id est, similem malitiam conceperunt, et in idem consilium concordaverunt, *adversus Dominum,* id est adversus Deum omnipotentem, *et adversus Christum ejus,* id est contra quemlibet hominem christianum, sacro chrismate unctum, vel gratia Spiritus Sancti spiritualiter unctum ac plenum. Qui enim C
contra Dei servos insurgit, contra Deum insurgit, quemadmodum Christus testatur:
Matth. xxv, 40. Quod uni minimo ex meis fecistis, mihi
Act. ix, 4. fecistis. Et Paulo adhuc persequenti : Quid
me, inquit, persequeris ?
3 *Dirumpamus vincula eorum,* id est, destruamus legem ac religionem Christianorum : sicut in præcedenti articulo expositum est. Hoc enim prædicti increduli persecutores intendebant, ut Nero, Domitianus, Diocletianus. *Et projiciamus a nobis jugum ipsorum.* Hæc sunt verba Chri- D
Tit. i, 16 stianorum male viventium, qui se fidem
habere fatentur, sed opera fidei aspernantur, atque devotos persequuntur. Hi dicunt : Projiciamus a nobis jugum ipsorum,
id est, repellamus a nobis prædicationem ac comminationem et reprobationem eorum, qui nostræ voluntati contraria prædicant, qui nobis Dei flagella pœnasque æternas minantur, et vitam nostram tanquam injustam et pessimam arbitrantur : docentes verbo vel opere ostendentes, mundum et omnem ejus honorem, et voluptatem ac
gloriam esse spernendam, parentes, pro- Matth. xix, 29.
pinquos, uxorem et agros, propter Christum esse derelinquenda.

Qui habitat in cœlis, id est Christus qui 4
sedet ad dexteram Patris, *irridebit eos,* id est omnes prædictos malignos ; *et Dominus,* id est tota superfelicissima Trinitas, quæ est unus Deus unusque Dominus, *subsannabit eos,* et hoc propter Christum, qui
secundum quod homo, proferet senten- Matth. xxv, 41 et seq.
tiam contra injustos ex totius Trinitatis commissione, quemadmodum in evange-
lio S. Joannis habetur : Pater omne judi- Joann. v, 22.
cium dedit Filio. *Tunc,* id est in die judi- 5
cii, quando prædicta irrisio fiet : tunc, inquam, Christus *loquetur ad eos,* id est injustos et bonorum persecutores, *in ira*
sua, dicens : Ite, maledicti, in ignem æter- Matth. xxv, 41.
num. *Et in furore suo conturbabit eos,* faciens eos absorberi a terra, et cum dæmonibus infernali carcere recludi.

Ego autem constitutus sum rex ab eo 6
super Sion. Hoc bonis prælatis ac sanctis episcopis, fidelibusque prædicatoribus maxime convenit. Horum enim quilibet dicere potest : *Ego autem,* etc., quasi diceret : Illi ita peribunt, sed ego *constitutus sum rex,* id est prælatus, rector, seu doctor, *ab eo,* id est a Christo, tanquam ejus vicarius, *super Sion montem sanctum ejus,* id est super populum christianum divina speculantem, *prædicans præceptum ejus,* id est, docens Christi mandata servari. Potest

Digitized by Google

et hic versus de unoquoque fideli exponi : quoniam unusquisque constitutus est rex, id est dominus operationum suarum, super Sion montem sanctum ejus, scilicet super se ipsum. [I Cor. III, 17.] Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos, ait Apostolus. Quilibet enim terrena despiciens, cœlestia speculans, dici potest Sion et mons sanctus Domini, quia in sublime defigit mentis suæ affectum, estque erectus in Deum. Dicitur autem homo rex super se ipsum, quoniam libere agit, et secundum rationis imperium vivere debet, et juste gubernare se ipsum. [Eccli. XV, 14.] Unde in Ecclesiastico : Deus creavit hominem, et reliquit eum in manu consilii sui. Prædicat quoque quilibet præceptum Dei, quando informat et excitat semetipsum, corde revolvens testimonia sacræ Scripturæ.

7 *Dominus dixit ad me : Filius meus es tu,* etc. [Rom. VIII, 16.] Hoc est quod ait Apostolus : Ipse Spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quod filii Dei sumus. Cuilibet ergo devoto dicit Dominus per inspirationem internam : Filius meus es tu ; ego hodie genui te, id est in die qua in fonte Baptismatis regeneravi te. Imo quandocumque infunditur nobis caritas et gratia Spiritus Sancti, tunc Deus spiritualiter generat nos, dans nobis esse spirituale, divinum, atque cœleste.

8 *Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam.* Hereditas appellatur, qua aliquis ad libitum utitur, convertens ipsam ad propriam utilitatem. Sic homines justi ac sancti hereditate possident gentes, scilicet peccatores gentiliter conversantes, quoniam ad libitum suum ipsis utuntur. Nam quidquid gentes hujusmodi agant, hoc totum justi ad utilitatem suam convertunt, [Ibid. 28.] sicque omnia cooperantur eis in bonum. Si namque honorentur et laudentur ab impiis, non extolluntur, sed per humilitatem merentur ex hoc. Si vero vilipendantur ac molestentur ab ipsis, non opprimuntur, sed per patientiam manent immobiles. *Et possessionem tuam terminos terræ :* id est, ego Dominus dabo tibi terminos terræ ad possidendum. Unde Apostolus : [II Cor. VI, 10.] Tanquam nihil, inquit, habentes, et omnia possidentes. Justi enim tantum habent de terra quantum desiderant, si fideliter petant, quemadmodum Salvator ait : [Matth. VI, 33.] Primum quærite regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis. Bonis quoque prælatis dat Dominus [gentes] in hereditatem, quatenus semper eas
bene regendo possideant. Denique omnis 9
prælatus et Christi fidelis, dignus Christi vicarius, regit sibi commissos in virga ferrea, id est in constanti justitia, et justa disciplina ; et tanquam vas figuli confringit eos, quia facit eos concupiscentias refrenare, mores corrigere, seipsosque frangere.

Et nunc, reges, intelligite. Ista atque sequentia, exponenda sunt sicut superius factum est. Ponitur hic admonitio optima, rectoribus præcipue opportuna. Prælati namque maxime indigent continuo Dei timore, imo et magno tremore, ne negligentius agant, ne eos principatus delectet, et ne per exteriorem occupationem interius vacui fiant. 10

Moraliter itaque docemur ex psalmo isto, ne deficiamus in adversis, ne frangamur iniquorum persecutionibus ; sed considerantes divini judicii ultionem, ac impiorum damnationem æternam, viriliter assequamur Caput nostrum seu Christi vestigia : [Hebr. XII, 2.] qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta ; qui etiam suis fidelibus clamat, [Luc. IX, 23.] Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me. Item ex eo quod dictum est, Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, docemur et admonemur considerare eminentiam gratiæ Dei et magnitudinem beneficiorum quæ nobis collata sunt, ut simus Deo grati, et ejus amore ardentes, sicque amplioribus donis impleamur a Domino. [Matth. XIII, 12 ; XXV, 29 ; I Cor. IV, 7.] Habenti enim dabitur, id est ei qui gratus est Deo, et gloriatur non in se ipso, quasi non acceperit, sed in Domino solum ; ei vero qui non habet, id est ingrato, et quod videtur habere, auferetur ab eo.

Digitized by Google

ARTICULUS XIV

QUOD PSALMUS ISTE NON SIT ALLEGORICE EXPONENDUS, QUAMVIS ANAGOGICE POSSIT EXPONI.

EX quo autem ostensum est psalmum A
hunc ad litteram loqui de Christo, cer-
tum est quod non sit allegorice exponen-
dus. Tunc namque allegorice Scriptura
exponitur, quando id quod ad litteram de
aliis scriptum est, de Christo intelligitur.
Si vero de David vel de aliis psalmus hic
loqueretur, ut putant Judæi, tunc posset
de Christo allegorice explanari.
Verum anagogice exponi potest, ut id
1-4 quod dicitur, *Quare fremuerunt gentes,*
usque ibi, *Qui habitat in cœlis,* sint ver-
ba cujuslibet Beati in patria, qui ista dicit B
ad insinuandum enormitatem peccati eo-
rum qui adversus Deum et Christum ejus,
id est contra eos qui nunc Deo fruuntur,
convenerunt quando in vita hac fuerunt.
Et convenit vox ista præsertim sanctis
martyribus, qui se conformando divinæ
justitiæ, optant vindictam de impiis, atque
ob hanc adipiscendam sic dicunt : Quare
fremuerunt, etc. Unde scriptum est : Sub
Apoc. vi, 9, 10. ara Dei, Sancti clamabant, Domine, vindica
sanguinem nostrum ; et infra : Lætabitur
Ps. lvii, 11. justus quum viderit vindictam. Interim C
autem Beati in patria, quasi consolando
se ipsos de dilatione divini judicii, dicunt
ad invicem : Qui habitat in cœlis irride-
bit eos.
6 Denique quilibet Deo jam fruens, dicere
potest : *Ego autem constitutus sum rex
ab eo super Sion montem sanctum ejus :*
id est, in cœlo empyreo coronam victoriæ
et regium diadema recepi, pro tribula-
tionibus atque laboribus in mundo per-
pessis ; *prædicans,* id est extollens seu
laudans, *præceptum ejus,* scilicet Domini, D
quoniam justum est, et quia illud implen-
do, felicitatem adeptus sum. *Dominus di-
xit ad me : Filius meus es tu.* Viatores
dicuntur filii Dei, propter gratiam adopti-
onis et similitudinem imperfectam ; sed
bene in patria nuncupantur filii Dei, pro-
pter beatificæ fruitionis gloriam, simili-
tudinemque perfectam, quoniam vident
Deum sicuti est. Idcirco unicuique Beato-
rum optime convenit dicere : *Dominus di-* 7
xit ad me : Filius meus es tu, quia perfe-
cte conjunctus ac assimilatus es mihi. *Ego
hodie,* id est in die qua te mea visione
beatificavi, *genui te.* Tunc enim de viatore
seu imperfecto ac misero, facit Deus com-
prehensorem, et perfectum atque felicem.
Postula a me, et dabo tibi gentes heredi- 8
tatem, etc. Istud Dominus dixit ad Bea-
tos, quando vivebant in sæculo, secundum
intellectum in præcedenti expositione ta-
ctum. Vel nunc quoque dicit istud ad ip-
sos, quoniam Sancti in patria habent sibi
subjectos populos mundi hujus, quemad-
modum apud Sapientiam legitur : Judica- Sap. iii, 8.
bunt justi nationes, et dominabuntur po-
pulis. *Reges eos in virga ferrea.* Certum 9
est viatores regi ab angelis sanctis in virga
ferrea, id est justa ac forti directione. Ani-
mæ quoque Beatorum regunt nos, orando
pro nobis. *Et tanquam vas figuli confrin-
ges eos.* Sanctis qui judicabunt cum Chri-
sto, hoc verbum competit, quia simul cum
Christo confringent et conterent impios
ab omni esse spirituali, beato, et glorioso.
Porro quæ sequuntur, *Et nunc, reges,* 10-13
intelligite, usque ad finem, sunt verba
triumphantis Ecclesiæ ad Ecclesiam mili-
tantem. Angeli enim qui sunt administra- Hebr. i, 14
torii spiritus, ex parte Dei ac omnium
Beatorum hortantur homines, et eos præ-
cipue qui aliis præsident, dicentes per

Digitized by Google

inspirationem mentalem, quæ est occulta interiorque locutio : Et nunc, reges, intelligite. Et sunt verba hæc exponenda sicut exposita sunt.

Itaque ex anagogica expositione psalmi istius, docemur contemplari gloriam Beatorum in patria, quantam videlicet felicitatem sortiti sunt, et quantum præmium receperunt pro temporali et modica tribulatione vitæ præsentis ; atque ex hac contemplatione inflammari debemus ad obtinendam hanc felicitatem, et propter ejus amorem fortiter sequi exempla, vitam, mores, ac tribulationes Beatorum, quatenus eorum consortio post præsens exsilium feliciter copulemur.

PRECATIO.

Miserator et piissime Deus, qui tibi famulantes ubique tueris et defendis, dona nobis in Christo Filio tuo fideliter vivere, eique jugiter servire in timore et exsultare cum tremore : ut apprehensa justitiæ disciplina, in ea persistentes beati in perpetuum exsistamus.

ARTICULUS XV

EXPLANATIO LITTERALIS PSALMI TERTII : DOMINE, QUID MULTIPLICATI SUNT, ETC.

1 Hujus psalmi talis est titulus : *Psalmus David, quum fugeret a facie Absalon filii sui.* Quidam autem hunc psalmum ad litteram exponunt de David, et ita titulus difficultatem non habet. Constat enim scienti
II Reg. xv-xviii. Scripturas, quemadmodum narratur Absalon cupidum regni, voluisse patrem suum sanctum David occidere, ut eo occiso ipse regnaret ; et congregato exercitu, volebat obsidere Jerusalem. Quo audito, David cum suis fugit ; et tandem ejus exercitus vicit atque fugavit exercitum Absalon. Joab quoque princeps militiæ interfecit Absalon de quercu pendentem. In hac ergo persecutione, fecit David hunc psalmum, qui ad litteram de ipso intelligi potest, quamvis verius et efficacius exponatur de Christo.

Loquens ergo David de se ipso ad
2 Deum : (1) *Domine,* inquit, *quid multiplicati sunt qui tribulant me,* id est ob quam causam ? quasi dicat : Non est rationabilis causa, sed conjuratio valida. Quamvis enim David peccavit, adulterium et
Ibid. xi, 4, 15. homicidium committendo, quia Bethsabee cognovit, et virum ejus Uriam interfici ordinavit, tamen vehementer pœnituit : et tamen in pœnam tanti peccati, permisit Dominus sibi hanc fieri persecutionem ; sed persequentes movebantur injuste, putantes eum omnino reprobatum a Deo. *Multi,* scilicet omnes Absaloni faventes, *insurgunt adversum me,* volentes me de regno expellere atque occidere. (2) *Multi* 3
dicunt animæ meæ, id est, multi loquuntur de anima mea : *Non est salus ipsi in Deo ejus,* id est, omnino maledicta et reprobata est propter scelerum ejus enormitatem, scilicet homicidii et adulterii. Unde Achitophel et alii multi persuaserunt populo, quod Deus abjecisset David, et ergo sine peccato persequerentur eum, et Absaloni adhærerent.

(3) *Tu autem, Domine, susceptor meus* 4
es. Hæc sunt verba David consolantis se ipsum, et amorose atque gratanter ad Deum loquentis, quasi dicat : Illi ita desperant de me ; tu autem, Domine, susceptor es animæ meæ, id est miserator meus, recipiens pœnitentiam meam, et precem meam exaudiens ; *gloria mea,* id est objectum et causa gloriæ meæ, quia in te solo glorior, II Cor. x, 17.

et gratiam hujus sanctæ gloriationis tu A
mihi infundis. Et ideo sequitur : *et exal-*
tans caput meum, id est erigens mentem
meam ad te, dansque fiduciam elevandi
5 oculos meos ad te. Idcirco, (4) *Voce mea ad*
Dominum clamavi, petens liberari ab eo
a malo pœnæ et culpæ, et ejus voluntati
me totum committens. Nec frustra, nam
sequitur : *et exaudivit me de monte sancto*
suo, id est de sublimi throno solii sui, vel
de excelsa ac summa clementia sua.
6 (5) *Ego dormivi, et soporatus sum.* Ad lit-
teram, somnus valet ad mitigationem tri- B
stitiæ, sicut et balnea. David ergo dormien-
do relevamen suæ tristitiæ sumpsit, tam
ex causa naturali, scilicet somni, quam ex
infusione consolationis divinæ. Propterea
ait : *et exsurrexi, quia Dominus suscepit*
me, id est, per gratiam et misericordiam
suam adjunxit me sibi, et roboravit cor
7 meum in se. Unde subjungit : (6) *Non time-*
bo millia populi circumdantis me, id est,
nullam multitudinem contra me insurgen-
tem verebor; et ut in hac fortitudine animi
stabilis perseverem, *exsurge, Domine,* non C
de loco surgendo, sed succurrendo et mo-
do exsurgentis te habendo ; *salvum me*
fac, Deus meus.

(7) *Quoniam tu percussisti omnes adver-* 8
santes mihi sine causa. Hic redditur cau-
sa, non ejus quod dictum est, sed ejus
quod sequitur : non enim ideo oravit Da-
vid salvari a Deo, quoniam Deus percussit
omnes adversantes sibi, nam illa percus-
sio orationem ejus secuta est. Sed quia
Dominus percussit adversarios David, vel
terrendo, vel lædendo, vel interficiendo
eos qui Absaloni favebant ; ideo dentes
peccatorum contrivit, id est, ora obloquen-
tium ipsi David clausit, et verba eorum
maligna repressit. Ideo subdit : *dentes pec-*
catorum contrivisti.

Verum quoniam omnis ista victoria a
Deo collata est David, ideo addit : (8) *Do-* 9
mini est salus, id est, liberatio ab ad-
versariis a Deo confertur, et ipsi recte
adscribitur. Consequenter David mutat per-
sonam, per figuram quæ dicitur metapla-
smus ; et loquens ad Dominum, ait : *et*
super populum tuum, id est super eos qui
mihi adhæserunt, *benedictio tua,* id est
collatio munerum tuorum, protectio atque
redemptio : quia exercitus David, quam-
vis modicus esset in comparatione exerci-
tus Absalonis, tamen Deo auxiliante præ-
valuit.

ARTICULUS XVI

EXPOSITIO EJUSDEM PSALMI TERTII ALLEGORICA.

DOCTORES catholici, Augustinus, Cas- D
siodorus et alii, exponunt hunc psal-
mum ad litteram de Christo; qui vero eum
litteraliter de David exponunt, ipsum al-
legorice de Christo intelligunt. Sed quid-
quid dicatur, de Christo convenienter ex-
ponitur. Titulus tamen mystice exponendus
est. David enim (sicut ostensum est) ratio-
ne interpretationis, figura est Christi. Ab-
salon vero, qui interpretatur *pax patris,*
typus est Judæ traditoris, de quo postea
Ps. xl, 10. dicitur, Etenim homo pacis meæ in quo
speravi ; qui etiam in Evangelio filius
Christi seu Sponsi inter ceteros discipulos
nuncupatur, ubi Christus ait : Non possunt Matth. ix,
filii sponsi, quamdiu cum illis est spon- 15.
sus, jejunare. Sensus ergo tituli est : *Psal-* 1
mus David, quum fugeret a facie Absalon
filii sui, id est, psalmus loquens de Chri-
sto, quum fugeret a mente Judæ quondam
discipuli sui. Tunc enim Christus recessit
a corde Judæ, quando post buccellam in- Joann. xiii,
troivit in eum Satanas. 27.

Sic igitur Christus ad Deum Patrem, vel

Digitized by Google

etiam ad totam supersanctissimam Trinitatem loquendo, vel certe Christus ut homo, loquens ad se ipsum ut est Deus :
2 *Domine,* inquit, id est, o Deus Pater; vel, o Deus trine ac simplex, qui es omnium Dominus; vel, o Verbum ac Fili Dei, qui meam humilitatem ad tuam personalitatem assumpsisti; *quid,* id est quo meo demerito, *multiplicati sunt, qui tribulant me,* id est, qui quærunt occidere me, et obloquuntur, convitianturque mihi? quasi dicat, Nullo : non enim Christus fecit peccatum pro quo pati meruit. *Multi insurgunt adversum me,* illi scilicet qui tribulant me, scilicet Pharisæi et Scribæ, cum
3 principibus sacerdotum ac populo. *Multi dicunt animæ meæ : Non est salus ipsi in Deo ejus.* Tales erant prædicti infideles Judæi, qui Christum reputabant blasphemum, voratorem, dæmoniacum, et insanum, sicut in Evangelio sæpe habetur. (Marc. ii, 7; Matth. xi, 19; Joann. x, 20.)
4 *Tu autem, Domine, susceptor meus es :* id est, tu, Verbum atque Unigenite Dei secundum divinam naturam, susceptor meus es quantum ad naturam humanam. Christus enim ut Deus, suscepit atque assumpsit in unitate personæ naturam humanam. *Gloria mea,* id est objectum beatitudinis meæ : quia gloria humanitatis Christi consistit in unione ac speculatione propriæ deitatis. Unde subjungitur : *et exaltans caput meum,* id est, elevans intellectum meum creatum, sive humanum, ad claram ac beatificam divinæ essentiæ visionem, quam Christus ut homo, vidit a primo instanti suæ conceptionis in Virgine matre, ut dictum est. — Vel sic : *Tu autem, Domine, susceptor meus es :* id est, tu, Deus Pater, vel tota Trinitas, susceptor meus es, id est exauditor et conservator meus, a cujus amore et beneplacito separari nec volo nec valeo; *gloria mea,* id est causa et ratio omnis lætitiæ meæ; *et exaltans caput meum,* id est, honorans atque glorificans me in signis et virtutibus, quibus hominibus innotescere potest me esse verum Christum ac Filium tuum, imo et verum Deum. Sicque per caput intelligi po-

A test Christi divinitas : caput enim Christi Deus, secundum Apostolum. (I Cor. xi, 3.) Et hanc Deus Pater, seu Deus Trinitas exaltavit, quando per Spiritum hominibus revelavit Christum esse Deum ac hominem, non in una natura, sed in una persona. (Matth. iii, 16, 17.) Unde Christus ait : Clarifica me tu, Pater, apud temetipsum, claritate quam habui antequam mundus fieret : (Joann. xvii, 5.) non quod Christus claritatem, quam ante mundi constitutionem habuit, unquam amisit; sed oravit ut vera sui cognitio hominibus innotesceret. Unde iterum
B ait : Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te : (Ibid. 1.) ubi, nisi in cordibus hominum?

Voce mea ad Dominum clamavi. Sicut 5
Evangelistæ testantur, Christus erat pernoctans in oratione Dei, (Luc. vi, 12.) et passione instante, ter Patrem oravit : (Matth. xxvi, 39-44.) nec frustra, quoniam subditur, *et exaudivit me de monte sancto suo,* id est de excelso habitaculo suo, vel de sublimi justitia sua. Infra enim habetur : Justitia tua sicut montes Dei. (Ps. xxxv, 7.) De hac ergo justitia exaudivit Deus Christum,
C quoniam divina dictante justitia, decuit Christum in omni oratione a Deo exaudiri, sicut et ipse Deo in omnibus obedientissimus fuit. Nam orationem illam quam ante passionem effudit, dicens, Transeat a me calix iste, (Matth. xxvi, 39.) Deus implevit. Non enim absolute oravit a passione liberari, sed hoc finaliter desideravit atque oravit ut Patris impleretur voluntas, dicens : Non mea voluntas fiat, sed tua. (Luc. xxii, 42.) Quare ad Hebræos de Christo Apostolus : Exauditus est, inquit, pro sua reverentia. (Hebr. v, 7.) Christus quoque dicit
D ad Patrem : Pater, gratias ago tibi, quoniam exaudisti me; ego autem sciebam quoniam semper me audis. (Joann. xi, 41, 42.)

Consequenter Christus loquitur de sua passione, sepultura, ac resurrectione, dicens : *Ego dormivi,* somno mortis in cru- 6
ce; *et soporatus sum,* tribus diebus ac noctibus jacens in tumulo. Mors quippe Sanctorum, somnus vocatur, quia ad vitam immortalem a Deo suscitabuntur. Et sepelitio Christi, bene soporatio appellatur, quia tam cito (utpote tertia die) suscita-

batur. Unde subjungitur, *et exsurrexi,* de clauso sepulcro, sicut egressus sum de clauso Virginis utero; *quia Dominus suscepit me,* id est, de numero mortuorum reduxit me.

7 *Non timebo millia populi circumdantis me.* Hæc possunt esse verba Christi post
Rom. vi, 9. resurrectionem, quoniam surgens a mortuis, jam non moritur, quia immortalis surrexit. Et ideo de cetero non timebo millia populi, id est quamcumque multitudinem mihi resistere cupientem, vel me circumdantem : non quod post resurrectionem valuerint adversarii Christi ipsum circumdare, quoniam inter impios post mortem conversatus non est, neque inju-
Act. x, 41. stis apparuit, sed testibus præordinatis a Deo; sed ideo dicit, Non timebo millia populi circumdantis me, id est, qui tempore passionis circumdedit me (illos enim post passionem non timuit), quia impassibiliter resurrexit. — Possunt et hæc verba de Christo intelligi ante passionem. Quamvis enim naturalem timorem sponte admisit,
Mat. xxvi, 37; Marc. xiv, 33. quando passione instante cœpit contristari ac mœstus esse, pavere atque tædere, et
Luc. xxii, 44. quando factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram; tamen ab oratione surgens, turbis impiorum in-
Joann. xviii, 4, 7. trepidus obviavit, et dixit : Quem quæritis? Sic itaque ait, *Non timebo millia* A *populi circumdantis me;* et ut non formidem, oro, o Domine, *exsurge,* subveniendo; *salvum me fac, Deus meus,* a morte, non deserendo me in sepulcro, nec dere- Ps. xv, 10.
linquendo animam meam in inferno, sed ad cœlos recipiendo me.

Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa. 8
Sæpe in Prophetis ponitur tempus præteritum seu præsens pro futuro, propter certitudinem prophetiæ. Ita hic ponitur præteritum pro futuro : quod tamen modo impletum videmus. Quoniam tu percussisti, id est quia percuties, B omnes adversantes mihi sine causa, id est persecutores ac crucifixores meos, incredulosque Judæos, qui æterna pœna percussi sunt, et posteri eorum usque in præsens capti sunt, expulsi, et multis miseriis involuti, illis exceptis qui pœnituerunt. *Dentes peccatorum contrivisti,* id est, blasphemias, irrisiones et oblocutiones eorum qui mihi in vita et in morte atque post mortem illudebant et detrahebant, conteres, ostendendo falsitatem eorum, et digna eos
C pœna torquendo. *Domini est salus,* id est, 9
a Deo est ista mea salvatio de manibus iniquorum; *et super populum tuum,* id est super eos qui in me credunt, et mea vestigia insequuntur, *benedictio tua,* id est collatio gratiarum tuarum, o Domine Pater. Hæc enim sunt verba Christi ad Deum.

ARTICULUS XVII

TROPOLOGICA EJUSDEM PSALMI TERTII EXPLANATIO.

INSUPER exponendus est psalmus iste de quolibet justo seu tota militante Ecclesia, quatenus ex his quæ de prioribus justis ac Sancto Sanctorum Domino nostro Jesu Christo scripta sunt, accipiamus moralem doctrinam, et instruamur quid nobis agendum sit, dum talia nobis eveniunt, qualia antiquis Sanctis, Deique Filio D contigerunt. David enim non solum Christi, sed et cujuslibet justi atque Ecclesiæ tenet figuram, quia Ecclesia per virtutem sponsi sui Christi Jesu, quilibet quoque fidelis, est David, id est manu fortis et desiderabilis adspectu. Absalon vero typus est mundi, et horum qui justos persequuntur ac tentant. Unde secundum tropolo-

Digitized by Google

1 giam, sensus tituli hujus psalmi est : *Psal-*
mus David, quum fugeret a facie Absalon
filii sui, id est, canticum Ecclesiæ omni-
umque justorum, quum se per bonam con-
versationem abstrahunt a consortio mun-
di ac impiorum, qui sunt filii Ecclesiæ
potentia, non actu ; nomine, non re.
Dicat ergo Ecclesia, dicat et quælibet ra-
tionalis creatura, variis tentationibus, mul-
tis tribulationibus atque miseriis pulsata,
2 pressa ac fatigata : *Domine,* id est, o Deus
æterne, omnipotens, adorande ; vel, Domi-
ne, id est, o Jesu Christe ; *quid multiplica-*
ti sunt qui tribulant me? scilicet mundus,
caro et diabolus, quia tres sunt inimici
justorum. *Multi insurgunt adversum me,*
utpote homines sæculares, concupiscentiæ
carnales, et aeriæ potestates : hi enim in-
3 festant et tribulant justos. *Multi dicunt,*
id est, verbo vel opere asserunt, *animæ*
meæ : Non est salus ipsi in Deo ejus. Mun-
Sap. v, 4. dani ac impii vitam justorum putant insa-
niam, et finem illorum sine honore : et
Ibid. 3. ideo habent eos in derisum et in similitu-
dinem improperii.
Deinde sequitur verbum dulcissimum,
atque consolatio optima : quod verbum
unicuique in tribulatione ac tentatione
constituto, cum magna et amorosa fiducia
4 ad Deum dicendum est. *Tu autem, Domi-*
ne, susceptor meus es, ad quem in adversis
confugio ; *gloria mea,* ad quam in omni
mœrore propero et respiro ; *et exaltans*
caput meum, id est, ab omni dejectione
eripiens animam meam. Unde scriptum :
II *Par.* xx, 12. Quum ignoremus quid facere debeamus,
hoc solum habemus residui, ut oculos no-
5 stros dirigamus ad te. *Voce mea ad Domi-*
num clamavi. Hoc versu docetur omnis
fidelis, quid tempore tribulationis sibi agen-
dum sit. Debet enim voce sua clamare, id
est vehementi et alto cordis affectu clama-
re, ad Dominum : et tunc Dominus exau-
diet eum, ita ut se relevatum sentiens, di-
cat, *et exaudivit me de monte sancto suo.*
I *Thess.* v, 17. Sed perseveranter orare oportet, imo sine
intermissione.
6 *Ego,* scilicet Ecclesia seu quilibet justus,

A *dormivi,* id est, tribulationibus opprime-
bar, ut tæderet animam meam vitæ meæ, *Job* x, 1.
et præ tædio dormitarem ; *et soporatus* *Ps.* cxviii, 28.
sum, per tempus perseverando in tali an-
gustia ; *et exsurrexi,* id est, consolationem
recepi, atque prævalui, non viribus aut
meritis meis, sed *quia Dominus suscepit*
me, id est, misericordia ejus amplexata est
me et precem meam admisit. Vel sic : *Ego*
dormivi, id est, in peccatis prostratus fui
et jacui ; *et soporatus sum,* id est, in pec-
catorum delectatione permansi, et propter
B pigritiam a bonis operibus cessavi. Pecca-
tori autem clamat Apostolus : Surge, qui *Ephes.* v, 14.
dormis. Et Salomon : Usquequo, piger, *Prov.* vi, 9.
dormies? Dormit enim qui nec contempla-
tur cœlestia, nec verba Dei audit, nec ali-
cujus spiritualis sensus operationem exer-
cet. *Et exsurrexi, quia Dominus suscepit*
me, id est, a vitiis desii, et juste vivere
cœpi, quia Dominus misertus est mei, in-
dulgentiam gratiamque præstando. Unde
subdit : *Non timebo millia populi circum-* 7
dantis me, id est, nullam adversariorum
C catervam verebor. Cor enim in Deo fir-
matum nihil timet præter Deum : quia si
timet hominem, hoc est propter Deum.
Justus enim, quasi leo confidens, absque *Ibid.* xxviii, 1.
terrore erit. Et, Qui timet hominem, cito *Ibid.* xxix, 25.
corruet. Sed quia fortitudinem non habet
aliquis a se ipso, ideo additur : *Exsurge, Do-*
mine ; salvum me fac, Deus meus. Oportet
enim ut Deus in nobis bona inchoet, con-
tinuet, et consummet : ideoque incessabi-
liter ad ipsum clamare debemus.
Quoniam tu percussisti omnes adversan- 8
D *tes mihi sine causa.* Christus in Evangelio
discipulis dixit : Confidite, ego vici mun- *Joann.* xvi, 33.
dum. Ipse quoque superavit principem hu-
jus mundi. Sic ergo Ecclesia et unusquisque
devotus ad Christum dicere potest : Quo-
niam tu percussisti, id est, superasti ac
reprobasti, omnes adversantes mihi sine
causa, id est mundum seu homines sæcu-
lares ac dæmones, qui mihi adversantur
conando me a te summo bono avertere, et
vitiis implicare. *Dentes peccatorum con-*
trivisti, id est, sermones seu ora eorum

Digitized by Google

qui vitam bonorum diffamant, et famam A ipsorum honestam dilacerant, contrivisti, saltem per prohibitionem. — Potest autem exponi hic versus, accipiendo præteritum pro futuro, modo locutionis propheticæ. *Quoniam tu percussisti,* id est, tu, Domine Jesu Christe, omnium judex, percuties in die judicii, *omnes adversantes mihi sine causa,* id est eos qui modo me injuste vexant ac tribulant : et tunc *dentes peccatorum,* id est verba detractorum ac invidorum, *contrivisti,* id est, conteres, retundes, damnabis.

Hunc igitur psalmum decantet, qui tentationibus tribulationibusque pulsatur : et si eum attente cantaverit, magnum utique relevamen experietur, sentietque quam vere atque salubriter Jacobus in Canonica sua consulat : Tristatur aliquis vestrum ? *Jacob.* v, 13.
Oret æquo animo, et psallat.

PRECATIO.

Voce nostra ad te, Domine Deus noster, oratione clamantes, exaudi nos de monte sancto tuo : exsurge in adjutorium nostrum, B ut tua opitulatione salutem et æternam benedictionem consequamur.

ARTICULUS XVIII

EXPOSITIO QUARTI PSALMI : QUUM INVOCAREM, ETC.

Porro psalmus iste talem habet titulum : C
1 *In finem, psalmus cantici David :* id est,
tractatus iste, qui ad bene operandum hortatur, est psalmus cantici, id est spiritualem jucunditatem includens, et de æternis bonis gaudere nos faciens ; David, id est factus ab ipso ; in finem, id est dirigens nos ad Christum, qui est omnium rerum
Apoc. I, 8; XXI, 6; XXII, 13. Alpha et Omega, principium et finis. Est enim duplex finis, videlicet consumens, sicut de candela jam igne consumpta dicimus, Finita est candela ; et est finis consummans seu perficiens, ut de domo jam D completa asserimus, Finita est domus. Et hoc secundo modo Christus est omnium rerum finis, quoniam ipse est consummata perfectio atque felicitas nostra. Continet igitur psalmus iste spiritualem doctrinam seu informationem moralem, spei inflammationem et internam lætitiam.

Loquens itaque Propheta in persona
2 Ecclesiæ seu cujuslibet justi : (1) *Quum invocarem,* inquit, *exaudivit me Deus justitiæ meæ :* id est, quum intus Deum rogarem, quum ex interno affectu ad ipsum clamarem, dum tota mentis occupatione in Deum versante ac fixa orarem ; exaudivit me Deus justitiæ meæ, id est, a quo omne est bonum quod habeo, omnis justitia quam exerceo. Et in hoc Propheta instruit nos, ut Deum intime invocemus in omni nostra angustia. Per id vero quod addit, Exaudivit me Deus justitiæ meæ, inflammat atque confortat spem nostram, ut fiducialiter invocemus, quasi diceret : Quemadmodum Deus me invocantem exaudivit, sic vos quoque exaudiet, si pure, perseveranter et sine omni hæsitatione deprecati fueritis, non in vestris justitiis, sed in Dei miserationibus confidentes. *In tribulatione dilatasti mihi :* id est, in ipsa spiritus mei afflictione, seu corporis infirmitate, interius consolatus es me, dando patientiam veram, per quam cuncta adversa lætanter sustineo, et æquanimiter fero, ita ut cor meum ex mentali et sancta lætitia dilatetur in semetipso. Per tristitiam namque cor constringitur et coarctatur, sed per lætitiam dilatatur seu amplificatur. Unde Apo-

stolus, ex discipulorum suorum memoria A
II Cor. VI, 11. exhilaratus : Cor, inquit, nostrum dilatatum
est. Verum, quoniam homo semper debet
esse timoratus atque sollicitus quamdiu in
præsenti versatur exsilio, nec sic propter
adeptam a Deo gratiam et consolationem
securus sit, quin semper sit de periculis
futuris anxius, quemadmodum scriptum
Prov. XXVIII, 14. est, Beatus homo qui semper est pavidus ;
ideo subditur : (2) *Miserere mei*, compati-
endo mihi ne futura pericula incidam, ne
susceptam gratiam perdam, ne tibi ingra-
tus inveniar; *et exaudi orationem meam.* B
Per hoc inflammatur, et quasi recalescit
affectus, desiderando ut Deus misereatur
ipsius.

Præterea, quoniam caritas fraterna exi-
git, ut homo gratiam sibi divinitus im-
pertitam, proximis suis communicare de-
sideret, orando, docendo, aut exemplariter
conversando : sicut in prima sua Canoni-
ca gloriosissimus apostolici ordinis prin-
I Petr. IV, 10. ceps hortatur, Unusquisque, inquiens, sicut
accepit gratiam, in alterutrum illam admi-
nistrantes, sicut boni dispensatores multi- C
formis gratiæ Dei : idcirco Ecclesia seu
quilibet justus, postquam coram Domino
cor suum orando effudit, ad aliorum se
3 informationem convertit, et ait : (3) *Filii
hominum.* In Hebræo habetur, Filii Adam.
Adam enim apud Hebræos non solum est
nomen proprium, sed etiam appellativum,
designans idem quod homo. Itaque, Fi-
lii hominum, filii Adam, filii primorum
I Cor. XV, 49. parentum, qui portatis imaginem terreni,
non cœlestis, id est, qui imitamini præ-
varicationem Adæ, non obedientiam Chri- D
sti, *usquequo gravi corde?* id est, quamdiu
habebitis cor deorsum ? quousque in re-
bus transitoriis affectum demergitis, non
quærentes quæ sursum sunt? *Ut quid di-
ligitis vanitatem,* id est temporalia ista
vanissima ? quæ dum plus amantur quam
Deus, vanissima sunt, quia mentem a sum-
mo bono avertunt, et vilissimis consolatio-
nibus implicant ; *et quæritis mendacium,*
decipiendo mutuo vosmetipsos ? Vel, Ut
quid quæritis mendacium, id est sensi-
bilia bona, atque carnalia oblectamenta?
quæ satietatem et felicitatem quamdam
promittunt amanti ; sed fallunt, quoniam
desiderium non quiescit in ipsis : imo
amori et delectationi carnali multæ admi-
scentur miseriæ, angustiæ, tristitiæ atque
malitiæ.

Consequenter ponit Scriptura conside-
rationem, quæ peccatores merito debet a
terrenis avertere, et ad Dei obsequium in-
flammare. (4) *Et scitote,* id est, sapienter 4
pensate, *quoniam mirificavit Dominus san-
ctum suum,* id est, mirabiliter adornavit
et exaltavit sanctum suum, id est quemli-
bet sibi perfecte et pure ministrantem, vel
per gratiam excellentem in præsenti, vel
per gloriam jam in cœlo, vel per divina
miracula, per quæ Deus ostendit homini-
bus quam accepta sit sibi vita sanctorum.
Vel sic : Scitote quoniam Dominus, id est
Deus Pater, mirificavit Sanctum suum, id
est Jesum Christum, qui in evangelio Mar-
ci dicitur Sanctus Dei : quem mirificavit Marc. I, 24.
ante nativitatem, prædicendo per Prophe-
tas eum nasciturum ; in nativitate, edu-
cendo eum ex clauso Virginis alvo ; post
nativitatem, quoniam angeli ejus nativita- Luc. II, 9-12.
tem pastoribus nuntiabant ; atque in de- Matth. IV,
serto, dum erat cum bestiis, et angeli sibi 1, 11; Marc. I, 13.
ministrabant ; in morte quoque, per solis
supernaturalem eclipsim ; atque post mor- Luc. XXIII,
tem, per resuscitationem, ascensionem, ac 44, 45.
Spiritus Sancti missionem. *Dominus ex-
audiet me, quum clamavero ad eum.* Hoc
est verbum bonæ spei, quæ ex amore ad
Deum nascitur. Nam qui diligit Deum, fir-
miter sperat, nihil eorum quæ ad veram
salutem spectant, sibi a Deo fore negan-
dum. In hoc quoque verbo, præstatur nobis
spes adipiscendi gratiam Domini, per quam
efficiamur sancti, et mirificemur ab ipso.

(5) *Irascimini, et nolite peccare.* Quædam 5
est ira procedens ex zelo justitiæ, et ratio-
nem sequens ac sponte assumpta, quate-
nus homo per eam opus virtuosum fortius
exsequatur. Hæc autem ira est bona, nisi
fortasse excessive fervescat seu accenda-
tur, vel graviorem pœnam exposcat, quam

Digitized by Google

culpa meretur. De hac igitur ira exhortando dicitur : Irascimini, scilicet contra vitia, contra diabolum, contra negligentias vestras ; et nolite peccare, id est permittere ut iræ commotio ita crescat, ut ratio perturbetur, vel immoderata ultio appetatur. Denique alia est ira per vitium, quæ rationem præcedit, et ei frequenter resistit, cujus tamen primi motus sunt veniales : et de ista ira intelligi potest quod dicitur, Irascimini ; sed tunc dicitur hoc, non exhortando ut irascamur, sed remedium atque consilium exhibendo, quid nobis agendum sit quando motus iræ insurgit. Unde subjungitur, Et nolite peccare, id est, reprimite iram, ne per verba aut gestus aliis innotescat, aut certe in opus procedat : et hoc verba sequentia planius pandunt. *Quæ dicitis in cordibus vestris,* id est, in animo cogitatis, *in cubilibus vestris compungimini,* id est, in secreto mentis vestræ pœnitentiam agite de peccato cogitationum vestrarum, ne suggestioni illicitæ consentiatis. Corda enim sunt quasi cogitationum cubilia.

Quia vero non sufficit a vitiis abstinere,
6 ideo subditur : (6) *Sacrificate sacrificium justitiæ.* Sacrificium appellatur, quod Deo offertur. Externum autem sacrificium, signum est sacrificii interioris, quo spiritus se ipsum Deo offert per sanctam devotionem, veram caritatem, ac intimam humilitatem, se ipsum et omnia sua Deo adscribens, ejusque venerationi impendens quidquid est, potest, et agit. Itaque, Sacrificate sacrificium justitiæ, id est, omnia opera vestra interiora et exteriora ad Dei honorem exercete ; et ut Deo grata sint, satagite laudabiliter conversari, justeque vivere. Sed quia ex tali conversatione posset aliquis se ipsum extollere, et quasi de propriis meritis gloriari atque confidere, ideo addit : *et sperate in Domino :* non in vestris justitiis, sed in miseri-
II *Cor.* III, 5. cordia ejus, a quo est omnis sufficientia
Rom. X, 3. vestra. Ignorantes enim Dei justitiam, et suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti.

Multi dicunt : Quis ostendit nobis bona? Hæc est quæstio malignorum, qui vel providentiam Dei negant, vel esse aliam vitam post istam non putant. De quibus
Malachias dicit : Prævaluerunt super me *Malach.* III, 13, 14.
verba vestra, dicit Dominus, et dixistis : Vanus est qui servit Domino ; et quod emolumentum, quia custodivimus præcepta ejus, et ambulavimus tristes coram Domino ? Hi itaque dicunt : Quis ostendit
nobis bona ? id est, quis novit si spiritus *Eccle.* III, 21.
filiorum Adam ascendat, et an sit vita in qua unicuique justa retributio fiat ? Potest quoque verbum istud aliter introduci. Multi namque, videlicet Academici, asserebant non posse hominem aliquid certo scire : unde de omnibus dubitabant, et solum opinative loquebantur. De his ergo ait Propheta : Multi dicunt, Quis ostendit nobis bona ? id est, quis facit veritatem certo cognoscere ? Ad hanc vero quæstionem respondet Propheta :

(7) *Signatum est super nos lumen vultus* 7
tui, Domine : id est, animæ nostræ impressa est quædam participatio luminis vultus tui, hoc est divini intellectus ; et in claritate hujus lucis ostenduntur nobis bona, id est, intellectualiter videmus animæ immortalitatem, divinam providentiam, justam omnium præmiationem, et certitudinaliter rerum veritates agnoscimus. Hoc autem lumen signatum super nos, quamvis dici posset naturale lumen intellectus humani, per quod philosophi multa de prædictis veraciter cognoverunt ; melius tamen intelligitur supernaturale lumen, videlicet fides et splendor gratiæ Dei, reformans in nobis imaginem beatissimæ Trinitatis, seu donum sapientiæ atque scientiæ. *Dedisti lætitiam in corde meo :* id est, o Domine, ex hoc quod scio esse signatum super me lumen vultus tui, spiritualiter gaudeo, et vehementer exsulto : quod utique gaudium, ne ingratus exsistam, tibi adscribo.

(8) *A fructu frumenti, vini et olei sui,* 8
id est ex abundantia temporalium rerum, *multiplicati sunt,* id est, ab illo summo

Digitized by Google

Luc. x, 42. uno, quod solum necessarium est, multi-
pliciter aversi sunt, miserabiliter vagantes
atque distracti. Qui? nisi de quibus jam
dixit, Multi dicunt, Quis ostendit nobis
bona? id est, homines sæculares, mundi
divitiis et carnis deliciis obtenebrati : qui
cor suum in Deo nequaquam simplex esse
sinunt, sed in caducis bonis ipsum disper-
Osee x, 2. gunt. De quibus Osee ait : Divisum est cor
eorum ; nunc interibunt. Et apostolus Ju-
Judæ 19. das in sua Canonica : Hi sunt qui segre-
gant semetipsos, animales, spiritum non
habentes. Verumtamen est quoddam fru-
mentum et quoddam vinum, a quorum
fructu bonum est multiplicari, hoc est fe-
cunditate ac numero augeri. De quibus
Zach. ix, 17. Zacharias : Quid bonum Domini, et quid
pulchrum ejus, nisi frumentum electorum,
et vinum germinans virgines? Quod melius
exponi non potest, nisi de Sacramento cor-
poris ac sanguinis Christi. Similiter de
Ps. xxii, 5. quodam oleo postea dicitur : Impinguasti
in oleo caput meum. Sed ista non sunt
frumentum, vinum, et oleum eorum de
quibus nunc ait Scriptura, sed electorum :
et ideo addidit, Sui.

Hi ergo jam dicti, sic multiplicati, sunt
instabiles, vagi, distracti; sed ego (dicit
9 Ecclesia vel quilibet justus), (9) *In pace in
id ipsum dormiam et requiescam.* Pax est
tranquillitas bonæ ordinationis, seu quies
a perturbatione : sicut dum caro obedit
spiritui, sensualitas rationi, et ratio Deo.
Id ipsum vero, est Deus sublimis et benedi-
A ctus, apud quem non est transmutatio nec *Jacob.* i, 17.
vicissitudinis obumbratio, quia semper et
invariabiliter æque perfectus, æque beatus,
et æque gloriosus exsistit. Itaque, *In pace,*
id est in vera mentis tranquillitate ac sta-
bili ordinatione, *in id ipsum,* id est in
Deum æternum qui semper idem ipse est,
dormiam, id est, ab exteriori occupatione, a
sensibilium attrectatione cessabo, *et re-
quiescam,* id est, in divinæ dulcedinis de-
gustatione, in divinæ bonitatis contempla-
tione, in divini amoris ardore suaviter
B repausabo, nunc quidem inchoative per
gratiam, in futuro autem consummative
per gloriam : et hæc ob id, o Domine Deus,
dicere audeo, (10) *Quoniam tu, Domine,* 10
singulariter in spe constituisti me. Quam-
vis siquidem de nullo desperandum sit in
vita præsenti, sed omnibus dederit Deus
spem posse adipisci ea, quæ nec oculus I *Cor.* ii, 9.
vidit, nec auris audivit; tamen homines
justos constituit Deus singulariter in spe,
quia ex receptione præsentium munerum
certa fit eis exspectatio futurorum. Ipsa
C etiam divina consolatio in præsenti ex-
perta, quid aliud est, nisi pignus et arrha
felicitatis futuræ, gaudiique cœlestis præ-
libatio quædam? Justus igitur beneficia
Dei sibi collata considerans, atque ex di-
vinæ pietatis contemplatione, specialem et
magnam ad Deum fiduciam mente conci-
piens, secure ac amorose dicat Altissimo :
Quoniam tu, Domine, singulariter in spe
constituisti me.

ARTICULUS XIX

QUOMODO PSALMUS ISTE QUARTUS MULTIPLICITER POSSIT EXPONI ; ET SPECIALITER DE EXPOSITIONE EJUS IN PERSONA CHRISTI.

QUONIAM quidem psalmus iste jam ad D
litteram expositus est de ipsa Eccle-
sia et quolibet homine justo, certum est
ipsum litteraliter posse exponi de David,
qui auctor est psalmi istius, eo quod ipse
in numero contineatur Sanctorum : et ipse
veraciter a Deo sæpe exauditus est quum
invocaret, et in tribulationibus suis Domi-

Digitized by Google

nus contulit ei patientiam magnam, ita ut dilataretur cor ejus, quia agnovit in spiritu, quod postea evidenter Apostolus do-
Rom. VIII, 18. cuit, quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam. Hoc quoque quod sequitur, Et scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum, de David litteraliter verum est. Nam de ma-
I Reg. XVIII, XXIII, etc. nu Saulis, ac multis periculis, et variis persecutionibus, mirabiliter valde a Deo
Ibid. XVII, 34, 35. præservatus salvatusque fuit; et ipse leonem ac ursum occidit, quemadmodum in libris Regum scribitur; et spiritu prophe-
II Reg. XXIV, 17; I Par. XXI, 16. tiæ impletus est, viditque angelum Domini percutientem populum Israel.

Porro secundum hanc expositionem litteralem de David vel Synagoga, exponeretur hic psalmus de quolibet homine justo vel Ecclesia secundum tropologiam; sed quia nunc psalmus iste de Ecclesia ac quolibet justo expositus est, alia expositione non eget. Sed diligenter pensandum est omni devoto hunc psalmum legenti, ut intente advertat propria verba, sicque conversari conetur, ut in propria persona hunc psalmum vere possit proferre. Quod utique fiet, si semper assuescat orare, si in omni causa et necessitate fiducialiter recurrat ad Deum, sicut ad unicum Salvatorem, fidelissimum adjutorem, spemque singularem : tunc enim non solum credet, sed experimentaliter sentiet, se frequenter exaudiri a Domino; sicque cum magna gratiarum actione concinet: Quum invocarem, exaudivit me Deus justitiæ meæ. Insuper, tanta gratia implebit eum Dominus, ut non solum dura et aspera quæ sibi contingunt, lætanter sustineat; sed paratus erit pro Dei amore et peccatorum suorum emundatione semper graviora perferre. Et hoc est vere in tribulationibus dilatari, habere animum ad duriora paratum, exemplo sancti David, qui quum fugeret a
II Reg. XV, 25. 26. facie Absalon, dixit : Si inveni gratiam in oculis Domini, reducet me; si autem dixerit, Non places, præsto sum, faciat quod bonum est coram se, id est, de regno expellat me, vel si ei placet, occidat me.

A Potest etiam psalmus hic specialiter satis de Christo exponi, eritque expositio talis allegorica, si de David litteraliter exponatur. Verumtamen de nullo tam proprie potest exponi sicut de Christo, solam litteram assequendo. Christus igitur ratione naturæ assumptæ, vel Propheta in persona Christi loquens, ait: *Quum invocarem,* 2
exaudivit me Deus justitiæ meæ, id est Deus unus ac trinus, vel ipsummet Verbum ac Filius Dei, qui meam humanitatem assumpsit. Jam enim superius dictum
B est, quod Christus semper exaudiebatur a Deo pro sua reverentia. *In tribulatione dilatasti mihi.* Hoc Christo potissime competit, quoniam in omni persecutione et passione, quam ab hora nativitatis usque ad mortem crucis sustinuit, nunquam inordinate tristatus est; sed omnia pro mundi salute libentissime atque affectuosissime pertulit, paratus semper ad duriora, si Patri placuisset. Iterum illud convenit Christo, quia in omni sua adversitate et pœna habuit gaudium beatificæ fruitionis, et ita
C Deus spiritualiter dilatavit et lætificavit mentem ipsius. Oravit quoque Christus sibi a Deo misereri, non propter propriæ culpæ remissionem, sed vel propter Ecclesiæ culpam, vel propter corporis sui a morte resuscitationem et glorificationem. Hebr. V, 7.

Et scitote quoniam mirificavit Dominus 4
sanctum suum. Quomodo hoc competat Christo, in præcedenti expositione tactum est; et nunc adjiciendum, quod Deus benedictus et sanctus Filium suum mirificavit per totum mundum, dando Aposto-
D lis aliisque sanctissimis Christi ministris gratiam miraculorum, spiritum prophetiæ, Marc. XVI, 17, 18.
genera linguarum, excellentiam vitæ, idololatriæ exstirpationem; et hactenus non cessat mirificare Filium suum dilectum, et glorificare fidem ipsius per magna prodigia, appendens sigillum testimonii sui Evangelio Christi.

Irascimini, et nolite peccare. Hoc est 5
verbum Christi ad Judæos incredulos, tanquam dicat : Si oritur in vobis aliquis motus iracundiæ contra me, dum auditis

Digitized by Google

me dicere quod Christus sim, judex mundi et Filius Dei, eo quod videatis me carnis infirmitati ac mortalitati subjectum; nolite peccare, id est, nolite consentire, nolite blasphemare, nolite esse increduli, quia videtis me talia facere, qualia alius nullus facere valet. Opera enim quæ dedit mihi Pater, testimonium perhibent de me.

Matth. xxvi, 64. — *Joann.* v, 36.

6 *Sacrificate sacrificium justitiæ.* Hoc est verbum Domini Salvatoris ad orthodoxam Ecclesiam, imo ad omnes qui post Evangelii promulgationem salvari desiderant, quasi dicat : Cessate a sacrificiis veteris legis, quæ non possunt auferre peccatum, nec accedentem perficere, quia non continent gratiam, sed figurant. Unde Isaias : Qui immolat bovem, quasi qui interficiat virum; qui mactat pecus, quasi qui excerebret canem. Ab his ergo sacrificiis tempore novæ legis cessate, et sacrificate sacrificium justitiæ, id est Sacramentum altaris, quod est finis et consummatio, ac veritas omnium sacrificiorum legalium. Hoc, inquam, sacrificate, id est, Deo offerte, vel celebrando, vel celebranti adstando.

Hebr. x, 1-4, 11. — *Is.* lxvi, 3.

8 *A fructu frumenti, vini et olei sui, multiplicati sunt.* Quamvis istud superius de malis expositum sit, potest tamen de bonis exponi, sicut et S. Thomas in cantu de festo Corporis Christi intelligit, ubi ex verbis istis talem antiphonam sumpsit : A fructu frumenti, vini et olei multiplicati fideles, in pace Christi requiescunt. Est igitur sensus : Fideles *multiplicati sunt,* fide et merito, *a fructu frumenti, vini,* id est ab effectu et gratia corporis et sanguinis Christi, *et olei sui,* id est a fructu spiritualis consolationis, quam in Eucharistiæ communione percipiunt.

9 *In pace in id ipsum dormiam et requiescam.* Hoc Christus de sua morte ac sepultura affirmat. Dormivit enim in cruce, et requievit in monumento, nec in aliquo horum interior mentis suæ tranquillitas concussa est, turbata, vel diminuta, sed in omni sua pœnali angustia constans, solidus, atque in Deo immobilis mansit. Denique aliter exponi potest. Anima enim Christi semper videbat faciem Dei Patris, quia viatrix non erat : sicque a primo suæ creationis momento, in summa ac tranquillissima pace fuit; et in Deo ab omni distractione atque aversione dormivit, et in ipso ab omni inquietudine immobiliter
requievit. *Quoniam tu, Domine, singula-* 10
riter in spe constituisti me. Verba sunt Christi, ut homo est, ad Deum. Christus autem quia purus viator non exstitit, ideo nec fidem habebat, nec spem, prout spes est virtus theologica, habens Deum pro immediato objecto, sicut quum dicimus, quod spes est exspectatio futuræ beatitudinis. Nunquam enim beatitudo, futura vel absens fuit animæ Christi. Sed prout spes est quæcumque exspectatio boni futuri, sic Christus habuit spem. Exspectabat enim resuscitari a morte, et glorificari in corpore. Ob hanc exspectationem ait ad Patrem : In pace dormiam, etc., quoniam tu, Domine, singulariter in spe, videlicet resurrectionis et glorificationis, constituisti me. Quamvis enim omnes fideles habeant spem resurgendi et glorificandi in die novissimo, Christus tamen ut homo, constitutus fuit in spe resurgendi ac glorificandi singulari modo, quoniam die tertia speravit in corpore impassibili et glorioso resurgere.

Matth. xvi, 21; xx, 19; *Marc.* x, 30; *Luc.* ix, 22; xviii, 33.

Cetera autem quæ nunc exposita non sunt, ex dictis in præcedenti expositione plana sunt.

PRECATIO.

Da, quæsumus, omnipotens Deus, lætitiam Spiritus tui in corde nostro : ut sacrificantes sacrificium justitiæ, ac jugiter in te sperantes, instante termino vitæ, in pace Christi dormiamus, et in ejus regno perenniter requiescamus.

Digitized by Google

ARTICULUS XX

EXPLANATIO PSALMI QUINTI : VERBA MEA AURIBUS PERCIPE, ETC.

1 Est autem titulus psalmi hujus : *In finem pro ea quæ hereditatem consequitur.* Gen. xxi, 1-14. In Genesi legitur quemadmodum Abraham duas habebat uxores : quarum una, videlicet Sara, cum Isaac filio suo mansit in domo, et hereditatem obtinuit ; altera, videlicet Agar, cum filio Ismaele expulsa est. Posset ergo hic psalmus ad litteram explanari secundum istam historiam, quod psalmus iste conscriptus sit pro Sara et filio ejus ; sed multo convenientius exponitur Galat. iv, 22-31. de re significata, videlicet de Ecclesia, quæ significatur per Saram ; Synagoga, quæ significatur per Agar, dimissa ac reprobata. Est igitur sensus : Psalmus iste dirigens nos *in finem,* id est in Christum, vel in hereditatem cœlestem seu vitam æternam, est *pro ea,* scilicet Ecclesia, *quæ consequitur hereditatem,* id est Deum vel Dei fruitionem. Deus namque appellatur nostra hereditas, quoniam ipse alit et continet nos ; nos quoque dicimur hereditas Dei, quia colit et regit nos, et sanguine suo redemit nos.

Loquens Propheta in persona Ecclesiæ, pro se suisque membris orantis,
2 primo proponit orationem, et ait : (1) *Verba mea auribus percipe, Domine ; intellige*
3 *clamorem meum.* (2) *Intende voci orationis meæ.* Eumdem cordis affectum ter explicavit, quatenus desiderium cordis tanto interius arderet calidius, quanto verbis exprimeretur frequentius. Quanto namque verba cordis affectum significantia sæpius iterantur, tanto affectio cordis amplius inflammatur, et ita oratio citius effectum sortitur. Unde modus Scripturæ est in his quæ affectum respiciunt, idem sæpe repetere, ut accendatur affectus. Posset tamen A inter hæc assignari distinctio, ut dicatur : Verba mea, id est orationem vocalem, auribus percipe, Domine ; et intellige clamorem meum, id est cordis affectum. Per clamorem enim intelligit sacra Scriptura spiritualem clamorem. Aures Domini sunt sapientia ejus et bonitas. Per sapientiam quippe cuncta cognoscit ac percipit. Per bonitatem vero dona naturæ et munera gratiæ præstat, dans omnibus affluenter, et Jacob. i, 5. non improperans. Dicit quoque ad Deum, Intellige clamorem meum : non quod Deus B possit aliquid non intelligere : omnia enim Hebr. iv, 13. aperta et nuda sunt oculis ejus ; sed, Intellige, inquit, id est, per approbationem agnosce, per affectum adverte, per sapientiam tuam succurre. *Rex meus,* ratione gubernationis, *et Deus meus,* ratione creationis. Sed quum Deus sit omnium rex et Deus, cur dicit, Rex meus et Deus meus, nisi propter specialem providentiam, qua providet suis electis, et dirigit eos in vitam æternam, a malis præservans, a periculis eruens ? Sic dicit : Deus meus, quia C te specialiter colo, tibi soli adhæreo, me totum tibi committo. Hoc dicere nequeunt, quorum deus venter est, aurum, vel aliquid tale. Philipp. iii, 19.

(3) *Quoniam ad te orabo, Domine, mane* 4
exaudies vocem meam : id est, quia orabo, o Domine, ad te, dirigendo affectum ad te, vel ad te adipiscendum atque fruendum, ut possideam te in patria in æternum ; vel, Ad te, id est, ordinans precem meam ad honorem et gloriam nominis tui. Quoniam ergo ita orabo ad te, ideo mane D exaudies vocem meam, id est cito et festinanter ; vel, Mane, id est, quum lucem miserationum tuarum effuderis super me ; vel, Mane, id est initio operationum bona-

Digitized by Google

rum. Et antequam finiatur oratio mea, ex- A
audies me : nam sicut per Isaiam testatus
Is. LXV, 24. es, Adhuc, inquiens, illis loquentibus, ego
dicam, Adsum. Et dicit, Mane exaudies,
non præsumendo, sed sperando, et mi-
5 sericordiam provocando. (4) *Mane,* id est,
quum Christus, qui est sol justitiæ et
Sap. VII, 26; *Hebr.* I, 3. splendor lucis æternæ, illuminaverit ani-
mam meam sedentem in tenebris, atque
ejecerit a me ignorantiæ cæcitatem et vi-
tiorum caliginem ; *adstabo tibi,* offerendo
tibi cor meum, ad ministrandum ac obe-
diendum affectuose paratum ; *et videbo,* B
id est, splendide contemplabor, et certo
cognoscam, *quoniam non Deus volens ini-
quitatem tu es :* imo omnis iniquitas et
omnis impuritas culpæ displicet tibi ; nec
vis eam effective, sed permissive.

6 (5) *Neque habitabit juxta te malignus :*
id est, non erit tibi conjunctus, nec moram
faciet prope te malignus, id est, qui aliis
cupit nocere : non quod spatio locorum
distabit a te, qui ubique es et omnia pe-
netras; sed quia propter dissimilitudinem
peccati recedit a te, sancto justoque Deo ; C
nec unitur tibi per gratiam in præsenti,
neque per gloriam in futuro : quemad-
Is. XXVI, 10, juxta LXX. modum scriptum est, Tollatur impius ne
videat gloriam Dei. *Neque permanebunt
injusti ante oculos tuos,* id est ante præ-
sentiam majestatis tuæ, ante conspectum
miserationis tuæ. Vel sic : Non permane-
bunt injusti ante oculos tuos, id est, non
agnoscentur a te per approbationis noti-
Ps. LXVIII, 29. tiam. Unde inferius dicitur : Deleantur
Matth. XXV, 12; *Luc.* XIII, 25, 27. de libro viventium. Et alibi : Nescio vos.
Oculus autem Dei, est intellectus ipsius. D

7 (6) *Odisti omnes qui operantur iniquita-
tem.* Odium, prout est passio animæ, non
competit Deo, nisi transumptive, quem-
admodum ira. Sed prout est detestatio vo-
luntatis malum volentis, sic potest compe-
tere Deo : et ita Deus odit male agentes,
quia detestatur et abjicit eos a se. Odit
autem eos non ratione naturæ, sed culpæ.
Sap. XI, 25. Unde Sapiens dicit : Diligis omnia quæ
sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti. Ni-
Ibid. XIV, 9. hilo minus in eodem libro habetur : Odio
sunt Deo impius et impietas ejus. *Perdes
omnes qui loquuntur mendacium,* id est,
æternaliter condemnabis mentientes, nisi
pœniteant. Propter quod in libro Sapien-
tiæ scriptum est : Os quod mentitur, occi- *Sap.* I, 11.
dit animam. Quæ de mendacio pernicioso
intelligenda sunt, quod fit intentione fal-
lendi atque nocendi, et ex malignitate pro-
cedit, estque Deo contrarium et mortale
peccatum, quum Deus sit ipsa veritas. Est
autem mendacium officiosum, quod pro
alicujus salute aut commodo dicitur. Et est
mendacium jocosum, quod ex levitate pro-
cedit, et causa solatii dicitur. Ista vero duo
mendacii genera non sunt peccata mor-
talia, sed venialia. (7) *Virum sanguinum,*
id est homicidam, re vel affectu : nam qui
odit fratrem suum, homicida est, secun- *I Joann.* III, 15.
dum Joannem. Itaque, Virum sanguinum,
et dolosum, id est bilinguem, simulatorem,
falsum doctorem, atque hypocritam, *abo-
minabitur Dominus,* despiciens eum, et
expellens a consortio electorum.

Deinde Ecclesia seu quilibet justus ad
Deum convertens sermonem, ait : *Ego au-* 8
tem in multitudine misericordiæ tuæ, sup-
ple, a prædictis peccatis et pœnis eripiar,
in tua gratia perseverabo, et beato fine
concludar. Et hoc est verbum bonæ spei,
vel potest intelligi per modum orationis.
(8) *Introibo in domum tuam,* id est in Jeru-
salem cœlestem seu triumphantem Eccle-
siam post præsentis vitæ exsilium, ut ædi-
ficentur ex me muri Jerusalem ; interim
vero introibo quotidie per affectum, cupi-
ens dissolvi et esse cum Christo. *Adorabo* *Philipp.* I, 23.
ad templum sanctum tuum : id est, in om-
ni oratione et adoratione dirigam intentio-
nem meam, et figam desiderium meum ad
civitatem cœlestem, ut ad eam pervenire
promerear. Adorabo autem, non intimora-
te vagaque mente, sed adorabo *in timore
tuo :* quia cum magna reverentia et in-
genti cordis custodia decet te, Dominum
majestatis altissimum, adorare.

Denique, quatenus ad prædictam beati-
tudinem tandem perducar, oro nunc, o Do-
mine, (9) *Deduc me in justitia tua :* id est, 9

Digitized by Google

da gratiam ambulandi in via recta perveniendi ad te, ut scilicet tuis præceptis obediam, et in omni sancta operatione tuæ legi obtemperem. Deduc me ne errem, ne passiones et vitia intellectum obnubilent et corruam in conspectu adversariorum meorum : sed esto tu dux meus, ostendendo mihi per illuminationem Spiritus Sancti, quomodo caute ambulem, de virtute in virtutem proficiam, atque feliciter cursum meum consummem. *Propter inimicos meos dirige in conspectu meo* viam tuam* :* id est, quia vides, o Domine Deus, me in medio laqueorum jam positum, et inimicis meis, qui sunt caro, mundus atque aeriæ potestates, undique circumvallatum ; idcirco dirige, id est pone, et clare memoriterque propone, in conspectu meo, id est in consideratione intellectus mei, viam tuam, id est legem mandatorum tuorum, ne unquam obliviscar eorum quæ mihi mandasti, et quæ tibi accepta sunt.

* tuo
* meam

10 (10) *Quoniam non est in ore eorum,* scilicet inimicorum meorum, *veritas,* sed dolus. *Cor eorum vanum est,* id est a summo bono, ab incommutabili Deo, ab æterna veritate aversum, et ad caduca inaniaque

11 conversum. (11) *Sepulcrum patens est guttur eorum,* id est simile aperto sepulcro, in quo homo facile labitur, et ex quo cito inficitur. Sic guttur impiorum se habet, quia mortua atque pestifera verba ex ipso procedunt; et sermo ipsorum cadere facit, ac inficit innocentes ac simplices, nisi Deus provideat. *Linguis suis dolose agebant,* proponendo mala sub specie boni, ut magis decipiant.

Judica illos Deus. Hoc dicit Propheta seu quilibet justus, non optando vindictam, sed prænuntiando veritatem, vel conformando se divinæ justitiæ. Itaque, Judica illos Deus, id est, justo tuo judicio eos condemna. (12) *Decidant a cogitationibus suis :* id est, non obtineant quod adipisci nituntur, sed apprehende astutos in astutia ipsorum : simulatores enim et callidi provocant iram Dei, quemadmodum in Job habetur. *Secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos :* id est, secundum gravitatem scelerum suorum projice eos a te in justa tormenta, quatenus quantum glorificaverunt se in malis, tantum recipiant in tormentis. *Quoniam irritaverunt te, Domine,* id est, ad iracundiam et indignationem provocaverunt : non quod invariabilis ac tranquillissimus Deus veraciter irritetur, amaricetur, aut provocetur, sicut Jeremias ait : Numquid me ad iracundiam provocant? dicit Dominus; nonne se ipsos in confusione vultus sui ? Dicitur ergo Deus ad iracundiam provocari et irritari propter similitudinem operis, quia tanquam irritatus se habet, dum impios terribiliter torquet. Et in hoc verbo, Irritaverunt, notatur quam enorme sit Deum offendere, quamque horrendum sit in manus Dei viventis incidere.

Job xxxvi, 13.
Apoc. xviii, 7.
Jer. vii, 19.
Hebr. x, 31.

(13) *Et lætentur omnes qui sperant in te,* 12
id est, in interiori et sancta hilaritate exsultent, qui totam spem suam fixerunt in tua clementia. *In æternum exsultabunt :* quia nunc temporaliter consolantur a te, et tandem regnabunt in æternum apud te; *et habitabis in eis* per caritatem et gratiam. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos, ait Apostolus. Unde Salvator dicit : Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum; et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.

I Cor. iii, 17.
Joann. xiv, 23.

(14) *Et gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum.* Caritas Dei otiosa esse non valet, sed semper, ut potest, procedit in actum tam interiorem quam exteriorem. Actus autem caritatis sunt, dilecto bonum velle, de ejus perfectione lætari, ejus beatitudini congratulari. Propterea, qui vere diligit Deum, de immensa ejus perfectione summe lætatur, et ejus felicitati cordialiter conjucundatur : et talis gloriatio est divinissima, ac Deo gratissima, summeque meritoria. Ideo autem diligentes te, Domine, gloriabuntur in te,
quoniam tu benedices, id est, gratiam tribues, et copiosa munera dabis *justo :* imo 13
faciem tuam ei ostendes, in cujus contem-

Digitized by Google

platione totius lætitiæ plenitudo consistit: A
Ps. xv, 11. sicut postea dicitur, Adimplebis me lætitia
Joann. xiv, 21. cum vultu tuo. Unde in Evangelio : Qui
diligit me, diligetur a Patre meo ; et ego
diligam eum, et manifestabo ei me ipsum.
(15) *Domine, ut scuto bonæ voluntatis
tuæ coronasti nos :* id est, o Domine, corona-
1 Petr. ii, 9. sti nos, id est, genus regium et sacerdotale
Joann. i, 12. fecisti nos, dando nobis potestatem filios
Dei fieri, et de adversariis triumphandi,
ornando nos variis donis Spiritus Sancti,
Ps. viii, 8. atque omnia subjiciendo sub pedibus no-
stris. Quomodo autem coronavit nos, pan-
dit, quum addit : Ut scuto bonæ voluntatis
tuæ, id est tegumento benignissimæ pie-
tatis tuæ. Quasi dicat : Sic coronasti nos,
id est, undique gratia tua ornasti ac subli-
masti nos, ac si essemus scuto quodam
operti atque protecti : imo scuto bonæ vo-
luntatis tuæ, id est ipsamet bona seu pia
voluntate tua, quæ est nobis ut scutum,
coronasti nos, præveniendo per gratiam,
conservando per misericordiam, et beatitu-
dinem promittendo per consummationem.

ARTICULUS XXI

QUOMODO PSALMUS ISTE QUINTUS SPECIALITER ET CONGRUENTER EXPONI POSSIT DE CHRISTO.

PORRO, quum titulus libri istius sit ta- B
lis, Incipit liber Hymnorum Prophetæ
de Christo, debemus in hoc sacratissimo
libro omnia pro posse ad Christum refer-
re. Potest ergo non solum hic psalmus, sed
etiam titulus ejus convenienter de Christo
1 exponi, ut sit tituli sensus : *In finem pro
ea quæ consequitur hereditatem,* id est,
psalmus iste dirigens nos in finem, id est
felicitatem æternam, est pro ea quæ con-
sequitur hereditatem, id est, tractat de
Christi humana natura, quæ unita est hy-
postatica unione Verbo Dei, sicque tam C
specialiter, tamque eminenter consecuta
est hereditatem, id est omnium divino-
rum charismatum plenitudinem atque fe-
licissimam Dei fruitionem, ut per eam to-
tum genus humanum perducatur ad vitam
Joann. i, 16. beatam : quia de plenitudine ejus accepi-
mus omnes gratiam pro gratia, sicut Joan-
nes ait.

Christus ergo ratione humanæ naturæ
orans, ait ad Patrem seu totam Trinitatem,
vel ad se ipsum, secundum quod Deus
2 est : *Verba mea auribus percipe, Domine.* D
Quæ sunt verba, quæ Christus a Deo ex-
audiri precatur, nisi orationes illæ quas
pro membris suis, id est pro nobis, effu-
dit? De quibus in Evangelio Joannis legi-
tur : Non pro mundo rogo, sed pro his Joann. xvii, 9.
quos dedisti mihi de mundo. Non rogo ut
tollas eos de mundo, sed ut serves eos a Ibid. 15.
malo. Et denuo : Pater sancte, serva eos Ibid. 11.
in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint
unum, sicut et nos. Alibi quoque ad Pe-
trum : Ego, inquit, rogavi pro te, Petre, ut Luc. xxii, 32.
non deficiat fides tua. Rogavi, inquit, pro
te, id est pro tota Ecclesia. Unde rursus
ad Patrem dicit : Non pro his, scilicet Apo- Joann. xvii, 20, 21, 23.
stolis, rogo tantum, sed pro eis qui cre-
dituri sunt per verbum eorum in me, ut
omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me,
et ego in te, ut omnes sint consummati
in unum. Insuper addit : *Intellige clamo-
rem meum.* Quis est iste clamor Filii Dei,
quem cupit a Patre intelligi ? nisi oratio
quam pendens in cruce emisit, dum di-
xit, Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid Luc. xxiii, 34.
faciunt; et iterum, quando clamans voce
magna, dixit, Pater, in manus tuas com- Ibid. 46.

Joann. xix, 28. mendo spiritum meum; et rursus, Sitio, id
est, hominum salutem desidero.
3 *Intende voci orationis meæ, Rex meus:*
omnium quidem rex, sed specialiter rex
meus, quoniam ita rexisti me Filium tuum
incarnatum, quod nunquam peccavi, nun-
quam a via recta erravi, nunquam imper-
fecte me habui; *et Deus meus:* omnium
quidem Deus, sed singulariter Deus meus,
quoniam ego solus, in quantum sum ho-
mo, magis te diligo, magisque colo ac ve-
neror, quam omnes simul intellectuales
creaturæ.
4 *Quoniam ad te orabo, Domine.* Hoc com-
petit Christo, quoniam diabolo dicenti,
Matth. iv, 9, 10. Hæc omnia tibi dabo, si procidens adora-
veris me, ipse respondit: Vade retro, Sa-
Deut. vi, 13. tana; Dominum Deum tuum adorabis, et
illi soli servies. *Mane exaudies vocem*
meam, id est cito. Quomodo enim Filio suo
Matth. iii, 17; xvii, 5. carissimo, in quo sibi complacuit, aliquid
5 denegaret Pater cœlestis? *Mane adstabo*
tibi, et videbo, quoniam non Deus volens
iniquitatem tu es. Mane, id est primo om-
nium et ante omnem aliam occupatio-
nem; adstabo tibi: quemadmodum scri-
Ibid. vi, 33. ptum est, Primum quærite regnum Dei et
justitiam ejus. Istud Christo specialissime
Act. x, 42. competit, quoniam ipse a Deo constitutus
est justorum impiorumque judex. Et ideo
adstat Deo tanquam ex ejus commissione
judicans, et ejus justitiæ summe concor-
dans, voluntatique ejus semper plene con-
sentiens: et ita videt, id est, clare co-
gnoscit, quoniam Deus qui est judex per
6 auctoritatem, non vult iniquitatem. *Neque*
habitabit juxta te malignus, etc. Quumque
sit ita, ideo, o Deus Pater, judicabo sicut
Matth. xxv, 32, 33, 46. te sentire cognosco, separando bonos a
malis; et bonos in palatio gloriæ tuæ re-
colligam, malos autem in ignem æternum
projiciam.
8 *Ego autem in multitudine misericordiæ*
tuæ: id est, ego Filius tuus magna et multa
Ps. xx, 4. misericordia tua præventus sum, in quan-
tum homo: quoniam sola divina dignatio-
ne et misericordia unita est humanitas mea
Verbo tuo, omni gratia adimpleta, sine præ-

A viis meritis ab omni culpa præservata, et
in omni bono completa. Merito ergo dico
me esse in multitudine misericordiæ tuæ.
Introibo in domum tuam, scilicet in die as-
censionis, quando reversus sum in domum
cœlestem. Vel, In domum tuam, id est in
templum tibi in Jerusalem consecratum:
in quo Christus prædicavit atque miracula
fecit, et de quo vendentes et ementes eje- Matth. xxi,
cit, dicens, Domus mea domus orationis 12, 13.
vocabitur. In hoc enim templum Dominum
Christum fuisse introiturum, Aggæus pro-
B pheta ita prædixit: Veniet Desideratus Agg. ii, 8.
cunctis gentibus, et implebo domum is-
tam gloria, dicit Dominus. In hoc quoque
templo Christus adoravit in timore Do-
mini: quia replevit eum spiritus timoris Is. xi, 3.
Domini, juxta Isaiæ oraculum. De Christo
etiam ad dexteram Patris jam residente
ait Apostolus, quia interpellat pro nobis. Rom. viii,
Domine, deduc me in justitia tua. Hanc 34. 9
orationem facit Christus pro corpore suo
mystico, quod est Ecclesia. Ipse enim non
oravit duci in via Dei, quia confirmatus
C erat in bono, neque mereri potuit sibi,
neque proficere, quoniam comprehensor
fuit perfectus. Oravit tamen interdum pro
se, scilicet pro corporis sui glorificatione,
vel aliquo simili.

Cetera hujus psalmi patent ex dictis in
præcedenti explanatione.

Quomodo autem hic psalmus moraliter Sensus
possit exponi, jam satis ostensum est, nec moralis.
est difficultas in hoc. Docemur vero ex
psalmo isto, quatenus cum magna atten-
tione oremus. Qualiter enim Deo dicere
D possumus, Verba mea auribus percipe, Do-
mine, si nos ipsi non percipiamus auribus
cordis quid loquamur? Et quomodo dici-
mus ei, Intellige clamorem meum, si non
mentaliter, sed vocaliter solum clamamus?
Denique, quid apparentiæ habet, ut Deus
voci orationis nostræ intendat, si nos ipsi
inattenti ac vagi corde fuerimus? Et ideo
scriptum est: Ante orationem præpara Eccli.
animam tuam, et noli esse quasi homo xviii, 23.
tentans Deum. Docet enim nos hic psal-
mus diligenter pensare, quam enorme at-

Digitized by Google

que damnabile sit Deo non obedire, nec A
Sap. xiv, 9. juste conversari, eo quod Deus impios
Matth. xxv, 41. odio habeat, et æternaliter separet eos a se, tradens eos æternis suppliciis. Postremo, docemur in Deo sperare, sperando lætari, lætando diligere, diligendo quiescere.

PRECATIO.

Rex et Deus noster, deduc nos in justitia tua propter inimicos nostros, et dirige in conspectu tuo viam nostram : ut in nobis scuto bonæ voluntatis tuæ coronatis, in æternum exsultes et habites.

ARTICULUS XXII

EXPLANATIO SEXTI PSALMI : DOMINE, NE IN FURORE, ETC.

PRÆSCRIBITUR autem psalmo huic titulus B
1 iste : *In finem, psalmus David, pro octava*. Cujus sensus est : Psalmus iste a sancto David compositus est, et dirigit nos in finem seu Christum, qui est terminus peregrinationis nostræ ; pro octava, id est, scriptus ac editus est timore extremi judicii, quod fiet in die novissimo, quæ vocatur octava, quoniam sequitur tempus sæculi hujus, quod septem diebus evolvitur. Denique verba sunt signa eorum quæ versantur in mente. Unde secundum diversas animæ affectiones, et diversa for- C mantur verba orationis ac laudis. Interdum enim afficitur anima vehementi timore, interdum ardenti amore, interdum delectatione insolita, interdum vero ingenti tristitia : et secundum hoc variantur sermones forinsecus. Clarum est quoque, ex vehementiori affectu verba affectuosiora procedere.

IGITUR anima fidelis ac timorata deliquisse se pensans, atque futuri judicii districtionem considerans, quasi vehemen- D ter perterrita, et Judicem suum interim mitigare affectans, talem precem effun-
2 dit : (1) *Domine*, inquit, *ne in furore tuo arguas me :* id est, o Domine, ne ita in præsenti vita relinquas me impœnitentem, inemendatum, incastigatum, ut in die judicii arguas me in furore tuo, id est secundum districtissimum zelum justitiæ tuæ, quando jam pœnitentiæ locus non erit, nec misericordia miseris fiet, sed summa justitia omnibus impendetur. Et ideo tunc quasi furiosus, quantum ad reprobos, apparebis per examinis districtionem sive asperitatem, et supplicii acerbitatem : et iste effectus tuæ justitiæ, furor vocatur. Sed modo da gratiam deplangendi peccata, vitandi pericula, faciendi opera virtuosa, ne tunc in furore tuo arguas me. Non
enim bis vindicabis in id ipsum. *Neque* *Nahum* i,
in ira tua corripias me : id est, nec ita 9.
modo permittas me indultum pœnitentiæ tempus negligere, ut in hora particularis judicii mei, quando scilicet anima mea egredietur a corpore, et tuo tribunali præsentanda est, corripias me in ira tua, id est in severitate æquitatis divinæ, condemnando animam meam in infernum, donec in die novissimo corpori reunita, simul cum illo sortiatur duplicem pœnam. Duplex constat esse judicium, scilicet universale, quod fiet in fine sæculi, quando omnes homines simul judicabuntur. Aliud est judicium particulare, quo singuli judicantur, quum moriuntur. Universale autem judicium terribilius est particulari judicio, quia in illo anima et corpus simul damnabuntur, et judex tunc terribilior ap-

Digitized by Google

parebit ; multaque alia erunt quæ illud A
judicium horribilissimum facient, ut ardens mundus, hians infernus, dæmones accusantes, angeli adstantes, coram omnibus angelis, hominibus, atque dæmonibus accusari, reprobari, confundi, damnari : quoniam singulorum peccata singulis innotescent, ut omnes cognoscant judicem esse justissimum. Unde furor, qui sonat aliquid majus quam ira, ad universale judicium pertinet; ira vero, ad particulare judicium.

Potest etiam aliter explanari quod dici- B
tur, ut sit sensus : *Domine, ne in furore tuo arguas me,* id est, ne in æternum condemnes me ; *neque in ira tua corripias me,* id est, neque in purgatorio torqueas me : sed nunc quotidie purga me paternaliter corrigendo, dulciter inflammando me
I Petr. iv, 8. tuo sancto amore, quoniam caritas operit multitudinem peccatorum ; et secundum mansuetudinem tuam fac mecum. Ideo
Job x, 20, 21. enim sanctus Job orat : Dimitte me, Domine, ut plangam paululum dolorem meum, antequam vadam, et non revertar, ad ter- C
ram tenebrosam et opertam mortis caligine. Jeremias insuper futuri judicii furorem se ferre non posse perpendens, sic orat :
Jer. x, 24. Corripe me, Domine, verumtamen in judicio et non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me.

Peccator ergo vere pœnitens, et de se Deo respondere ac satisfacere non posse adspiciens, oret, et dicat quod sequitur :
3 (2) *Miserere mei, Domine,* compatiendo miseriæ meæ, id est per modum compatientis
te habendo, videlicet succurrendo mihi in D
omni angustia et indigentia; *quoniam infirmus sum,* quia ex me ipso nil possum,
II Cor. iii, 5. sed tota sufficientia mea ex te est, ex gratia tua dependet, ex misericordia tua emanat.
Job ix, 3. Infirmus sum, non possum tibi respondere unum pro mille ; non possum, imo nec opto resistere vultui tuo : et ideo *sana me, Domine,* id est, a peccatis quæ sunt vulnera animæ meæ, purga et eripe me, non solum culpam, sed etiam pœnam relaxando ; *quoniam conturbata sunt ossa mea,* id est, virtutes animæ meæ concussæ et motæ sunt. Adversitates namque, passiones et vitia, actum virtutum frequenter impediunt atque commaculant, atque per hoc ipsi habitus virtuosi debilitantur. Et ideo propter admixtionem imperfectionum nostrarum cum actu virtutum, omnes no- Is. lxiv, 6.
stræ justitiæ sunt tanquam pannus menstruatæ. Unde ad removendum impedimenta virtutum, indigemus donis Spiritus Sancti, quæ a virtutibus distinguuntur, et in adjutorium earum præstantur.

(3) *Et anima mea turbata est valde,* sci- 4
licet recordatione præteritorum malorum, consideratione futurarum pœnarum, contemplatione divinæ justitiæ, et propter difficultatem perveniendi ad veram perfectionem, quam vehementer desiderat. *Sed tu, Domine, usquequo?* id est, quamdiu in tanta tribulatione relinquis me? quousque non subvenis exaudiendo, et desideratam gratiæ plenitudinem infundendo?

(4) *Convertere, Domine,* id est, converte 5
me ad te ; vel, Convertere, ut qui gratiam subtrahendo propter peccata mea recessisti a me, per gratiæ infusionem revertaris ad me ; convertere ab ultione ad indulgentiam, a rigore justitiæ ad suavitatem clementiæ ; *et eripe animam meam,* ab omni periculo, a sterilitate et tædio proficiendi in bonis, et a turbatione præmissa. *Salvum me fac,* nunc per gratiam, et in futuro per gloriam : et hoc non propter meam justitiam, sed *propter misericordiam tuam.* Scio enim, o Domine, te per sanctum Ezechielem dixisse : Non pro- Ezech.
pter vos ego faciam, dicit Dominus, no- xxxvi, 22, 32.
tum sit vobis, sed propter nomen sanctum meum.

(5) *Quoniam non est in morte qui memor* 6
sit tui : id est, nullus in peccato mortali exsistens, memor est tui memoria meritoria : et ideo peto gratiam mihi infundi, ut opera mea meritoria fiant. Vel, Non est in morte, id est post mortem, qui memor sit tui memoria salutari : et hoc verum est de his qui sine caritate et gratia mortui

sunt. Nam qui in purgatorio sunt, Dei sunt memores : alias non sperarent liberari a pœnis. *In inferno autem quis confitebitur tibi?* quasi dicat, Nullus : quoniam nec confessio laudis divinæ, neque confessio propriæ culpæ in inferno invenitur. His
Eccle. IX, 10. consonat autem quod Salomon ait : Quodcumque potest facere manus tua, instanter operare : quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.

Hucusque beatissimus David in persona veraciter pœnitentis loquens, ostendit quomodo a peccatore pœnitentiam agente orandus sit Judex cœlestis. Nunc insuper proprio exemplo docet quid pœnitens agere debeat, ut non solum verbo, sed etiam opere Deum conciliet. Ait enim :

7 (6) *Laboravi in gemitu meo :* id est, sic
interius de peccatis meis contritus sum, quod exteriores pœnitentiæ actus et satisfactionis labores non omisi, sed flendo, abstinendo, sacris vigiliis insistendo, me ipsum afflixi. Peccatum namque, quoniam delectationem habet annexam, per laborem cui adjuncta est quædam afflictio, indulgetur. Hoc quoque quod dicitur, Laboravi in gemitu meo, de interiori labore accipi potest, imo interior labor exteriorem excedit, sicut et dolor interior exteriorem. Sic igitur, Laboravi in gemitu meo, id est, in interiori cordis tristitia laboravi, interius meditando, me ipsum spernendo, Deum mentaliter exorando. Nam, ut ait Agathon anachoreta, Non est labor tam grandis, ut Deum intente orare. Laboriosum est enim cor diu servare in summo, propter fragilitatem et instabilitatem mentis humanæ.

Lavabo per singulas noctes lectum meum. Qui hoc ad litteram posset implere, vere pœnitens probaretur ; nec videtur impossibile hoc ipsum litteraliter adimplere, si sane intelligatur, ut sit sensus : Lavabo per singulas noctes, id est aliquo tempore singularum noctium, lectum meum, id est aliquam partem lecti, sic quod præ abundantia lacrimarum non tantum facies mea,

A sed etiam pars lecti vultui proxima humectetur. Debet enim se homo in lecto quasi in tumulo ponere, et peccatorum suorum ac mortis atque divini judicii recordari ; sicque adspirare ad Deum, et vultum et lectum sanctis lacrimis lavare : et ideo additur, *lacrimis meis stratum meum rigabo :* et hoc est explanatio ejus quod dictum est. Possumus tamen per noctes, intelligere peccata ; et per lectum, conscientiam seu delectationem malam ; et per stratum, consuetudinem pravam. Ut
B sit sensus : *Lavabo,* seu mundabo, *per singulas noctes,* id est per singula vitia, gemendo pro singulis memoriæ occurrentibus et magis ponderandis, *lectum meum,* id est conscientiam meam, ea abjiciendo de quibus remorsum conscientiæ habeo ; vel, Lectum meum, id est delectationem malam, in qua tanquam in lecto prostratus jacui et quievi. Hanc lavabo, pro ea me ipsum castigando, atque ab ea me de cetero subtrahendo. *Stratum meum,* id est consuetudinem pessimam, *lacrimis meis riga-*
C *bo,* id est, copiose deplangam, nec cessabo donec ipsam funditus exstirpavero, habitumque virtutis ei oppositum adeptus exstitero : quod utique magno et longo eget labore.

(7) *Turbatus est a furore oculus meus :* id 8
est, consideratio mentis meæ turbata est, concussa seu perterrita, a furore, id est a districtione judicii Dei, seu propter gravem vindictam divinæ justitiæ. Vel sic : Turbatus est a furore oculus meus, id est, intellectus meus inquietatus est et intranquil-
D lus effectus a furore, id est ex vehementi ira seu indignatione, quam concepi contra me ipsum, propter enormitatem peccatorum meorum. Passiones quippe quamvis sint bonæ et sponte assumptæ, solent tamen rationem aliqualiter perturbare, secundum Thomam in prima secundæ. Hujus *Thom* 1. 2. q. 22 et deinceps.
vero turbationis causa subjungitur : *Inveteravi,* id est, animo vetus factus sum, et *Hebr.* VIII, 13.
prope interitum factus, in vitiis jacens sordidus, et a spirituali juventute, quæ est reformatio mentis per gratiam, elongatus :

Digitized by Google

et hoc, *inter omnes inimicos meos,* id est inter omnes qui me a summo bono conantur avertere, qui sunt mundus, diabolus, vitia, et concupiscentiæ carnis. Inter hos inveteravi, ipsorum suggestionibus consentiendo, atque ipsorum operibus me conformando. Non acquievi divino Apostolo
Coloss. III, 9, 10. exhortanti : Exspoliate veterem hominem cum actibus suis, et induite novum, qui secundum Deum creatus est, qui renovatur de die in diem in agnitione ejus qui creavit eum.

Nunc autem obedire cupio ei qui ait,
Rom. XIII, 12. Abjiciamus opera tenebrarum : et ergo,
9 (8) *Discedite a me,* id est, nolite me ad peccandum inducere ; discedite consilio, similitudine, vita, affectu, *omnes qui operamini iniquitatem :* qui mecum pœnitere non vultis. Nolo enim vestro consentire consilio, nolo vobis similis esse, nolo imitari vestram vitam neque affectum. Et hoc ideo, *quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei,* id est interiorem affectum, ex quo vox et fletus oriuntur, et propter quem exaudiri dicuntur. Non enim clamor, sed amor, non fletus oculi, sed cordis contritio, penetrant cœlos, et in aures Dei introeunt.

Denique hanc suam exauditionem bis repetit, ad ostendendum quam gratus sit Deo, quamque jucundus in Domino pro
10 beneficiis ejus. Ait enim : (9) *Exaudivit Dominus deprecationem meam,* indulgentiam donans ; *Dominus orationem meam suscepit,* gratiam præstans. Nunquam enim peccatum mortale dimittitur, nisi simul gratia gratum faciens infundatur.

Sed quoniam piæ amorosæque mentis est, ut eamdem gratiam aliis optet ac oret, quam sibi divinitus datam cognoscit, idcirco pro aliis orans veraciter pœnitens,
11 (10) *Erubescant,* inquit, id est, de malis culpæ verecundentur, *et conturbentur vehementer* ea conturbatione, qua ego turbatus sum, scilicet commotione ad bonum, *omnes inimici mei,* id est, qui me odiunt, quia me a Deo avertere cupiunt ; sed ego diligo eos propter bonum naturæ, quo beatitudinis sunt capaces : nisi enim diligerem eos et essent amici mei, nequaquam orarem pro eis. *Convertantur* a vanis atque caducis ad verum et incommutabile bonum, *et erubescant.* Repetitio verbi, est affectionis indicium. Erubescant igitur *valde velociter,* quia periculum est in mora. Unde scriptum est : Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem, et dicas, Miseratio Dei magna est : subito enim veniet ira ejus, et in die qua non speras, disperdet te. Eccli. v, 8, 6, 9.

Expositio litteralis alia de David.

Postremo certum est, psalmum hunc ad litteram posse exponi de David, quoniam ipse non solum peccator ac pœnitens fuit, sed magna quoque peccata commisit, et omnium pœnitentium spes atque exemplar effectus est, efficacissime pœnitendo, plenissimam indulgentiam consequendo, et excellentissimam gratiam acquirendo. Creditur etiam frequenter ad litteram implevisse quod dictum est : Laboravi in gemitu meo ; lavabo per singulas noctes lectum meum. Si igitur sic intelligeretur de David, tunc allegorice exponeretur de quolibet efficaciter pœnitente, sicut et modo expositus est. Sed quoniam expositiones istæ non differunt, nisi quod una docet quid sit factum, alia quid sit faciendum, idcirco unica ista expositio sufficit.

Est autem hic psalmus primus inter pœnitentiales psalmos : qui omnes cum summa diligentia perscrutandi et intelligendi atque legendi sunt, quia in eis tanquam in libro ac speculo docetur peccator se ipsum respicere, peccatorum suorum enormitatem pensare, divinum judicium formidare, devotissimas quoque et affectuosissimas, imo et efficacissimas orationes ad Dominum fundere, quæ cito exaudiri merentur, si tamen cum gustu cordis ac præcordiali contritione fundantur. Considera ergo, o peccator ac pœnitens, sanctum David ; labora cum eo in gemitu cordis tui ; non des requiem tibi, donec reconcilies tibi Judicem tuum ; lava per singulas noctes lectum tuum, quemadmodum Jeremias desiderat,

Digitized by Google

Jer. xiv, 17. Deducant, inquiens, oculi mei lacrimas A
per diem et noctem, et non taceant. Unde
Job iii, 24. et sanctus Job ait : Antequam comedam, suspiro ; et quasi inundantis aquæ sic rugitus meus. Non tantum emundat et ornat candidissimum pannum ex incuria maculatum lotio aquæ, quantum purgat et ornat rationalem animam pœnitentialis profusio lacrimarum.

PRECATIO.

Piissimam clementiam tuam, omnipotens Deus, suppliciter imploramus : ut qui assiduis excessibus te offendimus, non in furore tuo arguas, neque in ira tua corripias ; sed converte et ab æterna damnatione eripe animas nostras, et salvos nos fac propter misericordiam tuam.

ARTICULUS XXIII

EXPLANATIO LITTERALIS SEPTIMI PSALMI : DOMINE DEUS MEUS, IN TE SPERAVI.

PRÆPONITUR demum psalmo huic hic ti- B
1 tulus : *In finem, psalmus David, quem cantavit Domino pro verbis Chusi filii Jemini.* Titulus iste variis modis exponitur, secundum quod psalmus iste diversimode explanatur. Secundum litteralem ergo intelligentiam psalmi istius, sensus tituli
II Reg. xv, 14, 16, 32-36; xvii, 7-21. facilis est. Legitur enim in libro Regum, quemadmodum David persecutionem Absalon fugiens, remisit amicum suum Chusi ad Absalon, quatenus ejus consilia exploraret, et regi David continuo nuntiaret : quod et factum est. Itaque, verborum oc- C
casione quæ Chusi intimaverat David, edidit sanctus David hunc psalmum. Qui licet convenientius exponatur de re significata, quam de significante figura, potest tamen exponi de ipsa re gesta ac significante. Unde sic primo exponendus est, sed breviter valde atque cursorie, eo quod talis expositio sit minus fructuosa seu dulcis, et devotioribus fratribus parum suavis ac placens.

Ibid. xvii, 1-4. DAVID igitur ab insidiis, quas sibi Ab- D
salon ex consilio Achitophel præparavit, cupiens liberari, sic orat : (1) *Domine*
2
Deus meus, in te speravi : et ita quodammodo merui exaudiri, quoniam scio quod
Judith xiii, 17. non deseris sperantes in te : propter quod fiducialiter ad te confugio et exoro ; *salvum me fac ex omnibus persequentibus me, et libera me ;* (2) *Nequando,* id est ne un- 3
quam seu aliquo tempore, *inimicus* meus *rapiat animam meam,* id est, exstinguat vitam meam, *ut leo,* qui animalia mansueta occidit : ne, inquam, sic rapiat, *dum non est qui redimat, neque qui salvum faciat,* id est, quia non est qui redimat et salvet, nisi tu redimas, salvumque facias.

Consequenter excusat se David a peccato, quod adversarii sui ei impingebant, asserentes se juste persequi eum, quemadmodum in expositione tertii psalmi plenius Ps. iii, 2.
dictum est. Ait igitur : (3) *Domine Deus* 4
meus, si feci istud, quod mihi imponitur, et *si est iniquitas in manibus meis,* de qua jam non sum contritus ; (4) *si reddidi* 5
retribuentibus mihi mala, id est, si reddidi malum pro malo : si, inquam, aliquod horum in me est, *decidam merito,* id est, juste cadam et vincar, *ab inimicis meis inanis,* id est vanus et a gratia vacuus. David enim puerum Absalon servari præcepit, ne II Reg. xviii, 5.
occideretur, et Sauli aliisque suis æmulis I Reg. xxiv, 4-8; xxvi, 7-13, et alibi.
benefecit. Denique clarius istud prosequitur : (5) *Persequatur inimicus* meus, scilicet 6
Absalon et omnis ei adhærens, *animam meam, et comprehendat,* id est, me ipsum vel vitam meam corporalem exstinguat,

Digitized by Google

et me captivet seu perimat; *et conculcet*
in terra vitam meam, eam penitus ex-
stinguendo, *et gloriam meam in pulve-*
rem deducat, id est, regia potestate me
privet.
7 Sed quia ita non est, propterea (6) *Ex-*
surge, Domine, auxiliando, *in ira tua* pu-
gnando pro me, et impios juste corripien-
do in præsenti, ne æternaliter pereant; *et*
exaltare in finibus inimicorum meorum,
id est, triumpha et prævale in loco et ter-
ra adversantium mihi, dando mihi victo-
riam contra eos, ut desinant dominari in
terra, in qua violenter dominium obtinent.
(7) *Et exsurge*, id est, ad actum justitiam-
que procede, *Domine Deus meus, in præ-*
cepto quod mandasti: id est, per ipsum
tuæ legis præceptum ostende impietatem
Exod. xx, 12. adversariorum meorum. Lex enim præce-
pit ut filii honorarent parentes, et subditi
II Reg. xv, et alibi. regem: contra quod faciebant Absalon et
ejus fautores, David de regno expellentes.
8 *Et synagoga populorum*, id est congrega-
tio bonorum atque fidelium, *circumdabit*
te, id est, ex omni parte convolabit ad te,
adhærendo tibi, et tuam justitiam appro-
bando. (8) *Et propter hanc*, id est propter
salutem et informationem synagogæ seu
populi tui, *in altum regredere*, id est, ma-
jestatem justitiæ tuæ declara, impios et
superbos dejiciendo, humiles vero ac pios
sublimando. Vel, Regredere, id est, redi
in altum, id est in summum justitiæ tuæ,
ut qui malos permisisti ad tempus regna-
re, nunc juste reprimas eos, ne diutius
præsidendo, gravius condemnentur.
9 *Dominus judicat*, id est, discernit, ac
Rom. ii, 6; I Cor. iii, 8. juste remunerat, *populos*, dando unicuique
secundum opera sua. (9) *Judica me, Domi-*
ne, secundum justitiam meam, id est se-
cundum exigentiam meritorum meorum,
et secundum innocentiam meam super me:
id est, secundum abstinentiam meam a
malo, restitue mihi, faciendo mihi sicut
ego feci proximis meis: quatenus sicut
ego illis non nocui, ita nec tu noceas mi-
hi. Istud est verbum hominum perfecto-
rum: et beatus qui tuta conscientia de se
ita loqui potest ad Deum omnia cogno-
scentem. (10) *Consumetur*, id est, finem 10
accipiat, *nequitia peccatorum*, ne addant
peccata peccatis, et thesaurizent sibi iram Rom. ii, 5.
divinæ vindictæ; *et diriges justum*, id
est, in rectam viam deduces, atque perfi-
cere facies justum, *scrutans corda et re-*
nes, Deus, id est, discutiens et intime vi-
dens cogitationes, et concupiscentias seu
delectationes examinans.
(11) *Justum adjutorium meum a Domi-* 11
no, qui salvos facit rectos corde. Quia enim
superius dixit, Si est iniquitas in manibus
meis, etc.; et, Judica me secundum justi-
tiam meam: ideo sequitur, ut juste me-
reatur adjuvari a Domino, cujus est rectos
corde seu justos salvare. (12) *Deus judex* 12
omnium infallibilis, *justus*, apud quem Rom. ii, 11.
non est personarum acceptio, *fortis*, cu-
jus sententiæ nemo resistere potest, *et pa-*
tiens, id est longanimiter sustinens; *num-*
quid irascitur, id est, ulciscitur et juste
remunerat, *per singulos dies*, id est tam
cito ut mali merentur? quasi dicat: Non;
sed diu et æquanimiter tolerat impios, ut
convertantur.
Verumtamen, o impii, ne dilatio iræ
Dei vos pigros et intimoratos, securosque
reddat, ideo dico vobis: (13) *Nisi conversi* 13
fueritis ad pœnitentiam salutarem, *gla-*
dium suum vibrabit, id est, manifestam
vindictam exercebit, præsertim in futuro,
id est universali judicio, quando vide- Job xix, 26;
bit omnis caro Christum judicem. *Arcum* Matth. xxv, 31 et seq.
suum tetendit, id est, occultam ultionem
minatus est impiis, quoniam subtrahit gra-
tiam suam ac paternam correctionem:
quæ est occulta atque dirissima pœna di-
vinæ justitiæ; *et paravit illum*, scilicet
arcum ad sagittandum, id est letaliter et
æternaliter condemnandum ingratos et du-
ros. (14) *Et in eo*, scilicet in arcu suo, *pa-* 14
ravit vasa mortis, id est in effusione ulti-
onis suæ mortiferas pœnas, imo et æterna
tormenta. *Sagittas suas*, id est inflictio-
nes pœnarum, *ardentibus effecit*, id est,
in illicitæ concupiscentiæ ardorem resolu-
tis paravit.

Digitized by Google

15 (15) *Ecce parturiit injustitiam,* id est,
impius suggerente diabolo operatus est
contra divinum præceptum ; *concepit do-
lorem,* id est animum inordinatum ac
malum propositum : animus enim inor-
dinatus sibi ipsi est pœna ; *et peperit ini-
quitatem,* id est, ad effectum perduxit
16 quod animo cogitavit. (16) *Lacum aperuit,*
id est, non solum in se ipsum peccavit,
sed aliis quoque occasionem peccandi ex-
hibuit : lacum aperuit, id est, malum ex-
emplum seu falsum consilium ministra-
vit proximis; *et effodit eum,* id est, lacum
hunc quantum in se fuit, foris ad opera-
tionem malam eduxit; vel, Effodit, id est,
profunde in cordibus aliorum eum infi-
xit; vel, Effodit, id est, industriose et pe-
netrative cogitavit quomodo lacum hunc
aliis aperiret, eosque in ipsum induceret;
et incidit in foveam quam fecit, id est,
fraudem et malum seu laqueum quem
aliis præparavit, ipsemet incidit. Unius-
cujusque iniquitas in proprium redundat
auctorem, et ipsi primo atque præcipue
nocet : imo dum alium decipere cupit, ip-
se a dæmone fallitur; et dum alii parat
malum pœnæ seu temporalia damna, ipse
A incidit malum culpæ ac pœnas æternas.
Istud in Absalone impletum est, qui alios II Reg. xv, 10-12.
ad patris sui persecutionem ac mortem
induxit; sed incidit in foveam quam fe-
cit, quoniam in fugam conversus est, et Ibid. xviii, 7-15.
laqueo arboris irretitus, tandem a Joab
tribus lanceis est transfixus.
(17) *Convertetur dolor ejus in caput ejus,* 17
id est, malitia impii in se ipsum et in ra-
tionem ejus revertatur, et noceat ei, ha-
beatque conscientiæ vermem de vitiis suis;
et in verticem ipsius, id est in intellectum
B ipsius, qui est summa potentia animæ, *ini-
quitas ejus descendet,* seu redundabit. Hoc
ait, non desiderando, sed prophetando ;
vel certe desiderando ut temporaliter pu-
niatur a Domino, ne æternaliter crucietur.
(18) *Confitebor Domino,* confessione lau- 18
dis, id est, laudabo Dominum, et laudem
ejus cantabo, *secundum justitiam ejus,* id
est, prout justitia ejus declarat eum om-
ni laude dignissimum, eo quod unicuique Rom. ii, 6.
reddat quemadmodum meruit ; *et psallam* I Cor. iii, 8.
nomini Domini altissimi, id est ipsimet
C Domino, cujus nomen est super omne no- Philipp. ii, 9.
men : sumit enim nomen pro nomine no-
minato, non pro voce nominante.

ARTICULUS XXIV

EXPOSITIO ALLEGORICA PSALMI ISTIUS SEPTIMI.

PRÆTEREA, secundum allegoricam ex-
planationem psalmi istius, qua scili-
cet de Christo exponitur, oportet titulum
psalmi mystice declarari. Per David enim
intelligitur Christus; per Absalon, popu-
lus Judaicus Christum persequens. Per
Achitophel, qui interpretatur ruina fra-
Matth. xxvi, 47-50. tris, intelligitur Judas, qui prodidit Chri-
Ibid. xii, 49, stum, qui se ipsum fratrem hominum
50; Marc. appellare dignatus est. Per Chusi, qui in-
iii, 34, 35, etc. terpretatur silentium, intelligitur myste-
rium humanæ redemptionis Judæis juste
D occultatum, gentibus autem misericordi-
ter revelatum, videlicet incarnatio Filii
Dei, passio et resurrectio ejus. Per Jemi-
ni, quod interpretatur dexter, intelligitur
Deus Pater, qui gentibus dexter seu fa-
vens fuit, illuminando corda eorum ad
cognoscendum mysteria Christi. Est igi-
tur tituli sensus : *In finem, psalmus Da-* 1
vid, id est, psalmus iste dirigens nos in
finem, id est in Deum ac vitam æter-
nam, attribuitur David, id est, tractat de
Christo, in cujus persona David hic loqui-

Digitized by Google

tur ; *quem cantavit Domino,* id est ad A
gloriam Patris, *pro verbis Chusi,* id est
pro revelatione secreti, videlicet pro ma-
nifestatione Incarnationis : Chusi, dico,
filii Jemini, id est pro revelatione secreti
a Deo Patre revelati, qui hoc revelando
fuit nobis Jeminus, id est favens atque
propitius.

Igitur de Christo exponendo hunc psal-
mum, Christus ait ad Deum Patrem seu
2 totam superbeatam Trinitatem : *Domine
Deus meus, in te speravi.* Christus in
quantum homo, est servus Dei, quemad- B
Is. LII, 13. modum habetur : Ecce intelliget servus
meus, et exaltabitur, et elevabitur, et su-
blimis erit valde. Itaque, *Domine,* cujus
præceptis semper obedio, secundum quod
homo ; *Deus,* qui creasti me, quantum ad
formam servi quam accepi : sicut per
Ibid. XLV, 8. Isaiam Dominus ait, Ego Dominus creavi
illum ; *meus,* quem singulariter colo, ar-
dentissime diligo, incessanter contemplor,
et cui immobiliter semper adhæreo ; *in te
speravi,* non sicut ceteri viatores, videli-
Thom. 2.2, q.17, art.5. cet per spem quæ est theologica virtus, C
sed per quamdam fiduciam qua opto li-
berari a te a malo pœnæ, et glorificari
in corpore ; *salvum me fac,* per gloriam
resurrectionis, et per præservationem a
pœnis, quas mihi inferre optabant Judæi,
antequam venit præordinata hora passio-
nis. Sic igitur salvum me fac *ex omnibus
persequentibus me,* scilicet principibus sa-
cerdotum, Pharisæis et Scribis : non ut
non occidar ab eis ; sed ut resurrectio-
nem meam acceleres, et in triduo suscites
me ; *et libera me* ab omni angustia vi- D
tæ præsentis : hoc enim Christus optavit,
quemadmodum in Evangelio protestatur :
Marc. IX, 18. O generatio incredula, quamdiu apud vos
ero ? quamdiu patiar vos ? Quamvis vero
Christus certissime præcognovit se taliter
liberandum, nihilo minus oravit pro sal-
vatione hujusmodi, quia sciebat sic præ-
ordinatum a Deo, ut per orationem acqui-
reret eam.

3 *Nequando rapiat ut leo animam meam,*
id est, ne inimicus meus omnino exstin-
guat vitam meam corporalem, servando
corpus in tumulo clausum, atque ab ani-
ma diutius separatum, quam triduo : sic-
que fides credentium pereat. Desideravit
autem Christus animam corpori cito re-
uniri, quoniam vita sua corporalis desi-
derabilissima ac nobilissima fuit propter
personalem unionem cum Verbo. Vel sic :
Nequando ut leo, id est diabolus qui est
ut leo, rapiat animam meam, in inferno
eam tenendo, sicut aliorum sanctorum.
Unde passione instante, Christus discipu-
lis dixit : Venit ad me princeps mundi *Joann.* XIV, 30.
hujus, et in me non habet quidquam. Ne,
inquam, rapiat animam meam, *dum non
est qui redimat, neque qui salvum fa-
ciat :* quoniam nullus alius me redimere
potest, ac salvum facere resuscitando a
mortuis, nisi tu.

Consequenter Christus ostendit immuni-
tatem suam ab omni peccato, dicens : *Do-* 4
mine Deus meus, si feci istud, id est, si
illa commisi, quæ Judæi mihi imponunt,
dicentes : Homo vorax, potator vini ; in- *Matth.* XI, 19; *Joann.* X, 20; *Luc.* XI, 15.
sanit ; in Beelzebub principe dæmoniorum
ejicit dæmonia. *Si est iniquitas in mani-
bus meis :* quemadmodum coram Pilato
dicebant, Hunc invenimus subvertentem *Luc.* XXIII, 2.
gentem nostram, et prohibentem tributa
dari Cæsari, et dicentem se Christum re-
gem esse. *Si reddidi retribuentibus mihi* 5
mala. Christus non solum non reddidit
malum pro malo, sed reddidit bonum pro
malo, docendo, orando, miracula perpe-
trando, quatenus incredulos ad fidem con-
verteret. Imo tandem in cruce pendens,
pro impiissimis deicidis deprecatus est,
dicens : Pater, ignosce illis, quia nesciunt *Ibid.* 34.
quid faciunt. Propter quod, juxta Prophe-
tam, Christus ad Patrem ait : Numquid *Jer.* XVIII, 20.
redditur pro bono malum, quia foderunt
foveam animæ meæ ? Recordare quod ste-
terim in conspectu tuo, ut loquerer pro
eis bonum, et averterem indignationem
tuam ab eis.

*Decidam merito ab inimicis meis ina-
nis :* id est, si ista vel aliqua horum com-
misi, tunc juste occidar ab adversariis

Digitized by Google

meis, tanquam a gratia vacuus. Qui enim
culpam commisit, pœnam merito sustinet.
Et debet homo magis velle mortem
corporalem subire, quam minimum veniale
peccatum committere. Denique ait :
6 *Persequatur inimicus animam meam et
comprehendat :* id est, si prædictis malis
pollutus sum, tunc inimicus, id est Judæus
seu quilibet infidelis, persequatur
me, quærendo me occidere, et comprehendat,
id est, voluntatem suam in me
exerceat ; *et conculcet in terra vitam
meam,* id est, operationes meas contemnat,
vilipendat, et opprimat, tanquam injustas
atque terrenas ; *et gloriam meam
in pulverem deducat,* id est, nominis mei
honorem, famæ excellentiam, reprobet, auferat,
penitusque exstinguat, ostendendo
me non esse Christum, sed pseudoprophetam.

Post hæc Christus orat pro infidelium
conversione, pro fidei divulgatione, et adversariorum
7 versariorum dejectione. *Exsurge, Domine,
in ira tua :* id est, quia, Domine, sine
omni peccato persecutionem et mortem
perpessus sum, pro tuo honore et mundi
salute ; idcirco exsurge, id est, a quiete
ad actum procede, in ira tua, id est in
justo judicio, vel in tranquilla tua justitia
districte omnia judicante ; *et exaltare,* id
est, principare ac regna per fidem et latriam,
in finibus inimicorum meorum, id
est in terris gentilium, seu cordibus incredulorum,
convertendo eos ad christianæ
fidei puritatem, quemadmodum mihi
Ps. II, 8. superius promisisti : Dabo, inquiens, tibi
gentes hereditatem tuam, et possessionem
tuam terminos terræ. Vel, Exaltare in finibus
inimicorum meorum, id est in omni
possessione diabolorum, qui male viventes
tanquam proprios possident. Fines ergo
inimicorum meorum, id est corda a
dæmonibus excæcata et miserabili servitute
ab eis possessa, subjice mihi, et tuo
obsequio subde, quatenus qui te spernebant,
et tibi inobedientes fuerunt, per me
credendo, te venerentur atque honorent.

*Et exsurge, Domine Deus meus, in præcepto
quod mandasti :* id est, sicut in lege
jussisti aliis facere, ita tu age. Jussisti
enim ut justis et innocentibus honor et
gloria impendatur, impiis vero et persecutoribus
pœna atque confusio. In hoc
ergo præcepto exsurge, faciendo juxta ipsius
tenorem : me Christum unicum Filium
tuum innocenter occisum suscitando,
hominibus per Apostolorum prædicationem
revelando, et in corde credentium sublimando ;
obstinatos vero Judæos damnando,
dispergendo, derelinquendo. Et est hoc
potius prædictio quam imprecatio.

Et synagoga populorum circumdabit 8
te : id est, si prædicto modo exaltatus fueris,
et nomen meum hominibus cognitum
feceris, tunc utique synagoga populorum,
id est congregatio verorum Israelitarum
omniumque electorum, circumdabit te, adhærendo
tibi per caritatem et cultum sincerum.
Sed quoniam Deus immensus est,
quæri potest quomodo populus ipsum circumdare
potest. Et respondendum, quod
homines Deum circumdent, non quod Deum
intra se claudant aut ambiant, sed quoniam
mente amorosa et corde purissimo,
ipsum cordialiter amplectuntur brachiis
sancti amoris, quemadmodum in Canticis
Sponsa Unigenito Dei incarnato ait : Quis Cant. VIII,
mihi det te fratrem meum, ut inveniam 1, 2.
te foris, et deosculer, et apprehendam te?
Vel dicitur populus Deum circumdare,
quia per modum circumdantis se habet,
dum ex omni parte ad ipsum recurrit, et
quasi circulariter ei se applicat. *Et propter
hanc,* id est propter electorum salutem,
in altum regredere, id est, te ipsum
magnifica, et te solum adorandum
ostende, qui te quodammodo parvificasti,
quando idololatriam atque peccata sic
invalescere permisisti.

Dominus judicat populos, examinando, 9
separando, et remunerando. *Judica me,
Domine, secundum justitiam meam, et secundum
innocentiam meam super me.* Hoc
soli Christo summe et optime dicere competit,
sicut ipse ab omni labe peccati purissimus
exstitit. Ipse ergo tutissime ait :

Digitized by Google

Judica me, Domine, id est, discerne cau- A
sam meam, et eripe me ab impiis; atque
restitue mihi secundum justitiam meam,
id est secundum dignitatem et merita vi-
tæ meæ, quatenus sicut ego te semper ho-
noravi, sic tu honores atque glorifices
I Reg. II, 30. me, sicut per Samuelem dixisti : Quicum-
que honorificaverit me, glorificabo eum;
qui autem contemnunt me, erunt ignobi-
les. Et secundum innocentiam meam super
me : id est, sicut ego in nullum deliqui,
sed toti generi humano æternæ beatitudi-
nis remedia præstiti; sic non invalescat B
10 in me impiorum malignitas. *Consumetur
nequitia peccatorum,* id est, Judæorum et
persecutorum meorum malitia termine-
tur, et justa pœna plectatur. *Et diriges
justum,* id est, me Sanctum Sanctorum ad
te ipsum in ascensione perduces, et ad
dexteram tuam locabis : quemadmodum
modo impletum est.
11 *Justum adjutorium meum a Domino :*
quia enim in omnibus Patris honorem
quæsivi, justum est me adjuvari ab eo.
12 *Deus judex,* per auctoritatem ac interio- C
rem examinationem, *justus, fortis,* imo
omnipotens, *et patiens :* non illa patien-
tia quæ est virtus moralis, passionem tri-
stitiæ refrenans ac ordinans, quemadmo-
dum mititas iram; sed patiens, propter
longanimem exspectationem ac pœnæ di-
lationem. *Numquid irascitur per singu-
los dies?* id est, numquid repente et statim
ulciscetur se de crucifixoribus atque ho-
micidis ac adversariis Christi Filii sui di-
lecti? quasi dicat : Non; sed diu satis post
Christi passionem exspectavit Judæorum D
conversionem. Et istud dicit Spiritus San-
ctus per Prophetam, ad confutandum er-
rorem vel potius cæcitatem Judæorum. Sic
enim dicebant apud semetipsos : Si hic
est Christus electus Dei, utique Deus eri-
piet eum de manibus nostris, et non desi-
net eum occidi : propterea per tormenta
tentemus, an ipse sit Filius Dei. Et istud
Sap. II, 17, 18. in Sapientiæ libro pulchre innuitur. Con-
tra hos igitur dicitur : Numquid Deus ira-
scitur per singulos dies? id est, numquid
statim eripiet justum, et vindicabit inju-
riam ejus?

Sed, o Judæi, ne longanimitas Dei fiat
vobis occasio damnationis majoris : quia,
Nisi conversi fueritis ad Christum, quem 13
negastis, et suspendistis in ligno, Deus ju-
dex *gladium suum vibrabit; arcum suum
tetendit, et paravit illum.* Hoc de occi-
sione ac vastatione eorum, quæ per Ve-
spasianum ac Titum impleta est, conve-
nienter accipitur. Gladius enim et arcus
Vespasiani et Titi, dicitur gladius et arcus
Dei, quoniam ex divina ordinatione vene-
runt ad persequendum Judæos. Unde in Ezech. XXI, 3-5; XXX, 24, 25; XXXII, 10, 11.
Ezechiele Dominus gladium regis Babylo-
nis nominat gladium suum. *Et in eo,* sci-
licet in arcu suo, Dominus *paravit vasa* 14
mortis; et quæ sint vasa mortis, mox in-
sinuat : *sagittas suas ardentibus effecit.*
Sagittæ enim dicuntur vasa mortis, quia
causaliter continent mortem, et subito in-
ferunt eam. Has sagittas Deus effecit, seu
præparavit ardentibus, id est Judæis con-
tra Christum furentibus.

Ecce parturiit populus Judæorum *inju-* 15
stitiam calumniando opera Christi, et dæ- Luc. XI, 15.
moni ea attribuendo; *concepit dolorem :*
quia tristabantur propter gloriam mira-
culorum Christi, et de hoc quod multi
credebant in eum. Unde etiam cogitabant
occidere Lazarum a Christo resuscitatum, Joann. XII, 10, 11.
quoniam propter illum multi credebant in
eum. *Et peperit iniquitatem :* id est, plebs
Hebræorum ex dolore quem contra Chri-
stum concepit, ad gravissimam illam ini-
quitatem prorupit, qua unigenitum Filium
sceleratissimis atque sacrilegis manibus
occidit. *Lacum aperuit,* id est, Christo oc- 16
casionem ruinæ proposuit, seu laqueum
mortis præparavit, *et effodit eum,* profun-
dando consilium quomodo nomen atque
memoriam Jesu prorsus exstingueret; *et
incidit in foveam quam fecit,* quoniam
Christum occidendo, meruerunt occidi,
dispergi, et minorari : sicut et factum es-
se cernimus. *Convertetur dolor ejus in ca-* 17
put ejus : quia quod populus Judæorum
Christo facere cogitavit, ipsemet passus

Digitized by Google

est; *et in verticem ipsius iniquitas ejus* A
descendet : id est, peccatum Judæorum,
quo Christum negabant, occidebant, atque
Matth. xxvii, 25. clamabant, Sanguis ejus super nos et su-
per filios nostros, descendet. Prophetia
est, quæ modo impleta est. Descendet, in-
quam, id est, redundabit et revertetur in
verticem ipsius, id est in intellectum po-
puli hujus : ita ut penitus obtenebrentur
corda ipsorum, et obstinentur in malo ;
neque recedat ab eis ista malitia, nisi in
fine sæculi, quando fiet unus pastor et Joann. x. 16.
unum ovile.
Confitebor Domino secundum justitiam 18
ejus. Verba sunt Christi regratiantis Deo
sublimi de omnibus nunc prædictis. Con-
fitebor (inquit) Domino, id est Deo Patri
vel summæ Trinitati, secundum justitiam
ejus, qua me exaudivit, liberavit, et susci-
tavit, atque incredulos perdidit ; *et psal-*
lam nomini Domini altissimi, id est, lau-
dem dicam Deo trino ac simplici.

ARTICULUS XXV

EXPLANATIO TROPOLOGICA PSALMI ISTIUS SEPTIMI.

INSUPER, juxta tropologicam expositio- B
nem, talis est sensus tituli psalmi is-
1 tius : *In finem, psalmus David,* id est,
psalmus iste dirigens nos in finem, id
est in Christum, attribuitur David, id est
fideli, cui facta est revelatio mysterio-
rum Christi : *quem* psalmum ille fidelis
cantavit Domino, id est ad laudem Dei,
pro verbis Chusi, id est pro manifestatione
alti silentii, quo Christus dimicavit contra
Judæos, occultans eis mysterium suæ pas-
sionis.
Fidelis igitur Deum cupiens exorare, C
2 primo prætendit meritum, dicens : *Domine*
Deus meus, in te speravi : quatenus au-
res divinæ pietatis tali præludio attrahat,
et in se ipso majorem fiduciam exaudi-
tionis concipiat. Sperans enim in Domino,
meretur exaudiri ab ipso. Itaque, *Domine*
universorum ; *Deus meus,* propter singu-
larem affectum, et cordis fervorem in te ;
Jer. xvii, 5. *in te speravi.* Nam maledictus qui confidit
in homine, et ponit carnem brachium
suum. Idcirco speravi in te, quia tu solus
potes salvare me. Sed vide, o serve Dei, ut D
ista tibi vere conveniant ; vide ut is qui
est omnium Dominus, sit specialiter Deus
tuus, ita ut tota et pura ac integra mente
ei adhæreas, omnem affectionem a sum-
mi boni amore elongantem abjicias : quo-
niam unum est necessarium. Beatus homo Luc. x, 42.
qui hoc modo Domino dicere potest : Deus
meus. Non est hoc omnium, sed perfecto-
rum dumtaxat. Sacratissimus enim ille at-
que divinissimus Dionysius in libris suis
scribit : Deus, et si fas est dicere, meus.
Non audebat absolute dicere, Deus meus :
quod tamen verissime dicere potuit, quia
instar ferri candentis atque carbonis igni-
ti, in Dei amore mirabiliter æstuabat.
Salvum me fac ex omnibus persequen-
tibus me, ne tentationibus dæmonum vin-
car, vel carnis illecebris maculer, aut a
mundo seducar ; *et libera me* a vinculis
peccatorum, et a malis futuris. *Nequando* 3
rapiat persecutor ac hostis *ut leo animam*
meam, alliciendo eam ad consensum pec-
cati, aut alio modo eam fallendo. Unde in
prima Petri docemur : Sobrii estote et vi- I Petr. v,
gilate, quia adversarius vester diabolus 8, 9.
tanquam leo rugiens circuit, quærens quem
devoret : cui resistite fortes in fide.
Domine Deus meus, si feci istud quod 4
sequitur, nempe, *si est iniquitas in ma-*
nibus meis, id est in operationibus et
conversatione mea : non quod nunquam

Digitized by Google

peccaverim, vel ab omni peccato immunis A
I Joann. I, 8. sim (si enim dixerimus quia peccatum non
Job XV, (antiq. vers.) habemus, nosmetipsos seducimus ; et ne-
mo mundus a sorde, etiamsi unius diei sit
vita ejus super terram); sed ideo dico, Non
est iniquitas in manibus meis, quoniam
non intendo alicui nocere, et tibi, o Do-
mine, propono fideliter obedire, et de ma-
lis præteritis doleo : sicque me ab omni
peccato mortali purum confido, præser-
5 tim propter id quod sequitur. *Si reddidi*
retribuentibus mihi mala, id est, si vindi-
cavi me ipsum, si non indulsi proximis B
Rom. XII, 21. meis, si non implevi illud Apostoli, Noli
vinci a malo, sed vince in bono malum ;
decidam merito ab inimicis meis inanis,
id est, tunc merito prævalebit adversarius
meus in me. Si namque invenitur iniqui-
tas in manibus meis, id est consensus
peccandi, propositumque nocendi, et si
me ipsum ulciscor, tunc merear non ex-
audiri a te : et ita destitutus ope et gratia
tua, protinus cadam atque deficiam. Hoc
autem quod dicitur, Decidam merito ab
inimicis meis inanis, et, Persequatur, etc., C
non dicitur imprecando vel desiderando,
sed veritatem pandendo.

Si, inquam, reddidi retribuentibus mi-
6 hi malà, *persequatur inimicus animam*
meam, et comprehendat : id est, quia tum
utique merui ut hanc persecutionem pa-
tiar. Persequatur inimicus, id est tenta-
tor, scilicet dæmon vel mundus seu fomes
peccati, animam meam, conando eam ad
culpam inducere ; et comprehendat, id est,
eam in lege peccati captivam obtineat ; *et*
conculcet in terra vitam meam, id est, af- D
fectum animæ meæ temporalibus terrenis-
que rebus subjiciat, et operationes meas
infimis ac vilibus rebus agglutinet : quem-
Jer. XVII, 13. admodum Jeremias ad Dominum ait, Re-
cedentes a te, in terra scribentur ; *et glo-*
riam meam in pulverem deducat, id est,
intellectualem animæ meæ portionem, per
quam a bestiis separor, ac summæ Trini-
tatis imagine ornor, ita obtenebret, ut
tanquam irrationabilis existimer, et ju-
mentis insipientibus comparer.

Ex his autem docetur et commenda-
tur nobis patientiæ virtus, ne alicui vel
noceamus vel nocere optemus, nullam exi-
gendo vindictam, nec zelum amarum ge-
rendo ad aliquem, sed cordialiter remit-
tendo : quia nec aliter a Domino exaudiri
possumus ; sed omnibus insidiis inimico-
rum nostrorum nos ipsos exponimus at-
que patefacimus, quemadmodum Sapiens
inquit : Qui vindicari vult, a Deo inveniet Eccli.
vindictam. Homo homini reservat iram, XXVIII, 1, 3-5.
et a Deo quærit medelam ? In hominem
sibi similem non habet misericordiam :
quis exorabit pro peccatis illius ? Sunt
quoque patientiæ tres gradus. Primus est,
pro culpa commissa illatam pœnam æqua-
nimiter ferre. Secundus est, pœnam inju-
ste illatam sine tristitia sustinere. Tertius
est, non solum illata gaudenter tolera-
re, sed etiam pro malis reddere bona. Ho-
rum patientiæ graduum primus est infi-
mus, et de necessitate salutis : de quo ait
Salvator, In patientia vestra possidebitis Luc. XXI, 19.
animas vestras. Secundus est altior : de
quo Petrus in prima sua Canonica as-
serit, Hæc est gratia, si propter conscien- I Petr. II, 19.
tiam Dei sustinet quis tristitias patiens
injuste. Tertius vero gradus est summus :
quem imitari christianæ perfectionis est.

Post hæc orat fidelis pro resurrectione
Christi, quæ sibi divinitus occulte est re-
velata. Et poterat ista esse oratio antiquo-
rum Sanctorum, dicentium : *Exsurge, Do-* 7
mine, o Christe et rex Messia, a mortuis,
in ira tua, juste derelinquendo obstinatos
incredulos, misericorditerque vocando ad
fidem electos ; *et exaltare in finibus ini-*
micorum meorum. Hoc in præcedenti ex-
positione satis tractatum est. Potest quo-
que aliter iste locus exponi : Exsurge,
Domine, id est, mihi succurre, et fac me
exsurgere a torpore pigritiæ, ab omnique
vitio ; et exaltare in finibus inimicorum
meorum, id est, per caritatem ac fidem
regna et habita in corpore meo, et in om-
nibus membris meis, in quibus viget lex Rom. VII, 23.
peccati, atque in viribus animæ meæ, in
quibus amplius dominatur originalis cul-

Digitized by Google

pæ infectio seu fomes. Hæ autem vires sunt appetitus concupiscibilis et irascibilis, ratio atque voluntas, in quibus sunt quatuor vulnera animæ : nam in concupiscibili est concupiscentia ; in irascibili, infirmitas ; in ratione, ignorantia ; et in voluntate, malitia. In his ergo, o Domine, exaltare et regna, vitia expellendo, corpus spiritui subjiciendo, vires naturales virtutibus adornando, ne ultra sint fines inimicorum meorum, id est, ne de cetero regnet in eis dæmon et vitium.

Et exsurge, Domine Deus meus, me exaudiendo et adjuvando *in præcepto quod mandasti,* id est, dando virtutem exsequendi ac implendi præceptum, quo mandasti
1 *Petr.* II, 11. nos a carnalibus desideriis abstinere, et
Tit. II, 12. sobrie, juste ac sancte ac pie incedere. *Et*
8 *synagoga populorum circumdabit te :* id est, si dederis mihi hanc gratiam tam sancte vivendi, profecto multi exemplo mei ædificabuntur, et convertentur ad te : sicque congregatio populi convolabit ad te gratiam deprecando, ut dones eis vitam talem qualem mihi dedisti. Et ideo subditur : *Et propter hanc,* id est synagogæ seu populi fidelis salutem, *in altum regredere,* id est, in supremo animæ meæ principare ac præside, omnia opera mea dirigendo secundum divinæ legis ac rectæ rationis imperium.

9 *Judica me, Domine, secundum justitiam meam.* Hæc est oratio viri perfecti, de sua perfectione non elati, sed Domino grati, scientis sua merita esse Dei dona ; atque bona sua commemorantis non ad propriam laudem, sed ad Creatoris honorem. Itaque ait : Judica me, Domine, id

A est, discerne ac segrega me a societate malorum, ne eis actu aut voto communicem. Quamvis enim modo cum eis localiter habitem, in vita tamen futura separabis me ab eis loco et gloria, secundum justitiam meam, qua bona commisi, *et secundum innocentiam meam,* qua a malo declinavi.
Consumetur nequitia peccatorum, id est, 10
non diu duret, sed finem accipiat omnis persecutio, atque tentatio malignorum qui opprimunt justos. Breve enim est omne *Rom.* VIII, 18.
quod nos modo affligit ; sed æterna sunt
B gaudia, quæ justis reposita sunt ; æterna quoque tormenta impiis restant. *Et diriges justum :* id est, cogitationes ejus, affectus, verba et opera ordinabis ; et recte perduces ad te, qui es omnium rerum ultimus finis. Cetera autem quæ restant, exponenda sunt sicut ante exposita sunt.

Sed attende tibi, o frater, quum psalmum hunc cantas vel legis, ne os tuum condemnet te, videlicet si sit iniquitas, id est mala voluntas, et cor impœnitens, in manibus tuis, id est in viribus operativis ;
C et ne velis male facientibus malefacere, sed redde bonum pro malo. Et dimitte si quid habes adversus aliquem, ut et Pater cœlestis tibi ignoscat. Patientia nempe nobis summe necessaria est : et qui eam non habet, nunquam vel raro quietus erit. 1 *Thess.* V, 15 ; *Rom.* XII, 17 ; 1 *Petr.* III, 9 ; *Marc.* XI, 25.

PRECATIO.

Domine Deus noster, in quem speramus, libera fideles tuos ex omnibus se persequentibus inimicis visibilibus, ut te protectore securitate accepta, sine timore jugiter psallamus nomini tuo benedicto.
D

Digitized by Google

ARTICULUS XXVI

EXPOSITIO PSALMI OCTAVI : DOMINE, DOMINUS NOSTER, QUAM ADMIRABILE, ETC.

1 Est autem titulus psalmi hujus : *In finem, pro torcularibus, psalmus David :* id est, psalmus iste a David compositus est, et in finem, id est in Christum nos dirigens, scriptus et editus pro torcularibus, id est pro congregatione fidelium, qui in præsenti multis tribulationibus tanquam quibusdam torcularibus molestantur, quatenus expurgati a vitiis, Deo acceptabiles fiant.

Loquens ergo Propheta ad Deum in persona militantis Ecclesiæ, vel cujuslibet fidelis Christi vestigia imitantis, ait :
2 O *Domine* omnium per universalem præsidentiam, *Dominus noster* per specialem providentiam, qua dirigis nos ad vitam æternam, impedimenta salutis tollendo, atque per fidem et cultum, quibus tibi soli sicut vero Deo singulariter adhæremus ; *quam admirabile est nomen tuum in universa terra!* id est, quam imperscrutabilis, incomprehensibilis, et excellens atque magnificus es in universis hominibus toto orbe terrarum diffusis! Deus gloriosus et sanctus, in se ipso omnino invisibilis, superessentialis, et prorsus ignotus est omni menti humanæ ac viatori : propter quod inaccessibilem lucem inhabitare censetur, et ad Moysen dixit, Non videbit me homo, et vivet. (1 Tim. vi, 16. Exod. xxxiii, 20.)

Porro in tantum cognoscimus eum, in quantum per suos effectus nobis innotescere potest. Duplex vero est Dei effectus, videlicet naturalis et supernaturalis : et quanto effectus Dei sunt sublimiores et incomprehensibiliores, tanto ex contemplatione ipsorum Deus mirabilior comprobatur, magnificentiorque apparet. Supernaturales autem effectus, qui ad mysteria A gratiæ pertinent, sublimiores et multo incomprehensibiliores sunt naturalibus effectibus, qui spectant ad legem ordinemque naturæ : et tamen in utrisque apparet Deus admirabilis ; sed in supernaturalibus admirabilior esse ostenditur. Semper igitur et ubique fuit Deus sublimis et benedictus admirabilis, quantum ad naturales suos effectus : ex quorum speculatione omnibus semper innotescere potuit, quam incomprehensibilis opifex esset Deus. Sed quoad supernaturales effectus, erat Deus B præcipue admirabilis tempore Mosaicæ legis in terra Hebræorum : sicut et postea dicitur, Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus. (Ps. lxxv, 2.) Sed tempore gratiæ atque evangelicæ legis, factus est Deus admirabilis, non solum in una terra, scilicet in Judæa, imo in universa terra, ubicumque prædicatum est Evangelium regni Dei : (Matth. iv, 23.) quoniam Deus per servos suos in omnibus finibus mundi mirabilia magna fecit, atque hominibus occulta et secreta suæ sapientiæ demonstravit, per prædicatio- C nem Apostolorum revelando mysterium incarnationis, passionis, resurrectionis, ascensionisque Christi, et alia mirabilia testimonia legis et fidei christianæ : ex quibus omnibus valde admirabile et penitus imperscrutabile factum est nomen Domini in omnibus finibus mundi, quemadmodum Apostolus ait : O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! (Rom. xi, 33.)

Prævidens ergo in spiritu beatissimus D David supernaturalia opera Dei, in Christi adventu futura, et toti mundo manifestanda, admirando sic ait : Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum

in universa terra! Et quamvis hoc dici A posset ad Deum Patrem seu quamlibet divinam Personam, specialiter tamen refertur ad Filium. Unde statim causam hujus admirabilitatis insinuat : (2) *Quoniam elevata est magnificentia tua :* id est, tu ipse qui es magnus atque magnificus, exaltatus es *super cœlos :* quemadmodum ait Ephes. IV, 10. Apostolus, Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes cœlos, ut adimpleret omnia. Ex hoc enim quod Christus usque ad Dei Patris consessum ascendit, factum est nomen ejus admirabile in universa terra : quia ex tunc misit Spiritum Sanctum, et Apostolos prædicare præcepit Act. x, 42. quia ipse est qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum. Denique Christus secundum utramque suam naturam admirabilis est, maxime tamen secundum naturam divinam : elevatio autem competit ei ratione humanæ naturæ.

3 (3) *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos.* Istud melius exponi non potest, quam ad litteram de illa laudatione, qua in die Palmarum pueri Hebræorum Christo occurrentes Matth. XXI, 9; Joann. XII, 13. clamabant : Hosanna filio David; benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel. Nam Christus principibus sacerdotum indignantibus, quod pateretur se ita laudari, Matth. XXI, 16. respondit : Nunquam legistis, Quia ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem? tanquam diceret : Vos qui estis magistri in Israel, merito cognosceretis hoc esse prophetatum de me, et nunc illud impleri in me.

Ait ergo Ecclesia ad Christum : *Ex ore infantium et lactentium,* id est ex ore puerorum atque simplicium hominum : qui dicuntur infantes, quia illitterati; et lactentes, quia innocentes, quemadmodum I Cor. XIV, 20. ait Apostolus, Nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote; *perfecisti,* o Christe, *laudem,* quia per inspirationem Spiritus Sancti qui procedit a te, instruxisti corda prædictorum puerorum, ut te ita laudarent; *propter inimicos tuos,* id est propter incredulos confutandos, prout Apostolus dicit, Quæ infirma sunt mundi, elegit Deus, ut confundat fortia; I Cor. I, 27. *ut destruas,* id est, in præsenti relinquas a gratia, et in futuro repellas a gloria, *inimicum,* id est adversantem tibi populum Judæorum, *et ultorem,* id est eumdem populum te persequentem, qui te velut blasphemum ac legis prævaricatorem occidit, sicque videbatur sibi, quod injuriam Dei vindicaret in te. Unde alia translatio habet, Defensorem. Judæi namque excusabant se a peccato in Christi occisione, defendentes se per B legem, quam dicebant non servari a Jesu. Dicebant enim : Non est hic homo a Deo, Joann. IX, 16. qui sabbatum non custodit.

Potest quoque hic locus aliter explanari, ut sit sensus : *Ex ore infantium et lactentium,* id est ex prædicatione et doctrina Apostolorum, qui nominantur infantes et lactentes, non ratione ætatis, sed propter comparationem ad puerorum proprietatem, prout ait Salvator : Nisi conversi Matth. XVIII, 3. fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Et Aposto-C lus : Sicut modo geniti infantes, rationabiles, I Petr. II, 2. sine dolo, lac concupiscite. *Perfecisti,* o Domine, *laudem,* id est, promulgasti evangelicam legem, in qua continetur laus tua; *ut destruas,* id est, confundas ac reprobes, *inimicum,* id est omnem mundi hujus philosophum extollentem se ipsum, et simplicitatem fidei irridentem, *et ultorem,* id est omnem tyrannum ac persecutorem fidelium. Ex hoc enim, quod totus mundus ad tam incomprehensibilem ac supermirabilem Christi fidem conversus est per D homines illos illitteratos, ineloquentes, paucos et simplices, I Cor. I, 17 et seq. evidenter probatur fides ista esse a Deo : quia nisi Deus supernaturaliter per homines illos operatus fuisset, nequaquam mundum convertere potuissent. Sicque confunditur philosophorum inanis loquacitas, atque tyrannorum sævissima rabies, dum ipsis relictis ac spretis, illitterati et simplices a Deo electi sunt, et ad tantum gratiæ culmen promoti, quemadmodum infra de Apostolis dicitur : Quoniam Ps. XLVI, 10. dii fortes terræ vehementer elevati sunt.

4 (4) *Quoniam videbo cœlos tuos.* Istud du-
pliciter exponi potest, videlicet spiritua-
liter seu mystice : sicque refertur ad ea
quæ dicta sunt, nam causa illorum nunc
assignatur, ut sit sensus : Domine, Dominus
noster, quam admirabile est nomen tuum
in universa terra ! et, Ex ore infantium et
lactentium perfecisti laudem : et hoc ideo
dico, et scio, *quoniam videbo,* id est, spi-
ritualiter contemplabor et considerabo *cœ-
los tuos,* id est sanctos Apostolos, in qui-
bus quasi in cœlestibus habitas, *opera
digitorum tuorum,* id est creaturas sapi-
entiæ tuæ, quas ordinatissime distinxisti,
dando diversa munera gratiarum. Et non
solum videbo hos cœlos, sed etiam consi-
derabo *lunam,* id est militantem Eccle-
siam, omne lumen suum a Sole justitiæ
Christo recipientem, *et stellas, quæ tu
fundasti,* id est homines orthodoxos ad-
modum fideles, seu sanctos doctores, qui
verbo, vita et sapientia alios instruunt :
Dan. xii, 3. de quibus Daniel ait, Qui ad justitiam eru-
diunt plurimos, quasi stellæ fulgebunt in
perpetuas æternitates. Has stellas tu, Deus,
fundasti, id est, per Spiritum Sanctum in-
struxisti, et in fide fixisti fortissime, sicut
stellæ figuntur in orbe.

Præterea exponi potest hic locus ad lit-
teram, sicque refertur ad ea quæ subse-
quuntur, ut sit sensus : *Quoniam videbo
cœlos tuos,* id est, ex quo considerabo et
sciam cœlos esse tuos, id est a te creatos ;
et videbo *lunam et stellas, quæ tu funda-
sti,* id est, de nihilo ad stabile ac incor-
ruptibile esse produxisti : quemadmodum
Prov. iii, 19. scriptum est, Dominus sapientia fundavit
terram, stabilivit cœlos prudentia. Ex quo,
inquam, ista videbo, propterea adverto et
5 dico, o Domine : (5) *Quid est homo quod me-
mor es ejus ?* id est, ex hoc quod scio cœ-
los, lunam, et stellas esse opera tua, con-
stat quod homo est res tam vilis et modica,
præsertim per comparationem ad te, ut
mirum sit quod memor sis hominis, sub-
veniendo ei per pietatem et gratiam. *Aut
quid est filius hominis,* id est Christus,
secundum quod homo et creatura aliquo
A modo, *quoniam visitas eum,* assumendo
humanam ejus naturam ad divinæ tuæ
naturæ personalem unionem ? Hoc enim,
o Domine, per solam gratiam tuam incre-
atam factum est, non per merita prævia
hominis Christi.

Porro, quod istud atque sequentia, de
Christo ad litteram intelligenda sint, hinc
constat, quod Apostolus per istam scriptu-
ram ostendit excellentiam Christi præ an-
gelis. Ait namque : Non enim angelis sub- Hebr. ii, 5, 9.
jecit Deus orbem terræ ; eum vero qui mo-
B dico quam angeli minoratus est, videmus
Jesum, propter passionem mortis, gloria et
honore coronatum. Argumentum autem ex
auctoritate Scripturæ non valet, nisi secun-
dum intellectum litteralem, ut dictum est.

(6) *Minuisti,* o Domine Deus, *eum,* sci- 6
licet Christum hominem, *paulo minus ab
angelis,* id est, quoad aliquid fecisti eum
angelis inferiorem, nempe quod fuit passi-
bilis et mortalis. *Gloria et honore coronasti
eum.* Gloria est clara cum laude notitia ;
honor vero, est exhibitio reverentiæ in
C signum virtutis. Deus ergo coronavit, id
est, undique et multipliciter adornavit,
Christum gloria, quatenus revelavit homi-
nibus majestatem ipsius, dando eis cla-
ram de Christo notitiam ; coronavit eum
etiam honore, in quantum omnes electos
inducit ad venerationem ipsius. Denique
coronavit Christum honore et gloria, quo-
niam propter meritum suæ obedientiæ,
passionis ac mortis, suscitavit eum a mor-
tuis, glorificavit in corpore, exaltavit eum
super omnes cœlos, et collocavit a dextris
D suis. Et hoc est quod ait Apostolus : Chri- Philipp. ii, 8-10.
stus factus est pro nobis obediens usque
ad mortem ; propter quod et Deus exalta-
vit illum, et dedit illi nomen quod est su-
per omne nomen, ut in nomine Jesu omne
genu flectatur cœlestium, terrestrium, et
infernorum.

Et constituisti eum super opera manuum 7
tuarum. Denique Deus constituit eum su-
per opera manuum suarum, quia prætu-
lit atque præposuit eum omni creaturæ.
Nam Christus ut homo etiam summos

Digitized by Google

angelorum purgat, illuminat et perficit,
Joann. I, 16. secundum Dionysium; et de plenitudine
ejus omnes accipiunt. Et istud evidentius
8 manifestat, dicens: (7) *Omnia subjecisti sub
pedibus ejus :* id est, non solum Christum
secundum quod homo est, visitasti modo
prædicto, sed etiam omnia subjecisti sub
pedibus ejus, id est, totum universum, visibilia
et invisibilia, rationalia et irrationalia,
intellectualia ac reliqua omnia subdidisti
potentiæ Christi, quatenus homo
est. Omnia enim quæ Christus ut Deus
creavit, sibi ut homini a Deo Patre seu tota
Trinitate subjecta sunt : sicut post re-
Matth. XXVIII, 18. surrectionem, Data est (inquit) mihi omnis
potestas in cœlo et in terra. Imo a primo
incarnationis suæ momento, omnia sibi
erant subjecta propter unionem cum Verbo;
sed post resurrectionem, subjectio ista
magis innotescere cœpit, quando in nomine
Christi cœperunt miracula magna ac
plurima fieri.

Consequenter quod in communi dixit,
magis specificat : *Oves et boves universas,*
9 *insuper et pecora campi,* (8) *volucres cœli et
pisces maris, qui perambulant semitas maris :*
quod quibusdam videtur non debere
litteraliter accipi. Sed quamvis congruentius
mystice exponatur, potest tamen ad
litteram exponi de bestiis, quæ Christo dicuntur
subjectæ, non solum ut ceteris hominibus,
sed quia obediunt ei in his quæ
naturalem legem et ordinem rerum transcendunt,
nempe in miraculosis effectibus.
Marc. XVI, 17, 18. Unde Christus Apostolis dixit : Signa eos
qui crediderint, hæc sequentur : In nomine
meo dæmonia ejicient, linguis loquentur
novis, serpentes tollent, et si mortiferum
quid biberint, non eis nocebit. Multisque
Sanctorum, animalia hujusmodi in virtute
Christi supernaturaliter paruerunt.

Verum mystice exponendo, per oves intelliguntur
boni fideles : de quibus ad Pe-
Joann. XXI, 17. trum Dominus, Pasce, inquit, oves meas.
Per boves intelliguntur doctores, qui verbis
divinis corda credentium colunt atque fecundant.
Per pecora campi intelliguntur
deliciosi atque carnales, qui velut pecora

A pascunt se ipsos. Per volucres cœli accipiuntur
superbi et jactantes se ipsos; vel
etiam contemplativi, quorum conversatio *Philipp.* III, 20.
est in cœlis. Nam per pecora accipi possunt
optimi Christiani, qui sequendo Christum
dicere possunt : Quoniam propter te *Rom.* VIII, 36.
mortificamur tota die, æstimati sumus sicut
oves occisionis. Per pisces autem maris
intelliguntur, qui in rebus mundanis vagantur
et fluctuantur : isti enim perambulant
semitas maris, id est, sæculi hujus, de
quo postea dicitur, Hoc mare magnum et *Ps.* CIII, 25.
B spatiosum manibus. Omnia ista hominum
genera subjecta sunt Christo : quia quos
vult, salvare potest, et universos et singulos
potenter ac juste judicabit; et quoniam
etiam reprobi modo in Ecclesia cum electis
conjuncti sunt, et Christo per fidem
subduntur, aliqui quoque malorum convertuntur
ad ipsum per caritatem et vitæ
munditiam, sicut testatur Apostolus,
quoniam Christus venit in hunc mundum *I Tim.* I, 15.
peccatores salvos facere.

Postremo ex consideratione horum mi-
C rabilium inflammatus, et spiritualiter exhilaratus
sanctus Propheta, repetit psalmi
hujus exordium, dicens : (9) *Domine, Dominus* 10
*noster, quam admirabile est nomen
tuum in universa terra!*

In hoc igitur psalmo de duplici natura
Christi, videlicet divina et humana, et de
unitate personæ in ipso evidentissime locutus
est sanctus David, sicut etiam in psalmo
secundo fecit, et infra sæpius faciet.

Quoniam autem psalmus iste ad divinam
pertinet laudem, et ad commemorationem
D beneficiorum ipsius, debemus eum semper
cum ingenti cordis lætitia et magno
caritatis fervore depromere, quatenus congratulemur
Domino Deo nostro, et grati
inveniamur beneficiis ejus.

Moraliter autem exponi potest psalmus *Expositio moralis.*
iste, ab eo loco ubi dictum est, Quid est
homo, de quolibet homine, ut sit sensus :
Quid est homo quod memor es ejus, assu- 5
mendo naturam humanam pro eo? *aut filius
hominis,* id est quilibet de genere

Adæ, *quoniam visitas eum,* non solum A
spiritualiter per gratiæ infusionem, sed
etiam corporaliter post Incarnationem in-
ter homines conversando ? quemadmodum
Baruch III, Baruch dicit : Qui fecit stellas, hic est
35, 36, 38. Deus noster ; et post hæc in terris visus
est, et cum hominibus conversatus est.
Vel, Visitas eum, per apparitionem ange-
lorum, per oracula Prophetarum, per præ-
dicationem Apostolorum, per operationem
6 signorum. *Minuisti eum paulo minus ab*
angelis : id est, tam vehementer hominem
sublimasti per beneficia ista prædicta, ut B
videatur quasi angelis parificatus, et pa-
rum distans a dignitate ipsorum. Et hoc
clarius probat, *Gloria,* inquiens, *et honore*
coronasti eum, id est, fecisti eum specta-
bilem et honorabilem in mentibus ange-
lorum. Ex hoc enim quod Deus ita visi-
tavit et benefecit hominibus, angeli sancti
reputant eos dignos gloria et honore, et
diligentius eos custodiunt, reverentialius-
que ipsis ministrant. Vel, Gloria et hono-
re coronasti eum, id est, imagine sanctæ
Trinitatis ornasti animam ejus : propter C
quod sublimior atque præstantior est om-
ni creatura irrationali. Et ideo additur :
7 *Et constituisti eum super* omnia *opera*
manuum tuarum. Omnia enim elementa
et mixta condidit Deus propter nos, ordi-
navitque ea ad nostram utilitatem, neces-
sitatem, et usum.
8 *Omnia subjecisti sub pedibus ejus :* non
simpliciter omnia, sed omnia de quibus
subjungitur, *Oves et boves universas,* etc.
Non quod omnia ista cunctis hominibus
ad nutum obediant, nullique noceant ; sed
quoniam homo naturaliter dignior eis est,
quia ad imaginem et similitudinem Dei
creatus est. Verumtamen dicere possu-
mus, quod etiam angeli atque cœlestia
corpora aliquo modo sunt subjecta homi-
ni, in quantum ei ministrant : quia de
angelis ait Apostolus, quod omnes sunt ad- Hebr. I, 14.
ministratorii spiritus in ministerium mis-
si propter electos. De orbibus quoque cœ-
lorum et planetis ac astris Moyses dicit :
Ne oculis elevatis ad cœlum, videas solem Deut. IV, 19.
et lunam et omnia astra cœli, atque erro-
re deceptus adores ea, et colas quæ cre-
avit Dominus Deus tuus in ministerium
cunctis gentibus quæ sub cœlo sunt.

Sive autem de Christo, sive de quolibet
homine exponatur hic locus, semper os-
tenditur ex eo error Manichæorum, dicen-
tium hæc corruptibilia ac corporalia non
esse creata a Deo lucis ; error etiam quo-
rumdam philosophorum, ponentium ista
variabilia atque irrationalia divinæ provi-
dentiæ non esse subjecta : ex quorum per-
sona in Job dicitur : An cogitas quod Deus Job XXII,
excelsior cœlo sit, nec nostra considerat, 12, 14.
et circa cardines cœli perambulat ? De-
struitur insuper ex his Pythagoricorum
opinio, qui dicebant esse sacrilegum bru-
ta occidere et manducare.

ARTICULUS XXVII

EXPOSITIO ANAGOGICA PSALMI EJUSDEM OCTAVI.

DENIQUE, juxta anagogicum intelle- D
ctum, exponendus est psalmus iste de
triumphante Ecclesia, seu quolibet Beato-
rum in patria. Ecclesia ergo triumphans
(quæ ex angelorum et hominum societate
constat) faciem sanctæ Trinitatis semper
contemplans, nec tamen eam perfecte com-
prehendere valens, ait : *Domine* omnium 2
per tuam omnipotentiam, *Dominus noster*
per beatam fruitionem et gloriam con-
summatam, *quam admirabile est nomen*
tuum, id est incomprehensibile, *in uni-*
versa terra, id est in omni regione vivo-
rum, in tota terra viventium, in menti-

Digitized by Google

bus universorum cœlestium civium ! Solus A
namque Deus se ipsum perfecte compre-
hendit, et ideo addunt : *Quoniam elevata
est magnificentia tua,* id est, majestatis
tuæ sublimitas exaltata est, *super cœlos,* id
est super omnem capacitatem atque noti-
tiam cœlestium intellectuum. Quum enim
sit Deus benedictus et sanctus vere im-
mensus, omnis creati et finiti intellectus
capacitatem in infinitum transcendit. Et id-
1 *Joann.* III, 2. eo Sancti in patria, quamvis videant Deum
sicuti est, scilicet per speciem, non tamen
cognoscunt Deum tam clare et plene, sic- B
ut ex se ipso cognoscibilis est : propterea
dicunt, Elevata est magnificentia tua, non
per motum aut locum, quum sit immobi-
lis et illocalis, sed per dignitatem et in-
comprehensibilitatem.

3 *Ex ore infantium et lactentium perfeci-
sti laudem.* Hoc Beati in patria ad litteram
dicere possunt, ad gloriam Dei, de ani-
Matth. II, 16. mabus sanctorum Innocentium ab Herode
interfectorum, imo de spiritibus omnium
parvulorum electorum, ante tempus dis-
cretionis defunctorum, qui tempore legis C
naturæ salvabantur fide parentum, tem-
pore legis scriptæ per circumcisionem, sed
tempore legis gratiæ per Baptismum. Ex
horum enim ore, id est mente, Deus in
patria perficit laudem suam, quoniam fa-
cit eos incessabiliter laudare se ipsum.
Propter inimicos tuos confundendos, vi-
delicet ut confundas Luciferum et angelos
ejus, dum vident animas puerorum sub-
limari ad gloriam illam, de qua ipsi pro-
lapsi sunt; *ut destruas inimicum,* id est
primum illum apostatam, humani generis D
adversarium, *et ultorem,* id est eumdem :
qui ultor vocatur, quia seduxit primos pa-
rentes, et per satellites suos tentare non
cessat genus humanum.

Potest quoque istud exponi de omnibus
Sanctis in patria : quoniam quantumcum-
que sint sapientes ac magni, tamen per
comparationem ad immensam sapientiam,
atque infinitam potentiam Creatoris, sunt
quasi infantes atque lactentes. Unde ex
humilitate sui, et ex reverentia Dei dicunt

de se ipsis ad Deum : *Ex ore infantium et
lactentium,* id est ex intellectu humilium
angelorum et hominum, *perfecisti lau-
dem* tuam, ostendendo eis essentiam tuam,
quam intuendo, te semper laudant, *propter
inimicos tuos,* id est, ut reprobes superbos
angelos et omnes superbiæ filios, *ut de-
struas,* id est, desiderato fine prives, æter-
naliterque condemnes *inimicum et ulto-
rem,* id est, aerias potestates, contra quas *Ephes.* VI, 12.
est nobis colluctatio jugis.

Deinde triumphans Ecclesia seu quili-
bet Beatorum, ait ad Deum : *Quoniam* 4
*videbo cœlos tuos, opera digitorum tuo-
rum,* id est omnes angelicos ordines, ani-
masque beatas, in quibus per caritatem
fruitivam et gloriam habitas ; et videbo
lunam, id est Christi humanitatem, quæ
est unita Soli justitiæ, Verbo seu Filio
Dei, *et stellas,* id est, summos quosque
Beatorum, qui instar stellarum præ ceteris
ex divini luminis infusa plenitudine ra-
diant, aliosque illustrant ; *quæ tu funda-
sti,* id est, beatifica tui visione æternaliter
confirmasti.

Et quoniam sic est, o Domine Deus, *Quid* 5
est homo quod memor es ejus, convertendo
eum ad te, atque ad æternam beatitudi-
nem perducendo ? *aut filius hominis, quo-
niam visitas eum,* non solum per gratiam
in via, sed etiam per gloriam in patria ?
Minuisti eum paulo minus ab angelis : 6
quia licet in naturalibus sit inferior an-
gelis, tamen in supernaturalibus similis
est. Promittitur enim et datur hominibus
similis beatitudo cum angelis, sicut ait
Salvator, quod erunt sicut angeli Dei. *Glo-* *Matth.* XXII, 30 ; *Marc.* XII, 25.
ria et honore, id est jucunditate et excel-
lentia, *coronasti eum,* dando ei felicitatem
angelicam ; *et constituisti eum super ope-* 7
ra manuum tuarum : nam, *Omnia sub-* 8
jecisti sub pedibus ejus. Istud potissime
referendum est ad Christum hominem,
quoniam ipse est super omnes angelicas
hierarchias exaltatus ; omnesque angeli
ipsi ad nutum ministrant. Cetera vero quæ
restant, in præcedenti expositione satis
videntur exposita.

Digitized by Google

PRECATIO.

Per admirabile nomen tuum in universa terra, Domine Jesu Christe, per Aposto- A los propagatum, perfice laudem victoriæ tuæ in nobis, qui sumus opera digitorum tuorum : ut destructo inimico, perpetuo gloriæ et honoris coronemur triumpho.

ARTICULUS XXVIII

EXPOSITIO NONI PSALMI : CONFITEBOR TIBI, DOMINE.

1 Titulus psalmi istius est : *In finem, pro occultis filii, psalmus David :* id est, psalmus iste dirigens nos in Christum, factus et scriptus est a David pro occultis filii, id est de duplici Christi judicio, nobis oc-
Rom. xi, 33. culto, quia incomprehensibilia sunt judicia ejus. Primum est judicium discretionis, quo modo quidam vocantur per misericordiam, alii vero relinquuntur per justitiam. Secundum autem est judicium discussionis et retributionis, quod fiet in fine sæculi : quod licet aperte ac visibiliter
Matth. xxiv, 36. fiet, tamen dies et hora ejus occultæ sunt. Loquitur ergo Propheta in isto psalmo in persona Ecclesiæ, seu cujuslibet fidelis, de duplici Christi judicio, et de judiciaria potestate ipsius, de multis quoque beneficiis sibi collatis, et de malitia ac damnatione Antichristi.

2 Ait igitur : (1) *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo,* id est, laudabo te integro ac sincero affectu, tanquam totaliter tibi adhærens, et a rebus vanis omnino me abstrahens ; vel, In toto corde meo, id est ratione et voluntate, ita quod laudis meæ confessio ex sapientia et caritate procedet. Ille quippe in toto corde confitetur et laudat Dominum, cujus cor non est ex aliqua parte rebus caducis inhærens, neque ad inutilia inclinatum, sed in Deo totaliter recollectum. *Narrabo,* id est, aliis ad laudem tuam intimabo, *omnia mirabilia tua.*
Eccli. xliii, 36. Videtur hoc esse contrarium ei, quod in Ecclesiastico dicitur : Multa sunt absconB dita majora his ; pauca enim (inquit) vidimus operum ejus. Et in Job : Ecce hæc Job xxvi, 14.
ex parte dicta sunt viarum ejus ; et quum vix parvam stillam sermonum ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri ? Sed et in Evangelio Joannis ait Scriptura : Multa alia fecit Je- Joann. xx, 30 ; xxi, 25.
sus, quæ non sunt scripta in libro hoc : quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum posse capere eos, qui scribendi sunt, libros. Denique quis hominum novit universa mirabilia, quæ Deus C omnipotens et immensus indesinenter facit in cœlo et in terra atque in abyssis ? Est igitur sensus : Narrabo omnia mirabilia tua, id est omnia magnalia tua in lege tua conscripta, vel mihi a te revelata. Et hoc in Ecclesiastico habetur : Non- Eccli. xlii, 17.
ne Dominus fecit Sanctos suos enarrare omnia mirabilia sua, quæ confirmavit Dominus omnipotens stabilis in gloria sua ?

(2) *Lætabor,* mentali lætitia, *et exsul-* 3
tabo, exteriori gaudio ex interiori lætitia procedente, *in te,* o Domine, non in carnalibus et vilibus rebus ; D *psallam,* id est, bene operando laudem dicam, *nomini tuo,* id est tibi ipsi, o *Altissime,* cui nullus est similis ; vel, altissime adverbialiter, id est excellentissimo modo, videlicet exhibendo tibi latriæ cultum, seu adorationem tibi soli competentem. Attende ergo, qui verba hæc legis, ut secundum hunc modum ad Deum te habeas, confitendo ei non vago et sordido animo, alibi quam in Deo delectante.

Digitized by Google

4 (3) *In convertendo inimicum meum retrorsum :* id est, quando, o Domine, converteris inimicum meum, scilicet quemlibet adversantem saluti meæ, retrorsum, expugnando eum, et dando mihi virtutem ut ei resistam; tunc *infirmabuntur,* id est debilitabuntur, *et peribunt,* id est deficient, *a facie tua,* id est a præsentia gratiæ tuæ, per quam eis resistam et prævalebo. Primo ait, Inimicum, indeterminate, ponens singulare pro plurali ; deinde adjungit, Infirmabuntur, ubi pluraliter exprimit quod ante singulariter nominavit. Moraliter potest quilibet tentatus a dæmone, carne vel mundo, hunc versum ad Deum clamare, tanquam dicat : Ego quidem propria virtute resistere nequeo adversariis istis, sed, o Domine, te convertente inimicos meos retrorsum, deficient. Nam si Deus pro nobis, quis contra nos? (*Rom.* VIII, 31.) Potest quoque hic versus specialiter esse verbum Ecclesiæ ad Christum, ut sit sensus : In convertendo inimicum meum retrorsum, id est, dum per meritum tuæ passionis superaveris dæmonem, tunc infirmabuntur, id est, infirmati sunt omnes adversarii mei. Vel, quando in finali judicio condemnaveris eum, tunc peribunt omnino a facie tua, quia ibunt in ignem æternum.

5 (4) *Quoniam fecisti judicium meum,* id est, decrevisti per tuam justitiam inter me et inter adversarios meos, me approbando, et illos reprobando : hoc namque judicium Deus quotidie facit ; *et causam meam* fecisti, judicando pro me, et rationem pro qua judicor, commendando. Hoc Deus semper facit occulte, quia semper boni sibi placent, et mali displicent. Fecit etiam hoc per Prophetas atque Apostolos ; et quotidie facit hoc per ministros Ecclesiæ seu prælatos, quorum est bonos laudare, et impios reprobare. Vel sic : *Quoniam fecisti judicium meum,* id est, sustinuisti judicium mortis quod ego promerui, quando a Pilato jussus es crucifigi (*Matth.* XXVII, 26); et hoc pro peccatis meis perpessus es : propter quod adducitur, *et causam meam* fecisti, id est, pœnam pertulisti pro culpis meis, propter quas ego mortem promerui. Et tunc hoc verbum, Fecisti, sumitur quasi passive. Potest quoque intelligi de judicio extremæ discussionis ac remunerationis, ut sit sensus : Quoniam fecisti, id est facies, judicium meum in die novissimo, quando separabis Ecclesiam electorum a corpore impiorum loco et præmio : et tunc etiam facies causam meam, approbando justitiam meam.

Sedisti super thronum, qui judicas justitiam. Deus incircumscriptibilis et incorporeus, specialiter fertur sedere super thronum, id est super angelos de ordine Thronorum : qui sunt infimi in prima hierarchia cœlesti, quia per eos judicia sua discernit, et ipsi familiariter apti sunt ad recipiendum Deum in se. Unde in ipsis habitare, eisque præsidere, et super eos sedere dicitur. Sic igitur ait, Sedisti, imo et semper sedes super Thronum, id est super quemlibet angelum de ordine illo. Potest quoque per thronum judiciaria Christi potestas intelligi, ut sit sensus : *Sedisti,* o Christe, *super thronum,* id est, quiescis et demoraris in potestate judicandi, quia omnium constitutus es judex, et cum tranquillitate judicas (*Act.* X, 42; *Sap.* XII, 18). Sic enim dicere solemus de aliquo : Ille sedit ibi tribus annis, id est, fuit atque moratus est ibi tanto tempore. *Qui judicas justitiam,* id est, districte eam examinas, an sit vera et pura justitia ; et si quid injustitiæ ei inhæserit, hoc punies. Unde propter districtum istud judicium Petrus in sua Canonica dicit : Si justus vix salvabitur, peccator et impius ubi apparebunt? (I *Petr.* IV, 18.) Vel, Judicas justitiam, ab injustitia eam discernendo, ac juste remunerando.

6 (5) *Increpasti gentes,* per Prophetas, per te ipsum et per sanctos Apostolos arguendo peccata eorum ; *et periit impius :* id est, peccator ad emendationem conversus est, et ita periit, non per corruptionem naturæ, sed per expulsionem culpæ, quemadmodum in Proverbiis scriptum est : Verte impios, et non erunt (*Prov.* XII, 7). Vel, Periit impius, id est, diabolus ex cordibus pœnitentium

Digitized by Google

Joann. XII, 31. est ejectus, ut Salvator ait : Nunc judici- A
um est mundi, nunc princeps hujus mun-
di ejicietur foras. *Nomen eorum,* id est
gentium increpatarum, et ad Christum fi-
naliter conversarum, *delesti in æternum*
et in sæculum sæculi : quia qui olim di-
cebantur et erant idololatræ, infideles, fi-
lii dæmonum; post conversionem ad Chri-
stum, facti et dicti sunt Christiani, id est
filii Dei. — Vel sic : *Increpasti gentes,* id
est, obstinatos et rebelles juste damnasti.
Increpatio enim quandoque in malum ac-
Zach. III, 2. cipitur, juxta illud Zachariæ : Increpet Do- B
minus in te, Satan. *Et periit impius,* id
est, ab esse spirituali et ab exsistentia gra-
tiæ prorsus defecit et cecidit. Et ideo, Do-
mine, *nomen eorum delesti in æternum :*
unde? nisi a libro vitæ et a numero eorum
qui misericordiam consequuntur.
7 (6) *Inimici defecerunt frameæ in finem.*
Per frameam, quæ est gladius ex utraque
parte acutus, intelligitur multiformis ver-
* qua sutia dæmonum, quibus* homines tentant
et superant. Frameæ ergo, id est deceptio-
nes et laquei, inimici, id est dæmonis, de- C
fecerunt in finem, id est, æternaliter per-
ierunt, quantum ad electos, per pretium
sanguinis et meritum mortis Christi. *Et*
civitates [*eorum*], id est corda et corpora
impiorum, in quibus olim regnabat et ha-
bitavit diabolus, quasi in civitatibus a se
possessis, *destruxisti,* obstinatos perden-
do, et pœnitentes salvando : sicque obsti-
natos destruxisti ab esse gratiæ, pœniten-
tes vero ab esse culpæ. (7) *Periit memoria*
eorum cum sonitu : id est, maligni et a
gratia Dei destituti, traditi sunt oblivioni D
Luc. XIII, 27. apud Deum, secundum quod dicit, Nescio
vos unde sitis : non enim cognoscuntur
per approbationem, nec unquam acqui-
runt divinæ pietatis respectum. Cum soni-
tu, id est, velociter et quasi repente obli-
vioni traduntur : quia quacumque hora
peccat homo mortaliter, meretur a Deo re-
linqui; et si in peccato mortali decedit,
Ezech. XVIII, 24. subito sempiternæ oblivioni donatur, om-
niumque justitiarum quas fecit oblivis-
8 citur Dominus. *Et Dominus in æternum*
permanet. Ipse enim est invariabilis et
æternus.

(8) *Paravit in judicio thronum suum :*
id est, Jesus Christus omnium judex ac
Dominus, ordinavit judiciariam suam po-
testatem ad judicandum, ut nihil omnino
indiscussum vel impræmiatum relinquat.
Et ipse judicabit orbem terræ, id est ha- 9
bitantes in terra, *in æquitate,* id est dando
singulis secundum opera sua; *et populos*
in justitia : exponit quid dixit, Orbem ter-
ræ. Judicabit ergo Dominus populos in ju-
stitia : non enim est personarum acceptor Act. X, 34,
Deus, sed in omni gente, qui timet Deum 35.
et operatur justitiam, acceptus est illi.

(9) *Et factus est Dominus refugium pau-* 10
peri : id est, Christus qui in morte singu-
lorum et in extremo judicio est justus at-
que terribilis judex, nunc interim factus
est refugium nostrum, id est advocatus no-
ster, quemadmodum Joannes in sua Cano-
nica testatur : Advocatum, inquit, habemus I Joann. II,
apud Patrem, Jesum Christum justum ; et 1, 2.
ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Ip-
se quippe ostendit Patri latus et vulne-
ra, imo naturam nostram quam pro nobis
assumpsit : sicque interpellat pro nobis
tanquam pro fratribus suis, ut dicit Haymo.
Vel, Dominus, id est Deus trinus et sim-
plex, factus est refugium pauperi, quia sem-
per paratus est exaudire orantes, et auxiliari
recurrentibus ad ipsum cum plena fiducia;
factus est refugium pauperi, id est contrito
et humili, sicut Isaias ait : Ad quem respi- Is. LXVI, 2.
ciam, nisi ad pauperculum et contritum
spiritu, et trementem sermones meos ?
Pauper est, qui non confidit in propriis
viribus, nec gloriatur in semetipso de pro-
priis meritis, neque in terrenis divitiis
inordinate afficitur, sed habens victum et I Tim. VI, 8.
quibus tegatur, his contentatur.

Quomodo autem Dominus factus est re-
fugium pauperi, subdit : *adjutor in oppor-*
tunitatibus, in tribulatione. Dominus enim
factus est adjutor in opportunitatibus,
conferendo gratiam et ea quæ ad salutem
necessaria sunt, conservando videlicet ho-
minem, ne extollatur in prosperis, sed

Digitized by Google

gratias referat; et factus est Dominus ad-
jutor in tribulatione, dando patientiam in
adversis, et liberando a malis. Indigemus
enim adjutorio Dei in prosperis et adver-
sis, quatenus ubique regia via tendamus,
Eccli. xi, 27. secundum quod scriptum est : In die bo-
norum ne immemor sis malorum, et in
die malorum ne immemor sis bonorum.

11 (10) *Et,* quoniam sic est, idcirco, o Do-
mine, *sperent in te qui noverunt nomen
tuum,* id est, qui ex interna inspiratione,
aut Scripturarum eruditione, aut propria
consideratione cognoscunt quam bonus,
dulcis, fidelis ac pius sit Dominus, prout
Thren. iii, 25. Jeremias in Threnis testatur : Bonus est
Dominus sperantibus in eum, animæ quæ-
renti illum ; *quoniam non dereliquisti
quærentes te, Domine,* si tamen perseve-
ranter ac fideliter pulsent, nec fatigentur
Job xiii, 15. quærendo, dicentes cum sancto Job : Etiam
si occiderit me, in ipso sperabo. Longa-
nimiter ergo et cum certissima fide ex-
spectandus est Dominus, secundum quod
Is. xxx, 18. Isaias hortatur : Deus judicii Dominus;
beati omnes qui exspectant eum.

Quoniam ergo tam bonus est Dominus,
12 propterea (11) *Psallite,* bene vivendo, et
gratias semper agendo, *Domino qui habi-
tat in Sion,* id est in sanctis et contempla-
tivis spiritibus, tam triumphantis quam
militantis Ecclesiæ. Et, o Sion, id est spi-
II Cor. v, 7. rituales viri, qui nunc per fidem, non per
speciem, ambulatis, *annuntiate inter gen-
tes,* id est, aliis prædicate, *studia ejus,* id
est virtuosa opera atque beneficia Dei hu-
mano generi præstita. Potest quoque istud
specialiter referri ad Apostolos et primos
Evangelii prædicatores, ut sit sensus : An-
nuntiate inter gentes studia ejus, id est,
prædicate evangelicam legem gentibus, et
ne timeatis hoc facere, quia non frustra
facietis hoc, sed erit merces operi vestro.
Et ideo additur :

13 (12) *Quoniam requirens sanguinem eo-
rum recordatus est :* id est, ipse Dominus
requirens sanguinem annuntiantium gen-
tibus studia sua, recordatus est, quantum
videlicet annuntiatores studiorum suorum

A laboraverint et fecerint pro eo, quanta
etiam sustinuerint a persecutoribus et ty-
rannis propter justitiam : propter quod
ista recordando, requiret sanguinem eo-
rum, id est, persecutionem ac mortem
quam injuste perpessi sunt, vindicabit, im-
pios affligendo. *Non est oblitus* Dominus
clamorem pauperum, id est prædicatio-
nem, laudationem, orationem humilium :
quia tempore suo reddet eis copiosam
mercedem, quamvis interdum videatur qua-
si oblitus, quia diu differt, et sanctos suos
B tribulari permittit.

Post hæc ostendit quis sit iste clamor
pauperum, qui etiam esse potest oratio
singulorum mundi vanitatem spernenti-
um. (13) *Miserere mei, Domine,* opem fe- 14
rendo; *vide humilitatem meam,* id est,
considera oppressionem et pœnam quam
patior, *de inimicis meis,* id est a persecu-
toribus et tyrannis : et hoc oro, non ut
illos in æternum condemnes, sed ut in me
gratiam augeas, fortitudinem patientiam-
que corrobores. (14) *Qui exaltas me de por-* 15
C *tis mortis,* id est, qui per passionem et
sanguinem Christi Filii tui liberas me a
morte æterna, vel a peccatis mortalibus,
quæ sunt via spatiosa ac lata per quam *Matth.* vii, 13.
multi gradiuntur ad pœnam inferni, quæ
est mors æterna. Et ideo, o Domine, exal-
tas me de portis mortis, *ut annuntiem,* id
est, regratiando commemorem, aliosque
docendo ac inflammando decantem, *omnes
laudationes tuas,* id est sermones ad lau-
dem tuam pertinentes, *in portis filiæ Sion,*
id est in fide, spe et caritate, per quas itur
D ad regnum cœlorum, tanquam per portas
filiæ Sion, id est militantis Ecclesiæ, cu-
jus mater est triumphans Ecclesia. Omnia
enim quæ agimus, in fide, spe et caritate
agere nos oportet, si meritoria esse de-
beant. Vel, In portis filiæ Sion, id est in
ipsa militante Ecclesia, seu in conspectu
fidelium. Debemus namque alios ad lau-
dem Dei inducere, prædicando, docendo,
seu exemplariter conversando, secundum
quod uniuscujusque vocatio exigit, prout
ait Salvator : Sic luceat lux vestra coram *Ibid.* v. 16.

Digitized by Google

hominibus, ut videant opera vestra bona, A
et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.

16 (15) *Exsultabo in salutari tuo,* id est in beatitudine mihi promissa a te, in qua nunc gaudeo per spem, postmodum autem gaudebo in ea per rem; vel, Exsultabo in salutari tuo, id est in salvatione mihi impensa a te; vel, In salutari tuo, id est in Christo Filio tuo, qui (teste Simeone) est
Luc. II, 30. salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum. In hoc, inquam, salutari exsultabo, contemplando beneficia B
ejus mihi collata, et exspectando ejus promissa, mihi reposita atque parata.

Infixæ sunt gentes in interitu quem fecerunt. Hoc est quod in septimo psalmo
Ps. VII, 16. prædictum est : Incidit in foveam quam fecit. Gentes itaque, et impie conversantes, infixæ, id est demersæ et captæ sunt, in interitu quem fecerunt, id est in morte quam sanctis hominibus intulerunt : quia pro morte corporali ac temporali sanctis illata, ipsi spiritualem atque perpetuam mortem incurrerunt. Multi quoque tyranni propter C
mortem sanctis inflictam, etiam in præsenti vita miserabiliter perierunt, sicut in chronicis invenitur. (16) *In laqueo isto quem absconderunt,* id est in malo quod aliis occulte paraverunt, *comprehensus est pes eorum,* id est, juste punitus est affectus ipsorum, quia malum quod aliis paraverunt, ipsi etiam in præsenti passi sunt :
Esther VII, 10. ut Aman qui in patibulo, quod Mardochæo præparavit, suspensus est. Et si in præsenti non fiat retributio talis, tamen procul dubio in futuro terribilior fiet : et tunc in D
laqueo quem absconderunt, comprehendetur pes eorum, quoniam dolus atque malitia ipsorum redundabit in caput eorum, præsertim in die judicii. Propter quod subditur :

17 (17) *Cognoscetur Dominus judicia faci-*
Luc. III, 6. *ens :* in futuro enim judicio videbit omnis caro salutare Dei nostri, et tunc Christus
Ibid. XXI, 27. manifeste apparebit; omnibusque patebit quod ipse sit judicia faciens, seu omnia juste judicans. *In operibus manuum suarum comprehensus est peccator :* opera Apoc. XIV, 13.
enim illorum sequuntur eos. Et ergo quem Dominus in peccatis decessisse invenerit, hunc in iniquitate sua comprehendit ac damnat. (18) *Convertantur peccatores in* 18
infernum : id est, in die judicii in infernum retrudentur omnes obstinati in malo : illi videlicet de quibus subjungitur, *omnes gentes quæ obliviscuntur Deum,* id est, quæ Deum a sua memoria expellunt, non contemplando nec diligendo ipsum, sed contemnendo aut non curando mandata ipsius. (19) *Quoniam non in finem oblivio erit* 19
pauperis : id est, fidelis et humilis homo, quamvis ad tempus videatur derelictus a Deo, tamen finaliter in memoria æterna Ps. CXI, 7.
erit justus, quia in die judicii salvabitur in æternum. *Patientia pauperum non peribit in finem,* id est, non carebit debito præmio, sed æterna felicitate ditabitur.

In sequentibus Ecclesia loquitur Christo de Antichristi dejectione. (20) *Exsurge, Do-* 20
mine. O Christe judex, tempore Antichristi exsurge, fidelibus auxiliando, atque ad judicium properando : quia tanta erit per- Matth.
secutio ejus, ut nisi breviati fuerint dies XXIV, 21, 22.
illi, non fieret salva omnis caro. *Non confortetur homo,* id est, non prævaleat contra Ecclesiam Antichristus : qui erit pessimus homo, et adeo quidem, ut ejus malitiam ferre non poterit humana conditio. *Judicentur gentes in conspectu tuo :* id est, omnes Antichristi satellites ac fautores ei finaliter adhærentes, judicentur judicio reprobationis a te in extremo judicio.

Interim quoque seu ante finale judicium, quod statim sequetur post Antichristi Ibid. 29.
persecutionem, prout in Evangelio patet, (21) *Constitue legislatorem,* id est Antichri- 21
stum, qui legem blasphemiis Christi plenam adducet, *super eos,* id est super gentes injustas ab eo fallendas. Advertendum est autem, quod malum pœnæ est effective a Deo : sicut per Amos prophetam dicitur, Si erit malum in civitate, quod Domi- Amos III, 6.
nus non fecit? Malum vero culpæ est a Deo permissive et indirecte, quia non impedit ipsum : quemadmodum Dominus di-

Digitized by Google

Exod. IX, 12; *Deut.* II, 30; *Num.* XXI, 33. citur indurasse cor Pharaonis, et obfirmasse cor Sehon regis Amorrhæorum, et Og regis Basan. Sic quoque dicitur Dominus constituere Antichristum super gentes, quia permittit hoc fieri propter peccata eorum. Unde de Antichristo loquens Apostolus :
II *Thess.* II, 8-10. Tunc, inquit, revelabitur ille iniquus, cujus adventus erit secundum operationem Satanæ, in omni virtute et signis et prodigiis mendacibus, et in omni seductione iniquitatis his qui pereunt, eo quod caritatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent : et ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio. *Sciant,* id est, per experientiam pœnæ cognoscant, *gentes* Antichristo credentes, *quoniam homines sunt* vanitate seducti, non filii Dei, sicut putabant : nam æstimabunt Antichristum esse verum Christum, et se per fidem ejus fieri filios Dei. Sed, o Domine juste, judica eos, ut se errasse vel in pœnis inferni cognoscant, qui in præsenti vita vero Christo adhærere noluerunt.

PSALM. X SEC. HEBR. (22) *Ut quid, Domine, recessisti longe?*
1 Hoc dicit ad Christum Ecclesia, ad designandum sævissimam rabiem persecutionis Antichristi. Tanta equidem erit persecutionis illius severitas, ut videatur Deus quodammodo relinquere suos. Quanta enim erit persecutio illa, dum pius martyr corpus suum pœnis exponet, et impius persecutor ante oculos patientis miracula faciet? Imo Ecclesia tunc creditur non esse factura miracula, nisi forte Elias et Enoch vel alii pauci. Mirando ergo dicit Ecclesia : Ut quid, Domine, recessisti longe? id est, ita te habebis, ac si longe abesses. *Despicis,* id est, per modum despicientis te habebis, *in opportunitatibus,* id est in necessitatibus Christianorum, *in tribulatione,* quam ipsi in persecutione illa amarissima sustinebunt : quia enim permittes eos tradi manibus impiorum, atque tam graviter tribulari, ut nunquam fuerit, nec sit, neque futura sit tribulatio tanta ; et ob id apparebit, ac si omnino despiceres orationes fidelium.

2 (23) *Dum superbit impius,* id est Antichristus, qui se Filium Dei vocabit, et teste Apostolo, Extollitur super omne quod dicitur Deus : dum, inquam, ita superbiet homo peccati, filius perditionis, *incenditur pauper,* id est, tunc variis pœnis occidetur populus christianus, qui tunc multum pauper contemptusque erit. Solet autem Scriptura per ignem omne genus pœnarum significare. Ad litteram etiam accipi potest, quoniam Antichristus multos Christianorum igne comburet. *Comprehenduntur in consiliis quibus cogitant :* id est, Antichristus et ejus ministri comprehendentur et capientur seu cruciabuntur a Christo in consiliis quibus cogitant : quia quod ipsi cogitabunt facere Christianis, hoc Christus faciet eis ; quoniam attestante divo Apostolo, Jesus interficiet Antichristum spiritu oris sui. Quod Isaias quoque prædixit : Spiritu, inquit, labiorum suorum interficiet impium, id est Antichristum. (II *Thess.* II, 4. — *Ibid.* 3. — *Ibid.* 8. — *Is.* XI, 4.)

Deinde ponitur causa confirmans Antichristum in suo errore. (24) *Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ :* id est, Antichristus qui est caput malorum, a suis laudabitur in omni suo affectu et opere. Desiderium enim ipsius est, ut fidem Christi Jesu omnino evellat, quatenus ipse Christus esse credatur : in hoc autem desiderio a suis laudabitur. *Et iniquus,* id est Antichristus, impietatis magister, *benedicitur,* id est, a suis cultoribus tanquam deus benedicetur. 3

(25) *Exacerbavit,* id est, vehementer offendet, *Dominum* Jesum *peccator,* id est Antichristus ; *secundum multitudinem iræ suæ,* id est secundum exigentiam multorum peccatorum suorum, quibus iram Dei merebitur, *non quæret* pœnitentiam, scilicet quoniam obstinatus erit in malo. 4
(26) *Non est Deus in conspectu ejus :* id est, Antichristus non considerabit vindictam sibi a Deo paratam et imminentem, neque timebit Deum ; sed quemadmodum Daniel prophetavit, Adversus omnem deum, et adversus Deum deorum loquetur. *Inquinatæ sunt viæ illius :* id est, vitiosæ sunt operationes Antichristi, *in omni tempore,* 5 (*Dan.* XI, 36.)

Digitized by Google

id est a primo instanti quo cœperit uti A
ratione : imo tota vita ejus erit peccatum.
Diabolus enim Lucifer descendet in eum
in utero matris, et diriget eum in omnibus.

(27) *Auferuntur judicia tua a facie ejus :*
quia in tantum excæcabit eum superbia
sua, ut non putet se judicandum a Deo ; et
forte ex admirabili cæcitate putabit se esse
verum Christum, eo quod videat sibi om-
nia ad nutum succedere, nec Deum se de
ipso in aliquo vindicare. Non tamen excu-
sabitur de peccato, quia non erit possessus
a dæmone, quemadmodum arrepticii et B
amentes : sed erit compos rationis, et si
voluerit advertere, sciet se errare. Aufe-
rentur ergo judicia divina a facie ejus,
id est a consideratione sui intellectus. *Om-
nium inimicorum suorum dominabitur,*
id est, omnium sibi nolentium obedire
dominabitur, quia occidet eos ; vel fugient
et abscondent se ab eo. Unde apud Danie-
Dan. VII, 21. lem legimus : Adspiciebam, et ecce cornu
illud faciebat bellum adversus sanctos, et
6 prævalebat eis. (28) *Dixit enim in corde suo,*
id est, cogitavit illud quod sequitur : *Non* C
movebor a generatione in generationem, id
est, non dejiciar a potestate ista et regno
et gloria, a generatione in generationem,
id est ullo tempore, vel aliqua duratione
qua generationes sibi invicem succedere
possunt : quia putabit regni sui non esse
finem venturum, quamdiu ipse fuerit. Quo-
niam enim judicia Dei auferentur ab ocu-
lis ejus, consequens est ut non æstimet
se ab aliquo superandum, sed quasi per-
petuo duraturum. *Sine malo.* Hoc refer-
tur ad pronomen, Ego, subintellectum, ut D
sit sensus : Ego sine malo, id est, ego vi-
vens et regnans sine omni impedimento
et pœna, non movebor, etc.

7 (29) *Cujus maledictione os plenum est,* id
est blasphemiis contra Christum, *et amari-
tudine,* id est comminatione austera : quo-
niam sibi non obedientibus comminabitur
mortem ; *et dolo,* nam multos blandimen-
tis decipiet ; vel, Dolo, id est subdola ac
fallaci allegatione et expositione sacræ
Scripturæ. Allegabit enim Scripturam ve-
teris Testamenti pro se ; sicque eam ex-
ponet, ut videatur quasi impleri in eo, ac
per hoc Christus esse putetur : imo per
hoc a multis Christus esse putabitur. *Sub
lingua ejus labor et dolor :* quia mente
tractabit et ore loquetur, quomodo san-
ctis hominibus inferat laborem servilem
et dolorem mortiferum, non solum per
se, sed et per suos fautores. Unde subjun-
gitur :

(30) *Sedet in insidiis,* id est, sedet in- 8
sidians, modos nocendi occulte excogi-
tans more latronum, *cum divitibus,* id est
cum suis ministris, quos divites faciet,
quatenus plures sibi alliciat, *in occultis,*
id est secretis modis fallendi. Nam ma-
gnam apparentiam habebunt ea per quæ
mundum decipiet ; eritque tunc valde dif-
ficile inter verum et falsum, et inter bo-
num et malum discernere. Decipiet enim
mundum variis modis, videlicet per mi-
raculorum operationem, per Scripturarum
allegationem, per sanctitatis simulationem,
per suorum falsam felicitatem, et per in-
numerabilem multitudinem adhærentium
sibi. Sedet autem prædicto modo in insi-
diis, *ut interficiat innocentem,* id est po-
pulum christianum pium et caritativum.

(31) *Oculi ejus,* tam cordis quam corpo- 9
ris, *in pauperem,* id est in fidelem Christia-
num, *respiciunt :* quatenus vel attrahendo
seducat, vel resistentem sibi occidat ; *in-
sidiatur in abscondito,* id est, occulte ma-
chinatur insidias, *quasi leo in spelunca
sua.* Leo quippe in spelunca sua animali-
bus mansuetis insidians, est sævus et for-
tis : sic Antichristus piis hominibus erit
severus et prævalens. (32) *Insidiatur ut
rapiat pauperem,* scilicet ut comprehen-
dat Christianum, non in se, sed in Domino
confidentem ; et insidiatur *rapere paupe-
rem dum attrahit eum.* Hoc dupliciter ex-
poni potest. Primo sic : Insidiatur rapere
pauperem, id est, ut interficiat eum spi-
ritualiter, auferendo ei fidem et gratiam
Christi, dum attrahit eum, id est, dum
inducit et allicit eum ad legem suam. Se-
cundo sic : Insidiatur rapere pauperem,

Digitized by Google

quatenus interficiat eum corporaliter, dum attrahit eum ad tormenta.

10 (33) *In laqueo suo,* id est in deceptionibus et fraudulentiis suis, *humiliabit eum,* id est, opprimet et affliget pauperem et fidelem. Nam persecutio Antichristi non solum erit violenta, sicut est persecutio tyrannorum, nec solum fraudulenta, ut hæreticorum; sed erit simul violenta propter sæcularem potentiam, et fraudulenta propter vitæ apparentem sanctitatem, et signorum operationem. Unde de Antichri- (Apoc. xiii, 11.) sto scriptum est : Habebat cornua duo similia agni, id est mendacia signa et vitam simulatam.

Inclinabit se, et cadet quum dominatus fuerit pauperum: id est, Antichristus postquam hæc omnia fecerit, tunc necessitate compulsus inclinabit se, id est, humiliabit se non per veram humilitatem, sed coacte deponet animi sui tumorem : quemadmodum figura ejus Antiochus, qui quum gravissimo laboraret dolore, non ex vera pœnitentia, sed ex pœnarum experientia dixit, (II Mach. ix, 12.) Justum est subditum esse Deo, et mortalem non paria Deo sentire. Et cadet, id est, occidetur a Christo, quum dominatus fuerit pauperum, scilicet Christianorum. Dominabitur autem pauperum seu militantis Ecclesiæ, persequendo opprimendoque eam tribus annis cum medio, prout in (Dan. vii, 25.) Daniele prophetatum agnoscimus : Tradentur, inquit, sancti in manus ejus usque ad tempus et tempora, et dimidium temporis. Hebræi enim per tempus intelligunt annum ; per tempora, duos annos ; per medium temporis, medium annum. Et hoc est quod de Antichristo et suis fau- (Apoc. xi, 2.) toribus dicitur : Civitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus, id est, militantem Ecclesiam oppriment tribus annis cum medio. Nam menses quadraginta duo, tres annos cum medio faciunt. (Ibid. xiii, 5.) Unde rursus in Apocalypsi dicitur : Datum est illi os loquens magna et blasphemias ; et data est illi potestas facere menses quadraginta duos. Hoc igitur tempore evoluto, cessabit persecutio Antichristi : quia sicut gravissima erit, ita brevissima fiet. Nam Salvatore testante, propter electos breviabuntur dies illi. (Matth. xxiv, 22.)

Deinde subjungitur causa casus et mortis Antichristi : 11 (34) *Dixit enim in corde suo : Oblitus est Deus,* id est, non attendit opera mea ut judicet ea ; *avertit faciem suam,* id est considerationem, *ne videat in finem,* id est, ne unquam condemnet me. Istud Antichristus in corde suo dicet, vel quia propter excæcationem suæ mentis ita putabit, vel quia ita vivet, ac si Deum æstimaret non esse judicem hominum. Sed non est putandum quod aperte dicet hæc verba : imo dicet Deum omnia judicaturum, etiam se esse Filium Dei, ac judicem universorum. Sed an hoc dicet ex animi sententia, ita esse putans, vel ut alios sub specie boni defraudet, non est adeo certum.

12 (35) *Exsurge, Domine Deus.* Hæc est oratio Ecclesiæ, quæ orat pro Antichristi finali dejectione, fideliumque plena liberatione. Exsurge, Domine Deus, qui diu differendo, et non exaudiendo, quasi dormiens videbaris; sed nunc exsurge, auxiliando, et per modum stantis te habendo; *et exaltetur manus tua,* id est, manifestetur potentia tua, occidendo atque damnando Antichristum ; *ne obliviscaris pauperum,* id est, ne diutius subtrahas protectionem et opem misericordiæ tuæ a populo tuo.

13 (36) *Propter quid,* id est quo fructu seu utilitate, *irritavit,* id est offendit, *impius,* scilicet Antichristus, *Deum? Dixit enim in corde suo : Non requiret,* id est, Deus non exiget rationem de actibus meis, nec ulciscetur sanguinem Christianorum quos occido.

Insuper convertit se Ecclesia ad Deum. 14 (37) *Vides :* id est, falsum est quod Antichristus dicit, te avertisse faciem tuam, ne videas in finem : imo tu vides, nam oculis tuis omnia nuda sunt et aperta ; (Hebr. iv, 13.) et hoc patet ex eo, *quoniam tu laborem et dolorem consideras,* id est, tu diligenter attendis laborem et dolorem, quos sancti tui ab Antichristo et suis perpessi sunt ; *ut tradas eos in manus tuas,* id est, ut ac-

Digitized by Google

ceptes et gratos habeas laborem et dolo- A
rem sanctorum, retribuendo eis æternam
quietem perpetuamque lætitiam. Vel, Ut
tradas eos, videlicet Antichristum et suos,
in manus tuas, id est in potestatem justitiæ tuæ, quatenus æternaliter eos condemnes.

(38) *Tibi,* o Domine, *derelictus est pauper,* id est populus christianus, quia non
est alius qui pugnet pro eo, nisi tu, Domine Deus, præsertim tempore Antichristi;
orphano, id est populo desolato, qui præter te nullum habet consolatorem, et est B
quasi non habens patrem auxiliantem, aut
matrem consolantem: quemadmodum erit
plebs christiana tempore Antichristi; *tu
eris adjutor,* quia redimes eos, nec derelinques electos tuos finaliter.

15 (39) *Contere,* id est, ad nihilum redige,
brachium peccatoris et maligni, id est potestatem Antichristi: qui secundum Dani-
Dan. VII, 25, 26. elis vaticinium, tamdiu conteret sanctos
Altissimi, donec conteratur. *Quæretur peccatum illius, et non invenietur:* id est,
omnis voluptas et gloria atque malitia C
Antichristi sic destruetur, quasi nunquam
fuisset. Vel sic: Quæretur peccatum illius,
et non invenietur: quia post mortem Antichristi, quidam de suis obstinatis ministris persistent in sua malitia, et quærent
peccatum principis sui occisi, desiderantes deliciari et prævaricari quemadmodum ille fecit; sed peccatum illius non
I Thess. V, 3; Luc. XXI, 34, 35. invenietur ab illis. Nam quum dixerint,
Pax et securitas, tunc (Christo testante) superveniet eis repentinus interitus.

16 (40) *Dominus,* id est Jesus Nazarenus, D
qui est verus Christus et omnium creator
ac Dominus, *regnabit in æternum et in
Luc. I, 33. sæculum sæculi,* quoniam regni ejus non
erit finis; nec etiam fides catholica, per
quam regnat in sæculo isto, unquam mundo durante in toto deficiet, quamvis tempore Antichristi magis quam ante decrescet. *Peribitis gentes,* id est impii, qui
Antichristo adhæsistis, nec pœnituistis, *de
terra illius,* id est de regione vivorum,
quia expellemini a regno cœlorum: imo
de terra ista inferiori et elementari peribitis, quia retrudemini in infernum: et
hoc ideo, quoniam (41) *Desiderium pauperum,* id est orationem fidelium, *exaudivit 17
Dominus; præparationem cordis eorum,*
id est promptitudinem, qua tibi in adversis fideliter adhæserunt, *audivit,* o Domine, *auris tua,* id est, acceptavit et remu-
neravit sapientia tua. (42) *Judicare pupillo 18
et humili,* id est, tale atque tam justum
judicium profer, ut ab omnibus judiceris,
id est, justus cognoscaris et approberis:
sicut inferius dicitur, Ut justificeris in Ps. L, 6.
sermonibus tuis, et vincas quum judicaris; pupillo et humili, id est ad salutem
et gloriam pupilli ac humilis, videlicet ut
judicando salves pupillum et humilem, id
est unumquemque terrena ista spernentem, et se ipsum pro nihilo reputantem;
*ut non apponat ultra magnificare se homo
super terram,* id est, ut finem accipiat
Antichristi superbia, neque præsumat de
cetero velle aliis dominari.

DENIQUE passus iste, qui ad litteram de Expositiuncula alia.
Antichristo expositus est, moraliter posset exponi de membris ipsius, videlicet
de persecutoribus Ecclesiæ, aliisque injustis: quibus vel omnia, vel multa jam
prædicta conveniunt, ut illud, Dum super- 2
bit impius, incenditur pauper; et, Quo- 3
niam laudatur peccator in desideriis animæ suæ; et alia pene omnia. Ea quoque
quæ exposita sunt de Ecclesia pro tempore Antichristi, exponi possent de Ecclesia
et quolibet justo pro quolibet tempore
magnæ persecutionis; sed propter prolixitatem vitandam, et quia expositio moralis
faciliter patet, et elici potest ex expositione inducta, idcirco eam omitto. Verumtamen videat sibi quilibet, qui se ad Christum pertinere confidit, ne sibi aliquo
modo conveniant quæ nunc de Antichristo recensita sunt. Videat sibi ne inveniatur superbus, pauperumque oppressor,
aut irrisor simplicium, vel contemptor infirmorum. Non cupiat laudari in desideriis
vitiosis, neque applaudentibus ac blandi-

Digitized by Google

entibus sibi in malo delectetur ; sed cogitet semper Dei præsentiam, et judicem Christum penset ubique considerantem omnia opera sua, ne ei conveniat quod de Antichristo expositum est, Non est Deus in conspectu ejus, et, Auferuntur judicia tua a facie ejus. Non sit maledicus, comminator, amarus, dolosus, sed taliter satagat Domini Jesu Christi vestigia imitari, quatenus in die novissimo mereatur ab Antichristo ac ejus infelici collegio separari, atque cum Christo altissimo æternaliter in cœlestibus triumphare.

PRECATIO.

Refugium pauperum tuorum, Deus, qui in necessitatibus suis te quærentes non derelinquis, ad te nos in tribulatione clamantes non despicias ; sed exalta nos de portis mortis : ut hic et in æternum exsultemus in laudibus tuis.

ARTICULUS XXIX

EXPOSITIO LITTERALIS PSALMI DECIMI : IN DOMINO CONFIDO.

1 Denique titulus psalmi istius est : *In finem, psalmus David :* id est, psalmus iste dirigens nos in Christum seu Deum, est ipsius David, qui loquitur hic in persona confidentis in Domino. Advertendum autem, quod sicut doctores catholici Scripturas veteris Testamenti, quæ convenienter applicantur cuilibet fideli et etiam toti congregationi fidelium, exponunt ad litteram de Ecclesia et quolibet vero Christiano; ita Hebræorum doctores Scripturas has exponunt ad litteram de Synagoga et quolibet vere Judæo seu Israelita. Unde quemadmodum nostri doctores exponunt Cantica Canticorum de Christo et de Ecclesia, sic Judæorum doctores exponunt ea de rege Messia et Synagoga. Iste itaque psalmus sicut præcedens, ad litteram exponi posset de David et Synagoga, et de hæreticis veteris legis, cujusmodi erant Sadducæi, et alii quidam : et ita exponeretur de Ecclesia et quolibet ejus membro tropologice, et de Christo allegorice.

Breviter ergo tangendo primam expositionem, David in persona sua ac cujuslibet Judæi seu Synagogæ spiritualiter intelligentis, ait : (1) *In Domino confido,* id est, spem salutis meæ in Filio Dei incarnando, in rege Messia futuro, constituo, quia per fidem ejus salvari exspecto. Et quia sic est, *quomodo,* o Judæi (legem carnaliter intelligentes), *dicitis animæ meæ, Transmigra in montem sicut passer,* id est, ascende et convola ad legem divinitus datam, et in monte Sinai primo receptam, constituendo spem tuam in ea ? *Exod. xx* quasi sine fide et gratia Christi salvari possem, videlicet per solam observantiam legis : quemadmodum multi Judæi putabant. De quibus scribit Apostolus : Ignorantes Dei justitiam (scilicet quod justus ex fide vivit), et suam volentes constituere (confidentes in propriis viribus et exteriori observatione legis), justitiæ Dei non sunt subjecti. *Rom. x. 3. Ibid. i. 17.*

3 (2) *Quoniam ecce peccatores,* id est carnales hæreticique Judæi, *intenderunt arcum,* id est, assumpserunt pro suo errore legem secundum litteralem ipsius intellectum : de quo ait Apostolus, Littera occidit ; *paraverunt sagittas suas,* id est quasdam allegationes in lege conscriptas, quæ videntur eorum errori apparentiam facere, *in pharetra,* id est in ore suo, ex quo proferunt jacula mortis ; *ut sagittent,* id *II Cor. iii. 6.*

est, perverse instruant, *in obscuro,* id est A
in his quæ difficultatem habent, qualiter
intelligi debeant, *rectos corde,* id est justos ac simplices, quibus exponunt obscura talia pro suo errore corroborando.
4 (3) *Quoniam quæ perfecisti,* id est sacras
legis ac Prophetarum Scripturas a te perfecte et pure inspiratas, *destruxerunt,* per expositiones suas extortas. *Justus autem,* id est verus Judæus eorum assertioni non credens, *quid fecit?* Et respondet:
5 (4) *Dominus in templo sancto suo,* id est,
Deus per fidem et gratiam habitat in ho- B
II Cor. vi, 16. mine justo, qui templum Dei vocatur. Et ergo si quæratur quid fecit justus, respondetur quod speravit in Domino, quoniam Dominus est in eo, sicut in templo, per fidem et spem. *Dominus in cœlo sedes ejus:* id est, sedes Domini est in cœlo, id est in anima justi, quæ est sedes sapientiæ; vel in cœlo empyreo, in quo Deus specialiter sedere perhibetur, quoniam ibi excellentius operatur, clariusque videtur. Incorporeus autem Deus materialem sedem non habet; sed sedes ejus sunt sanctæ mentes, in quibus quiescit per fidem et gratiam in præsenti, per speciem vero et gloriam in patria. Et quoniam quies atque inhabitatio Dei per speciem et gloriam est eminentior quiete et inhabitatione per fidem et gratiam, ideo Deus magis proprie excellentiusque esse, habitare et sedere dicitur in cœlo et comprehensoribus, quam in terra ac viatoribus.

Porro sequentia verba hujus psalmi secundum quamlibet expositionem satis conformiter, et quasi eodem modo exponuntur : idcirco ipsorum expositionem nunc differo usque ad principalem psalmi istius explanationem.

ARTICULUS XXX

EXPOSITIO TROPOLOGICA PSALMI EJUSDEM DECIMI IN PERSONA ECCLESIÆ ET UNIUSCUJUSQUE FIDELIS, QUI EST VERUM AC VIVUM MEMBRUM ECCLESIÆ.

PRÆVIDENS igitur sanctus propheta C
David in Spiritu Sancto, fraudulentos doctores sive hæreticos tempore christianæ legis futuros, ait in persona Ecclesiæ:
2 (1) *In Domino confido,* id est, in Deo pono
spem meam, veritatibus sacræ Paginæ credo, sanctorum Patrum catholicorumque doctorum expositiones recipio : propterea, o hæretici, *quomodo,* id est qua ratione, *dicitis animæ meæ, Transmigra in montem,* id est, ascende propriam rationem, crede proprio sensui, ingenio tuo confide, et Scripturam sacram intellige D
secundum nostram expositionem, qui propter subtilitatem nostri ingenii montes vocamur ? Quomodo, inquam, dicitis animæ meæ, Transmigra de secura et humili simplicitate ad periculosam sublimitatem, et majestatis prohibitam perscrutationem, *sicut passer,* id est velociter alte volando, in mirabilibus super te ambulando, et Ps. cxxx, 1.
terminos a patribus constitutos transferendo? Vana est ista vestra persuasio : quoniam Salomon ait, Qui ambulat sim- Prov. x, 9.
pliciter, ambulat confidenter ; et iterum, Deus protegit gradientes simpliciter. Qui Ibid. II, 7.
vero scrutator est majestatis, opprimetur Ibid. xxv, 27.
a gloria.

Consequenter Propheta ostendit, quod hæretici istud irrationabiliter dicunt, (2) *Quo-* 3
niam ecce peccatores, puta hæretici, *intenderunt arcum,* id est, disposuerunt ingenium suum ad male docendum, armando se auctoritate divinæ Scripturæ, quam perverse intelligunt; *paraverunt sagittas suas in pharetra,* id est, in promptu habent

Digitized by Google

verba simulata atque fallacia in corde et
lingua, quæ videntur simplicioribus rati-
onabilia esse ac justa : sicque sub specie
boni decipiunt, præsertim dum auctorita-
te Scripturæ se muniunt ; *ut sagittent,* id
est, sua doctrina corrumpant, *in obscuro,*
id est latenter et insidiose, *rectos corde,*
id est fide et opere Christianos. Et in isto
4 graviter peccant, o Domine, (3) *Quoniam
quæ perfecisti,* id est, divinas Scripturas,
Patrum sanctorum decreta ac ordinatio-
nes, *destruxerunt,* id est, subverterunt,
introducendo novas ac vanas doctrinas.
Justus autem quid fecit? id est, quomodo
istis hæreticis restitit ? Et respondet :
5 (4) *Dominus in templo sancto suo,* id est,
Dominus manet in corde justi, ut protegat
eum a fraudibus perversorum, et in vera
fide ipsum conservet. Quasi dicat : Justus
quidem non acquiescit hæreticis, sed re-
sistit : non tamen propria virtute, sed Do-
minus in eo per gratiam habitans, dat
efficaciam resistendi, quemadmodum ait
II *Thess.* III, 1, 2. Apostolus : Orate Dominum, ut liberemur
ab importunis et malis hominibus. Vel,
Dominus in templo sancto suo, id est, in
congregatione electorum suorum habitat,
ut eos ab omni hæreticorum pravitate de-
fendat. *Dominus in cœlo sedes ejus.* Hoc
in præcedenti expositione satis exposi-
tum est.

Ejusdem loci expositio alia. Insuper locus iste de quolibet fideli, a
spiritu elationis et vanæ gloriæ tentato,
exponitur. Dicat ergo verus humilis, qui
II *Cor.* X, 17. non in se, sed in Domino gloriatur, nec
cupit præesse aut apparere : *In Domino
confido,* a quo est omne bonum quod ha-
beo. *Quomodo* ergo, o tentator diabole, vel
homo inanis, vel cogitatio propria : quomo-
do, inquam, *dicitis animæ meæ,* interius
suggerendo, aut foris loquendo, aut occa-
sionem superbiendi ministrando, *Trans-
migra in montem,* id est, extolle te ip-
Galat. VI, 3. sum, reputando te aliquid esse quum nihil
sis, et hoc, *sicut passer?* Non quod isti
manifeste dicant animæ, ut erigat se ad
alta sicut passer : nam si hoc dicerent,
persuasio ipsorum apparentiam non ha-

A beret, neque deciperet animam, quoniam
passer est animal petulans, inquietum et
leve : imo ipsi dicunt, Euge, euge, quam
bene fecisti, quam laudabiliter vixisti !
merito te magnum et sanctum reputant
homines. Sed quoniam ista suggestio ten-
dit ad hoc, ut homo inaniter glorietur et
extollatur, atque per hoc passeri inquieto
conformetur ; idcirco homo justus et hu-
milis ponit, non verba seductorum isto-
rum, sed rem : in quo designat se ad-
vertere calliditatem ipsorum, nec velle
B consensum præbere. Et ideo addit : *Quo-
niam ecce peccatores,* videlicet prædicti
persuasores fallaces, *intenderunt arcum,*
id est, excogitaverunt nociva consilia, ex
quibus velut ex arcu procedunt verba et
actus, quibus decipiunt alios ; *paraverunt
sagittas suas in pharetra,* id est, disposu-
erunt sermones adulatorios in ore suo,
seu deceptoria opera in vita sua, scanda-
lizando, tentando, inficiendoque alios. Vita
namque peccatoris, in cathedra pestilen-
tiæ residentis, pharetra appellatur, quia
C per eam vulnerat animam proximi sui. *Ut
sagittent,* inducendo ad peccatum, *in ob-
scuro,* proponendo mala ac falsa sub spe-
cie boni et veri. Nam teste Apostolo, Sa- II *Cor.* XI,
tanas transfigurat se in angelum lucis : 14, 15.
similiter et ministri ipsius transfigurant
se in ministros justitiæ. *Rectos corde,* id
est innocentes ac simplices. Tales enim
faciliter inficiuntur a simulatoribus et ver-
sutis, quoniam æstimant alios tales esse
quales ipsi sunt : propter quod scriptum
est, Innocens credit omni verbo. Hoc ta- *Prov.* XIV,
D men valde cavendum est, quoniam Sapiens 15.
dicit : Qui cito credit, levis est corde, et *Eccli.* XIX,
minorabitur. Unde innocentes ac simpli- 4.
ces discretione cautelaque indigent ; et
bona informatio experti viri eis necessa-
ria est : imo, nisi Deus qui protegit gra- *Prov.* II, 7.
dientes simpliciter, protegeret eos, raro
vel nunquam evaderent laqueos seducto-
rum. *Quoniam quæ perfecisti,* id est ve-
ram et immaculatam justitiam divinorum
præceptorum atque consiliorum, quam tu,
Domine, præcepisti, consuluisti, et opere

Digitized by Google

Act. I, 1. implevisti : qui cœpisti facere et docere; et A
Matth. v, 17. qui non venisti solvere legem, quantum ad præcepta moralia, sed implere ; *destruxerunt* peccatores prædicti, qui contra caritatem Dei ac proximi alios moliuntur subvertere.

(5) *Oculi ejus*, id est misericordia et providentia Dei, *in pauperem*, id est humilem seu terrena despicientem ac sponte egenum, *respiciunt*, exaudiendo preces ipsius, et præservando eum a malis. *Palpebræ ejus*, id est patientia et longanimitas
Sap. xi, 24. Dei, qua dissimulat peccata hominum, dif- B
ferendo vindictam ; qua etiam differt reddere justis mercedem ; *interrogant*, id est examinant, *filios hominum*, inquirendo, et quasi probando, an peccatores omnino obstinati exsistant; et an justi, veraciter justi consistant. Nempe ex hoc quod Deus sic differt judicium, innotescit an mali penitus mali esse velint, perseverando in vitiis; an etiam justi constanter sint justi, æquanimiter omnia tolerantes. Propter
Eccle. viii, 11. quod in Ecclesiaste habetur : Quia non
cito profertur contra malos judicium, abs- C
que ullo timore filii hominum perpetrant mala. Et rursus sapientissimus Salomon
Ibid. ix, 3. ait : Hoc est pessimum inter omnia quæ sub sole fiunt, quia eadem cunctis eveniunt; unde et corda filiorum hominum implentur malitia et contemptu. Convenienter autem per palpebras Dei, intelligitur longanimitas et patientia ejus : nam palpebræ sunt tegumentum atque operculum oculorum seu visus. Deus vero, ex hoc quod tam longanimis patiensque exsistit, videtur quasi non considerare atque D
nescire opera hominum. Secundum quod Habacuc, quasi impatiens et admirans, ad
Habac. i, 13. Dominum ait : Mundi sunt oculi tui ne videas malum, et respicere ad iniquitatem non potes : quare non respicis super inique agentes, et taces devorante impio justiorem se ? Dicitur enim Deus iniquos non respicere, quia non vindicat statim. Ex hoc quoque quod Deus permittit justos variis modis affligi, neque in præsenti remunerat eos, solent interdum corda infirmorum turbari, et quasi de providentia Dei dubitare, atque a virtuosa conversatione deficere. Ex quorum persona scriptum est : Invaluerunt super me verba vestra, Malach. III, 13, 14.
dicit Dominus ; et dixistis : Vanus est qui servit Domino, et quod emolumentum, quia custodivimus præcepta ejus, et quia ambulavimus tristes coram Domino ? Sed horum errorem David redarguens, addit :

(6) *Dominus interrogat justum et impium,* 6
id est, prædictis modis probat, tentat et discutit homines, scilicet per tribulationes et hæreses atque adversa, ut appareat qui vere ad Deum pertineant. Propter quod Moyses dixit : Recordaberis cuncti itineris Deut. VIII, 2.
per quod adduxit te Dominus Deus tuus, ut affligeret te atque probaret, et nota fierent quæ versabantur in corde tuo, utrum custodires mandata illius, an non. *Qui autem diligit iniquitatem*, id est, qui delectatur in malo, et appetit quæ non licet, *odit animam suam*, id est se ipsum. Nam sicut amare, aliud nihil est quam alicui bonum velle; ita odire, aliud non est quam alicui malum velle. Qui ergo illud desiderat quod saluti animæ suæ repugnat, ille veraciter odit se ipsum.

(7) *Pluit*, scilicet Dominus, *super peccatores laqueos*. 7
Hic ponitur pœna, scilicet diligentium iniquitatem. Dominus enim pluit, id est, effundit, super eos laqueos in vita præsenti, in morte, in futuro judicio, et in inferno. In præsenti enim constringuntur vinculis vitiorum, ita ut nil meritorium agere possint, neque ad Deum mentem per caritatem erigere ; sed serviunt diabolo, a quo, secundum Apostolum, ca- II Tim. II, 26.
ptivi tenentur ad ipsius voluntatem. Propterea Salomon asserit : Iniquitates suæ Prov. v, 22.
capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur. In morte etiam Dominus pluit laqueos super peccatores, quia post mortem nunquam converti possunt ad Dominum, sicut nec angeli mali post casum : quoniam Damascenus ait, Quod in angelis est casus, hoc in hominibus est mors. Quemadmodum namque angeli mali inconvertibiliter a Deo aversi sunt, et

Digitized by Google

æternaliter in illo affectu manent, in quo A
erant quando peccando ceciderunt ; sic
animæ in mortali peccato decedentes, inconvertibiliter
avertuntur a Deo, in æternumque permanent
in illa mentis dispositione et affectione, in qua erant dum a
corpore exierunt. In futuro autem judicio
pluet Deus laqueos super peccatores, quoniam
tradet eos damnationi æternæ, quam
evadere non valebunt, sed et in inferno li-
Matth. xxii, 13. gabuntur : projicientur enim ligatis manibus
et pedibus in tenebras exteriores. Et
in inferno erunt *ignis* inexstinguibilis, B
sulfur, id est fœtor horribilis, *et spiritus
procellarum,* id est intolerabilis strepitus
clamoris ac ululatus miserorum, aeris intempestas,
et variorum tormentorum gravissimus strepitus,
pars calicis, id est pœnæ, *eorum.* Tanta enim est pœna ipsorum,
quod tota explicari non potest, nec plene
ac integre cogitari : nam alia multa genera
tormentorum, quæ hic enumerata non
sunt, imo quæ nulli hominum innotescunt,
in inferno erunt et sunt.

Deinde ponitur causa tantæ damnationis C
8 malorum. (8) *Quoniam justus Dominus et
justitias dilexit :* Deus quippe naturaliter
et substantialiter justus est. Et sicut divinus
intellectus est mensura et fons omnis
veritatis, ita divina voluntas est mensura,
causa et fons omnis justitiæ. Unde
Sap. xii, 15, 16. scriptum est : Quum ergo sis justus, Domine,
omnia juste disponis ; virtus enim
tua, justitiæ initium est. Quidquid ergo
Deo justum videtur, et quidquid ab eo procedit,
eo ipso quo ei justum videtur, vel ab
ipso causatur, justum est. Et ideo quædam
leguntur a Deo præcepta hominibus, quæ
alias justa non fuissent, nisi videlicet a
Deo fuissent præcepta : sicut quod Abra- Gen. xxii, 2.
hæ præcepit filium innocentem occidere ;
et quod in Osee habetur : Principium lo- Osee i, 2.
quendi Domino ad Osee. Et dixit Dominus
ad Osee : Vade, sume tibi uxorem fornicationum,
et fac tibi filios fornicationum.
Similitudo autem est causa dilectionis : et
ideo Dominus qui justus est, dilexit justitias,
id est opera justa propter se, operatores
vero justitiæ propter justitiam. *Æquitatem
vidit vultus ejus,* id est, æqualitatem
retributionis qua singulis redditur prout
digni sunt, approbavit intellectus divinus.

Liquet igitur ex præinductis, quam sententiosus
et medicinalis atque moralis sit
psalmus iste. Et debes, o frater, quando
psalmum hunc legis, omnia verba ejus ad
tuam informationem convertere, quatenus
assuescas, quotiescumque inani gloria aut
spiritu elationis tentaris, dicere intra te :
In Domino confido, etc. Dum autem peccata
impiorum commemoras, attendas tibi,
ne inveniantur in te quæ condemnas in
aliis. Ita quum dicis, Oculi ejus in pauperem
respiciunt, etc., adverte providentiam
Dei, et pensa quomodo ante oculos Judicis
cuncta cernentis sollicite ambules. Postremo
dum dicis, Pluit super peccatores laqueos,
etc., concipere debes magnum et
sanctum timorem districtæ ultionis Dei, et
pœnarum inferni. Et qui ita assueverit legere
psalmos, mirabilem fructum atque
saporem in psalmodia reperiet.

ARTICULUS XXXI

EXPOSITIO ALLEGORICA EJUSDEM PSALMI DECIMI DE CHRISTO.

SANCTUS ergo Propheta loquens in D
2 Christi persona, *In Domino,* inquit,
confido : quemadmodum postea dicitur,
Ps. lxx, 5. Domine, spes mea a juventute mea. *Quomodo*
ergo, o Scribæ et Pharisæi, *dicitis
animæ meæ, Transmigra in montem,* id
est, laude ac adulatione emollitus inaniter
gloriare, et quære placere hominibus, at-

Digitized by Google

que a vera humilitate recede, et dic quæ A
placent hominibus, quamvis sint falsa?
3 *Quoniam ecce peccatores,* videlicet Ju-
dæi prædicti, *intenderunt arcum,* id est
insidias, *paraverunt sagittas suas,* id est
verba dolosa, *in pharetra,* id est in corde
et lingua, *ut sagittent in obscuro rectos*
corde, id est Christum et ejus discipulos :
Marc. II, 16. quibus dicebant, Quare cum peccatoribus
et publicanis manducat et bibit magister
vester? Christo quoque blandientes, dice-
Matth. XXII, 16. bant : Magister, scimus quia verax es, et
viam Dei in veritate doces, et non est tibi B
cura de aliquo. Ecce quomodo conabantur
eum transferre in montem ut passerem,
quatenus laude hac inaniter delectatus,
4 responderet pro voluntate eorum. *Quoniam*
quæ perfecisti, o Christe, *destruxerunt,* id
est, vitam tuam perfectissimam optimam-
que doctrinam, detrahendo ac blasphemando
do corruperunt. *Justus autem,* id est Jesus
Christus, qui est forma justorum et San-
ctus Sanctorum, *quid fecit* ad hæc? Et
respondet :
5 *Dominus,* id est Verbum Dei, humanam C
naturam assumens, *in templo sancto suo,*
id est in humana Christi natura, tanquam
in templo sanctissimo, fuit ac mansit,
conservans ac protegens eam ubique et
semper. Unde Christus corpus suum, tem-
Joann. II, 19, 21. plum vocavit : Solvite, inquiens, templum
hoc, et in tribus diebus suscitabo illud.
Dicebat autem de templo corporis sui. Hoc tamen intelligendum non est, quasi unio Verbi cum humana natura in Christo, fuerit solum accidentalis et per gratiæ inhabitationem (sicut putabat inimicus Dei Nestorius, qui erat Constantinopolitanus episcopus), et non potius personalis atque per duarum naturarum immediatam unionem. Christus ergo, secundum assumptam humanitatem, dicitur templum Verbi atque totius beatissimæ Trinitatis excellentissimo modo, quoniam plenus erat omni caritate et gratia, nec unquam separatus a Deo fuit. *Dominus in cœlo,* id est in anima Christi, *sedes ejus,* quia in ea inseparabiliter requievit a primo creationis suæ momento, multo excellentius quam in Thronis cœlestibus, qui specialiter sedes Dei dicuntur. *Oculi ejus,* scilicet Domini, *in pauperem respiciunt,* id est in Christum, qui quum dives esset, propter nos egenus factus est. Cetera verba psalmi istius satis exposita sunt.

Unio facta est in persona.

II Cor. VIII, 9.

PRECATIO.

Qui es Deus æternus, esto nobis propitius in te confidentibus : tribue nos tuo munere passeribus esse dissimiles ; fac nos tua virtute sagittas maligni exstinguere, æquitate gratiæ tuæ vivere, qua nobis dones tibi in sempiternum complacere.

ARTICULUS XXXII

EXPOSITIO LITTERALIS PSALMI UNDECIMI : SALVUM ME FAC, DOMINE, QUONIAM, ETC.

1 PRÆSENTIS psalmi titulus est : *In finem,* D
psalmus David, pro octava : id est, psalmus iste dirigens nos in finem, scilicet Christum, est David, qui loquitur hic in persona viri perfecti, pro octava, id est adventu futuri judicii, cujus diem desiderat propter multiplicationem malitiæ hominum, quam destrui cupit. Dies autem judicii appellatur octava, quia post septem mundi ætates adveniet.

LOQUENS ergo Propheta in persona justi, pro Deo zelantis et mundo compa-
tientis, ait : (1) *Salvum me fac, Domine,* a 2
collegio peccatorum, a periculo vitiorum, ab omni malo præterito, præsenti atque fu-

Digitized by Google

turo, *quoniam defecit sanctus,* id est, quia A
non est qui legem tuam custodiat : et er-
go multa mihi pericula instant, quum sit
periculosum inter impios conversari ; nec
habeo adjutorium proficiendi in mundo,
quia omnes me ad peccandum suo exem-
plo alliciunt : idcirco peto salvari a te, ne
Sap. IV, 11. malitia immutet cor meum, aut fictio de-
cipiat animam meam. *Quoniam diminu-
tæ sunt veritates a filiis hominum.* Dimi-
nuta est enim veritas vitæ, quia invaluit
perversitas morum ; diminuta est veritas
doctrinæ, quoniam multiplicata sunt docu- B
menta errorum ; diminuta est veritas ju-
Philipp. II, 21. stitiæ, quia omnes quærunt quæ sua sunt,
et nemo quæ Jesu Christi. Dicit autem vir
justus, Salvum me fac, Domine, quoniam
defecit sanctus : non quod æstimet nul-
lum esse sanctum in mundo præter se
ipsum, sed quia tam pauci sunt sancti
comparatione malorum, ut videantur qua-
si penitus defecisse. Nam quod modicum
est, pro nihilo reputatur. Sicque ait Elias
III *Reg.* XIX, 10, 14. ad Dominum : Prophetas tuos occiderunt
gladio, et relictus sum ego solus. Propter C
Ibid. 4. quod etiam dixit, Tolle animam meam :
quasi diceret, Salvum me fac, Domine,
quoniam defecit sanctus. Secundum hunc
Philipp. II, 21. quoque intellectum dicit Apostolus : Om-
nes quæ sua sunt quærunt, et nemo quæ
Jesu Christi.

Consequenter ostendit quomodo diminu-
3 tæ sunt veritates a filiis hominum. (2) *Va-
na,* inquit, *locuti sunt unusquisque cum
proximo suo :* id est, quasi omnes locuti
sunt sibi invicem falsa et frivola, decipien-
do, inficiendo et contaminando se mutuo : D
sicque unus trahit alium ad mortem, quum
merito unus traheret alium suo exemplo
et verbo ad vitam. Ideo autem locuti sunt
vana, quoniam *labia* eorum sunt *dolosa in
corde,* quia aliud sonant in ore, et aliud in
corde prætendunt, et ita bilingues sunt si-
mulatores et callidi. Unde subjungit : *et
corde locuti sunt,* id est, ex intentione lo-
cuti sunt vana et falsa. Quod quam vitio-
Eccli. XXXVII, 23, 24. sum sit, in Ecclesiastico scriptum est : Qui
sophistice loquitur, odibilis est ; in omni
re defraudabitur. Non est illi data a Do-
mino gratia, omni enim sapientia defrau-
datus est. Et iterum ait Scriptura : Deno- *Eccli.* V, 17.
tatio pessima super bilinguem. Et sanctus
Job : Simulatores, inquit, et callidi pro- *Job* XXXVI, 13.
vocant iram Dei. Fugiamus ergo hoc vi-
tium pessimum, quoniam sequitur :

(3) *Disperdat Dominus universa labia do-* 4
losa, id est, tollat seu auferat omnes dolo-
sos de congregatione fidelium, *et linguam
magniloquam,* id est hominem præsump-
tuosum. Hos itaque Deus disperdat, (4) *Qui* 5
*dixerunt : Linguam nostram magnifica-
bimus,* id est, magna et præsumptuosa ac
mirabilia de nobis ipsis loquemur, qua-
tenus ab hominibus honoremur ; *labia no-
stra,* id est eloquentia nostra atque sermo-
nis subtilitas, *a nobis sunt,* id est, nobis
adscribenda sunt ; et nos inde laudandi
sumus. *Quis noster Dominus est ?* Hoc vel
aperte dicunt, vel si ore non dicant, tamen
corde ita superbiunt, ac si Dominum non
haberent : quemadmodum ad Pharaonem
Ezechiel, Audi, inquit, Pharao rex Ægy- *Ezech.* XXIX, 3.
pti, draco magne, qui dicis : Meus est flu-
vius, et ego feci me ipsum. Hoc vero quod
dictum est, Disperdat Dominus universa
labia dolosa, etc., dupliciter intelligi po-
test : Primo, per modum orationis, vide-
licet ut Dominus donet dolosis gratiam
pœnitendi ac emendandi : sicque disper-
dantur quantum ad culpam, non quantum
ad salutem, videlicet ut non sint quales
erant, sed convertantur et spiritualiter vi-
vant. Secundo intelligi potest per modum
propheticæ denuntiationis, ad ostenden-
dum quod nisi pœnituerint, æternaliter
disperdentur a Domino, et peribunt.

Deinde Dominus manifestat se exaudisse
orationem viri perfecti, dicentis : Salvum
me fac, Domine, etc. Ait enim : (5) *Propter* 6
miseriam inopum, id est, quatenus libe-
rem inopes a sua miseria, id est ab imper-
fectionibus vitæ præsentis, a cunctis peri-
culis atque a pœnalitatibus quotidianis, *et*
propter *gemitum pauperum,* id est pro-
pter crebra suspiria affectuosasque preces
pauperum spiritu, puta humilium, *nunc*

Digitized by Google

exsurgam, id est, statim auxiliabor et faciam pro quo rogatus sum, *dicit Dominus.* (6) *Ponam in salutari,* id est, inopes et pauperes collocabo in subsidio gratiæ meæ, vel in statu salutis stabiliam eos ; *fiducialiter agam in eo,* id est, fideliter protegam eos in tali subsidio, nec permittam eos a perversis perverti. Et ne, o inopes, dubitetis de veritate promissionis Domi-
7 ni, quoniam (7) *Eloquia Domini, eloquia casta,* id est pura et omni falsitate impermixta, videlicet sacra Scriptura ; *argentum igne examinatum :* id est, eloquia Domini assimilantur argento per ignem probato : quoniam sicut tale argentum est splendidum atque dulcisonum, sic sacra Scriptura est lucida, devotæque menti suavis et sapida. Et eloquia Domini sunt argentum, *probatum terræ,* id est probatum ab omni fæce terrena, *purgatum septuplum,* id est omni modo mundatum. Septenario enim universitas designatur. Eloquia ergo Domini comparantur argento ita probato atque purgato, quoniam faciunt homines non terrenam et carnalem, sed cœlestem atque angelicam vitam in hoc sæculo ducere; et eos qui ipsis obediunt, faciunt septem donis Spiritus Sancti impleri.

Potest autem hic locus aliter et convenientius explanari, ut sit sensus : *Propter miseriam inopum,* id est ad succurrendum miseriis paganorum, qui omni miseria pleni erant, quia nec fidem, nec gratiam Dei habebant ; *et gemitum pauperum,* hoc est ad consolandum tristitiam fidelium adventum regis Messiæ optantium in veteri Testamento ; *nunc exsurgam,* mittendo Filium meum in mundum, ut liberet eum, *dicit Dominus* Deus Pater. *Ponam* auxilium ac mundi salutem, *in salutari,* id est in Filio meo incarnando, per quem omnes
Luc. II, 30. electi salvantur : de quo Simeon ait, Quia viderunt oculi mei salutare tuum ; *fiducialiter agam in eo,* hoc est, efficaciter et infallibiliter operabor per ipsum mundi redemptionem. *Eloquia Domini,* id est
Ibid. XXI, 3. christiana doctrina, *eloquia casta,* id est sincera atque verissima : quoniam possi-
A bilius est cœlum et terram transire, quam minimum verbum evangelicæ legis perire.

(8) *Tu, Domine,* Creator omnipotens, *servabis nos* a malo, *et custodies nos* in bono, 8
a generatione hac : de qua jam dictum est, Disperdat Dominus universa labia dolosa, ne communicemus malis operibus ejus ; *in æternum :* hoc est, in præsenti custodies nos ab eorum culpa, et in futuro ab eorum pœna. Et est istud verbum bonæ spei, estque implicite quædam oratio. Nam sensus est : Tu, Domine, servabis nos,
B id est, ex caritate et magna fiducia quam gero ad te, Domine, spero quod servabis nos : imo hoc oro intente.

(9) *In circuitu impii ambulant,* id est, 9
non tendunt per arctam et rectam viam, Matth. VII, 14.
quæ ducit ad vitam, sed in caducis rebus circumquaque vagantur. *Secundum altitudinem tuam,* id est secundum majestatem seu magnitudinem potentiæ tuæ, *multiplicasti filios hominum,* hoc est posteros primorum parentum, multiplicando individua speciei humanæ : in qua sunt tam
C innumerabilia supposita, ut ex eorum multitudine clareat quam alta sit potentia Creatoris. Vel, Secundum altitudinem tuam, id est secundum quod decet te sublimem ac summum Dominum, multiplicasti filios hominum, non solum numero, sed merito ; non exterioribus bonis, sed gratia, fide, donis Spiritus Sancti, atque universis virtutibus : quod tempore novæ legis præsertim impletum est, ex quo gratia Spiritus Sancti copiosissime est effusa.

Denique psalmus iste moraliter docet
D nos vitia linguæ totaliter exsecrari, quemadmodum scriptum est : Qui moderatur Prov. X, 19.
labia sua, prudentissimus est.

PRECATIO.

Tu, Domine, fidelium custos, conserva et custodi nos a generatione pravorum in æternum, et conjunge nos generationi justorum eloquia tua casta custodientium : ut et in dilectione tua semper maneamus, et tuæ protectionis auxilio, perpeti salute gaudeamus.

Digitized by Google

ARTICULUS XXXIII

ELUCIDATIO PSALMI DUODECIMI : USQUEQUO, DOMINE, OBLIVISCERIS, ETC.

1 HABET psalmus iste hunc titulum : *In
finem, psalmus David : id est, psalmus
iste in Christum nos ducens, adscribitur
sancto David loquenti hic in persona fide-
lium, Christi præsentiam vehementer op-
tantium. Et est psalmus iste carmen ar-
dentissimi amatoris, verba ignea atque
omni affectu plenissima continens, quem-
admodum vere devoto, hunc psalmum cor-
dialiter decantanti, constat.

POTEST autem hic psalmus ad litteram
exponi de Synagoga ac singulis Sanctis
veteris Testamenti, primum Christi adven-
tum, videlicet incarnationem Filii Dei, toto
corde desiderantibus. In horum ergo per-
sona ait Propheta : (1) *Usquequo, Domine,*
oblivisceris me in finem? id est, quamdiu,
o Fili Dei, o Verbum Patris æterni, coæter-
num Deo Patri, ita te habes circa me, ac
si omnino oblitus esses mei, videlicet tam
diu differendo tuum adventum? *Usquequo*
avertis faciem tuam a me? id est, quous-
que elongas ac subtrahis a me præsentiam
tuam, non solum divinam, per quam sem-
per ubique es, sed etiam corporalem, quam
in fine sæculorum induisti? Hanc nempe
Christi corporalem præsentiam antiqui San-
cti ardentissime affectabant, quemadmo-
dum in exordio cantici amoris Salomon in
persona Synagogæ seu antiquorum patrum
Cant. I, 1. loquens, demonstrat : Osculetur me, in-
quiens, osculo oris sui, id est, Unigenitus
Dei conjungat se meæ naturæ immediata
Is. LXIV, 1. ac personali unione. Et Isaias : Utinam,
inquit, dirumperes cœlos, et descenderes.
Habac. I, 2. Habacuc quoque ait : Usquequo, Domine,
clamabo, et non audies? vociferabor ad te
vim patiens, et non salvabis?
2 (2) *Quamdiu ponam consilia,* id est du-
A biosas inquisitiones, *in anima mea?* Nam
homo qui aliquid adipisci vehementer de-
siderat, multa consilia et varias vias cogi-
tat, quibus possit sortiri quod cupit. Sic
veteres Sancti multipliciter cogitabant et
inquirebant, quibus obsequiis possent ef-
ficacius impetrare misericordiam Dei, vi-
delicet missionem Christi in mundum. Et
quamdiu ponam *dolorem,* id est tristi-
tiam propter dilationem et moram adven-
tus Christi, *in corde meo per diem,* hoc est
incessanter et quolibet die? Nam spes quæ *Prov.* XIII, 12.
B differtur, affligit animam.
(3) *Usquequo exaltabitur inimicus meus* 3
super me? hoc est, quamdiu prævalebit
diabolus et fomes peccati atque reatus ori-
ginalis peccati adversum me? Nam sine
Christi adventu nemo Sanctorum intrare
potuit regnum cœlorum, sed descenderant
omnes in limbum inferni. Potestas quoque
diaboli et fomitis, multo major ac fortior
erat ante Christi incarnationem ac mor-
tem, quam postmodum : et ideo inimicus
tunc quasi exaltabatur super Sanctos. Chri-
C stus vero alligavit fortem armatum, id est *Marc.* III, 27.
diabolum, debilitando ejus virtutem ; et
vasa ejus diripuit, faciendo sibi de homi-
nibus templum Dei, qui ante exstiterant
habitaculum diaboli.
Itaque, ne amplius exaltetur inimicus
meus super me, *Respice et exaudi me, Do-* 4
mine Deus meus, assumendo naturam hu-
manam, et redimendo me de manu om-
nium qui oderunt me. (4) *Illumina oculos*
meos, hoc est, fide, gratia et illuminatione
Spiritus Sancti, doce intellectum meum,
D tam speculativum, ut recte cognoscam,
quam practicum, ut juste vivam. Vel, Il-
lumina intellectum meum, apparendo et
conversando per Incarnationem inter ho-

Digitized by Google

mines, atque docendo evangelicæ legis per-
fectionem : quia tu es lux vera, quæ illumi- Joann. I, 9.
nas omnem hominem venientem in hunc
mundum. Et hoc, o Fili Dei, ideo fac, *ne
unquam,* id est ut nunquam, *obdormiam
in mortem,* id est, ne aliquo tempore ca-
dam in mortale peccatum : in quod ca-
dendo, obdormio et spiritualiter morior,
5 quia a caritate et gratia Dei deficio ; *ne-
quando,* hoc est ut nullo tempore, *dicat
inimicus meus,* qui adversatur saluti ani-
mæ meæ : *Prævalui adversus eum,* indu-
cendo eum ad peccati consensum, vel in
damnationem perpetuam.

(5) *Qui tribulant me,* tentando atque co-
nando ut avertant me a te, *exsultabunt si
motus fuero,* id est, gaudebunt si eorum
perversitati consensero, et a te summo
et incommutabili bono per instabilitatem
6 cecidero. *Ego autem in misericordia tua
speravi,* id est, spem victoriæ sumpsi,
non de propriis viribus, sed per grati-
am Christi salvari et prævalere confisus,
et ab omni peccato purgari, a quo per

A legem mundari non potui. Unde in Ac-
tibus Apostolorum Paulus ad Judæos lo-
quens : Per Jesum, inquit, remissio pec- Act. XIII, 38.
catorum annuntiatur vobis, ab omnibus a
quibus non potuistis in lege Moysis justi-
ficari.

(6) *Exsultabit cor meum* spirituali læti-
tia *in salutari tuo,* hoc est in incarnato
Filio tuo, o Pater æterne, qui est Salvator
et salus omnium hominum. In hac quidem
vita exsultabo in eo, per fidem ipsum con-
templando, et per spem ipsum exspectan-
B do. In futuro autem sæculo exsultabo in
eo, per speciem ipsum videndo, videlicet
facie ad faciem : quia videbo eum sicuti I Cor. XIII, 12.
est, et cognoscam eum sicut et cognitus
sum. (7) *Cantabo Domino qui bona tribuit
mihi,* hoc est, laudem dicam et gratias
agam, semperque gratus ero Filio Dei Sal-
vatori meo, qui tanta beneficia contulit
mihi ; *et psallam nomini Domini altissi-
mi,* id est, non solum verbo, sed verbo
simul et opere laudabo altissimum Deum
unum ac trinum.

ARTICULUS XXXIV

EXPOSITIO TROPOLOGICA EJUSDEM PSALMI DUODECIMI.

MORALITER vero exponendo hunc psal-
mum, Propheta in persona cujuslibet
hominis sancti sive Ecclesiæ, adventum
Christi in præsenti per gratiam, atque in
1 futuro per gloriam desiderantis, ait : *Us-
quequo, Domine* Deus omnipotens, cui pro-
prium est misereri semper et parcere, *obli-
visceris me,* servum et pauperem tuum, *in
finem,* id est tam diu, non dando deside-
ratam vitæ et gratiæ perfectionem in con-
versatione præsenti ? Desidero enim tibi
in sanctitate et justitia deservire. Et oro te
quotidie, ut des mihi omnes passiones re-
frenare, ac vitia exstirpare, quatenus tibi
tranquilla, pura ac stabili mente mini-

C strem ; sed non obtineo gratiam istam a
te secundum desiderium meum. Et hoc
utique, o Domine, non est ex defectu tuæ
bonitatis, sed propter indignitatem meæ
conversationis, quoniam obicem pono, et
me ipsum gratiæ tuæ incapacem efficio.
Sed, o Domine, a te est omne bonum : et
ergo in quocumque vides me ex me defi-
cere, in illo digneris mihi ex tua benignita-
te succurrere. Usquequo ergo oblivisceris
me in finem, non exaudiendo cordis mei
affectum ? *Usquequo avertis faciem tuam
D a me ?* id est, quamdiu suspendis gratio-
sam pietatis tuæ præsentiam atque dulcis-
simam gratiæ tuæ consolationem a me de-

Digitized by Google

solato et sterili, afflicto et arido, qui non A gusto quam dulcis est Dominus, neque proficio sicut opto et teneor ? Interdum enim Deus ad tempus suspendit a bonis hominibus gratiæ suæ consolationem, non quidem auferendo gratiæ habitum, sed operationem et experimentalem devotionem, atque optatam alacritatem : et hoc plerumque contingit ex dispensatione divina propter negligentiam nostram. Quandoque autem contingit ex dispensatione divina, videlicet ne inaniter gloriemur et extollamur, dum gratia nobis arridet et adest; et B ut Deum ardentius, frequentius, ac fiducialius invocare assuescamus.

Deinde exponi potest hic versus de homine amoroso, qui cum Paulo cupit dissolvi, et esse cum Christo. *Philipp.* I, 23. Ait itaque homo talis : *Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem,* *Rom.* VII, 24. non liberando me de corpore mortis hujus, et ab incolatu præsentis miserandi exsilii ? *Usquequo avertis faciem tuam a me ?* hoc est, quamdiu denegas mihi beatificam tuæ essentiæ visionem, non transferendo me a fide ad speciem, et C de via ad patriam ?

2 *Quamdiu ponam consilia in anima mea,* inquirendo et anxie cogitando qualiter tibi perfecte adhæream, atque proficiendo semper complaceam, quomodo etiam tandem ad beatissimæ tuæ bonitatis fruitionem perveniam ? *dolorem in corde meo per diem,* id est, quamdiu affligam me ipsum in animo meo quotidie, propter multitudinem imperfectionum mearum, et propter absentiam gratiæ tuæ aut gloriæ ?

3 *Usquequo exaltabitur inimicus meus super me?* D id est, quamdiu ero subjectus tentationibus diaboli, carnis ac sæculi, propter quorum instantiam sæpius cado, et servus peccati efficior ? Et si non mortaliter pecco, tamen, proh dolor ! venialiter sæpius pecco, quia justus septies in die cadit : et *Prov.* XXIV, 16. quantum ad hoc, exaltatur et prævalet inimicus meus super me. Habeo enim domesticum inimicum : de quo ait Apostolus, Video aliam legem in membris meis, *Rom.* VII, 23. repugnantem legi mentis meæ. Hæc lex membrorum, est fomes peccati et concupiscentia carnis. Unde Petrus in sua prima Canonica ait : Obsecro vos tanquam *I Petr.* II, 11. advenas et peregrinos abstinere a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam. Et Paulus : Qui, inquit, in carne *Rom.* VIII, 8. sunt, Deo placere non possunt.

Ut ergo inimicis istis efficaciter repu-
gnem, *Respice et exaudi me, Domine Deus* 4
meus : respice me per misericordiam, qui omnia respicis per scientiam. *Illumina oculos meos,* hoc est, doce et dirige intellectum meum atque memoriam, quatenus quæ tibi placent agnoscam et impleam, *ne unquam obdormiam in mortem,* hoc est, ne unquam in anima moriar, recedendo a te fonte felicitatis ac vitæ, ne mortaliter peccem ; et si mortaliter peccavero, ne saltem in peccato tali permaneam
aut finiar moriendo in eo ; *nequando di-* 5
cat inimicus meus : Prævalui adversus eum, separando eum a Deo.

Qui tribulant me, scilicet dæmones et ejus ministri, *exsultabunt, si motus fuero.* Hoc atque sequentia, jam in præcedentibus satis exposita videntur.

PRECATIO.

Omnipotens sempiterne Deus, illumina oculos cordis nostri lumine Spiritus tui, ne unquam in perversis actibus dormitemus; sed tua gratia opitulante, in præceptis ejus jugiter vigilemus : ut ad præmium supernæ vocationis, Christo adveniente, transeamus.

Digitized by Google

ARTICULUS XXXV

EXPOSITIO LITTERALIS PSALMI TERTIIDECIMI : DIXIT INSIPIENS IN CORDE SUO.

1 TITULUS psalmi istius est : *In finem, psalmus David :* id est, psalmus iste in Christum nos dirigens, est psalmus sancti David.

EXPONITUR autem hic psalmus ad litteram de induratis reprobisque Judæis, illis præsertim qui Christo corporaliter in mundo conversanti atque miracula facienti credere contempserunt. Ait ergo : (1) *Dixit insipiens in corde suo,* id est, infidelis Judæus, Christi (qui est sapientia Dei æterna) doctrinam despiciens, cogitavit, et intra se affirmavit, ac sensit : *Non est Deus :* hoc est, Jesus iste Nazarenus, cujus mater et fratres apud nos sunt, qui cum peccatoribus manducat et sabbatum non custodit, non est Deus, nec Filius Dei, Deo Patri consubstantialis ac coæternus, sed potius peccator atque blasphemus. Hoc nempe Judæos fuisse dicturos de Christo, a Jeremia prophetatum agnoscimus, ubi sic legitur : Prævaricatione prævaricata est in me domus Israel et domus Juda, dicit Dominus ; negaverunt Dominum, et dixerunt, Non est ipse.

(I Cor. i, 24. — Matth. xiii, 55, 56. — Marc. ii, 16. — Joann. ix, 6. — Jer. v, 11, 12.)

(2) *Corrupti sunt* putredine vitiorum et consuetudine criminosa, et mentis integritatem perdiderunt, propter aversionem a summo, uno et vero Deo Jesu Christo, Judæi increduli ; *et abominabiles facti sunt in studiis suis,* hoc est, contemptibiles facti sunt Deo et homini prædicti Judæi, in operibus, verbis et cogitationibus suis : quia cœlestis Magistri doctrinam ac fidem spreverunt, et rebus temporalibus inhæserunt. Nam superbi avarique erant, et cordibus incircumcisi. *Non est qui faciat bonum.* Non dicit simpliciter nullum esse operatorem boni ; sed, Non est, inquit, qui faciat bonum ex his ita abominabilibus et corruptis, quia nullus eorum fecit bonum seu opus meritorium, quoniam justus ex fide vivit : et ideo addit, *non est usque ad unum,* id est, tam vere nullus est qui faciat bonum ex illis, ut nec unus reperiatur in eis qui faciat bonum : et ita Unum ponitur inclusive. Unde incredulis Judæis Christus dixit : Quomodo potestis bona loqui, quum sitis mali ? De quibus Jeremias : Induraverunt (ait) facies suas super petram, et noluerunt reverti, sed renuerunt capere disciplinam.

(Habac. ii, 4; Galat. iii, 11. — Matth. xii, 34. — Jer. v, 3.)

2 (3) *Dominus,* id est Christus Verbum Dei ac Deus, *de cœlo,* id est de humanitate assumpta, in qua velut in cœlo habitavit divinitas ejus, *prospexit super filios hominum,* hoc est, attendit et consideravit Judæos : ad quos specialiter missus fuit, juxta illud, Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel ; *ut videat si est intelligens aut requirens Deum,* id est, an sit aliquis per fidem cognoscens Deum Patrem, et quem misit Jesum Christum.

(Matth. xv, 24. — Joann. xvii, 3.)

3 (4) *Omnes declinaverunt,* id est, nullum talem invenit ex illis corruptis ; sed omnes declinaverunt, id est, per incredulitatem a Christo recesserunt ; *simul inutiles facti sunt :* quia nec se ipsos possunt salvare, nec digni sunt Deum laudare. *Non est qui faciat bonum* ex illis incredulis, *non est usque ad unum,* hoc est, omnino nullus est ex eis benefaciens. Si autem quod dictum est de Judæis, Non est qui faciat bonum, et, Omnes declinaverunt, etc., accipiatur simpliciter absoluteque dictum de omnibus, tunc intelligendum est per synecdochen, et per comparationem : quia videlicet major pars Judæorum incredula mansit, imo tam multi infideles

Digitized by Google

permanserunt, ut comparatione eorum ceteri qui crediderunt, quasi nulli videantur.

(5) *Sepulcrum patens est guttur eorum,* id est simile sepulcro patenti : quia quemadmodum ex tali sepulcro fœtor atque infectio quædam mortifera profluunt ; sic ex cordibus Judæorum per guttur, linguam et ora ipsorum, verba blasphema, fœtida ac animam occidentia, processerunt. *Linguis suis dolose agebant.* Nam sæpe tentaverunt Christum, ut caperent eum in sermone, et haberent causam contra eum. (Matth. XXII, 15.) Principes quoque et Scribæ eorum seduxerunt alios, avertendo eos a Christo, quia in Passione quoque persuaserunt populo ut peterent sibi dari Barabbam, Jesum vero occiderent. (Ibid. XXVII, 20.) *Venenum aspidum,* id est verba infectiva et animæ interfectiva, *sub labiis eorum,* hoc est in ore infidelium Judæorum, qui Auctorem vitæ et mundi Salvatorem negaverunt, diffamaverunt, et occiderunt. (6) *Quorum os maledictione,* id est blasphemia contra Christum, *et amaritudine,* id est condemnatione Christi ad mortem, *plenum est :* dixerunt enim, Reus est mortis. (Ibid. XXVI, 66.) *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.* Nam mente et corpore parati fuerunt et prompti, ut occiderent Christum : sicque ex invidia cordis, etiam pedes corporis festinabant currendo ad Christi occisionem.

(7) *Contritio,* id est spiritualis esse comminutio, caritatis destructio, gratiæ exstinctio, *et infelicitas,* hoc est omnis beatitudinis privatio, et a summo bono aversio, *in viis eorum,* id est in conversatione et studiis perversorum Judæorum. Quoniam principem vitæ, fontem gratiæ, et Deum salutis suæ persequebantur ; idcirco omne spirituale esse gratiæ gratificantis, in eis contritum seu comminutum atque confractum est : propter quod opera eorum infelicia exstiterunt, et ad infernalem miseriam eos duxerunt. *Et viam pacis,* id est Christi doctrinam, per quam pervenitur ad pacem æternam, *non cognoverunt,* per approbationem et imitationem, sed eam spreverunt. Vel, Viam pacis, id est pœnitentiam, non cognoverunt, sed indurati in malo sunt : quemadmodum Isaias prædixit, Incrassatum est, inquiens, cor populi hujus. (Is. VI, 10; Matth. XIII, 15.) *Non est timor Dei ante oculos eorum :* quoniam Christum non timuerunt, nec ejus comminationibus intenderunt, neque miracula de ipso testimonium perhibentia curaverunt ; sed odio excæcati, impleverunt mensuram patrum suorum, quia ut illi occiderunt Prophetas, sic ipsi Christum regem ac Dominum Prophetarum. (Matth. XXIII, 32.)

4 (8) *Nonne cognoscent omnes qui operantur iniquitatem,* id est prædicti maligni, *qui devorant plebem meam,* id est, Christum et ejus discipulos in principio nascentis Ecclesiæ occiderunt, *sicut escam panis?* Nonne, inquam, cognoscent veritatem, scilicet se errare ? quasi dicat, Non : quia in præsenti sæculo non cognoverunt, sed obstinati manserunt, quemadmodum postea dicitur, Obscurentur oculi eorum ne videant. (Ps. LXVIII, 24.) Et Isaias prædixit : Quis cæcus, nisi ad quem misi servos meos, id est populus Judæorum ? (Is. XLII, 19.) Vel sic : Nonne cognoscent omnes, etc. ? quasi dicat, Imo : quia in die judicii quando videbunt in quem transfixerunt, tunc per experientiam pœnæ veritatem cognoscent. (Joann. XIX, 37.)

5 (9) *Dominum,* id est Deum Patrem et Filium ejus unigenitum, *non invocaverunt,* id est, mente per caritatem et fidem atque internum affectum non oraverunt. *Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor,* id est, ubi merito non debuissent timere. Nam plus timebant homines quam Deum ; et magis timebant temporalia damna quam spiritualia detrimenta, et perdere regna cœlestia. Unde dicebant : Quid facimus, quia hic homo (scilicet Jesus) multa signa facit ? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, et venient Romani, et tollent locum nostrum et gentem. (Ibid. XI, 47, 48.) Sed de hoc quod Christo homines adhærebant, non debebant dolere, nec propter justitiam persecutionem timere : cujus rationem Propheta assignat :

Digitized by Google

6 (10) *Quoniam Dominus in generatione
justa est : id est, Deus omnipotens in con-
ventu fidelium et congregatione Christo
adhærentium commoratur, estque in eis
per caritatem et gratiam. Et ita erat in
multitudine eorum qui ex Judæis primi-
tus Christum sequebantur, sicut erant Apo-
Luc. VIII, 2, 3; XXIII, 55. stoli, aliique discipuli, et quædam feminæ
religiosæ. Sed, o vos Judæi increduli, *con-
silium inopis confudistis,* id est, evangeli-
ca Christi consilia contempsistis, nolentes
terrena relinquere, atque cœlestia toto cor-
de appetere. Ideo namque, ut Evangelista
testatur, quum Christus contra avaritiam
Joann. X, 20. disputaret, dixistis adstantibus : Insanit;
quid eum auditis? Christus vero inops vo-
II Cor. VIII, 9. catur, quia Apostolus ait : Quoniam quum
dives esset, propter nos egenus factus est.
Et cur hoc, nisi ut ejus temporalis ac cor-
poralis inopia fieret nobis spiritualis ab-
undantia, locupletatioque æterna? De hoc
Zach. IX, 9. inope Christo Zacharias ait : Jubila, filia
Jerusalem, ecce rex tuus veniet tibi justus
et salvator; ipse pauper et ascendens su-
per asinam. Ideo autem confudistis consi-
lium inopis, *quoniam Dominus spes ejus
est,* id est, quoniam docuit in solo Deo es-
I Tim. VI, 17. se sperandum, non in incerto divitiarum,
nec in copia temporalium rerum.
Deinde sanctus David de finali Judæo-
7 rum conversione vaticinans, (11) *Quis,* in-
quit, *dabit ex Sion,* id est, quis procedens
ac nascens ex populo Synagogæ, seu stirpe
Judæorum, dabit *salutare,* id est redemp-
tionem, *Israel,* hoc est Israeliticæ plebi?
A quasi dicat, Quis salvabit eos? Et respon-
det : *Quum averterit Dominus captivi-
tatem plebis suæ,* id est, quum Christus
expulerit ex cordibus Judæorum malitiam
eos excæcantem, atque diabolum in eis re-
gnantem, ipsosque in captivitate perfidiæ
et peccati ligatos tenentem; tunc *exsulta-
bit Jacob,* id est, gaudebit populus ex Ja-
cob exortus, vitiorum supplantator, *et læ-
tabitur Israel,* scilicet idem populus Deum
contemplans : tunc enim gaudebunt, quia
cognoscent verum Messiam, et credent in
B eum, ministrabunt ei corde jucundo et
mente gratissima. Hæc autem eorum con-
versio fiet in fine sæculi ad prædicationem
Eliæ. De quo Malachias dicit : Ecce ego Malach. IV, 5, 6.
mittam vobis Eliam prophetam, antequam
veniat dies Domini magnus et horribilis;
et convertet cor patrum ad filios, et cor
filiorum ad patres. Per hoc namque quod
faciet Judæos verum Christum recipere, et
eum devotissime colere, sancti patres de-
functi, qui erant a Judæis propter ipsorum
incredulitatem aversi, convertentur ad eos
C et diligent ipsos : similiter filii qui tempore
infidelitatis erant a patribus sanctis aver-
si, per fidem Christi convertentur ad ipsos.
Propter quod in Evangelio ait Salvator :
Elias quum venerit, restituet omnia. Quod Matth. XVII, 11.
autem ista scriptura, scilicet ultimus ver-
sus psalmi istius, congrue exponatur de
conversione Judæorum futura, hinc patet,
quod Apostolus ad Romanos istam scriptu- Rom. XI, 26.
ram inducit ad probandum conversionem
Judæorum futuram.

ARTICULUS XXXVI

EXPOSITIO MORALIS EJUSDEM PSALMI TERTIIDECIMI.

1 D*IXIT insipiens,* id est divinorum co-
gnitionem non habens, nec Christum
(qui est sapientia Dei) vita et moribus se-
quens, *in corde suo : Non est Deus,* hoc
D est, non est aliquis qui sit omnium judex
ac Dominus, et providentiam de actibus
hominum habens. Quamvis enim pauci vel
nulli sint, qui putent Deum absolute non

Digitized by Google

esse, multi tamen fuerunt, qui putabant Deum non esse eo modo, quo fides catholica adstruit eum esse, videlicet omnium provisorem, judicem et remuneratorem.

Posset hic introduci quædam difficultas, scilicet, quomodo aliquis possit dicere in corde suo, Non est Deus, quum Deum esse sit per se notum, ut ait Anselmus : cui consonat Damascenus, qui primo libro ait, Omnibus naturaliter inserta est cognitio Deum exsistendi. Thomas vero et Scotus tenent oppositum. Hanc autem difficultatem omitto, quia in libro de Divina natura eam diligenter tractavi ; tenuique probabiliter cum Anselmo, quod Deum esse sit maxime per se notum, etiam magis quam prima principia. Nec obstat, quod insipiens dixit in corde suo Deum non esse, quia nonnulli philosophi negaverunt prima principia, quæ nihilo minus sunt per se nota. Nunc autem breviter dico, quod omnis qui Deum inhonorat, contemnit, et in vitiis perseverat, dicit in corde suo, Non est Deus. Quamvis enim nec in corde suo affirmet, nec ore pronuntiet, Deum non esse; tamen sic vivit, quasi Deum non esse putaret. Propterea enim Apostolus dicit : Dicunt se nosse Deum, factis autem negant. De quibus Propheta subjungit : *Tit. I, 16.*

Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in studiis suis. Corruptum et integrum opponuntur, et non nisi in rebus corporeis proprie inveniuntur ; in spiritualibus autem transumptive, seu similitudinarie accipiuntur. Quemadmodum ergo integritas mentis, est ejus ad Deum perfecta conversio; sic mentis corruptio, est ejus a Deo aversio. Itaque, peccatores corrupti sunt, id est mente a Deo aversi, et vitiis vulnerati; et abominabiles facti sunt in studiis suis, id est in occupationibus interioribus et exterioribus, quoniam Creatore relicto ac spreto, in rebus caducis, vanis et turpibus occupantur, quærentes ditari, deliciari, aut dominari. *Non est qui faciat bonum* ex illis, sed a minimo usque ad maximum omnes circa illicita student ; *non est usque ad unum,* hoc est, nullus ex eis bene vivens. Vel potest Usque ad unum, exclusive exponi, et illud quod dicitur, Non est qui faciat bonum, absolute intelligi, ut sit sensus : Non est qui faciat bonum, id est, nullus homo ex propriis viribus bene vivit, quia non est volentis neque currentis, secundum Apostolum, sed Dei miserentis. Et in Osee legimus : Perditio tua, Israel, ex te; in me tantummodo auxilium tuum. Sic igitur, Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum, id est præter unum : quoniam unus est qui propria virtute bene agit, ac naturali proprietate sanctus ac justus est, scilicet Christus. Et ideo ait Apostolus : Conclusit Deus omnia sub peccato, ut omnium misereretur. *Rom. IX, 16.* *Osee XIII, 9.* *Rom. XI, 32.*

2 *Dominus de cœlo,* id est, qui habitat in cœlo, secundum modum prædictum, *prospexit super filios hominum,* id est, consideravit cogitationes, verba et opera singulorum, *ut videat si est intelligens aut requirens Deum,* hoc est, si sit aliquis intelligens Deum, non utique informi et nudo intellectu, sed intellectu formato, et ad operationes sanctas se extendente ; aut requirens eum per pœnitentiam, per orationes ferventes, per conversationem sollicitam. Hoc est quod in Jeremia habetur : Fortissime, magne, potens, Dominus exercituum nomen tibi ; magnus consilio, et incomprehensibilis cogitatu ; cujus oculi aperti sunt super omnes filios Adam, ut reddas unicuique secundum viam suam. Dicitur autem Deus de cœlo respicere ut videat, non quod sua cognitio ex aliqua causa dependeat, sed humano modo loquitur Scriptura de Deo. Vel quod dicitur, Ut videat, intelligendum est, Ut alios videre faciat, quia in die judicii universis ostendet quis bene vel male operatus est. Secundum hunc intellectum scriptum est : Dixit Dominus ad filios Israel (quando videlicet adoraverunt vitulum) : Jam nunc depone ornatum tuum, ut sciam quid faciam tibi, id est, ut sciri faciam, debitam pœnam pro culpa infligendo. *Jer. XXXII, 18, 19.* *Exod. XXXIII, 5.*

3 *Omnes,* videlicet illi corrupti, *declinaverunt* a lege Dei, et ideo *simul inutiles*

Digitized by Google

facti sunt, hoc est inanes ac perditi. *Non est* ex eis *qui faciat bonum, non est usque ad unum :* quum enim caritatem, quæ est animæ vita, non habeant, nihil Deo vivo ac vero acceptum agere possunt. *Sepulcrum patens est guttur eorum :* quoniam pestifera proferendo per guttur, se ipsos occidunt, devorant, et quasi sepeliunt, aliosque vitiosorum verborum fœtore commaculant. *Linguis suis dolose agebant,* decipiendo alios, imo fallendo se ipsos. Nam qui alium decipit, primo se ipsum seducit : quia uniuscujusque perversitas primo redundat in se ipsum, et prius nocet agenti quam alteri. *Venenum aspidum,* id est rancor nequissimus seu sermo dolosus, *sub labiis eorum,* ut quum poterunt, evomant illud, et tanquam aspis inficiant proximum. *Quorum os maledictione* † *plenum est,* quia (Cf. Ps. x, 7, sec. Hebr.) maledicentibus remaledicunt, et contra, benedicentibus aut nihil nocentibus e diverso maledicunt, *et amaritudine,* hoc est indignatione et zelo amaro contra Deum et proximum, *et dolo,* id est occultis insidiis. *Veloces pedes eorum,* hoc est cordis affectus, et etiam corporis pedes, *ad effundendum sanguinem,* propter causas injustas. *Contritio,* id est gratuiti esse destructio, *et infelicitas in viis,* id est in operibus eorum ; *et viam pacis,* id est conversationem amorosam, per quam venitur ad pacem æternam, *non cognoverunt* per imitationem. *Non est timor Dei ante oculos eorum,* id est, Deum non timent. Nam si Deum timerent, tot mala non facerent, quoniam scriptum est : Timor Domini expellit peccatum. (Eccli. i, 27.) Et Salomon ait : Qui timet Deum, nihil negligit. (Eccle. vii, 19.)

4 *Nonne cognoscent omnes qui operantur iniquitatem ?* imo cognoscent quam male faciant : quia mox ut de corpore exierint, et ante Christi tribunal pervenerint, scient quid meruerunt, et per pœnas cognoscent quod jam scire contemnunt ; *qui devorant plebem meam,* hoc est, contristant, opprimunt, vel occidunt pauperes spiritu, innocentes ac simplices, *sicut escam panis,* hoc est tanquam panem qui est esca. Hanc

A vero sententiam in Osee invenimus pulchre expressam : Judicium, inquit, Domino (Osee iv, 1, 2.) cum habitatoribus terræ ; non est veritas, et non est misericordia, et non est scientia Dei in terra. Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium, inundaverunt, et sanguis sanguinem
tetigit. *Dominum non invocaverunt.* Ver- 5
sus iste jam prius satis expositus est.

6 *Quoniam Dominus in generatione justa est,* id est, inter justos per gratiam habitat. De quibus æterna Sapientia per Salo- B monem dicit : Deliciæ meæ esse cum filiis hominum ; (Prov. viii, 31.) et in Apocalypsi : Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis. (Apoc. xxi, 3.) *Consilium inopis confudistis,* id est, increpationem, admonitionem et informationem humilium, piorum ac religiosorum virorum, o impii, contempsistis, quemadmodum scriptum est : Impius quum in profundum peccatorum venerit, contemnit. (Prov. xviii, 3.) Et ideo illud sprevistis, *quoniam Dominus spes ejus est,* hoc est, quoniam prædicat in solo Deo spem esse C ponendam, et omnia carnalia oblectamenta, temporales honores ac sæculares vanitates esse spernendas.

7 *Quis dabit ex Sion,* id est, quis contemplativorum ac sanctorum virorum, ex Sion, hoc est ex congregatione speculantium Deum procedens tanquam unus illorum, pertinensque ad sortem seu numerum ipsorum, dabit *salutare,* id est veram felicitatem, *Israel,* hoc est collectioni fidelium, Deum nunc per fidem videntium ? Et respondet : *Quum averterit Dominus* D *captivitatem plebis suæ,* id est, quum Christus liberaverit Christianos ab omni servitute peccati ac jugo diaboli : quod non erit universaliter, nisi in die judicii ; tunc *exsultabit Jacob,* id est fidelis, mala supplantans, et vitiis efficaciter jam resistens, *et lætabitur Israel.* Idem est, Exsultare Jacob, et, Lætari Israel, quia idem est Jacob et Israel ; sed fidelis quisque in præsenti vita dicitur Jacob, quamdiu luctatur cum vitiis ; in futuro autem veraciter dicetur Israel, quando videbit Deum facie

Digitized by Google

ad faciem. Jacob equidem interpretatur, A supplantator; Israel vero interpretatur, vir videns Deum. Fidelis ergo qui peccata supplantat, est Jacob; et idem est Israel, in quantum est Deum contemplans. In die autem judicii Jacob et Israel, hoc est quilibet vere fidelis, lætabitur mente, et exsultabit corpore, quando audiet Judicem *Matth.* xxv, 34. dicentem : Venite, benedicti Patris mei; percipite regnum quod vobis paratum est *Apoc.* xxi, 4. ab origine mundi. Tunc enim absterget Deus omnem lacrimam ab oculis Sanctorum. *I Cor.* xv, 53. Et tunc mortale hoc induet immor- B talitatem; implebiturque quod ab Isaia ex *Is.* lxv, 14, 16. persona Dei prædictum est : Ecce servi mei laudabunt præ exsultatione cordis; et vos, o impii, præ dolore cordis clamabitis : quoniam oblivioni traditæ sunt angustiæ priores. Unde Malachias de futura *Malach.* iv, 2, 3. gloria Beatorum sic dicit : Egrediemini et salietis quasi vituli de armento, et calcabitis impios in die quo facio, dicit Dominus.

Sed attende tibi, o frater, qui psalmum hunc cantas, audis, vel legis, ne ea quæ in ipso de reprobis scripta sunt, tibi conveniant. Examina et diligenter scrutare conscientiam tuam; et si horum vitiorum quidpiam in te repereris, pœnitentiam age, et de cetero cave. Non vivas quasi non sit Deus, sed reverenter ac cum timore coram Domino ambula. In choro quasi Deo præsente, teque adspiciente, in omnibus decenter, devote ac tremebunde te habe, cordialiter semper advertens quod dictum est : Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens aut requirens Deum; denique : Maledictus *Jer.* xlviii, 10. homo qui facit opus Dei negligenter.

PRECATIO.

Perpetuam captivitatem, Deus Pater, a populo tuo averte; et pacem in illo, qui facit utraque unum, nobis, rogamus, concede : in qua Jacob homo noster exsultet in carne, donec effectus Israel, mereatur te Deum videre.

ARTICULUS XXXVII

EXPOSITIO PSALMI QUARTIDECIMI : DOMINE, QUIS HABITABIT, ETC.

1 Titulus psalmi est : *Psalmus David :* C id est, psalmus iste est sancti David hic loquentis.

Volens namque Propheta nos moraliter informare, quemadmodum vere pertinere possimus ad numerum electorum in præsenti per gratiam, et in futuro per gloriam, Deum interrogat : (1) *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo?* id est, quis vere perseverat in militanti Ecclesia, scilicet re et nomine, tanquam vivum Christi membrum a capite Christo motum ac D vitam (id est operationem ac gratiam) recipiens, sicut membra corporalia a proprio capite? Multi enim habitant in Ecclesia solo nomine, ut mali Christiani atque hæretici. De quibus ait Joannes in sua Canonica : In nobis erant, sed non erant ex *I Joann.* ii, 19. nobis; nam si ex nobis fuissent, permansissent utique nobiscum. *Aut quis,* o Domine, *requiescet in monte sancto tuo,* id est, post præsens exsilium laboriosum, æterna requie perfruetur in cœlo empyreo, in quo post vitam hanc suaviter requiescent, qui nunc pro Dei amore piis laboribus fatigantur?

Insuper, Propheta quasi eruditus a Domino, qui pulsantibus aperit, ad hanc quæ- *Luc* xi. stionem respondet. Videtur autem hæc

Digitized by Google

quæstio bipartita : quia primo inquirit, A
quis habitet in Ecclesia militanti; secundo, quis moraturus sit seu quieturus in Ecclesia triumphanti. Sed quæstio ista, est quasi una aut simplex. Nam quicumque nunc vere et perseveranter pertinet ad militantem Ecclesiam, in futuro veraciter pertinebit ad triumphantem Ecclesiam. Idcirco ad utramque quæstionem datur una responsio, quæ est :

2 (2) *Qui ingreditur sine macula,* id est, qui declinat a malo, qui nemini nocet, qui sine
mortali crimine conversatur. Cur potius B
dixit Propheta, Qui ingreditur, quam, Qui egreditur, quum tamen utrumque dici pos-
Joann. x, 9. sit, Salvatore contestante, qui ait : Per me si quis intraverit, salvabitur; et ingredietur, et egredietur. Accipit ergo Propheta hoc loco ingressum pro operatione, quæ sine errore ducit ad finem, qui Deus est. Multi
Sap. v, 6, 7. autem errant a via, et hi non ingrediuntur sine macula, sed seducuntur in via, ambulantes vias difficiles, et viam Domini ignorantes. Quoniam vero non sufficit declinare a malo, propterea addit : *et opera-* C
tur justitiam, hoc est actum justitiæ, prout justitia dicitur virtus communis, et virtualiter est omnis virtus; vel etiam, prout
3 justitia est virtus specialis. (3) *Qui loquitur veritatem in corde suo,* hoc est, in se ipso sincerus et verus est, et vera intra se cogitans, ut non sit simulator atque hypocrita; *qui non egit dolum in lingua sua,* hoc est, verbis fraudulentis atque mendacibus alios non decepit; (4) *nec fecit proximo suo malum,* hoc est, nulli Christiano
exterius nocuit, sed proximum diligit tan- D
quam se ipsum; *et opprobrium non accepit adversus proximos suos,* hoc est, verba detrahentium, maledicentium et invidorum non advertit, nec libenter audivit, sed reprobavit; ac repulit detractorem, quemadmodum in Proverbiis Salomon mo-
Prov. iv, 24. net : Detrahentia labia sint procul a te. Et
Cf. Eccli. xi, 2. iterum scriptum est : Quasi a facie colubri fuge a detractore. Ejusdem enim impietatis est, detrahere et detrahenti applaudere : quia utrumque ex suo genere est mortale peccatum magis quam furtum. Et si non esset qui audiret, nec esset qui detraheret.

(5) *Ad nihilum deductus est in conspe-* 4
ctu ejus malignus : hoc est, peccator in quantum peccator, nullius est reputationis in anima justi, nec est honore dignus ut peccator, quum honor sit exhibitio reverentiæ in signum virtutis. Potest tamen malignus honorari, in quantum est superior, seu ad Dei imaginem factus :
quemadmodum Petrus præcipit servis, ut I Petr. ii, 18.
obediant dominis suis, non solum modestis, sed etiam dyscolis. Et secundum hunc intellectum Aristoteles dicit, quod magnanimus est contemptivus aliorum : non quod simpliciter alios spernat, sed vitiosos parvi pendit, et neminem honorandum existimat, nisi quem virtus nobilem facit. Quamvis autem justus peccatores contemnere debeat in communi, non tamen judicare debet de aliis in singulari, nisi in manifestis et certis peccatis; nec sic debet contemnere ut naturam contemnat, sed vitium. Pro natura vero offerat caritativam precem. *Timentes autem Dominum,* id est virtuosos, *glorificat,* id est, reputat et honorat.

(6) *Qui jurat proximo suo, et non decipit,* id est, qui jurat ubi, quando, et in quibus, et propter quid jurandum est, et juramentum adimplet atque verificat. Vel, Qui jurat, id est, firmiter aliquid asserit
et proponit, et non decipit. *Qui pecuniam* 5
suam materialem *non dedit ad usuram,* quemadmodum usurarii faciunt; *et munera super innocentem non accepit,* id est, dona nulla accepit, quatenus opprimat inferiorem in judicio, aut in alia qualibet causa. Ex hoc igitur versu constat, quod
usura non erat Judæis concessa, vel præ- Deut. xv, 6; xxiii, 19, 20.
cepta ut licita; sed solum permissa, quatenus erat majoris mali prohibitiva, sicut
libellus repudii. Unde Aristoteles naturali Matth. xix, 8.
ratione instructus, affirmat quod usura Politic. i, c. 3 in fine; Ethic. iv, c. 1.
est maxime contra naturam. Verumtamen in Evangelio Dominus ait servo nequam :
Oportebat te pecuniam meam dare num- Matth. xxv, 27.

Digitized by Google

Luc. XIX, 23. mulariis; et ego veniens recepissem illam A cum usura. Sed ibi pecunia sumitur pro commisso talento, id est pro gratia data, et specialiter pro cognitione sacræ Scripturæ : quam qui acceperit, alios instruere debet. Et ita usura est fructus scientiæ datæ, vel gratiæ aut beneficii. Ab eo namque qui plus accepit, plus exigetur.

Hic ergo Propheta describit virum justum, attribuendo ei decem actus virtutum. Et subdit : (7) *Qui facit hæc, non movebitur in æternum.* Porro in præsenti adhærebit Domino, et stabilis erit in Deo B per gratiam; in futuro autem sæculo confirmabitur in eo per beatitudinem sempiternam. De tali nempe viro seu homi-
Matth. VII, 24. ne Dominus in Evangelio dicit : Similabo eum viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram. Non sunt autem hæc intelligenda, quasi necesse sit hominem justum nunquam vitia incidisse, semperque his virtuosis actibus fuisse intentum; sed quia non permanet in peccatis mortalibus, imo redit ad se, et studet in his operibus sanctis exercitari : in quibus si C vitam finierit, æternaliter salvus erit.

Ex horum itaque virtuosorum operum et bonarum proprietatum contemplatione attende tibi, o frater, an vere sis membrum Christi, et inhabitator Ecclesiæ, atque in statu salutis. Vide an sine mortali vivas peccato, an quæ tibi præcepta sunt, impleas; an talis sis foris in verbo et opere, qualis intus in corde; an nulli facias quod tibi fieri non vis; an divites, potentes, in carne florentes, et in naturalibus eminentes et sæculares magis repules et honores, D quam pauperes, debiles, corpore castigatos, gratuitis adornatos, claustrales, ac religiosos. Attende quos amplius diligis, cum quibus libentius conversaris ac loqueris, et quorum vitam ac mores studiosius imitaris.

Postremo, psalmus iste specialiter expo- Expositio allegorica.
ni posset de Christo. Videns enim Prophe-
ta in spiritu multos esse venturos, qui se
Christum assererent, et maxime propter di-
scretionem veri Christi, scilicet Jesu Naza-
reni, ab Antichristo, interrogat : *Domine,* 1
quis habitabit in tabernaculo tuo? id est,
quis omnium horum, quorum unusquisque
dicit se esse Christum, morabitur et per-
manebit in militanti Ecclesia, tanquam
princeps et caput atque Salvator fidelium?
Aut quis requiescet in monte sancto tuo?
id est, quis omnium horum ascendet super
omnes cœlos, usque ad dexteram tuam, ut
regnet tecum sine fine? *Qui ingreditur si-* 2
ne macula, id est, nec Antichristus, nec
pseudoprophetæ, nec aliquis se ipsum exal-
tans et Christum se simulans; sed Jesus,
qui est Agnus sine macula, qui peccatum I *Petr.* II,
non fecit, nec est inventus dolus in ore 22.
ejus.

Quomodo autem sequentes actus virtu-
tum Christo vere ac summe conveniant,
facile est intueri. Christus enim implevit
omnem justitiam : et ideo quoniam ista
fecit, *non movebitur in æternum.* Nam 5
regni ejus non erit finis, quemadmodum *Luc.* I, 33.
Zacharias prædixit : Ecce vir, Oriens no- *Zach.* VI,
men ejus (translatio autem Chaldaica ha- 12, 13.
bet, Messias nomen ejus), et ædificabit
templum Domino (scilicet militantem Ec-
clesiam), et ipse portabit gloriam, et sede-
bit et dominabitur in solio suo.

PRECATIO.

Visita nos, quæsumus, Domine, abs te peregrinantes in corpore, et in tuo sancto servitio confortare dignare : ut justitiæ operationi assidue intenti, sine macula inhabitatores æterni mereamur esse tabernaculi.

Digitized by Google

ARTICULUS XXXVIII

EXPOSITIO LITTERALIS PSALMI QUINTIDECIMI : CONSERVA ME, DOMINE.

ADSCRIBITUR autem huic psalmo hic titu- A
1 lus : *Tituli inscriptio, ipsi David.* Hic vero
titulus non de veteri Testamento creditur
sumptus, sed ex Evangelio, ubi narratur,
quod crucifixo Jesu Christo, Pilatus posuit
Matth. causam ipsius scriptam, scilicet titulum
xxvii, 37; istum, in vertice crucis : Jesus Nazarenus
Joann. xix, rex Judæorum. Hoc enim esse futurum,
19. Esdras Spiritu Dei revelante cognovit. Et
est sensus tituli : Triumphus ac regnum,
quæ per tituli prædicti inscriptionem si-
gnantur, attribuuntur ipsi David, id est
Christo. Nam titulus quem affixit cruci Pi- B
latus, est titulus triumphalis, significans
quod Christus per mortem mundum fidei
subjiceret, dæmonesque foras ejiceret.

CHRISTUS ergo, secundum quod homo
et aliquo modo viator, ait ad Patrem :
(1) *Conserva me,* id est, fiat voluntas tua
Joann. xvii, in me, eripe me a periculis, et clarifica
5. me claritate quam habui, antequam mun-
dus fieret, *Domine,* Pater æterne. Christus
vero, quia comprehensor erat et confirma-
tus in bono, non oravit conservari a cul- C
pa : nisi intelligatur hoc dicere pro cor-
pore suo mystico, quod est Ecclesia, ut sit
sensus : Conserva me, Domine, id est, cu-
stodi credentes in me, et omnes prædesti-
natos averte a malo, eosque conserva in
bono. Et decet, o Pater, ut audias me, *quo-
niam speravi in te,* hoc est, omne bonum
tibi adscribo, et effectum precum mearum
2 a te exspecto. *Dixi* ego Christus, in quan-
tum homo, *Domino,* Deo uni et trino :
Deus meus es tu, singularissimo modo, pro-
pter summam reverentiam atque dilectio- D
nem mei ad te : sicut frequenter expositum
est. Et ideo Deus meus es tu, *quoniam bo-
norum meorum non eges :* quia licet hu-
manitas mea unita sit Verbo, quatenus
mundus per eam salvetur, tamen hoc fa-
ctum non est propter tuam indigentiam,
sed propter hominum utilitatem. Nil enim
tibi, o Domine, perfectionis accrescit ex
honore et gloria, tibi a creaturis tuis im-
pensis.

Deinde Christus mutans personas, et qua-
si Ecclesiæ loquens de beneficiis Dei Pa-
tris, (2) *Sanctis,* inquit, *qui sunt in terra* 3
ejus, id est sanctis Apostolis, aliisque præ-
electis hominibus, qui ad litteram erant in
terra promissionis, quæ specialiter dicitur
terra Dei; vel, Qui sunt in terra ejus, id
est, quorum conversatio est in cœlo, quod *Philipp.* iii,
est terra viventium, vita beata : his, in- 20.
quam, Sanctis, *mirificavit,* id est, mirabi-
liter et copiosissime adimplevit Deus Pa-
ter, *omnes voluntates meas in eis,* id est
omnia desideria, omnesque preces meas,
videlicet Christi Filii sui. Sæpe enim ac-
cipitur voluntas pro actu sive effectu vo-
luntatis. Christus vero ut homo, multa de-
sideravit a Patre pro membris suis, puta
fidelibus : ut est illud, Ego rogavi pro te, *Luc.* xxii,
Petre, ut non deficiat fides tua. Rursus, 32.
Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum *Joann.* xiv,
dabit vobis. Et, Volo, Pater, ut ubi ego 16.
sum, illic sit et minister meus. In om- *Ibid.* xvii, 24; xii, 26.
nibus vero his et similibus exauditus est *Hebr.* v, 7.
Christus a Patre pro sua reverentia. Misit-
que Pater Spiritum Sanctum, qui dedit
Apostolis omnia quæ Christus oravit pro
eis : propterea Christus precem suam, qua
dixit pro membris suis, Conserva me, Do-
mine, exauditam declarans, ait : Sanctis
qui sunt in terra ejus, hoc est, qui sunt in
regione vivorum, sive per rem, sive per
spem, mirificavit omnes voluntates meas
in eis.

Digitized by Google

4 (3) *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum:* hoc est, peccata et defectuositates eorum, qui per fidem et gratiam sancti effecti sunt, multa erant antequam converterentur ad Christum. *Postea acceleraverunt :* hoc est, postquam cognoverunt per inspirationem divinam, et sanctam prædicationem, prædictas suas infirmitates, tunc festinaverunt converti ad Dominum, et ad Baptismatis gratiam, in quo universa peccata donantur. Et istud de gentibus conversis præsertim verum ac planum est, quæ antequam converterentur, sedebant in tenebris et umbra mortis, idolis serviendo : [*Rom.* VIII, 22.] super quo peccato omnis ingemiscit natura.

(4) *Non congregabo* ego Christus per me et per Apostolos *conventicula eorum de sanguinibus,* id est conventus seu collectiones eorum qui sunt de sanguinibus : id est, viros sanguinum et iniquos non congregabo intra Ecclesiam electorum : non quod omnino non congregabo eos, quum [*Luc.* XIX, 10.] venerim salvum facere quod perierat; sed non congregabo eos secundum illorum malitiam, et quatenus sunt iniqui, videlicet ut maneant quales fuerunt. Sed convertam impios : et erunt boni, qui fuerant mali; erunt divini et sancti, qui erant carnales et diabolici. Propter quod subditur : *nec memor ero nominum eorum per labia mea :* hoc est, non vocabo eos tali nomine, quo antea vocabantur, pagani, cæci, increduli, illitterati, abjecti; post conversionem suam ad me, nominabuntur Christiani, illuminati, fideles, doctores gentium, et principes populorum. Hoc est quod per [*Ezech.* XVIII, 21, 22.] Ezechielem Dominus ait : Quacumque hora peccator gemuerit pro peccatis suis, omnium iniquitatum suarum non recordabor [*Ps.* LXXVI, 11.] amplius. Et hæc est mutatio dexteræ Excelsi, de qua per Osee Dominus ait : Vo- [*Osee* II, 24; *Rom.* IX, 25.] cabo, Non plebem meam, plebem meam. [*Is.* LV, 5.] Et Isaias : Ecce (inquit) gentem quam nesciebas, vocabis. Et iterum : Servos suos [*Ibid.* LXV, 15.] vocabit Dominus nomine alio.

5 (5) *Dominus pars hereditatis meæ et calicis mei :* id est, Deus est portio creden- **A** tium in me, qui cœlestia præponunt terrenis, et Creatorem præeligunt creaturis; et ipse Dominus est pars calicis mei, id est, Deus est finis et merces passionis meæ, quoniam ideo passus sum, quatenus homines ultimo fini, scilicet Deo, beatifice uniantur, et ejus visionem pro mercede sui laboris ac meæ passionis recipiant. Vel sic : Dominus pars hereditatis meæ, id est, Deus est illud bonum, quod ego Christus ut homo, præ omnibus bonis creatis elegi, dilexi, tenui, et possedi quasi heredita- **B** riam partem, quamvis ipse me prior elegit atque dilexit. Hoc modo Deus per Moysen de Levitis dixit : Non dabis eis possessio- [*Num.* XVI 20; *Deut.* 9; XVIII, 1. *Josue* XI 33.] nem et hereditatem inter filios Israel, quia ego possessio et hereditas eorum. Per Levitas vero figurantur clerici novi Testamenti. Et ideo quum primo tonsurantur, dicunt versiculum istum, tanquam qui specialiter deputantur ad cultum divinum, et quorum hereditas Deus efficitur. Dicitur enim Deus hereditas nostra, quoniam colimus eum venerando, et possidemus eum **C** amando sive fruendo. Nosque appellamur hereditas Dei, quoniam et ipse colit et alit nos perficiendo, et possidet nos in nobis regnando. Et ideo Christus subjungit :

Tu es, o Deus Pater, *qui restitues hereditatem meam mihi,* id est, qui per gratiam tuam trahes ad me omnes quos prædestinasti in me, omnesque electos qui sunt hereditas mea, reduces ad me per meritum passionis et mortis meæ : qui antequam redimerentur a me, erant in captivitate diaboli atque sub reatu originalis peccati : **D** propter quod nullus eorum regnum æternæ beatitudinis ingredi potuit. Hos ergo restitues mihi, quemadmodum in Evangelio dixi : Nemo venit ad me, nisi Pater qui [*Joann.* VI 44.] misit me, traxerit eum. Et rursus : Omne [*Ibid.* 3…] quod dat mihi Pater, ad me veniet. Ideo namque Apostolus ait : Elegit nos in ipso [*Ephes.* I, 4.] (scilicet Pater in Filio) ante mundi constitutionem; et rursus : Gratificavit nos in [*Ibid.* 6.] dilecto Filio suo. Quod non est intelligendum quasi aliquid sit causa prædestinationis, prout in Deo est, sed quia effectum

Digitized by Google

prædestinationis statuit Deus nobis impen- A
dere per meritum Filii sui. Hanc utique hereditatem restituit Deus Christo, quando impletum est quod in Actis Apostolorum
Act. xiii, 48. Lucas testatur : Crediderunt, inquiens, quotquot præordinati erant ad vitam æternam. Imo quotidie restituit eam sibi, vel quando peccatores revertuntur ad gratiam, vel quando justi ingrediuntur ad gloriam.

6 (6) *Funes ceciderunt mihi in præclaris :* id est, divisiones, quibus Deus quosdam misericorditer vocavit, et aliquos juste reliquit, contigerunt mihi in præelectis et B
pretiosis, Deoque caris hominibus. Quum
Matth. xx, 16; xxii, 14. enim sint multi vocati et pauci electi, sors mea cecidit super electos, ita quod ipsi sunt portio mea, in qua æternaliter tanquam in hereditate regnabo, nunc quidem per gratiam, in futuro vero per gloriam.
Ibid. xxv, 34. Ipsi enim sunt benedicti Patris mei, quibus paratum est regnum cœleste a mundi constitutione. Loquitur autem de funibus metaphorice. Funes namque dicuntur mensuræ seu termini, quibus hereditas terrena dividitur. *Etenim hereditas mea,* hoc est C
multitudo prædestinatorum ab æterno : de
Luc. xii, 32. qua in Luca scriptum est, Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Hæc, inquam, hereditas, *præclara,* id est multum dilecta, nobilis, ac pretiosa, *est mihi* Christo, quia
Joann. x, 15. animam meam pono pro ea ; tamque præclara est mihi, ut sit sponsa mea, quam redemi sanguine proprio.

Insuper Christus ut homo, gratias agens Deo pro omni sapientia animæ suæ collata a primo creationis suæ instanti, in quo D
etiam unita est Dei Verbo, et facta contemplatrix Divinitatis per speciem, ait :
7 (7) *Benedicam Dominum qui tribuit mihi intellectum,* id est intellectualem notitiam omnium prædictorum.

Et non obstante quod hoc facturus sum, tamen *insuper,* id est ultra hoc, *et usque ad noctem,* id est usque ad terminum vitæ meæ seu mortis occasum, *increpuerunt me,* hoc est, reprehenderunt, blasphemaverunt, et persecuti sunt me, *renes mei,* id est Judæi et etiam tribus Juda, de quorum carne et sanguine incarnatus et natus sum. Sed frustra conati sunt me subvertere,
quoniam ego Christus (8) *Providebam Do-* 8
minum in conspectu meo semper : id est, in prosperis et adversis, in omni causa, loco, et tempore proposui Deum coram oculis cordis mei, et semper actualiter eum adspexi ; *quoniam a dextris est mihi,* hoc est, immediate conjunctus est mihi, et semper de proximo mihi adsistit. Nam Verbo unita est mea humanitas unione personali ; toti vero Trinitati, quæ est unus verus simplex Deus, unita est beatifica fruitione. Idcirco autem a dextris est mihi Dominus, *ne commovear,* id est, ne aliquo modo a medio virtutis, a recta ratione, a Dei voluntate recedam ; ne prosperis elever, aut adversis dejiciar, sed regia via semper incedam.

(9) *Propter hoc lætatum est cor meum,* 9
hoc est, intellectus atque affectus animæ meæ, de tantis beneficiis gratias Deo agentes, spiritualiter in Deo gavisi sunt. Unde
in Evangelio dicitur : Exsultavit Jesus Spi- Luc. x, 21.
ritu Sancto, et dixit : Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ. *Et exsultavit lingua mea :* hoc est, ex magna exuberantia interioris jucunditatis, etiam lingua corporis mei mota est ad jucundam Dei laudem, et beneficiorum suorum delectabilem commemorationem. *Insuper et caro mea,* id est corpus meum, in triduo mortis ab anima, non tamen a Verbi divinitate, separatum, *requiescet in spe,* hoc est, in sepulcro jacebit in spe tali, quod tertia die resurget ; sed spes illa fuit subjective in anima Christi, et ideo subdit :

(10) *Quoniam non derelinques animam* 10
meam in inferno. Tanquam dicat : Idcirco caro mea requiescet in spe resurrectionis prædictæ tam proximæ, quoniam non derelinques, id est, non diu permanere permittes animam meam in inferno, id est limbo patrum. Nam anima Christi ibi non fuit, nisi usque ad horam resurrectionis tertio die factæ : statim quippe, quando Christus in cruce spiritum tradidit,

Digitized by Google

anima Christi ad limbum patrum descendit, animasque Sanctorum ibidem beatifica Dei visione glorificavit, quia tunc pro reatu originalis peccati, pro quo solo dilationem divinæ visionis patiebantur, satisfactum fuit; sed non mansit ibi nisi usque ad tertium diem. *Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem,* id est, non sines corpus sanctissimum Filii tui, qui est Sanctus Sanctorum, corrumpi, incinerari, putrefieri, sed cito suscitabis illud a tumulo.

11 (11) *Notas mihi fecisti vias vitæ,* id est, dedisti mihi scientiam salutarem, per quam actus virtutum, quæ sunt viæ vitæ, implevi, et alios docui. Vel, Notas mihi fecisti vias vitæ, hoc est, experimentaliter notificasti, et sensibiliter ostendisti mihi resurrectionem tertia die mihi peractam, et ascensionem quadragesima die completam. Per resurrectionem namque et ascensionem ad immortalem vitam pertingitur. *Adimplebis me lætitia,* id est, quum per ascensionem usque ad consedendum tecum in dextera tua pervenero, tunc dabis mihi plenam beatitudinem, ut non solum in anima felix sim, quæ nunquam in essentiali præmio profecit, nec solum in corpore gloriosus sim, in quo glorificatus surrexi; sed etiam super omnes cœlos, super omnes creaturas, super omnes angelicos spiritus exalter, ut omnia impleam, [Ephes. iv, 10.] et in nomine meo omne genu flectatur : [Philipp. ii, 10.] sicque in accidentali præmio *cum vultu tuo,* hoc est, in præsentia majestatis tuæ, quæ in cœlo præcipue esse censetur, perfecte implear. *Delectationes,* id est variæ et ineffabiles jucunditates, *in dextera tua usque in finem,* hoc est in favorabili tua præsentia, tanquam dicat : Hi quibus prospere ades, quibus per gloriam præsens es, quibus per caritatis favorem adsistis, habent delectationes multiplices tam essentialis quam accidentalis præmii : quia oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparasti, [Is. lxiv, 4; I Cor. ii, 9.] Deus, diligentibus te usque in finem. Vel sic : Delectationes, supple, sunt mihi Christo, in dextera tua, id est, per hoc quod collocatus sum ad dexteram tuam.

Porro, quod psalmus iste ad litteram de Christo intelligi debeat, hinc constat, quod gloriosissimus apostolici agminis princeps beatissimus Petrus, in Actis scripturam psalmi istius inducit ab eo loco, quo dictum est, Providebam Dominum in conspectu meo semper, ad probandum quod [Act. ii, 25-28.] Christus resurrexit a mortuis.

ARTICULUS XXXIX

EXPOSITIO TROPOLOGICA SEU MORALIS EJUSDEM PSALMI QUINTIDECIMI.

POTEST autem unusquisque fidelis hunc
psalmum ad sui ipsius informationem
in propria decantare persona ad gloriam
1 Dei, ita ut dicat : *Conserva me, Domine,*
ne in vitiis jaceam, ne gratiam perdam,
sed in omni eventu in te stabilis perse-
verem; *quoniam speravi in te,* non in
2 perfectione aut viribus meis. *Dixi Domi-
no* omnium per generalem causalitatem et
providentiam : *Deus meus es tu :* id est, propter specialem benignitatem mihi a te collatam, et cultum quo te summe ac unice colo, tu es specialiter Deus meus, in quo omne et totum bonum meum constituo, extra quem nihil requiro, et cujus voluntati me totum offero atque subjicio; *quoniam bonorum meorum non eges.* In te enim est omnium bonorum omniumque pulchrorum ac desiderabilium perfecta et immensa perfectio : et ideo merito

in te spero, et te solum in Deum mihi
constituo, quia sufficis tibi in te, et per
te, et solus salvare potes me, qui in nullo
indiges me.

Denique homo in Dei amore succensus,
vehementer desiderat quatenus honor et
gloria Dei augeatur in omnibus : ideo ad-
3 dit, *Sanctis qui sunt in terra ejus,* id est
electis, qui vel in Ecclesia militanti ad-
II Cor. v, 6. huc peregrinantur a Domino, vel in Eccle-
sia triumphanti jam perfruuntur vultu di-
vino, *mirificavit omnes voluntates meas
in eis,* id est, miro modo implevit in eis
quidquid desideravi pro ipsis : quoniam
viatoribus Sanctis contulit multa copiosa-
que munera gratiarum; Sanctis vero com-
prehensoribus præstitit tantum, ut am-
plius desiderare non possint de præmio
4 essentiali. *Multiplicatæ sunt infirmitates
eorum, postea acceleraverunt.* Hic versus
ex præcedenti expositione satis patet. *Non
congregabo conventicula eorum de san-
guinibus,* id est, non colligam eos ad nu-
merum Beatorum, neque apponam eos ad
patres priores, quatenus sunt conventus
maligni, et de sanguinibus vitiosi, videli-
cet secundum quod multiplicatæ sunt in-
firmitates eorum ; *nec sic memor ero no-
minum eorum per labia mea,* ut reputem
eos, secundum quod tales sunt, pertinere
ad sortem Sanctorum; sed secundum quod
postea acceleraverunt, id est, secundum
quod frequenter ad Dominum conversi
sunt, æstimabo eos ad consortium Beato-
rum spectare : quemadmodum per Zacha-
Zach. i, 3. riam dictum est, Convertimini ad me, et
convertar ad vos, dicit Dominus.
5 *Dominus* est *pars hereditatis meæ:* non
quod aliquid plus velim possidere quam
Deum, ideoque ipse sit non totum bonum
meum, sed pars boni ac hereditatis meæ;
sed Dominus est pars hereditatis meæ, id
est, ipse est mea hereditas, quam ex om-
nibus et præ omnibus rebus dilexi : quem-
Ps. lxxii, 26. admodum postea dicitur, Deus cordis mei
et pars mea Deus in æternum; *et calicis
mei,* id est, Dominus est illud bonum, pro-
pter quod omnes adversitates, persecutio-

A nes, et pœnitentiales labores libenter sus-
tineo; propter quod tota die mortificor, Rom. viii, 36; Ps. xliii, 22; lxv, 12.
atque per ignem et aquam incedo. *Tu es
qui restitues hereditatem meam mihi.* Ante
dixit Dominum esse hereditatem ; nunc
autem dicit Dominum esse restituturum
sibi hereditatem suam. Quid ergo est, Tu
es qui restitues hereditatem meam mihi,
nisi, Tu reddes mihi te ipsum ? Nam pec-
cando Deum amittimus, nec possumus eum
readipisci de condigno, nisi ipse præve-
niat nos per suam misericordiam, gratiam
B infundendo, quam recipiendo, Deum ac-
quirimus. Vel sic : Tu, o Christe, es qui
restitues hereditatem meam mihi, id est,
qui per meritum passionis tuæ recupera-
bis mihi vitam æternam : quæ etiam dici
potest hereditas nostra.

Funes, id est, partitiones, separationes, 6
vel sortes bonorum Domini : qui aliqui-
bus dat bona terrena dumtaxat, quibusdam
vero dat bona cœlestia ac divina ; *cecide-
runt mihi in præclaris,* id est, contige-
runt mihi in bonis æternis et invisibili-
C bus, quæ parata sunt mihi in cœlis : ita
quod Dominus mihi daturus est bona illa
præclara pro parte mea hereditaria. Et
hoc ideo spero, *etenim,* id est quoniam,
hereditas mea, id est vita æterna, *præcla-
ra est mihi,* id est præ omnibus bonis ca-
ra et pretiosa. Nam propter ejus amorem
omnia temporalia bona corporalemque vi-
tam contemno. Nemo vero sine speciali
Dei revelatione scire potest, an adepturus
sit hanc hereditatem cœlestem : sed dum
sentit se hanc præ omnibus rebus deside-
D rare, atque pro ea Deo fideliter deservire,
tunc confidere potest quod Dominus ip-
sum ad hanc hereditatem elegit, potestque
fiducialiter hunc versum decantare, Funes
ceciderunt mihi, etc., quemadmodum ait
Hieronymus, Nihil felicius Christiano, cui
promittuntur regna cœlorum. Verum ei
qui magis laborat pro temporalibus, quam
pro æternis bonis acquirendis, non est
præclara hereditas ista, nec eam acquire-
re potest.

Benedicam Dominum qui tribuit mihi 7

Digitized by Google

intellectum, ad cognoscendum hæc omnia
ac cetera beneficia sua, et ut ad eum con-
verterer, et gratus sibi efficerer : non
Ps. CXLVII, 20. enim fecit taliter omni nationi.

Insuper et usque ad noctem, id est us-
que ad peccati consensum, quo anima ob-
tenebratur, *increpuerunt me renes mei,* id
est, restiterunt ac repugnaverunt rationis
judicio concupiscentiæ et ceteræ passio-
nes partis sensitivæ. Propter quod ait Apo-
Rom. VII, 23. stolus : Video aliam legem in membris
meis, repugnantem legi mentis meæ. Et
Jacob. IV, 1. Jacobus ait : Unde bella et contentiones in
vobis? nonne ex concupiscentiis vestris?

8 *Providebam Dominum in conspectu meo*
semper, id est, consideravi Deum judicem
meum : et ideo non acquievi motibus ap-
petitus sensitivi, sed in judicio rationis
permansi. Ideo autem providebam Domi-
num, *quoniam* ipse *a dextris est mihi,* id
est, per gratiam suam favorabiliter et pro-
spere mihi adsistit, *ne commovear,* id est,
ne a ratione abducar, ne a Deo recedens
instabilis fiam, et vitiis subdar.

9 *Propter hoc,* id est, propter tantam mi-
sericordiam et gratiam Dei super me, *læ-*
tatum est cor meum, non in se, sed in
Domino, *et exsultavit lingua mea,* gratias
ei agendo. *Insuper et caro mea,* id est cor-
pus istud corruptibile, *requiescet,* id est,
rationis judicio stabiliter subjicietur, et
animæ ministrabit cum tranquilla quie-
te, mitigatis motibus ejus carnalibus. Sic
vero requiescet *in spe,* id est in exspe-
ctatione felicitatis futuræ : quia si modo
subjicitur animæ in Dei obsequio, postea
glorificabitur cum anima in regno cœlo-
rum. Vel sic : Insuper et caro mea requi-
escet in spe, post separationem ejus ab
anima in sepulcro, in spe resurrectionis
Eccli. XLIV, 14. beatæ : quemadmodum Sapiens dicit, Cor-
pora Sanctorum in pace sepulta sunt.

10 *Quoniam non derelinques animam me-*
am in inferno, id est, non permittes me
mori in peccato mortali, neque æternali-
ter condemnabis me; sed si propter in-
sufficientem satisfactionem in hac vita
factam descendero in infernum, id est in
A purgatorium, non derelinques me in eo :
nam debita pœna soluta, statim ad re-
gnum cœlorum perduces animam meam.
In Scripturis enim aliquando infernus ac-
cipitur pro purgatorio. Unde etiam Ecclesia
cantat : Domine Jesu Christe, libera ani-
mas fidelium defunctorum de pœnis in-
ferni, id est purgatorii. *Nec dabis sanctum*
tuum, id est servum tuum fidelem, *vide-*
re corruptionem, id est experiri mortem
æternam, quæ est irreparabilis atque per-
fecta corruptio ab omni esse spirituali at-
B que beato.

Hæc omnia sunt verba bonæ spei, et
implicite sunt verba orantis sic fieri. Ideo-
que, o Domine, spero hæc omnia adimple-
ri in me, quoniam *Notas mihi fecisti vias* 11
vitæ, id est vitam et mores Christi : cujus
doctrinam et vestigia imitando, recte am-
bulo ad vitam æternam. Quod si fecero
perseveranter, *adimplebis me lætitia cum*
vultu tuo, dando mihi felicissimam tui
vultus visionem : qua adepta, nihil am-
plius desiderare valebo. *Delectationes* pu-
C ræ et intellectuales, *in dextera tua,* id est
in potioribus bonis tuis, *usque in finem*
consummantem, et sine fine consumente,
videlicet æternaliter. Tanquam dicat : De-
lectationes erunt his qui tecum morabun-
tur in dextera tua, id est in cœlestibus
ac invisibilibus bonis tuis : quæ sunt do-
tes animæ, scilicet tentio, visio, et frui-
tio, de quibus infra dicetur : ibi scilicet,
Replebimur in bonis domus tuæ. Non est Ps. LXIV, 5.
autem de incircumscriptibili Deo intelli-
genda dextera corporalis.

D Porro, beatus homo qui taliter conver-
satur, ut psalmum istum in propria perso-
na canere possit; qui ita a rebus terrenis
ac vilibus affectum suum expurgat, ut ve-
raciter dicat, Dominus pars hereditatis
meæ; qui tam frequenter* cupit dissolvi, * ferventer
et regnum possidere cœleste, ut dicere
queat, Etenim hereditas mea præclara est
mihi : quod ei competit, qui cum Aposto-
lo dicere potest, Omnia arbitror ut ster- Philipp. III, 8.
cora, ut Christum lucrifaciam. Beatus qui
in hac vita Dominum semper providet, ita

Digitized by Google

ut cum beatissimis illis Elia ac Eliseo veraciter fateatur : Vivit Dominus, in cujus conspectu sto hodie. (III Reg. xvii, 1 : IV Reg. iii, 14.) Huic enim Dominus a dextris est, ne commoveatur : quoniam non permittit eum tentari supra id quod potest, sed facit etiam cum tentatione proventum. (I Cor. x, 13.) A

PRECATIO.

Sperantes in te, clementissime Deus, tua protectione conserva ; notas nobis fac vias vitæ, quas te duce usque in finem constanter incedentes, æterna lætitia adimpleri, et vultu tuo delectemur satiari.

ARTICULUS XL

EXPOSITIO PSALMI SEXTIDECIMI : EXAUDI, DOMINE, JUSTITIAM MEAM.

1 Præterea titulus istius psalmi est : *Oratio David*. Et quamvis hic psalmus ad litteram possit exponi de ipso David, sicut et in sequenti explanatione exponetur de Ecclesia, cujus David membrum prænobile est, ac unoquoque perfectorum, quorum David non minimus est ; tamen propter prolixitatem ac tædium evitanda, expositionem istam omitto, præsertim quum ex sequentibus facillime innotescat. Igitur exponendo ipsum de Christo, sensus tituli est : Oratio David, id est oratio conveniens Christo significato per David.

Christus ergo ratione humanitatis assumptæ, ait ad Patrem, vel ad totam Trinitatem : (1) *Exaudi, Domine, justitiam meam*, id est, fac illud propter quod juste vixi, et nunquam a vera justitia recessi, sed usque ad mortem obediens fui. (Philipp. ii, 8.) Christus autem omnes justitias vitæ suæ fecit, non propter propriam beatitudinem acquirendam, nec propter essentiale præmium augmentandum, quoniam semper comprehensor fuit ; sed propter felicitatem nobis adipiscendam omnia fecit, et quolibet vitæ suæ actu vitam nobis æternam excellentissimo modo promeruit : quoniam quidquid egit, ex ardentissima Dei et proximi caritate processit. Quid ergo orat Christus dum ait, Exaudi, Domine, justitiam meam, nisi, Da mundo salutem, con- B cede hominibus gratiam, salva omnes electos, quia ob hanc causam justitiam feci ? Christus quoque justitias suas fecit propter accidentale proprium præmium, in quo profecit, videlicet propter gloriam resurrectionis, ascensionis, judiciariæ potestatis : idcirco orat justitiam suam exaudiri pro hac etiam causa, scilicet, ut acceleretur resurrectio et ascensio ejus. *Intende deprecationem meam*, id est, intus ac diligenter adverte quid deprecor. (2) *Auribus* pietatis tuæ *percipe orationem meam* : non C quod Deus aliquid de novo percipiat ; sed, Percipe, id est, intelligendo adimple. Sæpe reiterat eamdem sententiam, ad designandum affectus sui ardorem pro mundi salute. Percipe, inquam, orationem meam *non in labiis dolosis* effusam : quemadmodum de quibusdam Isaias scribit, Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. (Is. xxix, 13 ; Matth. xv, 8.) Dolosis enim labiis orat, cujus vocalis oratio non procedit ex mentali affectu ; vel qui id orat, quod suæ saluti non expedit : talis namque in pri- D mis fallit se ipsum.

(3) *De vultu tuo judicium meum prodeat*, id est, a te omnibus manifestetur 2
qualis sim ego. Non enim sic vixi, ut erubescam agnosci : quia omnis qui facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo facta sunt. (Joann. iii, 21.) Christus ergo ait ad Patrem : *De vultu tuo*, id

est de manifestatione sapientiæ tuæ, *judi-* A
cium meum, id est cognitio omnium quæ
assumpsi, feci ac pertuli pro humani ge-
neris redemptione, *prodeat,* id est, per
Apostolos aliosque doctores universis ho-
minibus publicetur, ut omnes sciant quam
injuste judicatus et passus sum. *Oculi tui,*
o Domine Pater, *videant æquitatem,* id
est, intellectus tuus consideret meam ju-
stitiam, et secundum illam restituat mi-
hi gloriam corporis, atque pro aliis audiat
precem meam.
3 (4) *Probasti cor meum,* secundum quod B
Eccli. xxvii, 6. tentatio tribulationis probat homines ju-
stos : probasti, inquam, cor meum, id est,
per multarum adversitatum patientissi-
mam tolerantiam invenisti illud probatum
ac rectum coram te; *et visitasti* me *nocte,*
id est, per adversa visitasti me, permit-
tendo me mala pati a perversis Judæis;
igne me examinasti, id est, pœna mortis
Job xxiii, 10. inquisisti me : sicut Job ait, Probavit me
Dominus quasi aurum quod per ignem
transit. Dicit autem se Christus probatum
et examinatum a Patre, non quod Pater C
ignoraverit Filium suum esse sine omni
peccato; sed quia per modum probantis et
examinantis se habuit, dum Filium suum
unigenitum tot et tanta pati permisit, qua-
tenus cunctis constaret quanta esset perfe-
ctio et obedientia Christi. Et ideo subditur:
et non est inventa in me iniquitas : Chri-
Is. liii, 9. stus enim (ut Isaias testatur) iniquitatem
non fecit. Et istud quod de mea perfectio-
ne dixi et dicam, o Domine, dico sine ja-
4 ctantia et gloria vana : (5) *Ut non loquatur*
os meum opera hominum : id est, sic dixi D
et dico, ut os meum non loquatur opera
hominum, id est superbiam, præsumptio-
nem et ingratitudinem, aliquid scilicet mi-
hi adscribendo, quemadmodum moris est
filiis hominum.

Propter verba labiorum tuorum, id est
propter legem et prophetias divinitus in-
spiratas, ut eas implerem, *ego custodivi*
vias duras, recipiendo circumcisionem,
patiendo famem, sitim ac lassitudinem, et
5 tandem moriendo in cruce. (6) *Perfice gres-*
sus meos, id est, ea quæ pro mundi salute
cœpi facere et sufferre, ad felicem finem
perduc, ut per passionem meam genus hu-
manum salvetur; *in semitis tuis,* id est,
sic perfice gressus operationum mearum,
ut in semitis tuis permaneant ; *ut non*
moveantur vestigia mea, id est, ut opera
mea non fraudentur merito festinatæ re-
surrectionis et gloriosæ ascensionis.

(7) *Ego* Christus *clamavi* ad te, fervenler 6
orando, *quoniam exaudisti me, Deus :* id
est, fiduciam clamandi hinc sumpsi, quod
semper me a te exauditum experior : id-
circo quoque nunc fac sicut hucusque
fecisti, scilicet, *inclina aurem tuam mihi,*
id est, misericordiam tuam converte ad
me, *et exaudi verba mea :* quæ sequuntur.

(8) *Mirifica,* id est, mirabiles esse de- 7
clara, *misericordias tuas,* copiose dando
mihi quod opto, et reconciliando tibi mun-
dum per me, atque gratias tuas affluenter
et mirabiliter tempore evangelicæ legis
præstando. *Qui salvos facis sperantes in*
te. (9) *A resistentibus dexteræ tuæ,* id est 8
ab induratis rebellibusque Judæis, qui ope-
ra gratiosa et miraculosa per me a te fa-
cta, dæmonibus adscripserunt, et omnem Matth. xii, 24.
doctrinam meam spreverunt, *custodi me,*
ne vel ante præordinatum tempus possint
occidere me, vel ab eis detinear in se-
pulcro ultra tertiam diem : et tam diligen-
ter custodi me, *ut pupillam oculi,* quæ
sollicite custoditur. Dicit autem Christus
ad Patrem, A resistentibus dexteræ tuæ :
quia qui Filio resistit, resistit et Patri; et
qui non honorificat Filium, non honorifi- Joann. v, 23.
cat Patrem qui misit illum. (10) *Sub umbra*
alarum tuarum, id est, sub defensione
omnipotentiæ atque clementiæ tuæ, *prote-*
ge me, secundum modum prædictum, *a fa-* 9
cie, id est a dura præsentia et invidioso
adspectu, *impiorum qui me afflixerunt :*
scilicet Judæorum ac aliorum qui me per-
secuti sunt.

(11) *Inimici mei animam meam,* id est
me ipsum *circumdederunt,* tentando, ex-
plorando, capiendo, ligando, et occiden-
do; *adipem suum concluserunt,* id est, vi- 10

Digitized by Google

scera internæ pietatis a me subtraxerunt, non condolendo mihi neque parcendo ; *os eorum locutum est superbiam,* contra me
Matth. xxvi, 65, 66. Joann. ix, 24. dicendo, Blasphemavit ; et, Reus est mortis ; et, Nos scimus quia hic homo peccator est. (12) *Projicientes me, nunc circum-*
11 *dederunt me:* quemadmodum in Evangelio
Luc. iv, 29. legitur, quod ejecerunt eum extra synagogam, et duxerunt eum ad supercilium montis ut præcipitarent eum; *oculos suos statuerunt declinare in terram,* id est, intellectum suum averterunt a veritate divina, et passiones suas secuti sunt, respicientes deorsum, non sursum, neque volentes credere signis quibus Pater te-
12 stimonium perhibuit Filio suo. (13) *Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam, et sicut catulus leonis habitans in abditis,* quando videlicet cohors et tri-
Matth. xxvi, 50, 57; Joann. xviii, 12, 24. bunus et ministri Judæorum accesserunt et injecerunt manus in Jesum, et ligaverunt atque duxerunt ad Caipham. Quod
Jer. xii, 7, 8. Jeremias prophetavit de Christo : Dedi (inquit) dilectam animam meam in manu inimicorum meorum ; facta est mihi hereditas mea (id est populus Judæorum) quasi leo in silva : dedit contra me vocem suam, ideo odivi eam.

13 (14) *Exsurge, Domine,* ad succurrendum; *præveni eum,* ita ut prius mihi in adjutorium venias, et illos cæcitate cordis percutias, quam ipsi mihi nocere prævaleant.
Luc. xxii, 43. Unde in Evangelio legitur, quod apparuit Christo angelus de cœlo, confortans eum, passione jam imminente. *Et supplanta eum,* id est, dejice populum istum Judæorum me persequentem, ita ut perdant regnum et sacerdotium. *Eripe animam meam ab impio* populo isto, non derelinquendo eam diu cum generatione hac pessima, sed tertia die eam corpori impassibili reuniendo. *Frameam tuam,* id est potestatem seu gladium quem contulisti eis contra me,
14 eripe *ab inimicis manus tuæ,* id est a persecutoribus et crucifixoribus meis, ne mihi de cetero nocere possint. Christus enim
Joann. xix, 11. Pilato dixit : Non haberes contra me potestatem ullam, nisi tibi datum esset desuper. Et ad Judæos : Hæc est, inquit, hora Luc. xxii, 53.
vestra et potestas tenebrarum. Hanc Christus orat Judæis auferri, ne diutius ipsum persequi possint quam a Deo præfixum erat. Propter quod passione instante Apostolis dixit : Etenim ea quæ sunt de me, fi- Ibid. 37.
nem habent. Vel sic : Frameam tuam, id est animam meam, quæ dicitur framea, id est potestas tua et gladius tuus, quia per eam principem hujus mundi vicisti, et mortem occidisti, ruinam angelorum reparasti, universum sæculum reparasti et tuo imperio subdidisti : hanc frameam eripe de inimicis manus tuæ, id est de potestate Judæorum, reassociando eam corpori immortali.

Consequenter orat Christus pro generali Judæorum dejectione, quam desiderat in quantum se divinæ voluntati ac æquitati conformat. (15) *Domine, a paucis de terra divide eos in vita eorum.* Tanquam dicat : O Domine Pater, divide eos de terra, id est, expelle eos de Terra sancta, et per diversa loca disperge eos ; et per gladium, famem ac captivitatem destrue eos, ac divide a paucis, id est ab electis fidelibus, qui comparatione reproborum pauci sunt : et hos paucos non dividas, sed in unitatem Ecclesiæ congrega eos per fidem, spem et caritatem ; illos vero divide modo prædicto in vita eorum, quemadmodum per Vespasianum ac Titum impletum est.

De absconditis tuis, id est de præcipuis et maximis bonis tuis corporalibus et terrenis, *adimpletus est venter eorum,* id est, saturati et divites facti sunt. Nam terram omnium terrarum præcipuam, melle et lacte manantem, dedisti eis ; ipsi vero tibi ingrati fuerunt, et me unicum Filium tuum occiderunt. Vel sic : De absconditis tuis, id est de peccatis et concupiscentiis pravis, quæ ignorantur a te per approbationem, saturatus est venter eorum, id est carnalis ipsorum affectus, cui satisfecerunt, quia avari, luxuriosi, et ambitiosi fuerunt. (16) *Saturati sunt filiis,* quia fecunditatem carnalis propaginis eis dedisti, multiplicando eos ut stellas cœli; *et dimiserunt reliquias suas,* id est ea quæ ipsis

Digitized by Google

superfluxerunt, *parvulis suis,* id est successoribus. Commemorat namque Christus beneficia Dei ipsis collata, ut peccatum ipsorum amplius aggravetur. Vel sic : Saturati sunt filiis, id est malis operibus. Opera quippe vocantur filii operantis : quoniam omne agens quale est, tale operatur. Et ita operatio, secundum rationem similitudinis, ab agente procedit; filiatio autem in similitudine consistit. Et dimiserunt Judæi increduli reliquias, scilicet infidelitatis, maledictionis ac vitiorum, parvulis suis, id est posteris. Pervenit enim ira Dei super eos usque in finem, secundum Apostolum. (I Thess. II, 16.) Et impletum est in ipsis, quod coram Pilato de Christo clamabant : Sanguis ejus super nos, et super filios nostros. (Matth. XXVII, 25.)

Illi ergo ita peribunt a te; (17) *Ego autem in justitia apparebo conspectui tuo,* id 15
est, semper juste et sancte ambulabo coram te, et consummato humanæ redemptionis mysterio, post ascensionem apparebo tecum in gloria, sedens a dextris tuis, et interpellans pro electis. *Satiabor* omni jucunditate accidentalis præmii, *quum apparuerit gloria tua,* id est, quum manifestata fuerit omnibus Sanctis in cœlo et in terra gloria tua, quam mihi dedisti, et quam ego mea passione mundo promerui. Tunc enim satiabor salute generis humani, propter cujus desiderium in cruce clamavi, Sitio. (Joann. XIX, 28.) Tunc quoque satiabor, videns honorem tuum recuperatum per me, murosque cœlestis Jerusalem reædificatos per me.

ARTICULUS XLI

EXPLANATIO EJUSDEM PSALMI SEXTIDECIMI DE ECCLESIA ET QUOLIBET VIRO PERFECTO AC FIDELI.

Secundum sensum autem moralem, hoc quod dicitur, Exaudi, Domine, justitiam meam, potest esse oratio cujuslibet hominis perfecti, qui non solum de misericordia Dei, sed de propriis meritis confidit; quamvis hæc sua merita, sciat esse Dei dona, a divina misericordia sibi con-
1 cessa. Ut sit sensus : *Exaudi, Domine,* non solum orationem vocalem, sed *justitiam meam,* ita ut omne opus bonum et meritorium quod facio, tibi sit placitum, præstesque mihi quod cupio, propter vitæ meæ justitiam. Nam opus bonum et meritorium coram Deo, est oratio; nec cessat orare, qui non cessat laudabiliter vivere. Beatus vero est, qui cum secura et humili conscientia allegare potest coram Domino vitæ suæ perfectionem ac propria merita. Talis plane exstitit Ezechias, de quo Isaias ait : Flevit Ezechias fletu magno, et dixit: (Is. XXXVIII, 3.) Obsecro, Domine, memento quomodo ambulaverim coram te in veritate, et quod bonum est in oculis tuis fecerim. Denique quam efficax sit oratio illa, constat ex eo, quod non solum orationem Ezechiæ Deus implevit, adjiciendo vitæ suæ priori, quæ naturaliter finienda erat, quindecim annos; sed insuper ad ejus instantiam reversus est sol decem lineis, per gradus quos descenderat in horologio Achaz. (Is. XXXVIII, 5, 8.)

Potest etiam hoc quod dicitur, Exaudi, Domine, justitiam meam, esse oratio hominis imperfecti, propriam imperfectionem humiliter cognoscentis, tanquam dicat : *Exaudi,* id est, acceptam habe, *Domine, justitiam meam,* non despiciendo eam propter imperfectiones annexas : scio namque verum esse quod in Isaia habetur, Quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ; (Ibid. LXIV, 6.) sed suppleat, Domine, pietas tua id

Digitized by Google

in quo deficit fragilitas mea, et exaudi ju- A
stitiam meam, quæ non est digna absolute
appellari justitia, sed potius injustitia.
Intende deprecationem meam, qua peto
mihi mala omnia indulgeri. *Auribus per-*
cipe orationem meam, qua postulo vir-
tutes et gratiam mihi semper donari :
orationem, inquam, *non in labiis dolosis*
factam, id est, non mente vaga et intimo-
rata, atque in peccandi proposito exsisten-
te effusam.
2 *De vultu tuo judicium meum prodeat,*
id est, omne quod judico de me ipso vel B
aliis, procedat de vultu tuo, id est, diriga-
tur secundum veritatem tuam divinam, ut
nil temerarie aut fallaciter judicem, nec
aliquem ex suspicione condemnem, nec
contra evangelicam sapientiam de aliquo
judicare præsumam. Vel sic : *De vultu tuo,*
id est de pio adspectu tuo, *judicium meum,*
quo a te judicandus sum, *prodeat,* ne juste
condemner, sed misericorditer salver. *Ocu-*
li tui videant, id est, benigne respiciant,
ac respiciendo perficiant, *æquitatem,* id
est conversationis meæ justitiam. C
3 *Probasti cor meum* per prospera et ad-
versa, tentando et experiendo an tibi in om-
nibus fidelis permaneam; *et visitasti nocte,*
id est, per flagella venisti ad me, adhibendo
castigationes paternas, quemadmodum in
Apoc. III, 19. Apocalypsi testatus es : Ego quos amo,
arguo et castigo. *Igne me examinasti,* id
est, per impetuosas et durissimas tribula-
tiones scrutatus es me, probando an usque
ad mortem constans persistam ; *et non est*
inventa in me iniquitas. Hoc dicit Eccle-
sia seu homo justus, vel quia mortaliter D
non peccavit, quod de multis Sanctis cre-
ditur; vel quia de peccatis pœnituit; vel
quia si peccavit, tamen per probationem,
visitationem, et examinationem præmissas,
de peccatis suis purgatus est, sicut in Job
Job V, 17. habetur : Beatus homo qui corripitur a
4 Domino. *Ut non loquatur os meum opera*
hominum, id est, non propter inanem glo-
riam dico ista, prout est moris vanis homi-
nibus, qui opera hominum, non Dei lau-
dem loquuntur.

Propter verba labiorum tuorum, id est
propter sermones sacræ Scripturæ adim-
plendos, *ego custodivi vias duras,* hoc est,
custodivi cor meum, quo nihil laboriosius
est, et feci actus virtutum, qui sunt viæ
duræ : quia secundum Philosophum, ars Ethic. II, c. 3 in fine.
et virtus sunt circa difficilia. Et hoc quan-
tum ad incipientes, maxime verum est,
quibus pœnale est veteri vitæ renuntiare,
ab omni illicita concupiscentia abstinere,
et per angustam portam intrare; quantum Matth. VII, 13.
vero ad proficientes, aliqualiter verum es-
se videtur. Sed quantum ad perfectos, ve-
rum est quod ait Salvator : Jugum enim Ibid. XI, 30.
meum suave est, et onus meum leve. Et
in Ecclesiastico : Nihil, inquit, dulcius Eccli. XXIII, 37.
quam respicere in mandatis ejus. Nulla si-
quidem forma operatur tam prompte at-
que suaviter, sicut amor. Idcirco quanto
in divino amore proficimus, tanto omnia
dura fiunt nobis faciliora ac dulciora, quo-
niam fortis est ut mors dilectio. Ecclesia Cant. VIII, 6.
ergo perfectorum, quæ non solum custo-
divit Dei mandata, sed etiam adimplevit
Christi consilia, verissime dicit Domino :
Propter verba labiorum tuorum, quibus,
o Christe, dixisti de his qui implent con-
silia, quia centuplum accipient, et vitam Matth. XIX, 29.
æternam possidebunt, *ego custodivi vias*
duras, id est præcepta atque consilia, quæ
saltem in principio mihi dura fuerunt, et
naturæ dura essent nisi gratia tua adesset.
Sed quoniam nemo est in hac vita tam
perfectus, aut mundus, ut non sit magis
magisque perficiendus, præsertim quum
dicat Apostolus, Ego me non arbitror com- Philipp. III, 13.
prehendisse, sed quæ priora sunt oblitus,
in anteriora extendo me ipsum; idcirco
adjungit, *Perfice gressus meos,* hoc est, 5
omnes affectiones et opera mea, quibus
tendo ad finem, *in semitis tuis,* id est
mandatorum atque consiliorum tuorum
observationibus, *ut non moveantur,* hoc
est, ut non recedant a lege tua, *vestigia*
mea, id est opera quibus ad te incedo.
Ego clamavi voce, *quoniam exaudisti* 6
me, Deus, id est, quia orationem meam
mentalem, qua petivi a te ut inspirares

Digitized by Google

mihi salubrem tibique placentem oratio-
nem, exaudisti, dando mihi interius quod
orarem ore tenus. Nam illam orationem ex-
audis, quam tu ipse inspiras. Vel sic : Ego
clamavi, nunc te orando, quoniam exau-
disti me, Deus, ante seu alias dum ora-
rem ; sicque ex illa exauditione audaciam
sumpsi nunc te orandi. *Inclina aurem
tuam mihi,* id est, benigno favore mihi
approxima, *et exaudi verba mea,* quæ sunt
interni affectus indicia.

7 *Mirifica misericordias tuas,* id est, quan-
to vides me miserabiliorem, indigniorem,
et indigentiorem, tanto amplius subveni
mihi in omnibus, in quibus ope tuæ pieta-
tis indigeo, quatenus misericordia tua mi-
rificetur, hoc est, mirabilis esse noscatur
in me : quæ tanto amplius mirificatur in
me, quanto ego pejor et vilior sum. Itaque,
Domine, mirifica misericordias tuas, id est,
multas pietatis tuæ gratias ostende in me,
Act. IX, 15. ut sim cum sancto Apostolo vas electionis,
Rom. IX, 21-23. vas misericordiæ in honorem ; non vas
8 iræ in contumeliam. *A resistentibus dexte-
ræ tuæ,* hoc est a tentationibus dæmonum,
a vanitate sæcularium hominum, et ab
omni vitio superborum, resistentium quan-
tum in se est, dexteræ tuæ, id est justitiæ
tuæ et voluntati tuæ rectissimæ ; vel, Dex-
teræ tuæ, id est legi Christi ac gratiæ, per
quam pervenitur ad dexteram tuam in cœ-
lis ; *custodi me,* ne illis consentiam, ne tibi
per inobedientiam resistere velim : et non
qualitercumque, sed diligenter in omni
causa, loco et tempore, custodi me *ut pu-
pillam oculi,* quæ diligentissime custodi-
tur. *Sub umbra alarum tuarum protege
me.* Loquitur transumptive de Deo, sicut
ex hujus versiculi præcedenti expositio-
ne satis clarescit. Sub umbra (inquit) ala-
rum tuarum, id est sub latitudine bo-
nitatis et multitudine misericordiæ tuæ,
9 protege me *a facie impiorum,* hoc est, ab
invasione mundi, carnis et diaboli, *qui
me afflixerunt,* tentando, persequendo, de-
ordinando. Nam animus inordinatus sibi
ipsi afflictio est.

Inimici mei, qui me moliuntur a Deo
A abstrahere, *animam meam,* quæ in medio
laqueorum posita est, *circumdederunt.* Nam
dæmones eam circumdant, vitia suggeren-
do ; carnales concupiscentiæ, stimulando ;
mundus, ad illicita attrahendo. *Adipem* 10
suum concluserunt, id est, carnalia blan-
dimenta inter se absconderunt, ut sub
specie boni ad mala me pertrahant, dele-
ctabilia proponendo. *Os eorum locutum
est superbiam,* quia conati sunt me facere
Deo rebellem, et ea ausi sunt mihi propo-
nere atque laudare, quæ divina lege pro-
B hibita sunt. *Projicientes me nunc,* inimici 11
mei isti prædicti, a contemplatione divi-
na ad curiositates inanes, a stabilitate in
Deo ad evagationem cordis in mundo, a
Dei amore ad creaturarum inordinatum af-
fectum, *circumdederunt me* malis consi-
liis ac variis dolis ; *oculos suos statuerunt
declinare in terram,* quia considerationes
suas a cœlestibus ac divinis bonis averte-
runt, et temporalia atque caduca amando
adspexerunt, aliosque et me ad talia incli-
nare laboraverunt. *Susceperunt me,* quan- 12
C do peccavi, et servitute ac vinculis vitio-
rum ligaverunt me, ne statim redirem ad
te Creatorem ac Judicem meum. Suscepe-
runt, inquam, me *sicut leo paratus ad præ-
dam,* quia statim sub suo dominio rede-
gerunt me, et spiritualiter devoraverunt
ac interfecerunt me ; *et sicut catulus leo-
nis habitans in abditis,* hoc est in locis
occultis. Unde Petrus : Adversarius, in- I *Petr.* V, 8.
quit, vester diabolus tanquam leo rugiens
circuit, quærens quem devoret.

Exsurge, Domine, ad adjuvandum me ; 13
D *præveni eum,* id est, antequam adversa-
rius meæ salutis noceat animæ meæ, tu
adesto, gratiam tribue, victoriam præsta ;
et supplanta eum, ut tua ope ei, scilicet
diabolo, mundo et omni peccato præva-
leam. *Eripe animam meam ab impio,* id
est ab omni inimico prædicto. *Frameam
tuam,* id est potestatem persequendi, no-
cendi, fallendi, inimicis a te collatam :
nam omnis potestas a Deo est, etiam illa *Rom.* XIII, 1.
qua impii abutuntur : hanc frameam eri-
pe *ab inimicis manus tuæ,* id est, a dæ- 14

Digitized by Google

mone, mundo et carne, qui adversari nituntur potentiæ tuæ, ne mihi prævaleant publice, neque fallant occulte. Dæmones quoque potestate sibi concessa uti non possunt pro libitu suo, sed quantum permittuntur a Deo, qui eos per angelos sanctos coercet, ne quantum volunt et possent, hominibus noceant. Orat ergo fidelis pro coercitione potestatis diaboli, dum ait : Frameam tuam, etc.

Domine, a paucis de terra, id est ab electis qui sunt de terra formati quantum ad corpus, *divide eos,* scilicet inimicos prædictos, separando eos a justis, *in vita eorum,* id est nunc per judicium discretionis, et postea per judicium retributionis. Vel sic : Domine, a paucis divide eos de terra, id est, separa eos de militanti Ecclesia, quæ modo peregrinatur in terra : separa, inquit, inimicos et reprobos a paucis, id est electis, in vita ipsorum, scilicet inimicorum, id est nunc. Nunc enim separat Deus malos a bonis voto ac merito; postea autem separabit eos loco
Matth. xxv, 46. et præmio, quando ibunt hi quidem in vitam æternam, hi autem in ignem æternum.

De absconditis tuis, id est de peccatis tibi per approbationem ignotis, *adimpletus est venter eorum,* id est immundus appetitus eorum, in quo velut in stomacho ventris congregantur spurcitiæ vitiorum, fœtores concupiscentiarum, ac superfluitates universorum malorum : propter quod etiam tibi odibiles sunt, et fœtidi, vani atque miserrimi reputantur a te. *Saturati sunt filiis,* quia multos et innumerabiles filios genuerunt per imitationem peccati. Quot enim filios habet dæmon ille nequissi-
Job xli, 25. mus, qui est rex super omnes filios super-
Eccle. i, 15. biæ? Denique stultorum, qui æternæ Sapientiæ, scilicet Christo, non acquiescunt, infinitus est numerus : et hi omnes sunt filii, scilicet diaboli, carnis, et mundi : propter quod saturati dicuntur filiis. Vel, sicut expositum est, Saturati sunt filiis, id est malis operibus quæ gignuntur ex vitiosis habitibus intus latentibus, de quibus prædixit, De absconditis tuis adimpletus est venter eorum. *Et dimiserunt reliquias suas parvulis suis,* id est, quos diaboli et homines sæculares per se ipsos decipere nequeunt, hos relinquunt posteris suis decipiendos. Vel, Dimiserunt reliquias suas, id est malas suarum perversitatum memorias et mala exempla, et cetera quæ ex vitiis consequuntur, parvulis suis, id est filiis paterna peccata sectantibus.

15 *Ego autem,* qui per gratiam tuam, o Domine, ad istorum sortem non pertineo, sed tibi ferventer ministro, *in justitia,* quam feci, *apparebo conspectui tuo,* quum fuero tribunali tuo præsentatus : opera nam-
Apoc. xiv, 13. que singulorum sequuntur illos. Et, ut ait
II Cor. v, 10. Apostolus, Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi. *Satiabor,* id est, omni bono replebor, et tanta felicitate ditabor, ut nil amplius cupere possim, *quum apparuerit gloria tua,* id est, quum ma-
I Joann. iii, 2. nifestaveris te ipsum mihi sicuti es, ut videam te per speciem, qui te jam cerno per fidem. Nil enim satiare potest rationalem appetitum, nisi bonum infinitum; nec aliquid implere potest intellectum, nisi veritas æterna. Tunc ergo satiabitur desiderium justi, quum divinæ veritatis claram visionem, atque divinæ immensæ bonitatis beatificam fruitionem adeptus fuerit. Nihilo minus, animæ Beatorum in patria exspectant et optant gloriam corporis et resurrectionem futuram : quomodo ergo nunc satiantur? Satiantur utique nunc quantum ad præmium essentiale, quod est visio Dei : quia tam clare Deum vident, tamque suaviter eo fruuntur ut desiderant. Post diem autem judicii satiabuntur etiam quantum ad præmium accidentale : quod tamen tam modicum est comparatione præmii essentialis, ut quasi pro nihilo reputari possit. Et ideo nunc quoque dici potest, quod omnes Beati in patria, satiati sunt omni bono. Nam teste
Physic. ii, c. 5 in fine. Philosopho, Quod modicum est, pro nihilo reputatur.

O quanta est virtus hujus psalmi! O quam ignitæ ac fervidæ orationes conti-

Digitized by Google

nentur in ipso, quarum ardor dulciter sapit ei qui psalmum hunc pura mente decantat! Specialiter vero tres illi versus, videlicet, Mirifica misericordias tuas, cum duobus sequentibus, igne Spiritus Sancti et omni sancto affectu plenissimi sunt : quorum primus maxime competit incipientibus, secundus proficientibus, tertius autem perfectis. Quoties ergo, o frater, miseriis tuis opprimeris, quoties tentationibus fatigaris, quoties vitiorum stimulis agitaris, clama ad Dominum : Mirifica misericordias tuas in me, qui salvos facis sperantes in te. Studeamus igitur semper,

A et præsertim tempore orationis animam nostram taliter inutilibus phantasmatibus denudare, ut possimus hunc psalmum intente ac saporose cantare, orationumque ipsius effectum copiose sortiri.

PRECATIO.

Mirifica, Deus, misericordias tuas, ut sub umbra alarum tuarum nos protegas, ut pupillam oculi custodias : quo perfectis gressibus nostris in semitis tuis, in
B justitia tibi appareamus, et satiemur quum apparuerit gloria tua.

ARTICULUS XLII

EXPOSITIO PSALMI SEPTIMIDECIMI : DILIGAM TE, DOMINE, ETC.

1 Psalmi hujus iste est titulus : *In finem, puero Domini David, qui locutus est Domino verba cantici hujus, in die qua eripuit eum Dominus de manu inimicorum*
II *Reg.* xxii. *suorum et de manu Saul.* In libris Regum et Paralipomenon scriptum est, quemadmodum David post diversas victorias sibi divinitus concessas, atque post mortem Saul cantaverit Domino psalmum istum pro gratiarum actione beneficiorum Dei. Unde qui psalmum hunc ad litteram de David exponere vellet, expositione tituli parum indigeret, quia sic titulus planus esset. Sed quia hic psalmus de Christo toto, id est de ipso Christo et corpore mystico, quod est Ecclesia, quæ comprehendit omnes electos ab Adam usque ad finem mundi, potius exponendus est; ideo titulus declarandus est. Est igitur sensus tituli : *Verba cantici hujus* dirigentis nos *in finem,* videlicet Christum, conveniunt *David puero Domini,* id est Christo Filio Dei : quæ verba Christus *locutus est Domino,* id est ad gloriam Patris pro se ac suis fidelibus, *in die qua eripuit eum Dominus de manu inimicorum suorum,* hoc
C est in die resurrectionis, quando surrexit a mortuis, liber a potestate Judæorum, et quando Ecclesiam liberavit a captivitate diaboli, *et de manu Saul,* id est de potestate mortis. Nam Christus resurgens ex *Rom.* vi. 9
mortuis, jam non moritur.

Pro hac itaque spirituali liberatione, Christus Deo gratias agens, dicit : (1) *Di-* 2
ligam te, Domine. Et convenit principium hujus psalmi Christo homini, atque Ecclesiæ, imo cuilibet vere fideli. Ait ergo :
D Diligam te, Domine, id est, semper amabo te, tum propter immensam tuam bonitatem, propter quam sine mensura amabilis es, tum propter beneficia tua mihi collata, tum propter promissa tua mihi parata. Amor quippe est primum et maximum donum, et in ipso omnia dona gratuita dantur. Idcirco non possumus Deo pro beneficiis suis, imo nec alicui benefactori aliquid majus aut dignius rependere, nisi amorem. Christus autem ut Deus, diligit Patrem amore simpliciter infinito ; sed

Digitized by Google

ut homo, diligit Deum majori dilectione A quam omnes simul electi. Unusquisque vero nostrum tanto ardentius tenetur Deum diligere, quanto plura beneficia ab ipso receperit. Potest quoque verbum istud per modum orationis intelligi, ut sit sensus : Diligam te, Domine, id est, da ut amem te, Domine. *Fortitudo mea,* id est causa totius fortitudinis meæ, sine quo nihil
3 possum. *Dominus* est *firmamentum meum,* id est stabilimentum meum, et causa stabilitatis meæ. Nam Christus in omni passione constans et solidus mansit, nec in B aliquo actus rationis vel operationes virtutum impediebantur aut turbabantur in ipso : quod valde supernaturale fuit. *Et refugium meum.* Nam Christus, passione
Matth. xxvi, 39. instante, ad Patrem confugit, dicens : Mi Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste. *Et liberator meus,* de tentatore diabolo, et de persecutione Judæorum, qui me frequenter occidere conabantur, quan-
Joann. vii, 30; viii, 20. do nondum venit hora mea ; vel, Liberator meus, quia resuscitavit me ad impassibilem vitam.

(2) *Deus meus* est *adjutor meus,* in quantum homo sum. Christus enim miracula C fecit, non humana aut naturali, sed divina virtute. *Et sperabo in eum,* id est, exspectabo omne bonum ab eo quod nondum habeo. Quomodo autem Christo conveniat sperare in Deum, frequenter dictum est. (3) *Protector meus,* id est, Deus est defensor humanitatis meæ, defendens eam ab omni malo culpæ; *et cornu,* id est excelsa et eminens causa, *salutis meæ,* id est felicitatis tam corporis, quam animæ meæ, beatificando D me in anima statim, quando creavit eam ; et in corpore, quando a mortuis suscitavit me ; *et susceptor meus,* id est, Deus Dei Filius, ad suam personalem subsistentiam assumpsit humanitatem meam.

4 (4) *Laudans invocabo Dominum.* Frequenter in Evangelio legitur Christus Patrem cum laude et gratiarum actione in-
Ibid. xi, 41. vocasse, ut apud Joannem : Gratias, inquit, ago tibi, Pater, quoniam audisti me. *Et ab inimicis meis,* puta Judæis, *salvus ero,* per resurrectionem a mortuis. Nam et Christus orando meruit ut tam cito resurgeret, quamvis ex aliis causis debebatur ei resurrectio festinata, præsertim propter unionem suæ humanitatis cum Verbo.

(5) *Circumdederunt me dolores mortis,* 5
id est pœnæ atque tristitiæ mortis : quia in Evangelio dicitur, Cœpit Jesus pave- Marc. xiv, 33; Matth. xxvi, 37.
re, tædere et contristari. In cruce autem circumdederunt eum dolores mortem inferentes, quando undique pœnis repletus, dixit, Consummatum est; et inclinato Joann. xix, 30.
capite, tradidit spiritum. *Et torrentes iniquitatis,* id est abundanter multæ iniquitates, scilicet persecutiones injustæ mihi a Judæis illatæ tempore passionis, *conturbaverunt me,* id est, inferiorem animæ partem ac corporalem naturam a naturali sua dispositione immutaverunt, propter acerbitatem pœnæ inflictæ : non tamen turbaverunt vel deordinaverunt actum rationis in Christo. Est autem quædam conturbatio bona et sponte assumpta, de qua Joannes ait, quod Jesus conturbavit se ip- Ibid. xi, 33, 35.
sum, et infremuit spiritu, et flevit.

(6) *Dolores inferni,* id est dolores veni- 6
entes ex consideratione damnationis hominum in inferno, *circumdederunt me.* Nam dum Christus pendens in cruce dixit, Sitio, Ibid. xix, 28.
significavit se hominum liberationem sitire : et eadem hora vehementissimo cordis torquebatur dolore, quoniam consideravit passionem suam tam multis non debere prodesse, sed eos in infernum propter ingratitudinem suam debere descendere. Ideo ait : Dolores inferni circumdederunt me, id est, animam meam invaserunt. *Præoccupaverunt,* id est prævenerunt, *me laquei mortis,* id est deceptiones ad mortem ducentes : non quod Christo aliquid ex improviso contigerit, aut aliquis eum decipere quiverit; sed quia infideles Judæi putabant eum nescire consilia, quibus tra- Matth. xxvi, 4.
ctabant quomodo eum dolo tenerent et occiderent, ac nescientem, ne fugeret, anticiparent. Est enim mos Scripturarum, aliquid enarrare prout est in opinione multorum.

Digitized by Google

7 (7) *In tribulatione mea,* scilicet passione instante, *invocavi Dominum :* quia, ut
Matth. xxvi, 39 ; Luc. xxii, 43, 44. scriptum est, Procidens Jesus in faciem suam, prolixius oravit, et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram ; *et ad Deum meum clamavi :* quo-
Hebr. v, 7. niam teste Apostolo, Christus cum clamore valido et lacrimis exoravit. (8) *Et exaudivit* Dominus *de templo sancto suo,* hoc est de summo cœlo, vel de corde meo, in quo sicut in electissimo templo habitavit non solum per gratiam, sed etiam per suppositalem unionem, intelligendo per cor B ipsam animam, *vocem meam,* id est orationem quam fudi ; *et clamor meus,* id est fervens cordis mei affectus, *in conspectu ejus,* id est coram eo, *introivit in aures ejus,* hoc est, placuit auribus misericordiæ suæ, ut exaudiret eum.

8 (9) *Commota est et contremuit terra.* Hoc ad litteram in Christo in cruce suspenso
Matth. xxvii, 51. impletum est, quia tunc terra mota est. Similiter in die resurrectionis, angelo ad
Ibid. xxviii, 2. sepulcrum Christi descendente, terræ motus factus est magnus. *Fundamenta mon-* C *tium conturbata sunt et commota sunt :* quoniam tempore passionis, Terra sancta quæ fertur esse montuosa, tam valde mota
Ibid. xxvii, 51. est, ut etiam petræ scinderentur, prout Evangelista testatur ; *quoniam iratus est eis,* scilicet Dominus : id est, Dominus iram suam, qua hominibus Filium suum dilectum occidentibus irascebatur, ostendit in elementis, turbando atque movendo inanimata : ut vel sic rationales creaturæ errorem suum adverterent, dum inanimata suspenso in cruce sic condolere con- D spicerent.

Vel sic, et melius : *Commota est,* per admirationem, *et contremuit,* per timorem, *terra,* id est habitantes in terra, videlicet Judæi et gentiles, præsertim in Terra sancta, quando videbant, Christo moriente, solem supernaturaliter eclipsari, terram moveri, et Jesum alta voce clamantem exspirare. Unde in Evangelio scriptum est :
Ibid. 54. Centurio autem et qui cum ipso erant, videntes quæ fiebant et quia sic clamans exspirasset, timuerunt valde. Et glorificavit Deum Centurio, et ait : Vere Filius Dei erat Luc. xxiii, 47, 48.
iste ; hic homo justus erat. Et omnis multitudo eorum qui aderant ad spectaculum istud, et videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua, revertebantur. *Fundamenta montium,* id est capitanei superborum, videlicet principes sacerdotum, Pilatus et Herodes, *conturbata sunt et commota sunt :* quia visis prædictis mirabilibus, utique ad tempus perterriti erant, maxime principes sacerdotum, quando videbant velum tem- Matth. xxvii, 51 ; xxviii, 11.
pli scissum, et custodes sepulcri referre quæ facta erant ad monumentum per angelum ; potissimum quoque, quando mortui illi qui simul cum Christo surrexerunt, Ibid. xxvii, 52, 53.
eis (ut creditur) apparuerunt. Ideo autem turbati et commoti sunt, *quoniam iratus est eis,* scilicet Dominus. Ira Dei, est vindicta divinæ justitiæ. Hæc vero vindicta, quantum ad impœnitentes, hic incipit, et in futuro æternaliter perseverat. Prædicta autem fiebant a Deo in ultionem peccati eorum qui Christum interfecerunt, quantum ad eos qui non pœnituerunt : quia ex hoc quod his visis non sunt conversi, gravius sunt damnati. Idcirco, quoniam iratus est eis Dominus, derelinquendo eos justissime, ob id conturbati sunt et commoti sunt, non ad pœnitentiam et fidem, sed ad admirationem et obstinationem. Vel, Fundamenta montium, id est magistri philosophorum, conturbata sunt et commota sunt, hoc est, admirati et obstupefacti sunt, Christo patiente, propter mirabilissimam solis eclipsim dicentes : Vel Deus naturæ patitur, aut astra mentiuntur, aut machina mundi peribit. De qua re in epistola ad Polycarpum scribit Dionysius.

Consequenter describitur pœna persequentium Christum, videlicet obstinatorum Judæorum, qui propter ista et mirabilia per Apostolos et Stephanum aliosque primitivæ Ecclesiæ Sanctos facta, non sunt
conversi, dum subditur : (10) *Ascendit fu-* 9
mus, hoc est vapor incendii quo Titus combussit Jerusalem ac reliquas urbes vicinas, *in ira ejus,* id est in ultione qua Deus Pa-

Digitized by Google

ter vindicavit injuriam a Judæis Christo illatam; *et ignis* prædictæ combustionis, *a facie ejus,* hoc est a conspectu divinæ justitiæ omnia justissime judicantis, *exarsit,* cuncta velociter devorando. *Carbones,* id est perversi Judæi, tenebris infidelitatis obscuri et vitiis nigri, *succensi sunt ab eo,* scilicet Deo, in combustione eorum. Vel, Carbones, id est materia combustibilis, succensi sunt ab eo, quia Deo ordinante et instigante, principes Romani succenderunt habitacula Judæorum.

10 (11) *Inclinavit cœlos* ipse Christus, id est habitantem in cœlo, videlicet semetipsum, descendens a regalibus sedibus in uterum dulcissimæ Virginis : exinanivit namque se ipsum, formam servi accipiens; *et descendit* in inferiores partes terræ, secundum Apostolum. *Et caligo,* hoc est omnis obscuritas tenebrarum ac vitiorum, *sub pedibus ejus,* id est longe ab eo : quoniam ipse est lux vera, et tenebræ non sunt in eo ullæ, secundum Joannem. Vel, Caligo, id est diabolus corda hominum obscurans, sub pedibus ejus : quia Christus diabolum conculcavit et penitus vicit. Unde Joannes in prima sua Canonica : In hoc, inquit, apparuit Filius Dei, ut destrueret opera diaboli.

(Philipp. II, 7. — Ephes. IV, 9. — I Joann. I, 5. — Ibid. III, 8.)

11 (12) *Et ascendit,* scilicet Christus, *super Cherubim,* hoc est supra ordinem illum angelicum in die ascensionis, *et volavit* usque ad dexteram Patris. Vel, Super Cherubim, id est supra omnem plenitudinem creatæ scientiæ, quoniam Christus transcendit omnem capacitatem intellectuum creatorum. *Volavit super pennas ventorum,* hoc est super omnem speculationem rationalium animarum. Contemplatio nempe est penna animæ; et anima ventus vocatur, juxta Isaiam : Flatus ego faciam, hoc est animas. Anima namque instar venti velociter mobilis est.

(Is. LVII, 16.)

12 (13) *Et posuit tenebras,* hoc est incomprehensibilem propriæ lucis plenitudinem, *latibulum suum,* hoc est occultam habitationem suam. Nam Deus propter immensitatem suæ perfectionis ac lucis latet

A nos. Unde secundum Apostolum, lucem habitat inaccessibilem ; et secundum sacratissimum principem theologorum Dionysium in epistola ad Caium monachum, Invisibilis plenitudo divini luminis appellatur divina caligo seu tenebræ Dei. Hanc ergo caliginem seu tenebras istas ponit Deus latibulum suum, quia propter eas incomprehensibilis est. Propterea Dionysius : Divinæ, ait, tenebræ cooperiuntur omni lumini, et absconduntur omni visioni, propter incircumscriptibilem et superplenissimam proprii splendoris claritatem. Vel, *Posuit tenebras,* id est formas sacramentales, *latibulum suum,* quia sub illis in Sacramento altaris Christus ineffabiliter occultatur ; vel, Tenebras, hoc est carnem mortalem quam assumpsit, quoniam divinitas in ea mirabiliter latuit. *In circuitu ejus,* hoc est in his qui undique ad eum accedunt, scilicet in omnibus sanctis in cœlo et in terra, *tabernaculum ejus,* quia in illis habitat Deus, qui ad eum accedunt : et in sanctis terrenis est tabernaculum ejus, quod vocatur Ecclesia militans ; in sanctis vero cœlestibus est tabernaculum ejus, quod dicitur triumphans Ecclesia.

(I Tim. VI, 16.)

Tenebrosa aqua, hoc est obscura scientia, est *in nubibus aeris,* hoc est in sanctis Prophetis atque Apostolis : de quibus Isaias dicit, Qui sunt isti qui ut nubes volant ? Omnis enim cognitio viatorum obscura est, prout testatur Apostolus : Cognoscimus, inquiens, nunc per speculum in ænigmate; et, Nunc cognosco ex parte. Dicuntur autem Apostoli atque Prophetæ nubes aeris, quia præ ceteris hominibus divinæ lucis illustrationes prius copiosiusque receperunt, et per contemplationem altius volaverunt. Dicuntur autem nubes aeris, ad differentiam angelorum qui nuncupantur nubes cœli, secundum Dionysium ultimo Cœlestis hierarchiæ capitulo. Non autem tam alte volaverunt, quamdiu in terris peregrini et hospites erant, sicut angeli sancti, qui recipiunt illuminationes divinas receptione prima,

(Is. LX, 8. — I Cor. XIII, 12.)

Digitized by Google

clara ac immediata ; homines vero reci- A piunt eas receptione secunda, symbolica ac mediata, quia per angelos deferuntur ad eos, secundum Theologum.

Potest autem verbum istud Psalmistæ specialiter referri ad Apostolos ante Christi passionem, quando propter suam rudi- *Matth.* xv, 16. tatem a Christo meruerunt audire : Adhuc et vos sine intellectu estis ? Et etiam ante Christi ascensionem, quoniam Joannes de se ipso dicit pro tempore illo, quod non- *Joann.* xx, 9. dum sciebat Scripturas, scilicet quod oporteret Christum a morte resurgere, quum B tamen Christus ante passionem suam hoc *Matth.* xvi, 21 ; xvii, 9, 22 ; xx, 19 ; xxvi, 32 ; xxvii, 63. frequenter et clare prædixerit. Ex quo ostenditur, quod Apostoli mirabiliter simplices erant usque ad missionem Spiritus Sancti : in quo utique fides christiana immobiliter confortabatur, videlicet quod per homines paucos tam rudes ac simplices idololatria exstirpata est, et fides tam supernaturalis per totum mundum diffusa. Hoc enim esse non potuit, nisi quod post Christi passionem supernaturaliter illuminati ac docti fuerunt, quemadmodum Chri- C stus ante passionem eis promisit.

13 (14) *Præ fulgore*, hoc est præ claritate doctrinæ, et propter illuminationem Christi, quam ipse Apostolis tradidit, *in conspectu ejus*, id est in beneplacito et in præsentia pii respectus Domini Salvatoris, *nubes*, hoc est sancti Apostoli, *transierunt* in univer- *Marc.* xvi, 15. sum mundum prædicare Evangelium omni creaturæ. Tanquam dicat : Præ claritate sapientiæ, et propter illuminationem præ- *Act.* ii, 4. fulgidam, quam Christus Apostolis in die Pentecostes infudit, ipsi Apostoli transie- D runt in conspectu Domini cuncta cernentis ; et exierunt audaces atque securi, qui *Joann.* xx, 19. ante propter metum Judæorum clausi consederant in conclavi. Est enim consuetudo Scripturæ, ut aliquid dicatur fieri coram Domino vel in conspectu Domini, quando placet Domino : sicut dicitur, quod Jesse genuit David, qui ambulavit coram Domino. Sic ergo Apostoli transierunt in conspectu Domini, quia placuit Domino transitus ille. Vel sic : Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt, quoniam Christus adhuc inter discipulos in mundo conversans, misit illos binos et binos ante se *Luc.* x. in omnem locum quo ipse erat venturus. Vel sic et bene : *Præ fulgore*, id est propter excellentiam perfectionis, claritatis ac sapientiæ Christi, *in conspectu ejus*, id est in comparatione ipsius, *nubes*, id est omnes Sancti, *transierunt*, id est defecerunt, et quodammodo evanuerunt : quoniam quantumcumque sancti ac docti fuerunt, tamen comparatione Christi quasi nihil fuerunt, in tantum ut de maximo illo gigante Joanne Baptista Evangelista affirmet, Non erat ille lux. Unde Origenes *Joann.* i. ait, quod Petrus et Paulus per comparationem ad Christum sunt tenebræ. Potest quoque quod dicitur, Præ fulgore, esse una dictio, ut sit sensus : Præfulgoræ, id est præfulgidæ, nubes in conspectu ejus, etc. ; sed convenientius puto, ut duæ dictiones dicantur.

Itaque, Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt, id est Apostoli, qui non solum sunt nubes, sed etiam *grando*, dura tormenta impiis comminando, falsitati fortiter resistendo, atque audientium corda per increpationem feriendo ; *et* ipsi sunt *carbones ignis*, mundum illuminando, et mentes credentium divino amore accendendo ; vel, Carbones ignis, id est igne tribulationum exusti, tanquam carbones igniti.

(15) *Et intonuit de cœlo Dominus*, scilicet Christus in die Pentecostes, quando fa- 14 ctus est repente de cœlo sonus tanquam *Act.* ii, 2. 3. advenientis spiritus vehementis, seditque Spiritus Sanctus super singulos eorum ; *et Altissimus*, id est Christus, *dedit vocem suam*, quia illo die implevit quod paulo ante Apostolis spopondit : Ego dabo vobis *Luc.* xxi, 15. os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri. Tunc ergo dedit vocem suam, quando loquebatur per eos, sicut prædixit : Non vos *Matth.* x, 20. estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Vox enim Dei est sacra Scriptura : et quoniam Scriptu-

Digitized by Google

rarum notitiam dedit discipulis, ideo dedit
vocem suam. Vel, Altissimus dedit vocem
suam, nam Christus post resurrectionem
præsentialiter loquebatur Apostolis : cu-
jus vox est *grando et carbones ignis,* pro-
pter causas prædictas.
15 (16) *Et misit,* scilicet Christus, *sagittas*
suas, id est verba sua acutissima, per os
Hebr. IV, 12. Apostolorum loquendo. Vivus est enim
sermo Dei, et acutior omni gladio ancipi-
ti, pertingens usque ad divisionem animæ
et spiritus. *Et dissipavit eos,* separando
electos a reprobis, fideles ab infidelibus,
bonos a malis : sicut in die Pentecostes,
Act. II, 41. Petro loquente verba acuta ac ignea, tria
millia Judæorum conversa sunt, aliis ir-
ridentibus. *Fulgura,* hoc est signa præ-
clara, ac magna miracula, *multiplicavit,*
per fideles et sanctos suos, quemadmodum
Joann. XIV, 12. eis prædixit : Qui credit in me, opera quæ
ego facio, et ipse faciet, et majora his
faciet ; *et conturbavit eos,* scilicet audito-
res et inspectores, quosdam ad pœniten-
tiam, quosdam ad admirationem, quosdam
vero ad timorem.
16 (17) *Et apparuerunt,* per Christi illumi-
nationem et Apostolorum prædicationem,
fontes aquarum, id est rivi sapientiæ sa-
Ibid. IV, 14. lientes in vitam æternam. Hi fontes, id est
sacræ doctrinæ, apparuerunt, id est, ma-
nifestatæ sunt cordibus hominum, prout
Ibid. VII, 38. Salvator disseruit : Qui credit in me, flu-
mina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. *Et*
revelata sunt fundamenta orbis terrarum :
hoc est, sancti Prophetæ qui sunt funda-
menta orbis terrarum, id est militantis Ec-
clesiæ per totum orbem diffusæ, intellecti
et veraces inventi sunt per Christum et
ejus discipulos. Nam ante Christi adven-
tum verba Prophetarum obscura erant, sed
per illuminationem Spiritus Sancti Apo-
stolis missi, clarissime intellecta sunt et
gentibus explanata. Christus quoque in se
ipso manifestavit veritatem Prophetarum,
implendo in se quod illi de ipso vaticinati
Ibid. I, 17. fuerunt. Propter quod Joannes ait : Lex
per Moysen data est, gratia et veritas per
Jesum Christum facta est.

A Hæc autem peracta sunt (18) *Ab incre-*
patione tua, Domine, qua per te ipsum
et per sanctos prædicatores increpasti ho-
mines, quatenus pœniterent, sicque ad
recipiendum prædictas apparitiones ac re-
velationes sacræ Scripturæ idonei fierent.
Et facta sunt hæc *ab inspiratione spiri-*
tus iræ tuæ, id est ab instinctu Spiritus
Sancti, corda peccatorum interius perter-
rentis. Spiritus enim Sanctus primo salu-
briter irascitur electis in præsenti, punien-
do eos pœna temporali per pœnitentiam,
B ne irascatur eis in futuro, puniendo eos
pœna æterna per condemnationem. Deinde
Spiritus Sanctus mentibus pœnitentium
consolationem infundit, veritatem osten-
dit, et eas lumine implet, ita ut eis appa-
reant fontes aquarum. Primo siquidem
purgat, secundo illuminat, tertio perficit.
Deinde Christus voce naturæ assumptæ
loquens ad Patrem, ait : (19) *Misit,* scilicet 17
Deus Pater, *de summo,* id est de sinu suo,
Verbum suum æternum ; *et* Verbum ejus
accepit me, uniendo suæ personalitati di-
C vinæ et increatæ meam humanitatem ; et
Deus Pater *assumpsit me de aquis multis,*
hoc est, de variis tribulationibus subleva-
vit me in die resurrectionis et ascensionis,
quando ab omni passibilitate et iniquorum
cohabitatione assumpsit me ad se. (20) *Eri-* 18
puit me de inimicis meis fortissimis, hoc
est a principibus sacerdotum, *et ab his qui*
oderunt me, id est a ceteris persecutori-
bus meis ; *quoniam confortati sunt super*
me, hoc est, quia permissi sunt ad tem-
pus prævalere contra naturam meam pas-
D sibilem, quam afflixerunt et occiderunt.
(21) *Prævenerunt me* multis accusationibus 19
et fallacibus interrogationibus, ut habe-
rent causam mortis contra me, *in die af-*
flictionis meæ, scilicet in die passionis ; *et*
factus est Dominus protector meus, ne ani-
mæ meæ nocerent.
(22) *Et eduxit me* de angusto sepulcro, *in* 20
latitudinem paradisi ; vel, Eduxit me de
angustiis mortis, in latitudinem gaudio-
rum. *Salvum me fecit* a morte per resur-
rectionem, *quoniam voluit me,* id est, quia

Digitized by Google

Matth. III, 17; XVII, 5. dilexit me. Hic est (inquit) Filius meus ca-
21 rissimus, in quo mihi complacui. (23) *Et*
retribuet mihi Dominus accidentale præ-
mium, in quo proficere potui : utpote re-
surrectionem festinatam, corporis glorifi-
cationem, ascensionem beatam ; *secundum*
justitiam meam, id est secundum exigen-
tiam meritorum meorum. Deus enim cui-
libet tribuit secundum quod meruit. *Et se-*
cundum puritatem manuum mearum, hoc
est secundum perfectionem operationum
mearum, *retribuet mihi,* in die resurrec-
tionis meæ : sicut modo impletum est.
22 (24) *Quia custodivi vias Domini,* id est,
omnes actus virtutum, præsertim dilectio-
nem Dei et proximi, adimplevi ; *nec impie*
gessi, contra legem divinam agendo, aut
recedendo *a Deo meo.* Et ideo non recessi
23 ab eo, (25) *quoniam omnia judicia ejus,*
hoc est omne quod ipse dictat esse vel bo-
num vel malum, *in conspectu meo,* id est
in consideratione animæ meæ sunt, ut ea
observet ; *et justitias ejus,* hoc est obser-
vantias mandatorum suorum, *non repuli*
a me, per inobedientiam, negligentiam vel
Joann. XIV, 31. contemptum. Unde Christus in Evangelio
ait : Sicut præceptum dedit mihi Pater,

A sic facio. Et rursus : Quæ placita sunt ei, *Joann.* VIII, 29.
facio semper.
Quoniam ergo tam juste vixi, idcirco
(26) *Et ero immaculatus* ab omni peccato, 24
cum eo, id est ipsi firmiter adhærendo ;
vel, Cum eo, id est, sicut ipse immaculatus
est : juxta quod scriptum est, Sancti eri- *Lev.* XI, 45; XIX, 2; XX, 26.
tis, sicut et ego sanctus sum Dominus Deus
vester. *Et observabo me ab iniquitate mea.*
Christus iniquitatem non fecit nec habuit :
quomodo ergo ait, Et observabo me ab
iniquitate mea ? Nisi sic exponatur, Obser-
B vabo me ab iniquitate, quam habere po-
tuissem, nisi me Dominus præservasset.
Si enim a Christo homine gratiam tollas,
non est in quo ab aliis differat, secundum
Augustinum. (27) *Et retribuet mihi Domi-* 25
nus secundum justitiam meam, in die ex-
tremi judicii, quando merito passionis
meæ beatificabit omnes electos : de quo-
rum beatificatione aliquid mihi accidenta-
lis præmii adjungetur, quia congratulabor
sponsæ meæ quæ est Ecclesia electorum.
Et secundum puritatem manuum mearum,
C scilicet, quam habui, *in conspectu oculo-*
rum ejus, id est coram eo omnia conspi-
ciente, supple, restituet mihi.

ARTICULUS XLIII

PROSECUTIO EXPOSITIONIS EJUSDEM PSALMI SEPTIMIDECIMI DE CHRISTO.

26 (28) C*UM sancto sanctus eris, et cum viro*
innocente innocens eris. Cum san-
cto, inquit, id est cum Christo, qui est San-
ctus Sanctorum et naturaliter atque totali-
ter sanctus, sanctus eris, o quilibet homo
fidelis, si ei constanter adhæseris, neque
a vestigiis ejus recesseris ; et cum viro in-
nocente, hoc est cum Christo, qui quan-
tum in se est, nulli unquam nocuit, sed
omnibus summe et maxime profuit, inno-
27 cens eris, si ipsum fueris imitatus. (29) *Et*
cum electo, id est cum Christo qui ratione

D naturæ assumptæ vocatur electus : quia
secundum Apostolum, Ipse prædestinatus *Rom.* I, 4.
est Filius Dei in virtute secundum spiri-
tum sanctificationis. Et in Isaia : Ecce, *Is.* XLII, 1.
ait, puer meus quem elegi ; complacuit
sibi in illo anima mea : quod de Christo
ad litteram dici, sequentia verba osten-
dunt. Cum hoc ergo electo, si ipsi perse-
veranter servieris, *electus eris :* non quod
aliquis de novo eligatur, quoniam omnes
electi, ab æterno electi fuerunt ; sed, Ele-
ctus eris, id est, beatitudinem electorum

Digitized by Google

consequeris. Secundum quem sensum ait Augustinus : Si non es prædestinatus, fac ut prædestineris, id est, si suspicaris te non esse prædestinatum, noli propterea ab opere bono cessare, sed sic vive, ut gloria prædestinatorum dignus habearis. *Et cum perverso,* id est cum eo qui Christum non sequitur, *perverteris,* si mores ejus sequaris.

28 Et hæc ideo vera esse constat : (30) *Quoniam tu,* o Domine, *populum humilem salvum facies,* in præsenti secum habitando per gratiam, et in futuro per gloriam, sicut in Evangelio dicis : Beati pauperes spiritu, id est humiles, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Et denuo : Qui se humiliat, exaltabitur; et qui se exaltat, humiliabitur. *Et oculos superborum,* id est, præsumptiones et æstimationes eorum qui magni sunt in oculis suis reprobabis, et ipsos superbos *humiliabis* usque ad profundum inferni. Omnibus quoque Sanctis ostendes, præsertim in die judicii, quam abominabiles atque damnandi sint omnes superbi. Unde et scriptum est : Odibilis coram Deo et hominibus est superbia.

Matth. v, 3. — *Luc.* xiv, 11; xviii, 14. — *Eccli.* x, 7.

29 (31) *Quoniam tu illuminas lucernam meam,* id est rationem meam, quæ est directrix ac domina operationum mearum : nam ratio dirigit voluntatem et ceteras vires; *Domine* Jesu Christe, qui es lux vera, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum : et non solum illuminans me lumine naturali, sed etiam lumine gratiæ. Et quoniam sic est, o *Deus meus, illumina tenebras meas,* id est me tenebrosum, vel interiora mea : quæ propter magnam imperfectionem suam ac vitiorum caliginem, tenebræ nuncupantur, quemadmodum homines multum virtuosi ac eruditi, lumina appellantur. Itaque, Domine Christe, illumina tenebras meas, id est, expelle ab anima mea ignorantiæ cæcitatem, passionum obtenebrationem, peccatorumque omnium maculam : quatenus illud mihi conveniat, Quum sedero in tenebris, Dominus lux mea est, et educet me Dominus in lucem, et videbo justitiam ejus.

Joann. i, 9. — *Mich.* vii, 8, 9.

(32) *Quoniam,* o Domine, *in te,* id est tua virtute et gratia, *eripiar a tentatione,* id est ab omni impugnatione diaboli ac Judæorum me persequentium; *et in Deo meo,* id est, in virtute et adjutorio Dei mei, *transgrediar murum,* id est, vincam omne obstaculum quod me a Deo retrahere nititur. Vel ad litteram, Transgrediar murum : quoniam Christus resurrexit de clauso sepulcro, et introivit ad discipulos januis clausis, sicque pertransivit lapidem monumento superpositum ostiumque conclavis, quæ nomine muri intelligi possunt. 30

Matth. xxvii, 66; *Joann.* xx, 19, 26.

(33) *Deus meus,* qui est Trinitas sancta ac simplex Divinitas, *impolluta via ejus,* id est immaculata lex per quam itur ad Deum : quemadmodum Salomon ait, Viæ Domini, viæ pulchræ, et omnes semitæ ejus pacificæ ; *eloquia Domini,* scilicet præcepta, consilia, testimonia, ac tota sacra Scriptura, *igne examinata,* id est claritate Spiritus Sancti purificata, atque tam pulchra ac si essent igne decocta; *protector est* Dominus *omnium sperantium in* 31
se. Quod ideo verum est, (34) *Quoniam quis* 32
Deus præter Dominum? id est, quis est verus Deus, potens in se sperantes salvare, et ab omni periculo defensare, præter Dominum, qui est universorum creator, provisor ac princeps? quasi dicat, Nullus. *Aut quis* est verus *Deus præter Deum nostrum,* id est Deum Christianorum? qui est unus in essentia, et trinus in Personis; qui in Deuteronomio ait : Videte quod ego sim solus, et non sit alius Deus præter me. Et rursus Moyses dicit : Non est Deus alius, ut Deus rectissimi; magnificentia ejus discurrunt nubes, habitaculum ejus sursum, et subter brachia sempiterna.

Prov. iii, 17. — *Deut.* xxxii, 39. — *Ibid.* xxxiii, 26, 27.

(35) *Deus qui præcinxit me* Christum, secundum quod homo sum, *virtute,* id est omni fortitudine Spiritus Sancti, ad currendam viam, et ad exsequendum ac patiendum invictissime atque promptissime, quidquid ad humanæ redemptionis mysterium pertinet, et ad debellandum aerias 33

potestates. Anima enim Christi omnibus
Is. xi, 2, 3. donis Spiritus Sancti, ac omni virtute per-
fecta plenissima fuit. *Et posuit immacu-
latam viam meam,* id est totam conversa-
tionem meam et operationem, quam in
mundo deduxi. Nam Christus nullo un-
quam peccato maculatus est.

34 (36) *Qui perfecit pedes meos,* id est gres-
sus et actus meos, *tanquam cervorum :*
videlicet, ut velocissime et efficacissime
operarer, ac paterer in mundo quidquid
Patris voluntati complacuit; sicque siti-
rem hominum salutem in omni vita mea,
Ps. xli, 2. quemadmodum cervus cursu lassatus cu-
pit aquarum fluenta. *Et super excelsa,* id
est in cordibus hominum contemplativo-
rum per spem in cœlis erectorum, *sta-
tuens me,* id est, faciens me per gratiam
talium corda inhabitare, sicut ait Aposto-
Ephes. iii, 14-17. lus : Flecto genua mea ad Patrem Domini
nostri Jesu Christi, ex quo omnis paterni-
tas in cœlo et in terra nominatur, ut det
vobis secundum divitias gloriæ suæ vir-
tutem, corroborari per Spiritum ejus in
interiori homine, Christum habitare per
fidem in cordibus vestris. Vel, Super ex-
celsa, id est super altitudinem omnium
cœlorum, ad dexteram suam statuens me
in die ascensionis. Vel, Super excelsa, id
est, in vertice universarum virtutum sta-
tuens me, concreando animæ meæ omnes
35 virtutes perfectas. (37) *Qui docet manus
meas,* id est intellectum practicum et vo-
luntatem, quæ sunt duæ principales po-
tentiæ operativæ, *ad prælium* contra dia-
bolum et Judæos omnesque adversarios
humanæ salutis.

Deinde Christus mutat personam, et ait
ad Patrem : *Et posuisti ut arcum æreum
brachia mea,* id est virtutes meas, quibus
mundum atque diabolum vici. Quemad-
modum enim arcus æreus fortiter vulne-
rat, sagittamque festinanter valde emittit,
ita virtutes Christi mortem celerrime occi-
Osee xiii, 14. derunt, quemadmodum ait, Ero mors tua,
o mors; diabolum vulneraverunt ac mi-
nuerunt, sicut per eumdem testatur, Ero
morsus tuus, inferne; atque operationes
optimas, tanquam sagittas incessabiliter
produxerunt. (38) *Et dedisti mihi,* o Pa- 36
ter, *protectionem salutis tuæ,* id est, pro-
texisti me protectione salubri, per quam
ego salvatus sum, quantum ad resurre-
ctionem et gloriam corporis. Mundus vero
per eam salvatus est a morte æterna, et
beatificatus beatitudine mentis et corpo-
ris sempiterna, quam in die judicii plene
consequentur electi. *Et dextera tua,* id
est gratiosa tua præsentia ac felix, *susce-
pit me,* exaudiendo preces meas, et de
omni malo sæculi hujus nequam ac gene-
rationis pessimæ eripiendo naturam quam
assumpsi.

(39) *Et disciplina tua,* id est paterna ac
pia castigatio tua, *correxit,* id est punivit,
me in finem, id est usque ad consequen-
dam vitam æternam electis. Correxit au-
tem atque punivit me non propter pro-
priam culpam, sed propter mundi tollenda
peccata, quemadmodum scriptum est : Di- *Is.* liii, 5.
sciplina pacis nostræ super eum, cujus li-
vore sanati sumus; ipse autem vulneratus
est propter peccata nostra. Unde Aposto-
lus : Factus est, inquit, propter nos ma- *Galat.* iii, 13.
ledictum, ut nos de maledicto liberaret.
Et disciplina tua, id est passio quam tu,
Domine Pater, voluisti me subire, *ipsa
me docebit* per experientiam compati, sic-
ut testatur Apostolus : Debuit, inquit, per *Hebr.* ii, 17.
omnia fratribus assimilari, ut misericors
fieret. Et iterum : Non habemus, ait, pon- *Ibid.* iv, 15.
tificem qui non possit compati infirmita-
tibus nostris.

(40) *Dilatasti,* id est, per caritatem latos, 37
copiosos ac multos fecisti, *gressus meos
[subtus me],* id est actus animæ meæ, qui-
bus te honoravi, et mundum salvavi : quia
a primo conceptionis maternæ instanti us-
que ad ultimum vitæ meæ momentum,
nunquam cessavi ab actuali exercitio ope-
ris virtuosi; *et non sunt infirmata vestigia
mea,* id est opera mea quæ sunt signa at-
que indicia internæ dilectionis atque dis-
positionis meæ : quia non egi segniter,
nec desii ab opere cœpto, donec pendens
in cruce, dixi, Consummatum est. *Joann.* xix, 30.

Digitized by Google

38 (41) *Persequar inimicos meos,* id est diabolos, expellendo eos de cordibus peccatorum et templis idolorum. Unde in Evangelio leguntur clamasse ad Christum : Quid nobis et tibi, Jesu Nazarene? Venisti ante tempus torquere nos? Hæc autem persecutio est diabolo tanto pœnalior, quanto invidia ejus contra homines est major. *Et comprehendam eos,* vincendo eos atque ligando; *et non convertar,* id est, non redibo neque cessabo a persecutione dæmonum, *donec deficiant,* id est usque in diem judicii, quando penitus separabuntur ac damnabuntur. Nam quotidie Christus per angelos sanctos et homines virtuosos per-

Marc. I, 24; Matth. VIII, 29.

39 sequitur, cruciat, et vincit diabolos. (42) *Confringam illos,* hoc est voluntatem eorum qua nituntur electos seducere, *nec poterunt stare,* resistendo potentiæ meæ; sed *cadent* victi *subtus pedes meos,* id est, omnino opprimentur ac supplantabuntur a me. Nam dæmones potestati Salvatoris prorsus subjecti sunt.

Vel sic : *Persequar inimicos meos,* hoc est Judæos incredulos per adventum principum Romanorum, propter quorum metum omnes confugerunt in Jerusalem; *et comprehendam eos,* id est, intra Jerusalem faciam eos capi, sicut factum est; *et non convertar* ab ira mea, *donec deficiant,* hoc est, donec interficiantur, vendantur, vel dispergantur, et omni priori potestate, gloria et habitatione priventur. Sed *confringam illos,* propter obstinatam suam perfidiam; *nec poterunt stare :* sicut expositum est. Et hoc est quod Dominus ait: Dies multos sedebunt filii Israel sine rege, et sine principe, et sine sacrificio, et sine altari, et sine ephod, et sine theraphim. Et in Daniele idem clare prædictum est : Post hebdomadas, inquit, sexaginta duas occidetur Christus, et non erit ejus populus qui eum negaturus est; et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo; et finis ejus vastitas, et usque in finem perseverabit desolatio. Et quamvis omnia ista modo impleta sint, nihilo minus excæcatissimi Judæi in sua

Osee III, 4.

Dan. IX, 26, 27.

A incredulitate perdurant, quatenus Prophetæ qui hanc prædixerunt, in hoc quoque inveniantur veraces.

(43) *Et præcinxisti me virtute ad prælium* *. Hoc jam prædictum atque expositum est. *Et supplantasti,* id est dejecisti, *insurgentes in me,* hoc est persecutores meos, *subtus me,* id est sub potestate mea : quia eorum Christus constitutus est judex, qui eum dijudicaverunt. 40

* bellum

(44) *Et inimicos meos dedisti mihi dorsum,* id est, fecisti eos tanquam victos 41
B fugere a me. Nam qui fugit ab aliquo, faciem suam ab eo avertit, et dorsum suum ad ipsum convertit : et ideo per Prophetam de peccatoribus Dominus ait, Verterunt ad me dorsum, et non faciem. Tunc ergo inimici Christi (id est increduli) facti sunt Christo dorsum, quando a facie Christianorum fugerunt : quod sæpe impletum est. Potestque in bono exponi, ut sit sensus : *Inimicos meos,* hoc est Judæos, qui me aliquando persequebantur, *dedisti mihi dorsum,* id est, subjecisti mihi, ita ut
C tollerent jugum meum super se, et discerent a me quia mitis sum et humilis corde, ferrentque pondus diei et æstus super dorsum cordis et corporis sui : sicut de illis octo millibus a Petro conversis, et de Paulo qui supra modum (ut ipsemet dolens fatetur) persequebatur Ecclesiam, patet. De talibus enim Christus ante passionem Judæis dixit : Quum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum. — Verumtamen primæ expositioni magis concordat quod sequitur : *et odien-*
D *tes me,* hoc est Judæos de quibus in Evangelio ait Salvator : Nunc autem oderunt et me et Patrem meum gratis. Hos ergo, Domine Pater, *disperdidisti,* in persecutione Titi, et postea per totum mundum, dando eos in captivitatem istam usque in finem sæculi duraturam. Vel, Disperdidisti, id est, diversis modis eos perdidisti, privando eos in præsenti gratia, et post hanc vitam gloria, ac aliis calamitatibus eos opprimendo, sicut nuncusque opprimuntur, quia nec principem, nec terram, nec

Jer. II, 27; XXXII, 33.

Matth. XI, 29.

Ibid. XX, 12.

Act. II, 41; IV, 4. Galat. I, 13.

Joann. VIII, 28.

Ibid. XV, 24, 25.

Digitized by Google

hereditatem aliquam habent, sed inimicorum suorum dominio subjiciuntur.

42 (45) *Clamaverunt* prædicti Judæi, quando vastabantur a Tito : quia, ut Josephus refert, multas preces et hostias pro sua liberatione Domino obtulerunt ; *nec erat qui salvos faceret* eos ab illis periculis,
Ps. LII, 6. quoniam Dominus sprevit eos. Ipsi tamen clamaverunt, non ad falsos deos, quemadmodum patres eorum sæpe fecerunt, sed *ad Dominum,* qui est verus Deus ; *nec exaudivit eos,* eo quod Filium suum occidissent : imo usque in præsentem diem
Quoto Christi anno auctor hæc scripserit. non audit eos, quum jam currat annus Domini millesimus quadringentesimus trigesimus quartus. Hoc autem esse non posset, nisi aliquo gravissimo peccato obnoxii essent, et tanto graviori peccatis patrum eorum, quanto ista eorum captivitas major et gravior atque prolixior est omni captivitate patrum suorum. Tale vero peccatum esse non potest, nisi occisio Christi. Unde convincuntur Christum interemisse : nam pro illo dumtaxat peccato sancti Prophetæ prædixerunt eos perpetuo desolandos, ut modo ostensum est, et plenius (si Dominus dederit) ostendetur.

43 (46) *Et comminuam eos,* scilicet inimicos meos prædictos, *ut pulverem ante faciem venti,* privando eos omni esse spirituali, sicque spiritualiter morientur. In gladio quoque et fame eos corporaliter occidendo, atque in omnes mundi fines ipsos dispergendo, quemadmodum pulvis ante faciem venti, id est a præsentia venti, dispergentur. *Ut lutum platearum,* quod ad alium locum defertur, *delebo eos* a terra patrum suorum.

Deinceps Christus dicit ad Patrem :
44 (47) *Eripies me de contradictionibus populi* Judæorum, qui Pilato dicenti, Regem
Joann. XIX, 15. vestrum crucifigam ? dixerunt, Non habemus regem nisi Cæsarem. Ab hoc populo contradicente, Christus per resurrectionem ereptus est. *Constitues me,* o Pater, *in caput gentium,* id est in ducem et principem gentilium ad fidem catholicam con-
Is. LV, 4. versorum, sicut per Isaiam dixisti : Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus. Nam militantis Ecclesiæ ex gentibus præsertim collectæ, Christus est caput ac legislator. *Ephes.* I, 22; V, 23, et alibi.

(48) *Populus quem non cognovi,* id est gentiles quos tempore infidelitatis et vitiorum suorum per approbationem non scivi, *servivit mihi* fideliter, postquam ad fidem conversus est ; *in auditu auris,* id est prompte et statim quum verba mea audisset, *obedivit mihi,* implendo divina mandata. Hoc est quod Isaias ad Dominum clamat : Ecce gentem quam nesciebas, vo- *Is.* LV, 5.
cabis ; et populi qui non cognoverunt te, ad te current. Vel sic : Populus quem non cognovi, id est peccatores reputati inter Judæos, quemadmodum publicani et Samaritani, servivit mihi : quoniam de illis dixit Christus, Non veni vocare justos, sed *Matth.* IX, 13.
peccatores ; et denuo, Venit Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat. *Luc.* XIX, 10. Ex quibus erant Matthæus, Zachæus, *Ibid.* V, 27, 28; XIX, 5; VII, 37 et seq.
et Magdalena : qui etiam in auditu auris obedierunt Christo, prout Evangelistæ testantur. 45

46 (49) *Filii alieni,* id est solo nomine filii, sicut Pharisæi et Scribæ, increduli que Judæi : de quibus Christus asseruit, Filii *Matth.* VIII, 12.
regni ejicientur in tenebras exteriores ; quibus etiam aperte dixit, Quia publicani *Ibid.* XXI, 31.
et meretrices præcedent vos in regno cœlorum : hi ergo filii *mentiti sunt mihi,* dicentes se regem Messiam exspectare, et velle in eum credere, me vero regem Messiam et verum Christum in præsentia eorum positum abnegantes. Hi mentiti quoque sunt mihi, simulatoria ac adulatoria verba miscendo, quatenus fallerent me. Et *filii alieni inveterati sunt* in vitiis, et obdurati in malis : non enim audierunt illud, Novate vobis novale, et nolite se- *Jer.* IV, 3.
rere super spinas ; *et claudicaverunt a semitis suis,* id est, non recte ambulaverunt in præceptis Dei eis commissis.

Insuper de conversione gentilium ac ceteris beneficiis jam prædictis Christus homo gratias agens Deo, ait : (50) *Vivit* 47
Dominus trinus ac simplex, qui est fons

Digitized by Google

vitæ, et naturaliter ipsa pura ac beatissi-
ma vita, totaliter et superessentialiter vi-
vens. Itaque de immensa beatitudine vitæ
Dei congratulans Christus, dicit : Vivit Do-
minus qui hæc omnia operatur ; *et bene-
dictus Deus meus*, id est, in se ipso est
sanctus, et omni laude dignus, omnisque
benedictionis largitor, qui est Deus meus
Philipp. II, 7. secundum formam servi quam accepi. *Et
exaltetur Deus salutis meæ*, id est, ab om-
nibus cognoscatur, diligatur, ac honoretur
cum omni reverentia et obedientia. Hoc
enim ad veram pertinet caritatem Dei ac
proximi, ut toto affectu optemus Deum ab
omnibus exaltari, quum hoc sit honor Dei
et nostra felicitas : quorum primum exi-
git caritas Dei, secundum vero caritas pro-
ximi.

48 (51) *Deus qui das vindictas*, id est præ-
dictas justas ultiones atque victorias, *mihi,
et subdis populos sub me*, dando eis fidem
et gratiam, quibus convertuntur ad me, et
mihi ministrant, *liberator meus de inimi-
cis meis iracundis*, id est de Judæis fu-
49 rentibus contra me, quos dejecisti. (52) *Et
ab insurgentibus in me exaltabis me*, id
est ab infidelibus et tyrannis, et maxime
ab Antichristo : de quo subditur, *a viro
II Thess. II, 3. iniquo eripies me*, quoniam ipse est homo
peccati, filius perditionis. Ab his, inquam,
exaltabis me, destruendo pravitatem eo-
rum, et ostendendo justitiam meam. Præ-
cipue autem in die judicii exaltabis me ab
his, quia tunc facies me justum exercere
judicium de omnibus illis. Tuncque illud
Is. XLV, 25. implebitur quod ait, Ad eum (scilicet Chri-
stum) venient, et confundentur omnes qui
repugnant ei.

50 Et quia sic est, (53) *Propterea confitebor
tibi in nationibus, Domine*, id est, per me
ipsum et per Apostolos aliosque discipu-
los laudabo te coram gentibus et Judæis :
A quemadmodum modo impletum est ; *et
nomini tuo*, id est tibi ipsi, *psalmum di-
cam*, id est, ore et opere te laudabilem
profitebor. Et hoc merito faciam, quoniam
ipse est (54) *Magnificans salutes*, id est 51
magnam faciens felicitatem animæ et cor-
poris, *regis ejus*, id est Christi Filii sui ;
*et faciens misericordiam christo suo Da-
vid*, id est Jesu Nazareno, cujus humanam
naturam sola pietate assumi fecit a Verbo,
omnique gratia implevit, ac tertia die re-
suscitavit. Solent autem sancti Prophetæ
B nomine David intelligere Christum, quem-
admodum in Ezechiele Dominus ait : Sal- Ezech. XXXIV, 22-24.
vabo gregem meum, et suscitabo super
eum pastorem unum, qui pascat eum, Da-
vid servum meum, id est Christum ; et
servus meus David princeps eorum. Et
Jeremias : Servient, inquit, David regi Jer. XXX, 9.
suo, id est Messiæ, secundum omnes ex-
positores. Et non solum est Dominus faci-
ens misericordiam christo suo David, sed
et semini ejus, id est populo christiano, in
Christo spiritualiter regenerato, *usque in
C sæculum*, id est in æternum. Unde propter
magnitudinem misericordiæ Dei super po-
pulum christianum, tempus evangelicæ le-
gis vocatum est tempus novæ legis, id est
tempus gratiæ. Quod in Zacharia pulchre
innuitur ubi habetur : Erit qui offenderit Zach. XII, 8.
ex eis in die illa quasi David, et domus
David quasi Dei, sicut angelus Domini in
conspectu eorum : id est, sicut David post
culpam suam magnam misericordiam con-
secutus est, sic qui offenderit ex eis, id
est ex populo christiano, in die illa, id est
D tempore gratiæ, misericordiam conseque-
tur. Propter quod dicitur majestas Dei in-
notuisse philosophis, æquitas Judæis, mi-
sericordia vero Christianis. De hoc semine
scriptum est : Si posuerit pro peccato ani- Is. LIII, 10.
mam suam, videbit semen longævum.

Digitized by Google

ARTICULUS XLIV

EXPOSITIO ALLEGORICA EJUSDEM PSALMI SEPTIMIDECIMI.

PORRO, secundum allegoricam explana- A
tionem psalmi istius, per David intel-
ligitur Ecclesia, et quilibet fidelis. Et ita
1 sensus tituli præinducti est talis : *Verba*
cantici, id est psalmi *hujus* dirigentis nos
in finem, id est in Christum, conveniunt
David puero Domini, id est Ecclesiæ vel
fideli, qui est filius Dei per gratiæ adopti-
onem : quæ verba fidelis quisque *locutus*
est Domino, id est ad laudem ipsius, *in die*
qua eripuit eum de manu inimicorum suo-
rum, hoc est ab omni molestia tentatorum,
et de manu Saul, id est de imperio mortis. B

Unusquisque ergo fidelis beneficia Dei
sibi exhibita pensans, seque a Christo re-
demptum considerans, atque ad bona fu-
turæ felicitatis se invitatum attendens,
gratissima, jucundissima ac ardentissima
2 mente Domino dicat : *Diligam te, Domine,*
Ps. LXXII, 28. tibi præ omnibus adhærendo, nec propter
aliquod bonum creatum a te recedendo,
3 qui es *fortitudo mea. Dominus firmamen-*
tum meum : istud satis expositum est ; *et*
refugium meum, ad quod in omni neces-
sitate confidenter recurro, sicut ad fidelis- C
simum amatorem, invictissimum adjuto-
rem, et benignissimum salvatorem, qui
ubique et semper apertas habet misericor-
diæ ulnas ad amplexandum confugientem
ad se ; *et liberator meus :* quoniam Pater
Joann. III, 16 ; Rom. VIII, 32, 34. misit Filium suum ad liberandum me, et
Filius proprio sanguine me redemit.

Deus meus, quem affectuosissime colo,
est *adjutor meus,* cooperando mihi per
gratiam suam ; *et* ideo *sperabo in eum,* non
in aliqua pura creatura : nec solum spe-
rabo in eum non desperando, sed sperabo D
in eum fideliter operando quod possum :
nec tamen in meis meritis principaliter,
Joann. XV, 5. sed in eum, sperabo, quia sine ejus adju-
torio perseverare non possum in bono.
Et ipse Dominus est *protector meus* ab
insidiis dæmonum, a fraudibus hominum,
et ab eventu omnium periculorum, *et cor-*
nu, id est revelator seu insinuator, *salu-*
tis meæ. Nam ipso revelante cognoscimus, Joann. XVII, 3.
in quo vera salus nostra consistit. Sicque
Deus dicitur cornu propter similitudinem.
Cornu enim est instrumentum cujus sono
aliquid insinuari aliis solet. Quoniam ergo
per naturalem rationem agnoscere homo
non potuit, in quo vera beatitudo seu salus
consisteret, sed per divinam revelationem
hoc sibi innotuit, jam Deus dicitur cornu
salutis nostræ. Alia autem expositio hujus
verbi præhabita est. *Et susceptor meus,*
id est exauditor precum mearum, et per
misericordiam me amplectens.

Ponuntur hic multa nomina, idem reali-
ter significantia, vel se invicem includen-
tia, quatenus homo Deum tam variis no-
minibus affectuosis exprimendo, totaliter
inflammetur amore ; semperque intellec-
tus nominis posterioris sic suum affectum
in mente producat, ut prioris nominis af-
fectum roboret, renovet, atque accendat.
Unde hic est devotissimus et efficacissi-
mus modus Deum orandi et laudandi, mul-
ta nomina amorosa se mutuo includentia
proferre ac Deo adscribere, sicut nunc fa-
ctum est. Idcirco subjungitur :

Laudans invocabo Dominum, hoc est, 4
multa prædicata commendatoria Deo attri-
buam, et illis verba deprecatoria admi-
scebo, dicendo : O Deus æterne, omnipo-
tens, immense, supergloriose, naturaliter
bone, suscipe me, posside, perfice sem-
per et salva me. Quum enim laudare et
orare sint duo nobiles actus latriæ, sitque
laudare Deum nobilius quam orare, con-

stat quod actus ex utroque commixtus, sit A
nobilissimus : et hoc est laudando Deum
orare, seu orando laudare ; et est hic actus
forte remedium contra omnes tentationes,
adversitates atque tristitias. Propter quod
subdit, *et ab inimicis meis salvus ero,* id
est, a tentationibus liberabor ; nec aliquid
animam meam lædet, quamvis carnem af-
Jacob. v, 13. fligat. Hinc scriptum est : Tristatur ali-
quis vestrum? Oret æquo animo, et psallat.
Quum ergo te, frater, aliquid gravat, lau-
dans invoca, id est, intus et cordialiter
voca Dominum in tuum subsidium : quod B
si perseveranter feceris, ab inimicis tuis
salvus eris.

Et merito dico, Ab inimicis meis sal-
5 vus ero, quoniam *Circumdederunt me,* hoc
est, undique vallaverunt et infixi sunt
mihi, *dolores mortis,* id est inordinatæ
affectiones ac passiones pœnales, ut ira,
invidia, tristitia, quæ sunt animum affli-
gentes, et ad perpetuam mortem trahen-
tes. Vel, Dolores mortis, id est pœnæ ex
originali peccato secutæ, videlicet moles-
tiæ corporis, et virium animæ infectiones. C
Torrentes iniquitatis, id est capitalia vi-
tia, ex quibus tanquam ex fontibus cetera
derivantur, *conturbaverunt,* id est inquie-
taverunt *me,* impugnando, vel ad consen-
sum trahendo. Vel, Torrentes iniquitatis, id
est iniquitas tentationum et persequen-
tium me instar aquarum magna ac multa,
conturbaverunt me, recreando ac blandien-
6 do aut simili modo. *Dolores inferni,* id est
diabolica mala, seu afflictiones tam graves,
ut videantur posse comparari doloribus
inferorum, id est pœnis inferni, *circum-* D
dederunt me miserum tantis malis exposi-
tum in hac valle lacrimarum ; *præoccupa-
verunt,* hoc est, possederunt et ante alia
mala invaserunt *me laquei mortis,* id est
originale peccatum : quod licet sit unum
formaliter, scilicet privatio originalis justi-
tiæ debitæ in esse, secundum Anselmum,
est tamen multa materialiter, propter suos
effectus seu quatuor vulnera animæ, qui-
bus infectæ sunt ejus potentiæ, sicut præ-
dictum est. Ideo hoc peccatum appellatur
pluraliter, Laquei mortis : capit enim ani-
mam suo reatu, et facit nos nasci filios Ephes. II, 3.
iræ ; fuimusque propter ipsum prius dam-
nati, quam nati. Unde de ipso pluraliter
inferius scriptum est : Ecce enim in ini- Ps. L, 7.
quitatibus conceptus sum.

In tribulatione mea, id est tempore ten- 7
tationis et angustiæ, *invocavi,* id est, in-
terno affectu vocavi, *Dominum* ad meum
succursum ; *et ad Deum meum,* in quo to-
tam meam fiduciam fixi, *clamavi,* clamore
vocali, ex interioris fervoris excessu na-
scente. Et tu ergo, o frater, in omni tribu-
latione et necessitate assuesce Dominum
invocare, quoniam sicut in libro Parali-
pomenon habetur, Quum ignoremus quid II Par. xx,
agere debeamus, hoc solum habemus resi- 12.
dui, ut oculos nostros dirigamus ad Domi-
num. Nec potest inanis esse invocatio talis,
quia subjungitur : *Et exaudivit* (scilicet
Dominus) *de templo sancto suo,* id est de
loco habitationis suæ, *vocem meam.* Quem-
admodum dicitur Deus esse in templo seu
loco, vel in aliqua creatura, sic dicitur
agere et exaudire de templo illo et loco
seu creatura illa. *Et clamor meus in con-
spectu ejus introivit in aures ejus :* quia
ut in Ecclesiastico dicitur, Oratio justi pe- Eccli.
netrat cœlos (alias, Oratio humiliantis se xxxv, 21.
nubes penetrat). Unde Moyses ait : Quum Deut. IV, 29.
quæsieris Dominum Deum tuum, invenies
eum ; si tamen toto corde quæsieris eum,
et tota tribulatione animæ tuæ.

Commota est et contremuit terra : hoc 8
est, incolæ terræ, hominesque terreni, au-
dita prædicatione Christi et Apostolorum
atque fidelium aliorum, mente commoti
sunt ad pœnitentiam, et corpore expave-
runt ad satisfactionem. *Fundamenta mon-
tium,* id est tyranni et principes super-
borum, *conturbata sunt,* propter magna
prodigia quæ viderunt a Sanctis ac mar-
tyribus fieri, *et commota sunt,* non ad
emendationem, sed ad indurationem, di-
centes miracula illa magica fieri arte : et
hoc ideo, *quoniam iratus est eis,* id est,
quia Dominus juste subtraxit eis gratiam,
tradens eos in reprobum sensum. Rom. I, 28.

Digitized by Google

9 *Ascendit fumus,* hoc est lacrimosa oratio,
in ira ejus, id est ex timore iræ Dei seu ul-
tionis peccati : quoniam peccatores, audita
Matth. xxv, 41. prædicatione Evangelii quod impii ibunt
in ignem æternum, compuncti sunt corde,
et cum lacrimis veniam postulaverunt. *Et
ignis a facie ejus exarsit,* hoc est, amor
divinus in cordibus prædictorum pœniten-
tium accensus est post veniæ impetratio-
nem ; a facie ejus, id est ab adspectu et
miseratione pietatis divinæ. Nam post la-
crimosam pœnitentiam de peccatis, infun-
dere solet pius Dominus dulce ac fervi-
dum desiderium pro gaudiis sempiternis
adipiscendis, sicut de eo Scriptura testa-
Tob. iii, 22. tur : Post tempestatem tranquillum facis.
Carbones, id est Æthiopes mente et corpo-
re olim nigri, ac alii peccatores vitiis deni-
grati, *succensi sunt ab eo,* hoc est, a Deo
Rom. v, 20. divino amore impleti sunt. Nam ubi supera-
bundavit iniquitas, superabundat et gratia.

10 *Inclinavit cœlos,* hoc est, Deus misit an-
Hebr. i, 14. gelos sanctos, qui omnes sunt administra-
torii spiritus ad homines custodiendos, ut
suo adventui in cordibus humanis viam
pararent : qua parata, *et* ipse *descendit,* id
est, benignitatem gratiæ suæ infudit, at-
que per fidem et caritatem in mentibus
electorum habitationem sibi constituit,
Zach. ii, 10. prout in Zacharia propheta habetur : Ecce
ego venio, et habitabo in medio tui, dicit
Dominus. Non autem descendit Deus motu
locali, sed dignatione clementi.

Porro quæ sequuntur in psalmo isto, usque ibi, Et intonuit de cœlo Dominus, exponenda sunt sicut in priore expositione declarata sunt.

14 *Et intonuit de cœlo Dominus,* hoc est,
Deus Pater per Filium suum incarnatum
locutus est mundo, forti et inconsueto ac
mirabili modo : quemadmodum Judæi a
principibus suis missi ad Christum, red-
Joann. vii, 46. euntes dixerunt, Nunquam sic locutus est
homo, sicut hic loquitur. Vel sic : Et in-
tonuit de cœlo Dominus, id est, de ore
Apostolorum, qui cœli dicuntur, locutus
est fortia verba, tanquam tonitrua. Nam et
Marc. iii, 17. Christus Joannem et Jacobum appellavit
A filios tonitrui, prout Marcus evangelista
inducit.

Deinde Ecclesia ait : *Misit de summo,* 17
id est, Deus Pater de throno gloriæ misit
Unigenitum suum, *et accepit me* in spon-
sam gloriosam, non habentem rugam aut Ephes. v, 27.
maculam, et dando membris meis, id est
fidelibus, potestatem filios Dei fieri. Vel, Joann. i, 12.
Accepit me, hoc est, naturam meæ spe-
ciei assumpsit Filius Dei missus ad me.
Et assumpsit me de aquis multis, id est,
de morte æterna, plena doloribus, me re-
B demit.

Eripuit me de inimicis meis fortissimis, 18
et ab his qui oderunt me, hoc est de po-
testate et servitute dæmonum : quibus hu-
mana fragilitas non posset resistere, nisi
gratia Dei succurreret. Idcirco subjungi-
tur : *quoniam confortati sunt super me,* hoc
est, fortiores sunt naturali potentia mea,
quum sint invisibiles, astutissimi, et infa-
tigabiles. *Prævenerunt me,* id est, primo 19
invaserunt me, vindicando sibi jus quod-
dam in me, *in die afflictionis meæ,* hoc
C est in die qua in utero conceptus sum, vel
de ventre egressus sum. Quoniam enim in
originali peccato concipimur et nascimur,
statim in principio nostri esse, dæmones
nocent nobis : quia dæmonis suggestione Gen. iii, 14.
factum est, ut primi nostri parentes tali
peccato naturam inficerent. Bene autem
per diem afflictionis intelligitur dies nati-
vitatis, quia in illo ad dolorem et laborem,
atque ad multas miserias nascimur; sed ab
hujus peccati reatu, et ab aliis malis libe-
ravit nos Christus. Ideo additur : *et factus*
D *est Dominus protector meus. Et eduxit me* 20
de vinculis peccatorum, *in latitudinem*
caritatis. Nam et in Baptismo, ubi origina-
le peccatum dimittitur, fides, spes, cari-
tas, virtutesque ceteræ infunduntur : sic-
que anima dilatatur, ut Deum recipiat
intra se. *Salvum me fecit,* non propter
merita mea, sed *quoniam voluit me,* id est,
quia complacuit sibi, et quia elegit me :
ut apud Ezechielem legimus, Non propter Ezech.
vos ego faciam, ait Dominus, notum sit xxxvi, 22, 32.
vobis, sed propter nomen sanctum meum.

Digitized by Google

Deinde Propheta in persona hominis vir-
21 tuosi dicit : *Et retribuet mihi Dominus,*
II Tim. iv, 8. Christus justus judex, *secundum justitiam meam,* id est secundum exigentiam bonæ conversationis meæ ; *et secundum puritatem manuum mearum,* hoc est secundum munditiam cordis et actuum meorum, *retribuet mihi,* in præsenti gratiam, in futuro gloriam : ut in Apocalypsi etiam
Apoc. xxii, 12. scriptum est, Ecce venio cito, et merces mea mecum est, dare unicuique secundum
22 opera sua. *Quia custodivi vias Domini,* etc., hoc est mandata sive consilia, ambulando per viam angustam.

26 *Cum sancto sanctus eris,* quia bona ejus exempla ad imitationem te provocabunt ; *et cum viro innocente,* id est nulli malum faciente, *innocens eris,* sequendo innocen-
27 tiam ejus. *Et cum electo electus eris,* hoc est, gloriam electorum acquires, mores eorum et vitam sectando ; *et cum perverso perverteris.* Hinc patet quantum noceat societas mala, quantumque prosit societas bona. Vitandum est ergo homini volenti in Deo proficere, ne sit socialis, et maxime, ne sit familiaris ei qui non est sincerus, timoratus, atque sollicitus in Dei
Eccli. xiii, 1. obsequio : quia, ut ait Scriptura, Qui tetigerit picem, inquinabitur ex ea. Et
II Cor. vi, 17. Apostolus : Exite, ait, de medio eorum, et immundum ne tetigeritis. Denique esse socialem ac familiarem homini virtuoso, maxime confert volenti spiritualiter crescere.
Eccli. xxxvii, 15, 16. Propter quod scriptum est : Cum viro sancto assiduus esto, quemcumque cognoveris observantem timorem Dei, cujus anima est secundum animam tuam.

33 *Deus qui præcinxit me virtute,* id est, animam meam armavit fortitudine spirituali, quoniam quidquid virtutis in me est, ab ipso mihi donatum est ; *et posuit immaculatam viam meam,* hoc est, conversationem meam a peccatis mortalibus immunem servavit ; vel si talia incidi, per
34 pœnitentiam me purgavit. *Qui perfecit pedes meos,* id est gressus animæ meæ, scilicet affectus meos, quibus ad Deum accedo, *tanquam cervorum,* id est quasi
A pedes cervorum : ita quod sicut cervus velociter currit et alta conscendit, sic anima mea ferventi affectu et corde promptissimo custodiret et adimpleret quidquid Deo placere cognovit, servando mandata, vel potius viam mandatorum currendo, id est Ps. cxviii, 32.
consilia observando, quia consilia faciunt hominem expeditum ad servandum mandata ; omnia quoque hæc faceret propter gloriam Dei et felicitatem æternam, non propter temporalia commoda, aut laudes humanas ; ac per hoc, tanquam cervus ad
B alta montium, id est ad mansionem cœlestem, adspiraret. Propterea subdit, *et super excelsa statuens me,* id est, per contemplationem et spem in cœlestibus collocans me, dando mihi vitam angelicam in carne
ducere : sicut ait Apostolus, Nostra con- Philipp. iii, 20.
versatio in cœlis est. Hoc convenit ei qui
illud implet : Servite Domino corde per- Josue xxiv, 14.
fecto atque verissimo.

Qui docet manus meas ad prælium, hoc 35
est, qui dat mihi discretionem spirituum, et instruit rationem meam qualiter singu-
C lis vitiis resistendum sit, quomodo dæmoni, quomodo mundo, quomodo carni obviare oporteat, quomodo proprias passiones exstirpare, et omnem pigritiam vincere debeam. Qui docet manus meas, id est operationes meas, ad prælium, ita ut propter nullam adversariorum impugnationem a bono opere cessem, nec amore, nec favore emolliar, nec terrore frangar, nec tristitia aut pusillanimitate dejiciar ; sed sic ad spirituale prælium instructus sim, quemadmodum Judas Machabæus, cujus verba
D totius spiritualis prælii formam ostendunt, scientiamque pugnandi præscribunt. De
quo legitur : Machabæus autem confidebat II Mach. xv, 7-9, 11.
semper cum omni spe, auxilium sibi a Domino adfuturum, et hortabatur suos ne formidarent, sed sperarent ab Omnipotente sibi futuram victoriam ; et allocutus eos de lege et Prophetis, singulos armavit, non hasta aut clypeo, sed sermonibus opti-
mis. Et iterum : Judas autem, et qui cum Ibid. 26, 27.
eo erant, manibus quidem pugnabant, cordibus vero Dominum exorabant. Sic et nos

Digitized by Google

agere contra tentatores oportet, manibus
(id est bonis operibus) pugnando contra
malignos, cordibus autem Dominum ex-
orare pro triumpho, quemadmodum per
Is. L, 10. Isaiam dicitur : Quis ambulat in tenebris,
et non est lumen ei? Speret in nomine Do-
mini, et innitatur super Deum suum. Ni-
hilo minus debemus facere semper quod
in nobis est.

Deinceps in persona viri perfecti ait
Propheta : *Et posuisti,* o Domine, *ut ar-
cum æreum brachia mea,* id est virtutes
et opera mea, stabiliendo me in omni virtu-
te et sancta vita, quibus vici diabolum, car-
nem, ac mundum, sicut per arcum æreum
inimicus facile læditur atque occiditur.
36 *Et dedisti mihi protectionem salutis tuæ,*
id est, protexisti me in adversitatibus et
tentationibus ad salutem animæ meæ, quæ
est tua salus, quia præstatur a te; *et dexte-
ra tua,* id est benignitas gratiæ tuæ et pia
præsentia tua, *suscepit me,* confugientem
ad te.

Et disciplina tua, id est pia ultio qua
in præsenti electos tuos castigas, ne postea
gravius punias, *correxit me,* id est, pro
peccatis emendavit atque afflixit me, *in
finem,* id est ad hoc, ut adipiscar felicita-
tem æternam, quæ est finis noster, quem-
Apoc. III, 19. admodum dicis : Ego quos amo, arguo et
castigo. Quum enim peccata perseverare
non possint inulta, magna pietas Dei est,
atque præcipuum divinæ dilectionis indi-
cium, dum Deus in præsenti sæculo pec-
catorem flagellat. Propter quod ait Aposto-
Hebr. XII, 8. lus : Quod si extra disciplinam estis, cujus
participes facti sunt omnes, ergo adulteri
et non filii estis. Patienter ergo ferre de-
bemus quidquid nobis adversitatis contin-
git, rogareque Dominum ut tales momen-
taneas pœnas reputet nobis pro peccatis
nostris, quatenus taliter expurgati, gratiæ
ejus capaciores reddamur in via, et glo-
riam ejus exuberantius sortiamur in pa-
II Cor. IV, 17. tria. Nam sicut dicit Apostolus, Id quod
in præsenti est momentaneum et leve tri-
bulationis nostræ, supra modum in subli-
mitate æternum gloriæ pondus operatur
in nobis. — Vel sic : *Disciplina tua,* id
est disciplinaris instructio tua et illumi-
natio salutaris, *correxit me,* id est, pro
peccatis meis fecit me pœnitere, et pœ-
nam satisfactoriam sponte assumere, at-
que propter vitam æternam omnia agere :
ideo subdit, *in finem.*

Et disciplina tua, id est pœna pie in-
flicta, *ipsa me docebit* de cetero a peccatis
cavere, me ipsum humiliare, et aliis posse
consulere. Vel, Disciplina tua, id est in-
structio tua, ipsa me docebit, ut cogno-
scam me ipsum, et sollicite ambulem co- Mich. VI,
ram te. Disciplina nempe Dei, expertos
nos facit, probatos et exercitatos. Scri-
ptum est enim : Qui non est tentatus, quid Eccli.
scit? Et iterum : Vir in multis eruditus, XXXIV, 9.
cogitabit multa.

Dilatasti gressus meos subtus me, id est, 37
per caritatis fervorem et gratiæ multipli-
cationem, fecisti actus meos amplos et
copiosos seu multos sub rationis meæ im-
perio, quatenus abundarem in operibus II Cor. IX,
bonis, essentque subjecti rationis dominio
passiones et motus, seu affectiones sensu-
alitatis. Idcirco addit : *et non sunt infir-
mata vestigia mea,* id est, non defecerunt
opera mea virtuosa, quibus te sequor, et
ad tuam beatitudinem proficiscor.

Quoniam ergo, o Domine, tantam mihi
gratiam contulisti, ideo confidenter dico :
Persequar inimicos meos, qui conantur 38
me a divinæ legis observantia impedire :
hos persequar oratione devota, lacrimis
pœnitentiæ, moribus bonis, et sancto af-
fectu. Per hæc enim dæmones maxime af-
fliguntur, et eorum ministri, videlicet ho-
mines pravi, dejiciuntur. *Et comprehendam
eos,* id est, vincam tentationes eorum ; *et
non convertar* ab isto proposito, *donec de-
ficiant,* victi a me. *Confringam illos,* id 39
est, malam voluntatem eorum suo effectu
cassabo in me, *nec poterunt stare,* id est
resistere mihi. *Cadent subtus pedes meos,*
id est, victi ab operibus meis deficient.

Et præcinxisti me virtute, id est spiri- 40
tualibus armis, *ad bellum* contra omnes
tentationes ; *et supplantasti insurgentes*

Digitized by Google

in me subtus me, quoniam totam victo- A
42 riam meam tibi attribuo. *Clamaverunt* ini-
mici mei, scilicet homines mali tempore
suæ angustiæ pro adjutorio, *nec erat qui*
salvos faceret eos ab ultione divinæ justi-
tiæ, quæ sæpe in præsenti incipit vindi-
care peccata reproborum, quæ in futuro
æternaliter vindicat. Et quoniam nemo ad-
juvare poterat, ideo clamaverunt tandem
ad Dominum ; nec exaudivit eos : quo-
niam clamor orationis eorum non venit
ex pœnitentia cordiali, nec ex divino amo-
re, sed ex pœnali angustia, atque ex servi- B
li timore, qui nihil meretur, quemadmo-
II *Mach.* IX, 13. dum de Antiocho scriptum est : Orabat
autem scelestus Dominum, a quo non esset
43 misericordiam consecuturus. *Et commi-*
nuam eos ut pulverem ante faciem venti,
hoc est quod ante jam dixit : Confringam
illos, nec poterunt stare. Comminuam, in-
quit, eos, non naturam eorum, sed perver-
sitati eorum resistam. Propterea, *ut lutum*
platearum delebo eos, id est, repellam at-
que projiciam eos a meo consensu.
44 Insuper ait ad Christum Ecclesia : *Eri-* C
pies me de contradictionibus populi, id est
de perfidia et impugnatione hæreticorum,
schismaticorum, omniumque detrahentium
mihi. Nam Deus in perpetuum non dere-
linquit suos electos, sed tandem liberat
eos. *Constitues me in caput gentium,* id
est, facies me in dominam omnium popu-
lorum. Populus enim christianus est om-
nium populorum dignissimus, atque excel-
sior gentibus universis : ad quem princeps
I *Petr.* II, 9. Apostolorum sic ait, Vos autem genus ele-
ctum, regale sacerdotium, gens sancta, po- D
pulus acquisitionis. Vel sic : Constitues
me, id est prælatos et sacerdotes Eccle-
siæ, in caput gentium, id est in rectores
45 et dominos ceterorum. *Populus quem non*
cognovi, id est peccatores indurati atque
increduli, *servivit mihi,* postquam ad pœni-
tentiam vel fidem conversi sunt ; et tunc
in auditu auris obedivit mihi, id est præ-
46 ceptis Ecclesiæ. *Filii alieni,* id est solo
nomine Christiani, simulatores, contuma-
ces, hypocritæ, falsi religiosi, *mentiti sunt*
mihi : quoniam aliud dicunt, aliud agunt ;
aliud ostendunt in habitu, aliud agunt in
victu. Veniunt in vestimentis ovium, intus *Matth.* VII, 15.
vero sunt lupi rapaces. *Filii alieni invete-*
rati sunt, id est obdurati in vitiis. Non
enim advertunt Apostolum, Colossenses
exhortantem : Exspoliate vos veterem ho- *Coloss.* III, 9, 10.
minem cum actibus suis, et induite no-
vum, qui renovatur in agnitionem Dei. Et
alibi : Renovamini spiritu mentis vestræ, *Ephes.* IV, 23, 32.
et estote invicem benigni, misericordes,
donantes invicem, sicut et Deus in Christo
donavit vobis. *Et claudicaverunt a semitis*
suis, id est, erraverunt a doctrina et lege
Dei sibi propositis.

Denique Ecclesia, Deo regratiando de
beneficiis jam commemoratis, ait : *Vivit* 47
Dominus, etc. Qui versus in præcedenti
explanatione satis expositus est. *Deus qui* 48
das vindictas mihi, puniendo persecuto-
res justorum atque Ecclesiæ : quemadmo-
dum scriptum est, Mihi vindictam, et ego *Rom.* XII, 19.
retribuam, dicit Dominus ; *et subdis po-*
pulos sub me, convertendo peccatores ad
gremium matris Ecclesiæ, et ad obedien-
tiam sanctam, vel, subjiciendo incredulos
potestati fidelium ; *liberator meus de ini-*
micis meis iracundis, utpote dæmonibus :
in quibus (secundum Dionysium) est fu-
ror irrationalis, amens concupiscentia, et
phantasma protervum *. Quod tamen saga- * phantasia proterva
citer intelligendum est, quum dæmones in-
corporei exsistentes, materiales passiones
non habeant. Et non solum liberator meus
es, Domine, de dæmonibus, sed et ab ho-
minibus iracundis, perversis et reprobis.
Et ab insurgentibus in me, scilicet ab ad- 49
versariis qui contra me insurgent, quamdiu
in præsenti exsilio vivo, sicut ait Augusti-
nus : Persevera usque in finem, quia ten-
tatio perseverat usque in finem. Ab his
ergo *exaltabis me,* dando mihi victoriam
in præsenti, atque coronam gloriæ in fu-
turo ; *a viro iniquo,* id est a quolibet ho-
mine pestifero, *eripies me,* ne ab eo in-
ficiar.

Propterea, id est propter tanta beneficia 50
tua, *confitebor tibi in nationibus, Domine,*

Digitized by Google

prædicando et gloriose laudando nomen tuum coram populo, eisque beneficia tua ac pietatem tuam gratanter et affectuosissime insinuando. Hoc quotidie agit Ecclesia per prædicatores verbi divini. *Et nomini tuo,* o Domine, *psalmum dicam,* ore et opere te laudando. Hoc unusquisque per se agere potest et debet, quoniam Domi-
51 nus est *magnificans salutes,* id est magni pendens, et multum appretians redemptionem ac felicitatem seu duplicem stolam, *regis ejus,* id est cujuslibet Christiani atque electi : qui dicitur rex, quoniam diabolo dominatur, ac proprio animo, sicque fortior est rege urbes et castra expugnante. In tantum quippe magnificavit ac magni pendit Deus salutem nostram, id est glorificationem corporis et animæ nostræ,
Joann. III, 16. ut propter eas recuperandas Unigenitum suum mitteret in mundum. Talem namque ac tantum legatum non misit propter modicam causam. Et tu ergo, magnifica et magni pende salutem hanc tuam; noli propter carnalia oblectamenta, propter sensibilia commoda, propter temporales honores eam negligere : sed indue virilem ac nobilem animum, et propter æterna atque invisibilia bona mercanda parvi pende et sperne omnia transitoria, vana ac vilia. *Et* Dominus est *faciens misericordiam Christo suo David,* id est cuilibet homini per-

A fecto, Spiritus Sancti unctione excellenter uncto, *et semini ejus,* id est his quos ipse in Christo spiritualiter generat, verbo et opere eos docendo : quemadmodum de quibusdam ait Apostolus, Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis ; *usque in sæculum.* Galat. IV, 19.

Quæ autem in præcedentibus duabus expositionibus declarata sunt, hic omittuntur.

Postremo, quam beatus est qui ista magnifica dona Dei ac sublimes perfectiones,
B de se ipso psallere et Domino canere potest ad gloriam ejus ! Qui vero tantam perfectionem nondum adeptus est ut ista in propria persona dicere queat, discat ex his quantum a vera perfectione distet, quo tendere habeat, quid sibi a Domino postulandum sit ; studeatque vitam suam taliter ordinare, ac talem perfectionem acquirere, ut prædicta omnia de se ipso ad Dei honorem possit cantare prompto atque gratissimo corde.

C PRECATIO.

Amove a nobis, Domine, peccatorum nostrorum obscura, et illumina corda nostra consubstantialis Verbi tui lucerna : ejus nos, quæsumus, virtute præcinge, et viam nobis in eo immaculatam ostende.

ARTICULUS XLV

EXPOSITIO PSALMI OCTAVIDECIMI : CŒLI ENARRANT GLORIAM DEI.

PRÆSCRIBITUR denique psalmo huic ti-
1 tulus iste : *In finem, psalmus David :* id est, iste psalmus adscribitur David, respicienti in finem, id est in Christum. Nam loquitur hic de primo Christi adventu, qui
Galat. IV, 4. factus est in fine sæculorum et in plenitudine temporum. Loquiturque de prædicatoribus evangelicæ legis, et de legis christianæ sinceritate, et ait :

D (1) CŒLI *enarrant gloriam Dei.* Quod 2
triplicitur intelligi potest.

Primo sic : *Cœli,* id est sancti Evangelistæ atque Apostoli, *enarrant gloriam Dei,* id est, prædicant regnum et excellentiam Christi. *Et opera manuum ejus,* id est magnalia Christi, scilicet opera ejus miraculosa : quæ sunt opera manuum suarum, id est virtutes divinæ ac humanæ. Miracu-

Digitized by Google

la enim Christi, divina virtute facta sunt principaliter, humana vero virtute instrumentaliter. Unde humanitas Christi comparatur ad naturam ejus divinam, sicut instrumentum conjunctum ac animatum ad ipsum artificem. *Annuntiat firmamentum,* id est Ecclesia : in qua homines perfecti firmantur, sicut stellæ in cœlo fi- I *Cor.* x, 4. guntur ; et ipsa Ecclesia in firma petra, quæ Christus est, firmiter stabilitur. Dicuntur autem Apostoli et Evangelistæ, Cœli, propter conversationem cœlestem, et propter divinam inhabitationem, et propter eminentiam gratiarum : sicque omnes viri ac spirituales, cœli vocantur, quem- *Deut.* xxxii, 1. admodum Moyses ait : Audite, cœli, quæ loquor, et audiat terra verba oris mei. Et *Is.* i, 2. Isaias : Audite, cœli, et auribus percipe, terra. Merito quippe cœli dicuntur homines *Rom.* viii, 9. spirituales, quibus Apostolus loquitur : Vos

3 in carne non estis, sed in spiritu. (2) *Dies diei eructat verbum :* id est, divinitus illuminati sapientesque homines eructant, seu pleno corde pronuntiant diei, id est spiritualibus ac eruditis hominibus, verbum, id est Christum, secundum quod I *Cor.* ii, 6. Deus est : prout ait Apostolus, Sapientiam loquimur inter perfectos ; et rursus, II *Cor.* v, 16. Et si cognovimus Christum secundum carnem, tamen jam non novimus. *Et nox nocti indicat scientiam :* id est, homines parvæ scientiæ, vel prædicti viri perfecti, assumentes imperfectorum personam I *Cor.* ix, 22. (quemadmodum Apostolus asserit, Omnibus omnia factus sum, infirmis infirmus), docent homines adhuc carnales ac rudes, scientiam, id est notitiam pertinentem ad Christi naturam creatam, videlicet ad humanitatis suæ mysteria, quomodo illam sectentur : prout rursus dicit Apostolus : *Ibid.* iii, 1, 2. Ego, fratres, non potui vobis loqui, quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus ; quasi parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam.

Secundo exponitur hic locus sic : *Cœli,* id est orbes cœlestes, *enarrant gloriam Dei,* id est, majestatem et potestatem ejus ostendunt. Dicuntur enim cœli enarrare

A gloriam Dei, sicut dicuntur benedicere Deo, eumque laudare, videlicet quoniam præbent intuentibus occasionem atque materiam contemplandi Creatoris potentiam, sapientiam, et perfectionem. Propter quod scriptum est : Levate in excelsum oculos *Is.* xl, 26. vestros, et videte quis creavit hæc. *Et* simili modo, *opera manuum ejus,* id est creaturas divinæ potentiæ, *annuntiat firmamentum,* id est, sphæra octava, in qua fixæ sunt stellæ, annuntiat quidem opera Dei materialiter, quoniam est objectum B contemplandi quam potenter et gloriose cetera omnia a Deo sint condita. *Dies diei eructat verbum,* etc. Dicitur namque tempus facere id quod fit in tempore : sicque dies et nox dicuntur eructare verbum et indicare scientiam, quoniam opera talia facta sunt per temporum intervalla, et de die in diem atque de nocte in noctem crevit cognitio Dei seu prædicatio Christi. Secundum hunc modum legitur libro primo Machabæorum : Vidit Jonathas quia I *Mach.* xii, 1. tempus eum juvat.

C Tertio exponitur passus iste anagogice, ut sit sensus : *Cœli,* id est angelici spiritus omnesque Beati, *enarrant gloriam Dei,* quoniam incessabiliter laudant Deum ; *et opera manuum ejus,* id est effectus divinæ virtutis, *annuntiat firmamentum,* id est Christus, qui est caput et robur omnium Sanctorum, et ipse omnes comprehensores in patria illuminat de rationibus divinorum effectuum. *Dies diei eructat verbum,* id est, angeli superiores de plenitudine suæ cognitionis infundunt infe- D rioribus angelis, purgando, illuminando, perficiendoque eos, secundum Dionysium. *Et nox nocti indicat scientiam,* quoniam dæmones sæpe perversis hominibus quædam secreta revelant.

Quamvis autem magis litteralis secunda expositio videatur, prima tamen, secundum veritatem, litteralis est ad intentionem Prophetæ et magis conveniens, eique sequentia consonant.

(3) *Non sunt loquelæ, neque sermones,* 4
id est, nullum est genus idiomatis et ser-

Digitized by Google

monis, *quorum non audiantur voces eo-* A
rum, id est ab eis, puta a cœlis prædictis
Act. II, 4, 6, 8, 11. et Apostolis. Nam Apostoli omnium lin-
I Cor. XIV, 18. gua loquebantur. Et Paulus inquit : Gra-
tias ago Deo meo, quod omnium vestrum
5 linguis loquor. (4) *In omnem terram exivit*
sonus eorum, id est Apostolorum ; *et in*
fines orbis terræ verba eorum : quia Apo-
stoli, facta divisione ipsorum, per se ipsos
atque per suos discipulos prædicaverunt
Marc. XVI, 20. Evangelium Christi in quatuor plagis ter-
ræ, et in principalibus partibus mundi. Et
Is. XXIV, 16. hoc est quod ab Isaia prædictum est : A B
finibus terræ audivimus laudes, gloriam
Justi. Et rursus per Isaiam Dominus aper-
Ibid. LXVI, 19. tissime dicit : Mittam ex eis qui salvati fu-
erint, ad gentes in mare, in Africam, in
Lydiam, tenentes sagittam, in Italiam et
Græciam, ad insulas longe ; et annuntia-
bunt gloriam meam gentibus. Porro quod
dictum est, In omnem terram, etc., alle-
gat Apostolus ad ostendendum, quod fides
Rom. X, 17. est ex auditu, et ex prædicatione Aposto-
lorum. Unde consequitur, quod psalmus
iste loquatur de Christo atque Apostolis C
ac prædicatione evangelicæ legis.

Deinde de Christi incarnatione subjun-
6 git : (5) *In sole,* id est in mundo inferiori,
sub sole, videlicet in oculis hominum, *po-*
suit Filius Dei *tabernaculum suum,* id est
corpus assumptum, quod dicitur templum
invisibilis Deitatis : quia, ut a Propheta
Baruch III, 38. dicitur, Ipse in terris visus est, et cum
hominibus conversatus est : quatenus qui
ante latebat in sinu Dei Patris, appareret
in forma assumptæ carnis ; et qui ante
I Tim. VI, 16. habitabat lucem inaccessibilem, jam per D
incarnationem exhiberet se ipsum visibi-
lem oculis, atque palpabilem manibus, sic-
I Joann. I, 1. ut Joannes contestatur : Quod vidimus
oculis nostris, quod audivimus, et manus
nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ. De-
nique hanc Dei incarnationem a Zacharia
prædictam cognoscimus, ubi sic dicitur :
Zach. II, 10. Lauda et lætare, filia Sion, quia ecce ego
venio, et habitabo in medio tui, dicit Do-
minus. Per Isaiam quoque Dominus ait :
Is. LII, 6. Ecce ego ipse qui loquebar, adsum. Et

iterum : Primus, id est Deus æternus, ad Is. XLI, 27.
Sion dicet, Ecce adsum. — Vel sic : *In*
sole, id est in beata virgine Maria, *posuit*
Christus *tabernaculum suum,* id est cor-
pus suum, habitans in utero ejus novem
mensibus, quemadmodum Jeremias ait :
Novum creavit Dominus super terram ; fe- Jer. XXXI, 22.
mina circumdabit virum. Felicissima nam-
que virgo Maria sol dicitur, propter ex-
cellentissimum divinarum gratiarum in ea
splendorem. De qua in Canticis Sponsus
ait : Tota pulchra es, amica mea. Et ite- Cant. IV, 7.
rum : Pulchra ut luna, electa ut sol. *Et* Ibid. VI, 9.
ipse Christus *tanquam sponsus procedens*
de thalamo suo, id est de utero virginali :
in quo carnem induendo desponsavit sibi
Ecclesiam, sicut ante per Prophetas diu et
frequenter spopondit.

(6) *Exsultavit ut gigas ad currendam*
viam, id est, Christus lætanter advenit,
et libenter descendit in uterum suæ ca-
rissimæ Filiæ, amabilissimæ Virginis, ad
currendam viam, id est ad festinanter pro-
sequendum humanæ redemptionis myste-
rium ; vel, ad currendam viam, id est ad
conversandum in hoc sæculo, cujus vita
est via ad vitam beatam. *A summo cœlo* 7
egressio ejus. Nam Christus descendit de
sinu Patris in uterum Virginis ; descendit
a cœlo intellectuali in terram sensibilem.
Ipse enim ait : Nemo ascendit in cœlum, Joann. III, 13.
nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis
qui est in cœlo. Descendit autem, non lo-
cum mutando, sed noviter apparendo ; de-
scendit, non ratione essentiæ, sed effe-
ctus. Ipse est namque qui per Jeremiam
testatur : Cœlum et terram ego impleo. Jer. XXIII, 24.
(7) *Et occursus ejus,* id est Christi regres-
sus sive ascensio, *usque ad summum ejus,*
id est usque ad eumdem locum unde ex-
ivit, videlicet ad dexteram Patris, sicut
ait : Exivi a Patre, et veni in mundum ; ite- Joann. XVI, 28.
rum relinquo mundum, et vado ad Patrem.

Nec est qui se abscondat a calore ejus,
id est, nemo se excusare potest a Christi
amore, quoniam ista beneficia, tanta tam-
que patentia sunt, ut ignorantia nullum
excuset. Idcirco Christum omnes super

Digitized by Google

omnia amare tenentur. Vel sic : Nec est qui se abscondat a calore ejus, id est ab operatione seu examinatione Spiritus Sancti, qui est ardentissimus amor Patris et Filii. Christus enim de Spiritu Sancto prædixit : Quum venerit ille Spiritus veritatis, arguet mundum de peccato, et de justitia, et de judicio. [Joann. XVI, 8.] Arguet enim homines de peccato commisso, de justitia omissa, et de judicio quod præconsiderare atque timere contemnunt. Vel quod dicitur, Nec est qui se abscondat a calore ejus, ideo dicitur, quia tanta est liberalitas gratiæ Spiritus Sancti tempore novæ legis, ut merito nullus se abscondere debeat a receptione ipsius.

8 (8) *Lex Domini,* id est christiana religio et Christi traditio, *immaculata,* nil habens vitii vel impuritatis admixtum, *convertens animas,* id est homines (ponit enim partem pro toto), quia retrahit eum qui sibi obedit, a rebus illicitis et caducis ad opera sancta, atque ad summum et incommutabile bonum. *Testimonium Domini fidele :* id est, articuli fidei christianæ sunt veri, non fallaces; *sapientiam præstans parvulis,* id est, cognitionem divinorum præbens humilibus, qui suum intellectum fidei subdunt, et quod credunt opere attestantur. Unde Isaias ait : Nisi credideritis, non intelligetis. [Is. VII, 9 juxta LXX. Luc. X, 21.] Et Salvator : Confiteor (inquit) tibi, Pater, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis, id est fide et conversatione humilibus. Testimonium autem proprie pertinet ad credenda, sicut præceptum ad agenda.

9 (9) *Justitiæ Domini,* id est divina præcepta, *rectæ,* et justæ, ad beatitudinem sine errore ducentes, *lætificantes corda* eorum qui per caritatem eas observant. Naturaliter enim delectabile est virtuose vivere, et Deo in omnibus obedire. Propter quod (secundum Philosophum) signum virtutis est delectatio operationi adjuncta. *Præceptum Domini lucidum,* id est clarum ac splendidum, tanquam radius divinæ justitiæ ac lucis æternæ, *illuminans* A *oculos* cordis, videlicet intellectum et memoriam, ne in tenebris vitiorum mergantur, sed in Deo permaneant.

(10) *Timor Domini sanctus,* id est, timor filialis, amicabilis et castus, non servilis aut humanus, est *permanens in sæculum sæculi :* quia hic incipit, et in patria perseverat quantum ad habitum; et etiam quantum ad aliquem suum actum manet in patria, scilicet quoad reverentialem subjectionem. Non autem manet in patria quantum ad fugam, quæ pertinet ad timorem : B quia Beati sciunt se a Deo non posse averti, ideo non metuunt malum futurum, sed Deo cum reverentiali timore subjecti sunt. 10

Judicia Domini, id est omne dictamen, et omnis sententia divinæ sapientiæ, *vera* sunt, *justificata in semetipsa :* quoniam eo ipso quo sunt Dei judicia, necesse est ea fore justa et sancta; nec est alia ratio requirenda, vel auctoritas major invocanda, quoniam Deus est mensura et ratio
omnis veritatis et æquitatis. (11) *Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum.* 11
C Nihil enim corporalium sensibiliumque bonorum tam amabile, tamque optabile esse potest, sicut divina judicia, id est præcepta et testimonia legis divinæ, quæ a Deo data sunt et approbata, et ad æternam felicitatem perducunt. Unde inferius dicitur : Bonum mihi lex oris tui super millia auri et argenti. [Ps. CXVIII, 72.] *Et dulciora super mel et favum,* id est, in observando divina judicia seu præcepta, consistit major dulcedo quam in aliqua re carnali sive sensibili. Spirituales enim delectati- D ones, ex sua natura majores sunt delectationibus corporalibus, quamvis interdum ex parte nostri oppositum accidat propter imperfectionem nostram et pronitatem ad mala; sed viris perfectis, quam suavis est Dominus expertis, dulciora sunt divina [Ps. XXXIII, 9; I Petr. II, 3.] quam quæcumque carnalia : imo quo divina amplius gustant, eo sensibilia ipsis magis desipiunt.

(12) *Etenim servus tuus custodit ea,* non solum per memoriam, sed etiam per caritatem et obedientiam, quatenus impleat 12

Digitized by Google

ac faciat ea. Nec frustra, quia *in custo-* A
diendis illis retributio multa, id est, vita
æterna reddetur pro præmio ei, qui divi-
na judicia seu præcepta custodit. Hoc est
quod Christus in Evangelio suis imitato-
Matth. XIX, ribus spondet : Qui reliquerit patrem aut
29. matrem, etc., centuplum accipiet, et vitam
æternam possidebit. Centuplum namque
accipit in præsenti, quia hic incipit præ-
mium ejus : nam gratiam recipit, Deus
eum diligit, mundum et carnem suppedi-
tat, virtutibus splendet, spiritualem dele-
ctationem acquirit.

13 (13) *Delicta quis intelligit?* id est, singu-
la quæque peccata quis advertere potest?
Prov. XXIV, quasi dicat, Nullus. Justus enim septies
16. cadit in die ; et tanta est nostra fragilitas,
ut quotidianos defectus sigillatim cogno-
scere, deplorare, atque vitare nequaquam
possimus. Propter quod in libro Job ha-
Job IX, 2, 3. betur : Non justificabitur homo composi-
tus Deo ; et si voluerit cum eo contendere,
non poterit respondere unum pro mille.
Quoniam igitur ita est, oro, o Domine, *ab*
occultis meis, id est ab istis peccatis la-
tentibus, mihi ignotis, *munda me,* dando
mihi eorum memoriam, quantum oportet
aut expedit, vel infundendo pœnitentiam
in communi sufficientem, vel dando ea
de cetero, quantum possibile est, præca-
14 vere ; *et ab alienis,* id est a diabolo et ab
adversariis meæ salutis, *parce servo tuo,*
non permittendo eos prævalere in me per
tentationes nefarias, sicut quotidie in Ora-
Matth. VI, tione dominica dicimus : Et ne nos indu-
13. cas in tentationem, id est in consensum
illicitum, vel in tentationem tam fortem
I *Cor.* X, 13. ut repugnare non possimus, sed fac cum
tentatione proventum.

(14) *Si mei non fuerint dominati,* id
est, si hostes prædicti non prævaluerint
adversum me, rationem vincendo, *tunc*
immaculatus ero, id est immunis a labe
peccati, ad quod me inducere optant. Ten-
tatio enim cui non consentitur, non est
peccatum, sed virtutis et meriti exerci-
tium, ac triumphandi occasio. *Et emunda-*
bor a delicto maximo, id est a consuetudi-
ne mala seu habitu vitioso. Ex hoc namque
quod sæpe tentatori succumbimus, gene-
ratur in nobis consuetudo mala seu ha-
bitus pravus : a quo emundamur, dum
tentatori resistimus perseveranter ; quo
facto, impletur quod sequitur :

(15) *Et erunt ut complaceant eloquia oris* 15
mei : id est, si talis fuerit conversatio mea,
ut sic ab occultis munder, et inimicis præ-
valeam ; tunc eloquia oris mei erunt ut
complaceant tibi, id est, tunc tibi place-
bunt verba mea. Nam cujus vita virtuosa
B est, ejus sermo gratus est tibi. Peccatori *Ps.* XLIX, 16.
vero dixit Deus, Quare tu enarras justitias
meas? *Et meditatio cordis mei in conspe-*
ctu tuo semper : id est, si prædictam vitam
habuero, tunc cogitatio mea erit semper
in conspectu tuo, id est in approbatione
seu complacentia sapientiæ tuæ cuncta
cernentis, et omne bonum approbantis.
Vel sic : Meditatio, etc., id est, omnis co-
gitatio mea, sive sit bona, sive mala, est
cognita tibi, qui omnia conspicis, renes-
que et corda scrutaris : quemadmodum *Ps.* VII, 10.
C Elias ait, Vivit Dominus, ante cujus con- III *Reg.*
spectum sto. Et Job loquens ad Dominum, XVII, 1.
dicit : Tu quidem gressus meos dinumera- *Job* XIV, 16.
sti. Quam cæcus est ergo, et quam infelix,
qui sine sollicitudine vivit, et coram Deo
timorate non ambulat ! Certe incidet post
hanc vitam horribiliter in manus Dei viven- *Hebr.* X, 31
tis, qui in præsenti negligit honorare vul-
tum divinæ præsentiæ universa spectantis.

(16) *Domine,* tu es, vel esto, deprecor,
adjutor meus, cooperando mihi per gra-
tiam, *et redemptor meus* a cunctis pericu-
D lis, qui proprio sanguine liberasti me.

O quam gratulabundo ac devotissimo
animo cantandus est psalmus iste omni
Christiano, in quo christianæ fidei fun-
damenta narrantur ; Apostolorum prædi-
catio, Verbi incarnatio, evangelicæ legis
commendatio, propriæ quoque fragilitatis
recognitio, atque divinæ misericordiæ im-
ploratio, mirabiliter continentur! Tanto (ni
fallor) unusquisque fidelis hunc psalmum
dulcius decantabit, præcordialius purius-
que concinet, quanto bonum commune, id

Digitized by Google

est fidem catholicam Christique incarnationem, ardentius diligit.

PRECATIO.

Domine, adjutor noster et redemptor, A justitiæ tuæ rectæ lætificent corda nostra, occulta nostra verbi tui gratia emunda : quo nobis a delictis maximis expiatis, placeat in conspectu tuo meditatio cordis, et eloquia oris nostri.

ARTICULUS XLVI

EXPOSITIO PSALMI NONIDECIMI : EXAUDIAT TE DOMINUS, ETC.

1 Titulus Psalmi præsentis, videlicet, *In
finem, psalmus David, ex prædictis satis
est evidens. In multis enim jam psalmis
titulus talis expositus est.

PRIMO autem exponi potest de Christo,
cui orat Propheta dari a Deo Patre,
quæ Spiritu Sancto revelante noverat ei
2 esse donanda. Ait itaque : (1) *Exaudiat te,*
o Christe, *Dominus* Deus omnipotens, *in*
die tribulationis, id est in tempore peregrinationis
tuæ in hoc mundo, in quo tota
conversatio tua tribulationibus plena fuit,
et sæpe pro mundi orasti salute. Vel, In
die tribulationis, id est in die passionis,
quando pro transgressoribus exorasti, di-
Luc. xxiii, 34. cens : Pater, ignosce illis, quia nesciunt
quid faciunt. *Protegat te nomen Dei Jacob,*
id est Deus verus, non a malo culpæ,
quia nunquam potuisti peccare, sed a malo
pœnæ, quod tibi Judæi sæpe parabant
3 ante tempus. (2) *Mittat tibi auxilium:* non
propter tuam indigentiam aut necessitatem ;
sed propter dispensationem, quem-
Ibid. xxii, 43. admodum apparuit tibi angelus de cœlo,
confortans te ; *de sancto,* id est de se
ipso. Vel sic : Mittat tibi auxilium, id est,
naturæ tuæ assumptæ conferat opem et
gratiam, ad liberandum genus humanum ;
de sancto, id est de te ipso, secundum
quod Deus es. Quidquid enim virtutis in
humana Christi natura fuit, a divinitate
Verbi profluxit. *Et de Sion,* id est de cœlestibus,
tueatur te ab adversis : sicut
prædictum est.

B (3) *Memor sit omnis sacrificii tui,* id 4
est omnium operum quæ ei pro salute hominum
obtulisti, prædicando, orando, laborando,
jejunando ; *et holocaustum tuum,*
id est natura tua humana, quam in cruce
Patri totaliter immolasti, igne passionis
consumptam, *pingue fiat,* id est efficax
atque exuberans ad succurrendum. Hoc
orat Propheta : non quod sacrificium et
holocaustum Christi possint esse inacce-
pta Patri æterno, quum ipse sit Agnus sine Exod. xii, 5.
macula, Filiusque dilectus, in quo Patri Matth. iii, 17; xvii, 5.
C complacuit ; sed ut Deus merito sacrificii
et holocausti Christi, mundo subveniat,
parcat, et eum salvificet. (4) *Tribuat tibi,* 5
o Christe Deus, *secundum cor tuum,* id
est quidquid desideras ; *et omne consilium*
tuum, quo decrevisti mundum redimere,
confirmet, id est, ad salutarem effectum
perducat, videlicet ut mundus felicitatem
acquirat, quemadmodum in Evangelio deprecatus
es : Volo, Pater, ut ubi sum ego, Joann. xvii, 24; xii, 26.
illic sit et minister meus.

Quibus peractis, (5) *Lætabimur,* o Pater 6
D cœlestis, *in salutari tuo,* id est in Christo
Filio tuo salvatore nostro, qui dicitur Salutare
tuum, quia per ipsum salvasti nos.
Vel, Lætabimur, o Christe, in salutari tuo,
id est in salvatione qua salvasti nos. *Et*
in nomine Dei nostri, id est in virtute
et fide sanctæ Trinitatis, *magnificabimur*
magnitudine spirituali, ita ut simus filii Rom. viii, 17.
Dei coheredesque Christi.

(6) *Impleat Dominus omnes petitiones* 7
tuas, o Christe, tam illas quas pro proprii Joann. xvii.

Digitized by Google

corporis glorificatione fudisti, quam illas A
quas pro aliis obtulisti, quam etiam illas
Rom. VIII, 34. quibus jam, ad dexteram Patris sedens,
pro hominibus interpellas, ostendendo Patri latus et vulnera.

Nunc ego David per Spiritum *cognovi, quoniam salvum fecit Dominus Christum suum,* resuscitando eum a mortuis. Et loquitur de futuro per verbum de præterito, propter certitudinem prophetiæ. (7) *Exaudiet illum,* scilicet Christum Deus Pater, *de cœlo sancto suo,* id est de throno gloriæ, seu de cœlo empyreo : de quo dicitur Deus B
exaudire, quia in eo specialiter esse et habitare censetur. *In potentatibus,* id est in magnis virtutibus seu fortibus Dei auxiliis, consistit et est *salus dexteræ ejus,* id est beatitudo seu redemptio hominum, procedens a dextera ejus, id est a benigno Dei favore seu misericordi ejus adsistentia. Salus enim nostra a Dei pietate donatur nobis, et in actibus præcipuarum virtutum consistit, qui mentem corroborant atque in Deo stabiliunt.

8 (8) *Hi in curribus,* id est, quidam sæcu- C
larium in transitoriis ac volubilibus mundi bonis confidunt ; *et hi in equis,* id est, quidam eorum in vanitatibus, pompis,
honoribus atque potentia propria sperant ; *nos autem,* qui veraciter Christo connectimur per caritatem et fidem, *in nomine Domini Dei nostri,* id est per Christum Dei Filium, *invocabimus* Patrem : quem-
admodum ipse in Evangelio docet, Quid- Joan. XIV, 13; XVI, 23
quid petieritis Patrem in nomine meo, da-
bit vobis. (9) *Ipsi,* in curribus et equis 9
confidentes, *obligati sunt* vitiis, atque obnoxii facti variorum peccatorum reatibus, *et ceciderunt* a gratia et bono statu mentis; *nos autem surreximus* per pœnitentiam a peccatis, *et erecti sumus* per contemplationem ad Deum.

(10) *Domine* Pater, *salvum fac regem,* 10
id est Christum, imponendo brevem finem angustiis ejus, et ad immortalem statum eum resuscitando ; *et exaudi nos* per Christum, scilicet merito ejus exaudiri optantes, *in die qua invocaverimus te,* id est in quacumque hora te deprecati fuerimus : nam semper dum te invocamus, spiritualiter nobis dies est, quoniam Christus qui est intellectualis dies et sol justitiæ, lucet per fidem et gratiæ claritatem in cordibus nostris : præsertim quum oratio non sit nisi ascensus mentis in Deum.

ARTICULUS XLVII

EXPOSITIO EJUSDEM PSALMI NONIDECIMI DE ECCLESIA AC UNOQUOQUE FIDELI.

QUONIAM universos electos caritas Dei D
congregat, et unum in Domino facit ;
Act. IV, 32. ut legitur in Actis Apostolorum, quod multitudinis credentium erat cor unum et anima una : idcirco sanctus Propheta, caritate urgente, pro tota Ecclesia atque pro quo-
2 libet ejus membro orat et ait : *Exaudiat te,* o Ecclesia Dei et unusquisque fidelis, *in die tribulationis,* id est in hora tentationis, necessitatis, seu adversitatis ; *protegat te nomen Dei Jacob,* sancti videlicet Patriarchæ, ne succumbas, nec pericliteris.
Mittat tibi auxilium, per quod consolati- 3
onem victoriamque obtineas, *de sancto,* id est de sanctissima liberalitate suæ bonita-
tis immensæ, per quam (teste Jacobo) dat Jacob. I, 5.
omnibus affluenter, et non improperat ; *et de Sion,* id est de Ecclesia triumphanti, quæ eum per speciem contemplatur, *tueatur te* contra adversa, mittendo videlicet angelos sanctos ad tuam custodiam, protectionem ac liberationem.

Memor sit omnis sacrificii tui, id est 4
totius obsequii quod ei impendis, reci-

Digitized by Google

piendo illud benigne, et beatitudinem tibi pro eo restituendo. *Et holocaustum tuum,* id est interna illa ac caritativa oblatio, qua te ipsum Domino offers et mactas : Ps. XLIII, 22. sicut inferius dicitur, Quoniam propter te mortificamur tota die; *pingue fiat,* id est, bonis operibus adornetur, et copiosa mercede impleatur atque ditetur. Holocaustum quippe in veteri lege appellabatur, quod ad Dei honorem totaliter cremabatur : sicut qui se ipsos totaliter abnegant, et Christi crucem super se bajulant, se ipsos holocaustum Domino offerunt. Sicque per holocaustum intelligi potest ipsa voluntas seu anima, quæ tunc pinguis fit, dum Christi amore saginatur, divinisque consolationibus dilatatur.

Vel sic : *Memor sit* Dominus, o Ecclesia, *sacrificii tui,* id est Sacramenti altaris, quod est sacrificium novæ legis : cujus petit Propheta Dominum reminisci, non quod ipsum sacrificium displicere possit, sed ne Deus per peccata offerentis offensus, effectum sacrificii hujus non donet I Cor. XI, 27. fidelibus. Nam, ut ait Apostolus, Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Unde sacerdos quoque in Missa orat, ut Sacramentum corporis et sanguinis Christi acceptum sit Deo, dicens : Supra quæ propitio ac sereno vultu, etc. *Et holocaustum tuum,* o Ecclesia, id est prædictum sacrificium quod holocaustum vocatur, quoniam Christus Ephes. V, 2. se ipsum perfecte ac integre obtulit Patri in odorem suavitatis, secundum Apostolum : hoc, inquam, holocaustum *pingue fiat,* id est, recipientes et offerentes, spiritualiter pingues efficiat, dando eis effectus sacramentales.

5 *Tribuat tibi* Deus *secundum cor tuum,* id est secundum rationabile desiderium cordis tui; *et omne consilium tuum con-* Tob. IV, 20. *firmet,* quatenus consilia tua in ipso permaneant, atque ab ipso inspirentur, dirigantur, et perficiantur : quod fit per hoc quod Deus dat animæ donum consilii, per quod fit bene mobilis a Spiritu Sancto in omni inquisitione consiliativa. Debemus quoque semper Dominum invocare pro dono consilii, quemadmodum Dominus ait apud Isaiam : Væ, filii desertores, ut face- Is. XXX, 1. retis consilium, et non per me; et ordiremini telam, et non per Spiritum meum. Indigemus namque hoc dono, ne decipiamur in consulendo, propter variabilitatem rerum humanarum, et varias circumstantias atque eventus : quæ omnia considerare non possumus, nisi per Spiritum Sanctum moveamur in consulendo, quia scriptum est : Cogitationes mortalium sunt Sap. IX, 14. timidæ, et incertæ providentiæ nostræ. Merito ergo orat Propheta, Et omne consilium tuum confirmet.

Nunc cognovi quoniam salvum fecit Dominus Jesus Christus *christum suum,* id est 7 quemlibet fidelem unctione Spiritus Sancti interius unctum, sicut ait Joannes : Vos un- I Joann. II, 20. ctionem habetis a Sancto, et nostis omnia. *Exaudiet* Christus *illum* sic unctum *de cœlo sancto suo,* in quo ipse cum Patre et Spiritu Sancto vivit, regnat ac residet.

Domine, salvum fac regem, id est quem- 10 libet Christianorum rectorem, principem, seu prælatum. Vel, Regem, id est unumquemque se ipsum rationabiliter gubernantem, ac animo proprio dominantem. Cetera ex præcedenti expositione satis clarescunt.

Denique unusquisque dicere potest hunc psalmum pro se ipso orans, videlicet dirigendo sermonem ad propriam animam : sicque a sacerdote celebraturo, se ipsum alloquente, convenienter diceretur. Specialiter quoque tres versus in ipso contenti, videlicet, Mittat tibi auxilium de sancto, cum duobus sequentibus, valde congruenter dici possunt ab adstantibus, quando se vertit sacerdos in Missa ad populum, petens orari pro se.

PRECATIO.

Exaudi nos, quæsumus, Domine, in die tribulationis, et protege nos ab omnibus malis : ut surgentes et erecti stantes, prostratis hostibus, in te Domino Deo nostro semper exsultemus.

Digitized by Google

ARTICULUS XLVIII

EXPOSITIO LITTERALIS PSALMI VICESIMI : DOMINE, IN VIRTUTE TUA, ETC.

PRÆTEREA psalmi nunc exponendi talis A
1 est titulus : *In finem, psalmus David :* id
est, psalmus iste attribuitur David, diri-
genti mentis suæ intuitum in Christum :
de quo et cujus regno, psalmus hic ad lit-
teram exponendus est.

PRIMO autem ostendit gloriosus Prophe-
ta beneficia humanitati Christi collata
2 a sua divinitate, et ait : (1) *Domine* Pater,
Ephes. III, 15. ex quo (secundum Apostolum) omnis pa-
ternitas in cœlo et in terra nominatur, *in*
virtute tua, id est in omnipotentia tuæ B
majestatis tanquam in objecto, *lætabitur*
Apoc. I, 5; XVII, 14; XIX, 16. *rex,* id est Dominus Jesus, qui est rex re-
gum et princeps regum terræ. Christus
enim ut homo, gloriatus est de perfectione
et potestate divina, per quam faciebat mi-
racula ; et non lætabatur de se, secundum
quod homo, nisi in Deo. *Et super salutare*
tuum, id est de salvatione sui corporis per
resurrectionem, et de omni beatitudine ei
a te collata, præsertim de personali unio-
ne suæ humanitatis cum Verbo, *exsultabit*
vehementer : quoniam Christus ut homo, C
tanto vehementius gaudet in Deo, quanto
se videt magis electum ab eo, pluraque
salutaria dona sortitum ab ipso.
3 (2) *Desiderium cordis ejus tribuisti ei,*
exaudiendo eum in omnibus, et beatifican-
do animam ejus a suæ creationis princi-
pio ; *et voluntate labiorum ejus,* id est
effectu orationum, instructionum, ac ali-
orum sermonum suorum, *non fraudasti*
eum, sed exaudisti eum, ejusque doctri-
nam fecisti in cordibus electorum fructi-
ficare in vitam æternam ; imperioque oris D
sui subjecisti spiritus immundos : nam ad
Matth. IV, 24; VIII, 16, 32; et alibi. imperium Christi ejiciebantur dæmonia,
quemadmodum Evangelistæ testantur.

Ideo autem hæc Christo homini compe-
tunt, (3) *Quoniam prævenisti eum in bene-* 4
dictionibus dulcedinis : omni enim gratia
excellentissime adornasti animam Christi
ab instanti suæ creationis, conservando
eam ab omni peccato originali et actua-
li immunem, universisque donis Spiritus
Sancti dulcissimis eam replendo, et quod
super omnia est, beatifica tua visione ip-
sam felicitando : et hoc sine præcedenti-
bus meritis ejus. Benedictio equidem Dei
vocatur collatio gratiæ ejus. Anima ergo
Christi præventa est benedictionibus dul-
cedinis, id est gratuitis donis divinæ col-
lationis sine præviis meritis.

Posuisti, o Domine Pater, *in capite ejus,*
id est in superiori parte animæ Christi, in
qua Trinitatis imago consistit, videlicet in
intellectu ipsius, *coronam* triumphalem,
salutem, seu victoriosam felicitatem, *de*
lapide pretioso, id est de perfecta atque
firmissima caritate compactam : quoniam
beatitudo intellectus, per actum carita-
tis perficitur, stabilitur, et immobilitatur.
(4) *Vitam,* id est resurrectionem festina- 5
tam a morte, scilicet ut tertia die suscita-
retur, *petiit* Christus *a te,* Domine Pater, *et*
tribuisti ei, resuscitans eum tertia die :
nec solum dedisti ei vitam, sed et vitam
impassibilem et æternam (quemadmodum
ait Apostolus, Christus resurgens ex mor- *Rom.* VI, 9.
tuis, jam non moritur). Ideo subdit, *longi-*
tudinem dierum in sæculum et in sæculum
sæculi, id est, dedisti ei vitam æternam, cu-
jus duratio omne tempus includit. Et ergo
(5) *Magna est gloria,* id est delectatio, *ejus* 6
in salutari tuo, id est in salutifera con-
junctione ad te. Gloria enim Christi homi-
nis, est in unione sua beata ad Deum : et
tanto est hæc gloria ejus major, quanto

Digitized by Google

propinquius Deo unitus est. *Gloriam,* id A
est animæ jucunditatem de electorum sal-
vatione, ac cœlestis Jerusalem reædifica-
tione, *et magnum decorem,* id est corporis
splendidissimam glorificationem, *impones
super eum,* scilicet Christum, sicut in die
resurrectionis et ascensionis jam factum
est. Vel sic : *Gloriam,* id est claram notiti-
am, *et magnum decorem,* id est præclarum
ornatum, *impones super eum,* videlicet
copulando sibi Ecclesiam immaculatam,
sui Sponsi claram cum laude notitiam ha-
bentem, eumque decorantem et lætifican- B
tem, sicut sponsa ornat et lætificat spon-
sum suum.

Ideo autem hæc facies, o Deus Pater,
7 (6) *Quoniam dabis eum,* scilicet Christum,
in benedictionem in sæculum sæculi : ita
ut non solum sit in se ipso æternaliter
benedictus, sed etiam alii benedicantur
Ps. LXXI, 17. per ipsum : prout inferius dicitur, Et be-
nedicentur in ipso omnes tribus terræ.
Lætificabis eum in gaudio, id est, omni
gaudio Christum implebis, *cum vultu tuo,*
id est ex adspectu vultus tui, in cujus C
visione beatitudo consistit : ita ut Christus
jam tibi præsens, gaudeat non solum de
propria felicitate, sed de omnium quoque
salvandorum per ipsum salute.

Talis vero accidentalis merces et gloria
8 Christo debetur, (7) *Quoniam rex,* id est
Christus, *sperat in Domino,* id est, omne
bonum nondum adeptum, ab eo exspectat
et ei attribuit ; neque creatam potentiam
sibi sufficere ad felicitatem existimat, sed
totam fiduciam in Deo ponit ; *et in mi-
sericordia Altissimi non commovebitur,* D
id est, sperando in misericordia Dei non
derelinquetur, nec a Domino separabitur.
Nam Christus nunquam motus est vel se-
paratus a Domino.

Consequenter agit Propheta de repre-
9 hensione hostium Christi, et ait : (8) *In-
veniatur,* o Christe judex, *manus tua,* id
est potestas tua ulciscens peccata, *om-
nibus inimicis tuis,* videlicet hæreticis,
schismaticis et impœnitentibus, ita ut ex-
periantur in pœnis tuam justitiam, qui
noluerunt in via acquirere tuam clemen-
tiam. *Dextera tua,* id est rectissima atque
districta tua justitia, *inveniat,* per exa-
minationem ac pœnæ inflictionem, *omnes
qui te oderunt,* id est perversos incredu-
losque Judæos, qui te per invidiam occi- Matth.
derunt. Hos gravior pœna possideat, quo- XXVII, 18.
niam gravius peccaverunt. Et ita erit, nam
(9) *Pones eos ut clibanum ignis,* inflam- 10
mando eos [in] corpore igne sensibili, et
[in] anima vi doloris ac verme conscien-
tiæ, *in tempore vultus tui,* id est in die
justi judicii, quando per retributionem Ibid. XXV,
adspicies quæ modo per longanimitatem 41.
dissimulas. *Dominus* Christus *in ira sua,*
id est in ultione suæ justitiæ, *conturbabit
eos,* projiciendo eos in tenebras exterio-
res, ubi umbra mortis et nullus ordo, sed Job X, 22.
sempiternus horror inhabitat ; *et devora-
bit eos ignis* infernalis, non ut consumpti
moriantur, sed ut miseriis involuti, æter-
naliter crucientur, sicut in libro Judith
legitur : Dominus omnipotens judicabit in Judith XVI,
eis, in die judicii visitabit illos. Dabit enim 20, 21.
ignem et vermem in carnem ipsorum, ut
urantur, et sentiant usque in sempiter-
num. (10) *Fructum eorum,* id est delectatio- 11
nem ipsorum carnalem ac turpem, *de terra
perdes,* id est, a regione vivorum sepa-
rabis, ne gaudeant in cœlis cum Deo, qui
nunc illicite deliciantur in sæculo ; *et se-
men eorum,* id est opera eorum, perdes *a
filiis hominum,* id est a beata societate
eorum qui in mundo rationabiliter et hu-
mane et pie vixerunt, quemadmodum scri-
ptum est : Tollatur impius ne videat glo- Is. XXVI, 10.
riam Dei.

Tota ista sententia, quæ inter bonos et
malos discernit, etiam per Malachiam pul-
chre innuitur : Convertimini, inquit, et Malach. III,
videbitis quid sit inter justum et impium, 18.
et inter servientem Deo et non servientem
ei. Ecce dies veniet succensa quasi cami- Ibid. IV, 1.
nus ; et erunt omnes superbi et omnes
facientes impietatem stipula ; et inflam-
mabit eos dies veniens, dicit Dominus,
quæ non derelinquet eis radicem.

Insuper ista specialiter et convenien-

ter, imo et litteraliter exponi possunt de A
oppressione, occisione, et combustione Ju-
dæorum per Romanos principes facta, ut
sit sensus : *Inveniatur,* o Christe, *ma-
nus tua omnibus inimicis tuis,* id est,
experiantur infideles Judæi potentiam tu-
am ac justam vindictam. *Pones eos ut
clibanum ignis,* replendo magnis ac va-
riis calamitatibus ; *in tempore vultus tui,*
id est in die ultionis, qua per Titum et
suos respexisti vindicare mortem tibi il-
latam. *Dominus in ira sua conturbabit
eos* timore atque dolore ; *et devorabit eos* B
ignis, id est, magna et vehemens pœna
consumet eos, sicut et factum est. *Fru-
ctum eorum de terra perdes,* etc. Nam in
prædicta persecutione de terra sua expulsi
sunt et ipsi et filii eorum usque in diem
præsentem.

Quæ autem sequuntur, de prædictis Judæ-
is optime exponuntur. Subjungit enim cau-
12 sam tantæ oppressionis, et dicit : (11) *Quo-
niam declinaverunt,* o Christe, *in te ma-
la,* imponendo tibi grandia crimina. Nam
Joann. xviii, 30. coram Pilato clamabant : Si non esset hic C
malefactor, non tibi tradidissemus eum ;
Ibid. xix, 15; Luc. xxiii, 18, 21. et iterum : Tolle, tolle, crucifige eum. *Co-
gitaverunt consilia quæ non potuerunt
stabilire.* Frequenter namque excogitave-
runt Judæi, qualiter aliquam occasionem
contra Christum invenirent ; sed non po-
tuerunt sua consilia stabilire, quia non
poterant rationabilem causam reperire, nec
suas accusationes probare aut verificare.

(12) *Quoniam pones eos dorsum,* id est, per- 13
mittes eos excæcari, indurari, et omnino
averti a te, ita ut fugiant a lege et fide
tua, vertentes ad te dorsum, non faciem Jer. xxiii, 33.
mentis. *In reliquiis tuis,* id est in paucis
quos tibi elegisti ex illis, de quibus ad
Romanos ait Apostolus, Reliquiæ salvæ Rom. ix, 27.
fient, *præparabis,* id est, recte dispones
et ordinabis, *vultum eorum,* id est scien-
tiam legis ac Prophetarum : quam ipsi
male atque carnaliter intellexerunt ; se-
que in ea sapientes esse jactabant, sed
ita non erat. Verum Christus per Spiri-
tum Sanctum contulit reliquiis suis verum
et sanum intellectum legis ac Propheta-
rum, sicque electis suis reliquiis præpara-
vit, seu perfecte paravit, vultum vel co-
gnitionem carnalium Judæorum.

(13) *Exaltare, Domine* Christe, *in virtute* 14
tua, id est, propria potestate resurge, as-
cende, te ipsum mundo declara per do-
ctrinam atque miracula Apostolorum, prin- Joann. xii, 31.
cipem hujus mundi ejice foras, in cordibus
fidelium regna, et totum mundum tuo im-
perio subde. Quo facto, *cantabimus* voce
et psallemus vita ac moribus *virtutes tuas,*
id est sanctitatem ac perfectionem con-
versationis tuæ, miracula quoque et cete-
ra quæ ad nominis tui honorem et glo-
riam pertinent. Statim enim post Christi
ascensionem et Spiritus Sancti missionem,
cœpit Ecclesia publice securaque mente
cantare et psallere, prædicare et scribere
virtutes sui Salvatoris.

ARTICULUS XLIX

EXPOSITIO ANAGOGICA EJUSDEM PSALMI VICESIMI.

DENIQUE, secundum anagogicum in- D
tellectum, exponitur psalmus iste de
quolibet Beatorum in patria. Nam Eccle-
sia in natalitiis martyrum, magnam par-
tem cantus assumpsit ex psalmo præsenti.

Ait ergo : *Domine* simplex ac trine, qui 2
es fons universæ sanctæ lætitiæ, *in virtu-
te tua,* id est in te ipso, qui es virtus tua ;
vel, In virtute tua, id est in Christo Filio
tuo, qui (teste Apostolo) est virtus et sa- I Cor. i, 24.

Digitized by Google

pientia tua; *lætabitur rex,* id est quilibet A
comprehensor in patria : quoniam in vi-
sione tua ac Filii tui consistit beatitudo
æterna, quemadmodum Unigenitus tuus
Joann. xvii, 3. testatur : Hæc est, inquiens, vita æterna,
ut cognoscant te solum Deum verum, et
quem misisti Jesum Christum. Omnes enim
Beati in patria, merito reges vocantur,
quum sint præelecti perfectique filii æter-
ni Regis, quemadmodum in Apocalypsi
Apoc. xxii, 4, 5. scriptum est : Videbunt faciem ejus, et re-
gnabunt in sæcula sæculorum. *Et super*
salutare tuum, id est de salutari tui noti- B
tia, seu clara visione tuæ essentiæ, *exsul-*
tabit vehementer, imo ineffabiliter, et om-
ni viatori incomprehensibiliter : prout per
Malach. iv, 2, 3. Prophetam Dominus ait : Orietur vobis
timentibus nomen meum Sol justitiæ, et
sanitas in pennis ejus. Salietis quasi vituli
de armento, et calcabitis impios. Et sa-
cratissimus Apostolorum princeps in Ca-
I Petr. i, 8, 9. nonica sua : Videntes, inquit, Jesum, exsul-
tabitis lætitia inenarrabili et glorificata,
reportantes finem fidei vestræ, salutem
Rom. viii, 18. animarum vestrarum. Et Paulus : Non sunt, C
ait, condignæ passiones hujus temporis
ad futuram gloriam quæ revelabitur in
nobis.

Ideo autem, o Domine, exsultabit sine
3 fine vehementer, quoniam *desiderium cor-*
dis ejus, id est bonum desideratum a cor-
de suo, *tribuisti ei,* dando ei te ipsum in
præmium. Vel, Desiderium cordis ejus tri-
buisti, id est, affectum quo te desideravit
videre præsentem, perduxisti ad actum,
ostendendo ei te ipsum, ac illud evange-
Matth. xxv, 21, 23. licæ veritatis ei dicendo : Euge, serve bo- D
ne, quia in modico fidelis fuisti, supra
multa te constituam ; intra in gaudium
Domini tui. Proprie autem sumendo de-
siderium pro affectu boni futuri, sic San-
cti in patria non habent desiderium re-
spectu præmii essentialis, sed amorem,
quoniam amor est de bono præsenti ; sed
respectu accidentalis præmii desiderium
habent. Nihilo minus Petrus loquens de
I Petr. i, 12. Christo, dicit quod angeli desiderant in
ipsum prospicere : in quo utique prospe-
ctu præmium essentiale consistit. Sed ibi
desiderium sumitur pro amore fastidium
excludente. *Et voluntate labiorum ejus,* id
est desiderio orationum oris sui, quibus
in via semper oravit pervenire ad pa-
triam, *non fraudasti eum.* Et hoc ideo,
quoniam prævenisti eum in benedictioni- 4
bus dulcedinis, id est, quoniam ab æterno
elegisti eum ad hanc gloriam benedictam
atque dulcissimam : sicut Apostolis ait :
Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Joann. xv, 16.
Vel, Prævenisti eum in benedictionibus
dulcedinis, id est, virtutes theologicas, sci-
licet fidem, spem et caritatem, per quas
benedicimur et Deo conjungimur, infudi-
sti ei in via sine prævio merito. Has enim
virtutes nullus de condigno meretur, sed
nec habitum gratiæ novum ; sed Deus mi-
sericorditer prævenit nos secundum or-
dinem prædestinationis æternæ, providens
nobis de omnibus necessariis ad adipi-
scendum vitam æternam.

Posuisti in capite ejus, id est in intel-
lectu ejus, qui est suprema vis animæ,
secundum Thomam, *coronam,* id est es-
sentiale præmium, quod theologi auream
nominant, scilicet visionem divinæ essen-
tiæ : et hanc coronam posuisti in capite
ejus, *de lapide pretioso,* id est de objecto
æterno seu summo bono causatam, quia
ex unione intellectus ad Deum, causatur
in ipso ista felicitas. Sicque corona San-
ctorum est de lapide pretioso, non sicut
de causa materiali, sed sicut de finali ac
efficienti : nam Deus sublimis ac benedi-
ctus, est effector et finis omnis creatæ
felicitatis. Hac corona non coronatur, nisi II Tim. ii, 5.
qui legitime certaverit, et mundo corde
Deo servierit. Hæc enim corona facit nos
Deo perfecte similes, seu deiformes, quem-
admodum apud Joannem legitur : Carissi- I Joann. iii, 2.
mi, nunc filii Dei sumus, et nondum ap-
paruit quid erimus. Scimus quoniam quum
apparuerit, similes ei erimus, quia vide-
bimus eum sicuti est.

Vitam æternam et cœlestem *petiit a te,* 5
dum adhuc peregrinabatur in sæculo isto :
cujus vita est potius mors dicenda quam

Digitized by Google

vita, secundum Gregorium ; *et tribuisti ei*
quod petiit, scilicet *longitudinem dierum*
in sæculum et in sæculum sæculi, id est
diem æternum qui non causatur a sole
sensibili, sed a claritate divina, sicut Jo-
Apoc. XXI, 23. annes testatur : Civitas non eget sole, ne-
que luna ; nam claritas Dei illuminabit
6 eam, et lucerna ejus est Agnus. *Magna*
est gloria ejus, scilicet comprehensoris cu-
juslibet, *in salutari tuo,* id est in con-
templatione Verbi æterni : in Christi enim
visione beatitudo reposita est. *Gloriam et*
magnum decorem, id est duplicem stolam,
videlicet animæ felicitatem, et corporis
claritatem, *impones super eum,* in resur-
I Cor. XV, 54. rectione mortuorum, quando mortale hoc
induet immortalitatem, et quando justi
Matth. XIII, 43. fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.
Vel sic : *Gloriam,* id est tres dotes animæ,
scilicet visionem quæ succedit fidei, ten-
tionem quæ succedit spei, et fruitionem
quæ succedit caritati, *et magnum deco-*
rem, id est quatuor dotes corporis, utpote
claritatem, impassibilitatem, agilitatem, et
subtilitatem, *impones super eum.*

7 *Quoniam dabis eum in benedictionem,*
id est, facies eum adhærere benedictioni
tuæ, quatenus sit benedictus *in sæculum*
sæculi, id est sine fine : nam quilibet com-
prehensor est confirmatus in bono ; *læti-*
ficabis eum in gaudio cum vultu tuo, id
est ex claro ac immediato adspectu vultus
Ps. XV, 11. tui : sicut superius dictum est, Adimple-
bis me lætitia cum vultu tuo.

Omnia autem prædicta bona habet com-
prehensor unusquisque in patria, quia in
hac vita speravit in bonitate divina. Ideo
8 subdit : *Quoniam rex sperat in Domino,*
non in patria, sed in via. In patria enim
non manent fides et spes, quoniam fides
includit obscuritatem notitiæ, spes autem
absentiam boni optati : quorum neutrum
in patria manet. *Et in misericordia Altis-*
simi non commovebitur, id est, confiden-
do in Deo, et innitendo gratiæ et miseri-
cordiæ ejus, non cadet, neque damnabitur.
Prov. XVIII, 10. Ideo Salomon ait : Turris fortissima nomen
Domini ; ad ipsum currit justus, et ex-

A altabitur. Et Isaias : Qui autem sperant Is. XL, 31.
in Domino, mutabunt fortitudinem, assu-
ment pennas ut aquilæ, volabunt, et non
deficient.

Postremo Ecclesia triumphans dicit Do-
mino, non orando, sed regratiando : *Exal-* 14
tare, Domine, in virtute tua, id est, secun-
dum magnitudinem tuæ potentiæ, ostende
nobis altitudinem tuam immensam, mani-
festando nobis te ipsum sicut es : sicque
æternaliter *cantabimus et psallemus vir-*
tutes tuas, id est, laudabimus perfectio-
B nes tuas, videlicet sapientiam, justitiam,
omnipotentiam, felicitatem, liberalitatem,
etc. Vel sic : *Exaltare, Domine, in virtute*
tua, damnando ac dejiciendo adversarios
tuos, omnes videlicet reprobos, sicut in
Apocalypsi habetur : Sub ara Dei Sancti Apoc. VI, 9, 10.
clamabant, Usquequo, Domine, non vin-
dicas sanguinem nostrum ? Quo facto, *can-*
tabimus nos *et psallemus virtutes tuas,*
laudando tuam justitiam atque potentiam.
Unde scriptum est : Exsultate, cœli et Ibid. XVIII, 20.
sancti Apostoli et Prophetæ, quoniam ju-
C dicavit Deus judicium vestrum. Cetera in
præcedenti expositione declarata sunt.

Ecce audivimus ex elucidatione præ-
sentis psalmi inæstimabilem beatitudinem
electorum, atque horribiles pœnas mali-
gnorum. Eligat ergo sibi unusquisque, cum
quibus post hanc brevem ac labilem vi-
tam locari ac præmiari desiderat ; stude-
atque illorum nunc opera imitari, cum
quibus vult in futuro demorari. Si cum
Beatis regnare desideramus in cœlo, sa-
tagamus cum eis compati Christo, mun-
D dum despicere, passiones immoderatas et
vitia abhorrere ; atque ordinata, munda,
ac stabili mente omnipotenti Domino de-
servire.

PRECATIO.

Virtutum meritis, Domine, nos exalta,
quibus devote cantemus et psallamus vir-
tutes tuas : da nobis benedictionem perpe-
tuam consequi, et gaudio per ævum cum
vultu tuo desiderabili lætificari.

Digitized by Google

ARTICULUS L

EXPOSITIO LITTERALIS PSALMI VICESIMI PRIMI : DEUS, DEUS MEUS, RESPICE, ETC.

1 Hujus insuper psalmi iste est titulus : *In finem, psalmus David, pro susceptione vel assumptione seu cerva matutina :* id est, psalmus iste in finem nos dirigens, est David, id est Christi per David figurati, pro assumptione vel susceptione matutina, id est pro sua resurrectione, quæ mane facta est, in psalmo isto orantis ; vel, Pro cerva matutina, id est pro Christi humana natura, quæ comparatur cervæ, quoniam ad similitudinem cervæ semper per contemplationem alta conscendit, et terrena transiliit.

Quod autem hic psalmus ad litteram de Christo sit exponendus, constat ex eo quod beatissimi Evangelistæ allegant verba psalmi hujus in Christi passione esse impleta, sicut patebit. Dicuntque Hieronymus et alii multi, quod Christus in cruce cecinit totum hunc psalmum cum psalmis sequentibus usque ad illum versiculum, In manus tuas commendo spiritum meum : (Ps. xxx, 6.) quod satis probabile est. Matthæus enim et Marcus testantur Christum in cruce dixisse principium hujus psalmi, scilicet, Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? (Matth. xxvii, 46; Marc. xv, 34.) Lucas vero commemorat eum dixisse versum illum, In manus tuas commendo spiritum meum. (Luc. xxiii, 46.) Unde videtur intermedios quoque versus dixisse. In Hebræo namque psalmus iste sic incipit : Eli, Eli, lamma hazababthani? Quod autem adjungitur in nostra translatione, Respice in me, non est in Hebræo, nec in translatione Hieronymi juxta Hebræum, sed a Septuaginta interpretibus additum creditur.

Porro Psalmus iste pulcherrimus valde est, et omni devotione plenissimus : estque cum fideli ac pia compassione Christi cantandus; et qui eum sine affectu promit, nescio si Christo gratus est, eumve A diligat. Non est enim aliquis psalmus qui tam evidenter, determinate, ac proprie Christi passionem describat, sicut hic psalmus; ita ut potius historia videatur, quam prophetia. Nec recolo in toto veteri Testamento tam diffuse et clare descriptam Christi passionem, sicut in hoc loco, et Isaiæ quinquagesimo tertio capitulo. (Is. LIII.) Quamvis etenim Daniel apertissime dixerit Christum occidendum, (Dan. ix, 26.) non tamen ita prolixe ac determinate describit modum et acerbitatem hujus occisionis, quemadmodum B David et Isaias in locis præallegatis. Diligenter ergo et affectuose, quantum Dominus dare dignabitur, exponendus est psalmus iste dulcissimus, et mira virtute repletus, cujus singula verba sunt faculæ quædam ignis divini amoris, qui est Spiritus Sanctus. O quam clare et condolenter vidit sanctissimus David in spiritu acerbitatem, horrorem, ac totum processum dominicæ passionis, et quod Christo patienti compatiendum sit, quando hunc psalmum conscripsit! et quomodo virtus C causæ principalis hujus psalmi, videlicet virtus Spiritus Sancti, resultat et continetur in hoc suo effectu, scilicet in psalmo præsenti !

Ait ergo Propheta in persona Christi, vel potius ipsemet Christus ratione humanitatis assumptæ : (1) *Deus, Deus meus.* 2
Repetitio Dei, indicium est ferventis desiderii. Itaque, *Deus* universorum, *Deus meus* specialissimo modo, sicut frequenter expositum est. Unde post resurrectionem D Christus Mariæ Magdalene ait : Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum. (Joann. xx, 17.) In quo designat, quod sicut Deus est specialiter suus Pater ratione divinæ naturæ, quam per genera-

Digitized by Google

tionem a Patre recepit; sic specialiter est suus Deus ratione humanitatis assumptæ: quam Pater plus diligit quam totum universum; et ipsa quoque Deum plus diligit quam totum universum: sicut ostensum est.

Ait itaque unicus atque amantissimus Dei Filius, in crucis patibulo pendens, et inexcogitabilibus pœnis circumdatus: *Deus, Deus meus, respice in me,* id est, attende et vide quid pro tuo honore ac mundi salute sustineo. Quomodo sic avertis, vel potius avertere videris faciem tuam a puero tuo, de quo toties asseruisti, Hic est Filius meus dilectus? Respice in me, id est, condole mihi, qui semper respexi in te cum omni reverentia, faciendo quæ tibi sunt placita.

Ps. LXVIII, 18. — *Matth.* III, 17; XVII, 5. — *Joann.* VIII, 29.

Quare me dereliquisti? id est, cur ita te habes circa me, quasi omnino non pertinerem ad te, sed displicerem tibi et essem traditus oblivioni, sicut et illi de quibus ait Scriptura, Nescio vos? Quare me dereliquisti in manus impiorum? Quare me dereliquisti, subtrahendo patienti naturæ ac inferioribus viribus solitam divinæ consolationis dulcedinem, seu consuetam redundantiam gaudii a superioribus animæ viribus ad inferiores ejus potentias? In hora enim passionis, non fiebat aliqua redundantia felicitatis quam habuit Christus in supremis animæ suæ potentiis, per comparationem earum ad Verbum, ad inferiores suas potentias; sed tam graves patiebatur pœnas in corpore, et tantis in anima afficiebatur doloribus, quasi derelictus videretur a Deo. Non tamen simpliciter derelictus erat, quia nec personalem unionem cum Verbo, nec beatificam fruitionem mentis in Deo amisit: imo intellectus et voluntas animæ Christi, tempore passionis erant simul et semel in maximo gaudio beatæ fruitionis, atque in summo dolore per comparationem ad humanam ejus naturam, quæ tota in afflictionibus fuit quatenus totam humanam naturam redimeret. Hinc quoque probatur, quod nunquam aliquis martyrum amariorem pertulit mortem Christo. Martyres namque in suis passionibus mirabiles habebant consolationes, adeo ut multi eorum quodammodo non sentirent tormenta foris illata. Ad insinuandum igitur acerbissimum passionis suæ dolorem, et ut te quoque ad piam ac christianam provocet compassionem, Christus ait: Quare me dereliquisti, ita ut videar omnino contemptus a te? Hoc est quod apud Isaiam legimus: Nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo et humiliatum.

Matth. XXV, 12; *Luc.* XIII, 25, 27. — *Is.* LIII, 4.

Denique quod sequitur, *longe a salute mea,* referri potest ad ea quæ dicta sunt, scilicet, Quare me dereliquisti? ut sit sensus: Quare a corporis sanitate seu a corporali salute dereliquisti me, exponendo me tantis miseriis? Deinde subjungit causam hujusmodi derelictionis, et ait: *verba delictorum meorum,* id est, strepitus vitiorum in auribus Dei male sonantium: quæ vitia sunt meorum, id est hominum per me liberandorum. Hæc verba sunt causa passionis meæ: quemadmodum Isaias testatur, Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Sicque Delictorum, et Meorum, divisim construenda sunt. Possunt tamen conjunctim construi, ita ut propter unitatem Christi et Ecclesiæ, seu capitis et membrorum, Christus peccata nostra dicat sua delicta.

Ibid. 5.

Potest etiam, quod dicitur, Longe a salute mea, referri ad id quod sequitur, scilicet, Verba delictorum, ut sit sensus: Verba delictorum meorum, quæ sunt longe a salute mea, quoniam dividunt inter Deum et homines, sunt causa quod ita relinquor ac patior: sicut Jeremias fatetur, Spiritus oris nostri, Christus Dominus, captus est in peccatis nostris. Christus enim passus est, ut mundi peccata auferret, juxta illud Apostoli: Christo confixus sum cruci, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me. Unde in Daniele apertissime scriptum est: Dixit Gabriel ad Danielem: Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, ut deleatur iniquitas, et adducatur justitia

Ibid. LIX, 2. — *Thren.* IV, 20. — *Galat.* II, 19, 20. — *Dan.* IX, 22, 24.

Digitized by Google

sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus Sanctorum.

3 (2) *Deus meus, clamabo per diem :* nam Christus in die Parasceves circa horam nonam clamavit : Eli, Eli, lamma hazabathani? sicut jam patuit. (Matth. XXVII, 46.) *Et non exaudies,* minuendo corporis mei dolorem, animique tristitiam, sed morte amarissima atque turpissima me occidi permittes. *Et nocte* clamabo, videlicet ante diem passionis, quando ter oravi eumdem sermonem, et dixi : Mi Pater, si fieri potest, transfer calicem istum a me. (Marc. XIV, 36 ; Luc. XXII, 42.) Sed nec tunc exaudies : non tamen oratio mea indecens aut reprehensibilis fuit. Unde subjungitur : *et non ad insipientiam mihi,* id est, nec a te, nec ab aliquo poterit mihi ad stultitiam seu indiscretionem imputari, quod ea rogavi in quibus exauditus non sum.

Habent autem ista difficultatem non parvam. Apud Joannem namque habetur Christum dixisse : Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me ; ego autem sciebam quia semper me audis. (Joann. XI, 41, 42.) Quomodo ergo nunc ait, Deus meus, clamabo per diem, et non exaudies? Ad Hebræos insuper evidenter ait Apostolus, quod Christus in diebus carnis suæ, preces supplicationesque ad Deum qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido et lacrimis offerens, exauditus est pro sua reverentia. (Hebr. V, 7.)

Dicendum ergo, quod sicut Damascenus affirmat, Oratio est petitio decentium a Deo ; et secundum Augustinum, ea licet orare, quæ licet desiderare. Christus vero nunquam petivit a Deo aliquid indecens aut illicitum. Propterea quidquid unquam absolute oravit, id est, quidquid ex deliberata voluntate petivit, semper obtinuit. Prædictæ vero postulationes, in quibus se Christus asserit non exauditum, non erant orationes simpliciter fusæ, sed cum quadam conditione ; procedebantque magis ex affectu doloris et motu sensitivæ partis, quam ex rationis pleno judicio, non tamen contra ordinem rationis. Voluit autem Christus has orationes effundere, quas sciebat non esse exaudiendas : primo, ut ostenderet se veraciter incarnatum atque passibilem, ad confundendum hæreticos oppositum opinantes ; secundo, propter nostram instructionem, videlicet, ne fatigemur, nec desperemus, dum non exaudimur statim vel pro voto a Domino ; sed exemplo Christi, subjiciamus et committamus nos beneplacito Creatoris, certi quoniam ipsi cura est de nobis. (I Petr. V, 7.)

Quod autem prædictæ orationes non erant simpliciter et absolute orationes dictæ, constat ex hoc, quod dum Christus dixisset, Pater, transfer calicem istum a me, protinus subdidit, Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat : (Marc. XIV, 36 ; Luc. XXII, 42.) non quod Christi humana voluntas fuerit divinæ voluntati contraria, sed in hoc Christus omnem suum appetitum, etiam sensitivum, subjecit voluntati divinæ. Sicque absolute loquendo, exauditus est pro sua reverentia, quamvis non sit exauditus quantum ad naturalem suæ humanitatis appetitum, secundum se consideratum, quoniam naturaliter abhorruit mortem ; sed tamen quantum ad istum appetitum, ad superiorem rationem ac divinam voluntatem relatum, exauditus est, quia finaliter et absolute optavit mori pro mundi salute. Propter quod post trinam suam orationem processit festinanter et intrepide obviam Judæis, dicens : Quem quæritis ? (Joann. XVIII, 4, 7.) Alias non videretur ipse personaliter implevisse quod alios docuit : Nolite, inquiens, eos timere qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere ; sed eum timete qui habet potestatem et corpus et animam perdere in gehennam ignis. (Matth. X, 28.)

4 (3) *Tu autem in sancto habitas.* Tanquam dicat Christus : Merito dixi, Et non ad insipientiam mihi reputabitur quod non sum exauditus, quia ex hoc non sequitur me aliquo modo esse aversum a te ; sed tu, Domine Pater, in sancto, id est in me Filio tuo sancto ac prædilecto, habitas, et semper in me es ac permanes. Unde ait Salvator : Tu, Pater, in me, et ego in te, quia dilexisti me ante mundi constitutionem. (Joann. XVII, 21, 24.) Et alibi : Verba, inquit, quæ ego (Ibid. XIV, 10.)

Digitized by Google

loquor vobis, a me ipso non loquor; Pa- A ter vero in me manens, ipse facit opera. Tu ergo in sancto habitas, *laus Israel*, id est objectum laudis meæ, qui sum verus
Joann. I, 47. Israelita, in quo dolus non est, et qui faciem tuam semper per speciem vidi, nec unquam a tua contemplatione cessavi.

5 (4) *In te*, id est in tua benignissima bonitate, *speraverunt patres nostri*, videlicet Patriarchæ, Prophetæ, et ceteri justi; *speraverunt*, nec frustra, quoniam *et liberasti*
Judith VIII, 22-25. *eos*. Propter quod alia scriptura dicit : Memores esse debetis, quomodo pater noster B Abraham tentatus est, et per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est. Sic Isaac, sic Jacob, sic Moyses, et omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles. Illi autem qui tentationes non receperunt in timore Dei et
6 patientia, exterminati sunt. (5) *Ad te clamaverunt*, tempore necessitatis atque angustiæ, *et salvi facti sunt*, quantum ad animam, quamvis interdum permissi sint in corpore graviter flagellari, lædi, sive occidi. *In te speraverunt, et non sunt con-* C *fusi* : quia quod desiderabant obtinere a te, videlicet vitam beatam et requiem sempiternam, post hanc temporalem afflictionem sortiti sunt, et non sunt fraudati spe
I Mach. II, 52, 53, 60, 61. Gen. XXII, 2-10. sua. Hoc est quod venerabilis ille Mathathias commemorat : Abraham nonne in tentatione inventus est fidelis, et reputa-
Ibid. XXXIX, 12; XLI, 41. tum est ei ad justitiam? Joseph in tempore angustiæ custodivit mandatum Dei, et
Dan. VI, 22; XIV, 30-40. factus est dominus Ægypti. Daniel in sua simplicitate liberatus est de ore leonis : et omnes qui sperant in Domino, non infir- D mantur.

7 (6) *Ego autem sum vermis, et non homo* : id est, in passione mea tam lamentabiliter, tamque horribiliter dilaceratus sum, conculcatus et excruciatus, ut similior viderer vermi, quam homini; imo in tantum spreverunt me persecutores mei, ac si irrationabile brutum fuissem : sicut apud Isaiam
Is. LIII, 2, 3. prophetatum est, Non est ei species ne-
Luc. XXII, 63, 64. que decor; unde nec reputavimus eum. Et Lucas ait : Viri qui tenebant Jesum,

illudebant ei, cædentes eum, et velaverunt eum, et percusserunt faciem ejus, et cœperunt conspuere eum, et exspuerunt Marc. XIV, 65.
in faciem ejus. Ecce quantus contemptus, ecce quid pertulit Dominus majestatis, ut sua confusio tam pœnalis, fieret nobis honor æternus ac beatitudo cœlestis. *Opprobrium hominum* : id est, factus sum Judæorum opprobrium, coram Pilato dicentium : Hunc invenimus subvertentem Luc. XXIII, 2.
gentem nostram. Et iterum : Noli scribe- Joann. XIX, 21.
re, Rex Judæorum, sed quia ipse dixit, Rex sum Judæorum. *Et abjectio plebis*, ita ut omnibus vilior apparerem : quemadmodum in Evangelio narratur, ubi sic legitur : Tunc Ibid. 1-3.
apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit; et milites (præsidis) plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus, et veste purpurea circumdederunt eum; et veniebant ad eum, et dicebant : Ave, rex Judæorum; et dabant ei alapas, etc. Ex- Ibid. 5, 6.
ivit ergo Jesus, portans coronam spineam et purpureum vestimentum. Et dicit eis : Ecce homo. Quum ergo vidissent eum pontifices et ministri, clamabant, dicentes : Crucifige, crucifige eum. Ecce, o Christiane, et corde fideli perpende, quid pro te pati dignatus est Christus rex gloriæ. Hoc spectaculum imprime indesinenter animæ tuæ, quemadmodum in Cantico Christus hortatur : Pone me ut signaculum super Cant. VIII, 6.
cor tuum.

(7) *Omnes videntes me, deriserunt me* : 8
non simpliciter omnes, quia Nicodemus, Joann. XIX, 38, 39; Luc. XXIII, 50, 51.
Joseph ab Arimathea, aliique multi non deriserunt eum; sed omnes, de quibus prædixit, Factus sum opprobrium hominum et abjectio plebis, videlicet omnes perversi. Vel, Omnes simpliciter, ut sit distributio pro generibus singulorum, non pro singulis generum. Vel, Omnes, id est tam multi, quod comparatione eorum, alii qui non deriserunt me et adfuerunt, quasi nulli videntur. Omnes itaque videntes me, deriserunt me. Tunc itaque omnes isti deriserunt Filium Dei et Sapientiam Pa- I Cor. I, 24.
tris æterni, quando Christum sprevit He- Luc. XXIII, 11.
rodes cum exercitu suo, et illusit (ut ait

Digitized by Google

Luc. xxiii, 24. Lucas) indutum veste alba ; et quando Pi-
latus adjudicavit fieri petitiones eorum,
Joann. xix, 16-18. tradens Jesum flagellatum voluntati eo-
rum ut crucifigeretur; et quando bajulans
sibi crucem, exivit ; et quando crucifi-
xerunt eum, et latrones hinc et hinc,
medium autem Jesum. Propter quod præ-
Is. liii, 14. dictum est : Inglorius erit inter viros ad-
Thren. iii, 14. spectus ejus. Et Jeremias ait : Factus sum
in derisum omni populo, canticum eorum
tota die. Unde, quemadmodum sanctus pro-
pheta Ezechiel in figura Christi toties vo-
catus est filius hominis, sic in figura Chri-
Ezech. xii, 6, 11. sti dictum est ei a Domino : Ego dedi te in
portentum domui Israel. Hæc dices filiis
Israel : Ego portentum vestrum. Et ite-
Ibid. xxiv, 24. rum : Ezechiel erit portentum vestrum.

Locuti sunt labiis multas blasphemias
contra me ; *et moverunt caput,* congra-
tulando miseriis meis, et detestando at-
que ut pseudoprophetam me subsannando.
9 Quid autem locuti sint, subdit : (8) *Speravit*
in Domino. Hoc derisorie asserebant, qua-
si dicerent : Dixit se sperare in Domino.
Et ergo *eripiat eum* de istis tormentis,
salvum faciat eum ab ista turpissima mor-
te, *quoniam vult eum,* id est, quoniam
ipse dixit se electum a Deo et Filium Dei.
Sicut enim sacratissimi Evangelistæ af-
firmant, suspenso in cruce Domino Jesu,
illuserunt ei principes et Pharisæi cum
Matth. xxvii, 42, 43; Luc. xxiii, 35. aliis, et dicebant : Si rex Israel est, vel,
Si hic est Christus Dei electus, descendat
nunc de cruce. Confidit in Deo, liberet
eum nunc, si vult. Dixit enim, Filius Dei
sum. O admiranda concordia evangelicæ
historiæ cum denuntiatione prophetica !

Sed quoniam ista Christo conveniunt
Philipp. ii, 7. propter formam servi, quam pro nobis ac-
10 cepit, ideo addit : (9) *Quoniam tu,* Domine
Pater, *es qui extraxisti me,* supernaturali
Is. liii, 8. et ineffabili modo, juxta illud, Generatio-
nem ejus quis enarrabit ? *de ventre,* id est
de incorrupto et clauso atque virgineo
utero Mariæ, non obsistentibus exitui meo
de Virginis ventre dimensionibus corpo-
rum ; *spes mea,* secundum quod homo
sum, *ab uberibus matris meæ :* quia Chri-
A stus ut homo, semper a principio incarna-
tionis speravit in Domino, non per spem,
quæ est virtus theologica, sed per exspe-
ctationem seu quamdam fiduciam, qua
bonum futurum a Deo exspectavit, et quid-
quid boni habuit, ei attribuit, sicut jam
sæpe ostensum est. *In te,* o Pater, *proje-* 11
ctus sum, jactu amorosæ adhæsionis ac
filialis fiduciæ, *ex utero :* quia ab instan-
ti quo Christus de Virgine natus est, Patri
æterno adhæsit, atque in ipso confirma-
tus fuit, quemadmodum infra habetur :
B Dominus spes mea a juventute mea, in te Ps. lxx, 5, 6.
confirmatus sum ex utero.

(10) *De ventre matris meæ Deus meus es*
tu : quem incessabiliter colo, summe ho-
noro, ardentissime diligo, indesinenter ad-
spicio : et ideo *ne discesseris a me,* dere- 12
linquendo me penitus. Quod idcirco oro,
(11) *Quoniam tribulatio proxima est,* id
est, quoniam passio mea jam instat, *et non*
est qui adjuvet, liberando me de crudeli-
tate volentium crucifigere me. Hoc est
quod apud Isaiam Christus inducit : Cir- Is. lxiii, 5.
C cumspexi, et non erat auxiliator ; quæsivi,
et non fuit qui adjuvaret. Et alibi : Fra- Zach. xiii, 7.
mea, suscitare super pastorem meum, et
super virum cohærentem mihi, dicit Do-
minus. Percute pastorem, et dispergentur
oves gregis. Quæ dicta esse de Christo, Matth. xxvi, 31.
evangelista Matthæus insinuat.

(12) *Circumdederunt me vituli multi,* id 13
est persecutores Judæi, homines instar vi-
tulorum indomiti et lascivi ; *tauri pingues,*
id est magistratus et principes eorum, et
etiam gentiles ac servi Pilati, homines in-
D star taurorum superbi et duri. Unde in
Ecclesiastico dicitur : Non te extollas in Eccli. vi, 2.
cogitatione tua velut taurus. Hi ergo *ob-*
sederunt me. Nam Evangelista testante,
quum Christus dixisset Judæis, Tanquam Matth. xxvi, 55.
ad latronem existis cum gladiis et fusti-
bus comprehendere me ; tunc cohors et Joann. xviii, 12.
tribunus ac ministri Judæorum accesse-
runt, et injecerunt manus in Jesum, et li-
gaverunt eum. Mane quoque facto in die
Parasceves, duxerunt eum in concilium
suum, dicentes : Si tu es Christus, dic no- Luc. xxii, 66.

Digitized by Google

14 bis palam. (13) *Aperuerunt super me os* A
suum, sicut leo rapiens et rugiens. Quan-
Joann. xix, 6, 12, 15; Matth. xxvii, 23. do? nisi dum ante Pilatum clamabant, Cru-
cifige, crucifige eum. Et quanto ille magis
laborabat eum eripere, tanto amplius illi
clamabant, Tolle, tolle; et, Si hunc di-
Luc. xxiii, 23, 7, 10, 9. mittis, non es amicus Cæsaris. Et invale-
scebant voces eorum. Quum vero misisset
ad Herodem Pilatus Jesum, stabant (ut Lu-
cas testatur) principes sacerdotum con-
stanter accusantes eum. Ipse vero non re-
spondit ullum verbum, quatenus impleret
Is. liii, 7. quod dictum est per Prophetam : Tan- B
quam ovis ad occisionem ducetur, et sic-
ut agnus coram tondente se obmutescet, et
Jer. xi, 19. non aperiet os suum. Et alibi : Ego qua-
si agnus mansuetus, qui portatur ad vi-
ctimam.

15 (14) *Sicut aqua effusus sum,* id est, toto
corpore exhaustus sum sanguine, propter
frequentem sanguinis mei effusionem in
die Parasceves, scilicet in corporis diris-
sima flagellatione, in capitis mei spinea
coronatione, præsertim quando percusse-
runt caput meum arundine, in pedum ac C
manuum mearum perforatione; *et disper-
sa sunt omnia ossa mea,* id est, a se invi-
cem disjuncta sunt, et a juncturis natu-
ralibus dissoluta propter violentissimam
corporis extensionem in cruce.

(15) *Factum est cor meum tanquam cera
liquescens.* Interdum in Scripturis per cor
intelligitur mens ipsa vel voluntas, quem-
Matth. v, 8. admodum Christus ait : Beati mundo cor-
de. Interdum vero accipitur cor pro organo
corporali partis sensitivæ : sicut ait Phi-
losophus, quod in animali cor est primum D
vivens et ultimum moriens. Primo igitur
modo sumendo cor, tunc sensus est : Fa-
ctum est cor meum tanquam cera lique-
scens, id est, mens mea præ nimia affecti-
one divini honoris atque humanæ salutis,
et etiam præ vehementi dolore patientis
naturæ, et præ tristitia propter ingratitu-
dinem reproborum, spiritualiter resoluta
est, mollificata, et defluens quodammo-
do a se ipsa, quemadmodum in Canticis
Cant. v, 6. Sponsa ait : Anima mea liquefacta est, ut
dilectus locutus est. Et ad designandum
horum affectuum impetum et ardorem,
Christus in Cœna novissima discipulis di-
xit : Desiderio desideravi hoc pascha man- Luc. xxii, 15.
ducare vobiscum antequam patiar. Si ve-
ro sumatur cor secundo modo, tunc sensus
est, quod sicut cera resolvitur seu lique-
scit calore ignis, sic cor Christi corpora-
liter immutatum est, et liquefactum præ
magna tristitia et afflictione patientis na-
turæ, omniumque animæ virium. Passio-
nes enim seu affectiones sensitivæ partis
fiunt cum corporali transmutatione. Deni-
que ex magna affectione superioris appe-
titus, scilicet voluntatis, sequitur semper
immutatio aliqua in inferiori appetitu seu
corde. Et ita cor Christi instar ceræ li-
quefactum est tempore passionis, tum pro-
pter redundantiam affectionum voluntatis
in ipsum, tum propter sensibiles dolores
appetitus inferioris. Videtur tamen hoc
loco accipi cor secundo modo, quia sub-
jungitur : *in medio ventris mei,* id est in
medio interiorum meorum.

(16) *Aruit tanquam testa virtus mea :* id 16
est, quemadmodum fragmen ollæ igne sic-
catur atque arescit, sic fortitudo mea de-
fecit et aruit propter naturalis harmoniæ
corruptionem, sanguinis effusionem, at-
que vitalium humorum defectum; *et lin-
gua mea adhæsit faucibus meis,* præ sic-
citate et siti corporali; *et in pulverem
mortis,* id est in corruptionem corporeæ
vitæ, *deduxisti me,* o Domine Pater, id
est, permisisti me in eam induci. Tunc
enim corporalis vita Christi quasi in ni-
hilum redacta est, quando anima ejus se-
parabatur a corpore.

(17) *Quoniam circumdederunt me* in 17
cruce pendentem *canes multi,* id est ho-
mines insanientes et furentes adversum
me, et sanguinem meum sitientes, ac un-
dique me mordentes verbis blasphemis, ir-
risionibus invidiosis, et ictibus dolorosis;
consilium * *malignantium obsedit me,* id * alias concilium
est consiliatores maligni, videlicet Scri-
bæ, Pharisæi ac alii, cogitantes quomodo
exquisitis tormentis ac morte turpissima Sap. ii, 19, 20.

Job xvi, 11. occiderent me, ut satiarentur angustiis
meis. Hi tales undique vallaverunt me.
(18) *Foderunt manus meas et pedes meos,*
id est, clavis magnis, spissis et obtusis
perforaverunt ac cruci affixerunt manus
meas et pedes. O bone Jesu, o innocens
Agne, o sancte Fili Dei, quanta sustinui-
sti pro me ! Vere, ut ait Apostolus, Pater
Rom. viii, 32. cœlestis proprio Filio non pepercit, qui te
tam horrendæ, tamque pœnalissimæ mor-
ti exposuit. Hæc autem perfossio pedum
ac manuum Christi, erat una de gravissi-
mis ejus pœnis. Mors enim confixorum
gravissima est, quoniam loca in quibus
configuntur, loca nervorum sunt, et ma-
18 xime sensibilia ac passiva. *Dinumerave-
runt omnia ossa mea,* id est, dinumerare
poterant : quia ob violentam extensionem
membrorum apparebant ossium junctu-
ræ, præsertim quum Christus nudus cre-
Gen. iii, 10. datur suspensus, sicut et Adam nudus pec-
cavit. Hæc quoque extensio sacratissimi
corporis Christi, super omnem æstimatio-
nem pœnalissima fuit.

(19) *Ipsi vero,* persecutores et hostes
mei, *consideraverunt et inspexerunt me,*
blasphemando, deridendo, et tanto cordi-
alius exsultando, quanto me gravius vide-
19 bant pati. *Diviserunt sibi vestimenta mea*
quatuor milites crucifixores, *et super ve-
stem meam,* id est super tunicam incon-
sutilem, *miserunt sortem,* cujus esset tota,
quia nolebant eam dividere. Hanc vero
Joann. xix, 23, 24. scripturam allegat evangelista Joannes in
Christo impletam.

Porro his quæ nunc de Christi passione
inducta sunt, consonant quæ de sancto
Job xvi, 8-13, 15, 17, 18. Job leguntur : Nunc, inquit, oppressit me
dolor meus, et in nihilum redacti sunt
omnes artus mei. Rugæ meæ testimonium
dicunt contra me, et suscitavit falsiloquus
adversus faciem meam contradictionem.
Collegit furorem suum in me, et commi-
nans mihi, infremuit contra me denti-
bus suis ; hostis meus terribilibus oculis
me intuitus est. Aperuerunt super me ora
sua exprobrantes, percusserunt maxillam
meam, saturati sunt pœnis meis. Conclu-

A sit me Deus apud iniquum, et manibus
impiorum me tradidit. Tenuit cervicem
meam, confregit me, et posuit me sibi
quasi in signum. Concidit me vulnere su-
per vulnus, irruit in me quasi gigas. Fa-
cies mea intumuit a fletu, et palpebræ
meæ caligaverunt. Hæc passus sum abs-
que iniquitate manus meæ.

Sapiens autem de Christi passione, ac
Judæorum consilio pulchre ac notabiliter
scribens : Dixerunt, inquit, impii apud se : Sap. ii, 1, 12, 13, 15-21.
Circumveniamus justum, quoniam contra-
B rius est operibus nostris, et improperat
nobis peccata legis. Promittit se scientiam
Dei habere, et Filium Dei se nominat. Gra-
vis est nobis etiam ad videndum, quoniam
dissimilis est aliis vita illius. Tanquam
nugaces æstimati sumus ab illo, et gloria-
tur patrem se Deum habere. Videamus er-
go si sermones illius veri sint. Si enim est
verus Filius Dei, suscipiet eum, et libera-
bit eum de manu contrariorum. Contu-
melia et tormento interrogemus eum, ut
sciamus reverentiam ejus, et probemus
C patientiam illius. Morte turpissima con-
demnemus eum : erit enim respectus ex
sermonibus illius. Hæc cogitaverunt et er-
raverunt : excæcavit enim illos malitia
eorum.

Denique ex his et aliis multis sacræ
Scripturæ testimoniis evidenter ostendi-
tur cæcitas Judæorum, qui putant Chri-
stum in primo suo adventu in tanta maje-
state et gloria esse venturum, ut totum
mundum sibi subjiciat, etiam gladio cor-
porali, universaque regna plebi Judæorum
D subdat, deservireque cogat. Hæc autem a
vero intellectu Prophetarum discordant.
Sancti namque Prophetæ loquuntur de du-
plici adventu, quorum primus est in hu-
militate ac paupertate, ut judicetur et
moriatur ; secundus in majestate et glo-
ria, quatenus judicet et regnet. De primo
adventu apud Zachariam legitur : Exsulta Zach. ix, 9.
satis, filia Sion, ecce rex tuus veniet tibi
justus et salvator ; ipse pauper, et ascen-
dens super asinam et super pullum filium
asinæ. Et Jeremias ait : Quare quasi colo- Jer. xiv, 8, 9.

Digitized by Google

nus venturus es in terra, et quasi viator
declinans ad manendum? Quare venturus
es velut vir vagus, et fortis qui non potest
salvare? O quam notabilia atque pulcher-
rima sunt verba hæc beatissimi Jeremiæ!
Ex his namque clarissime demonstratur,
Christum esse verum Deum et hominem.
Nam quod ista de Deo dixerit, qui per
incarnationem pauper in mundum venit
velut colonus, constat ex eo quod paulo
Jer. xiv, 7, 8. ante præmisit : Tibi peccavimus, exspe-
ctatio Israel, salvator in tempore tribula-
tionis. Moxque subjungit, Quare quasi co-
lonus venturus es, etc.? Cui prophetiæ
concordat quod in Evangelio Christus de
Matth. viii, 20; *Luc.* ix, 58. se ipso testatur : Volucres cœli nidos ha-
bent, et vulpes terræ foveas; Filius au-
tem hominis non habet ubi caput suum
reclinet. Et beatus Apostolus loquens de
II *Cor.* viii, 9. Christo : Propter nos, inquit, factus est
pauper, quum dives esset, ut ejus inopia
divites essemus.

A Nos ergo, fratres, imaginem crucifixi
Jesu cordibus nostris firmiter imprima-
mus, singula ejus tormenta mentibus no-
stris indelebiliter infigamus, quatenus cum
Apostolo singuli dicere valeamus : Christo *Galat.* ii, 19, 20.
confixus sum cruci; vivo autem jam non
ego, vivit vero in me Christus. Et iterum :
De cetero, inquit, nemo mihi molestus *Ibid.* vi, 17.
sit; ego enim stigmata Domini Jesu por-
to in corpore meo. Non est enim efficacius
remedium vincendi omnes tentationes, nec
compendiosior via discendi omnes virtu-
B tes, quam Christum in cruce suspensum
jugiter contemplari, affectuose pensare, ac
diligenter attendere. Quomodo enim ali-
quid carnale eum poterit delectare, qui
non cessat Christi pro se passi amarissimas
pœnas recolere? Et quomodo poterit Deum
non amare, vel Christo ingratus esse, qui
considerat Deum propter se proprio Filio *Rom.* viii, 32.
non pepercisse, Filium quoque propter se
usque ad mortem Patri obedisse? *Philipp.* ii, 8.

ARTICULUS LI

PROSECUTIO EXPOSITIONIS HUJUS PSALMI VICESIMI PRIMI.

POSTQUAM Christus quæ pertulit com-
memoravit, pro gloria resurrectionis
orans, nobisque orandi formam præscri-
20 bens, subjungit : (20) *Tu autem, Domine,*
Pater æterne, *ne elongaveris,* id est, ne diu
* tuum a me differas, *auxilium tuum *,* sed statim, sci-
licet tertio die, resuscita me; *ad defensio-
nem meam conspice,* id est, adspice ut de-
fendas me, non ut non moriar, sed ne in
morte detinear, et ne post mortem diu de-
Cf. *Matth.* xxvii, 63, 64. rideant me hostes mei, dicendo : Ecce quo-
modo seductor ille surrexit a mortuis.
21 (21) *Erue a framea,* id est a morte seu
gladio, id est ab omni læsivo, *animam
meam :* non quod essentia animæ secun-
dum se posset lædi aut mori, quippe quæ
immaterialis atque perpetua scitur et cre-

C ditur; sed ne a corpore suo diu perma-
neat separata; *et de manu canis,* id est de
potestate furibundi ac rabidi populi Judæ-
orum, contra me more canum latrantium,
erue *unicam meam,* id est animam meam
tibi summe dilectam, quæ sola redempto-
re non eget, nec similem habet. (22) *Salva* 22
me ex ore leonis, id est a devoratione su-
perbæ plebis, quæ me penitus conterere
voluit, et tanquam falsum prophetam in
æternum confundere; *et a cornibus uni-
cornium,* id est a præsumptionibus atque
D superbiis malignorum, *humilitatem meam,*
id est me inter homines pauperem, humi-
lem, et abjectum : ab his, inquam, salva
me, me humilem exaltando, et illos super-
bos humiliando. Et bene nomine Unicor-

Digitized by Google

nis designantur præsumptuosi, quoniam A unicornis est animal superbissimum : quod (ut fertur) ex indignatione moritur, si contra desiderium suum teneatur.

23 (23) *Narrabo nomen tuum,* Domine Pater omnipotens, *fratribus meis,* scilicet sanctis Apostolis, aliisque discipulis. Nam
Matth. xxviii, 18-20; Marc. xvi, 12-19; Luc. xxiv, 13 et seq.; Joann. xx, xxi. post resurrectionem Christus frequenter istis apparuit, eosque de Patris ac Filii divinitate, totiusque Trinitatis gloria informavit, quemadmodum evangelica docet historia. *In medio Ecclesiæ,* id est inter fideles, *laudabo te* per me atque alios. Christus enim per se ipsum laudavit Patrem ante ascensionem suam, stando in medio discipulorum suorum ; et post missionem Paracleti laudavit eum per totum mundum per prædicationem Apostolorum ac ceterorum fidelium. Hunc autem versum allegat Apostolus de Christo prædictum
Hebr. II, 11, 12. esse, dum ait : Non confunditur eos vocare fratres, dicens : Narrabo nomen tuum fratribus meis. Unde Christus ad Mariam
Joann. xx, 17. Magdalene dixisse narratur : Vade ad fratres meos, et dic eis : Ascendo ad Patrem meum.

Itaque Christus ad Patrem ait : In medio Ecclesiæ laudabo te. Sic autem laudabo,
24 sicque laudans te pronuntiabo : (24) *Qui timetis Dominum,* timore casto et sancto, *laudate eum,* omne bonum ipsi fontaliter
I Cor. I, 31. adscribendo, ac omnia ad laudem et gloriam ejus agendo. *Universum semen Jacob,* id est omnes qui vere filii estis patriarchæ Jacob, non solum carnis propagine, sed fidei quoque ac vitæ imitatione, vitia
Gen. xxv, 25; xxvii, 36. supplantando cum Jacob, qui supplantator D interpretatur ; *glorificate eum,* id est, gloriam date nomini ejus, non vobismetipsis,
I Tim. I, 17. quoniam et Apostolus ait : Soli Deo honor et gloria. Et apud Isaiam Dominus dicit :
Is. XLII, 8. Ego Dominus, hoc est nomen meum ; glo-
25 riam meam alteri non dabo. (25) *Timeat eum omne semen Israel,* id est omnes filii Jacob, qui dictus est Israel quoniam vidit Deum. Omnes ergo homines contemplativi, videlicet mundi corde et simplices, atque quietem amantes, sunt semen Israel, id est, vita et contemplatione sanctum Jacob, secundum quod Israel dictus est, imitantes. In Genesi enim legitur : Factus Gen. xxv, 27. est Esau vir gnarus venandi et homo agricola ; Jacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis. Ideo autem, Omne semen Israel timeat Deum timore reverentiali ac filiali, ne sit Deo ingratum de beneficiis Christo et per consequens toti generi humano collatis. Nam subditur : *quoniam non sprevit,* displicentia interiori, *neque despexit,* exteriori repulsa, *deprecationem* B *pauperis,* scilicet mei, Filii ipsius, qui pauper vixi in mundo. *Nec avertit faciem suam,* id est pietatis suæ respectum, *a me; et quum clamarem ad eum, exaudivit me.* Videtur hoc contrarium his quæ superius dixit : Deus meus, clamabo per diem, et non exaudies. Sed quoniam ibi ostensum est, quod licet Christus non sit exauditus a Patre quantum ad aliquid, simpliciter tamen exauditus est ; idcirco quod nunc dicitur, prædictis consonat, et ea corroborat.

C Deinde Christus ait ad Patrem : (26) *Apud te laus mea in Ecclesia magna :* id est, 26
laus qua ego laudor, teque laudari exhortor, est apud te, id est, tibi placet, et refertur ad te in Ecclesia magna, id est in Ecclesia christiana, quæ per orbem terrarum longe ac late diffunditur : quia per totam plebem catholicam Deus Pater et Filius ejus laudantur. Propter quod Dominus ait : Ab ortu solis usque ad occasum, Malach. I, 11.
magnum est nomen meum in gentibus. Et rursus : Cantate Domino canticum novum, Is. XLII, 10.
laus ejus ab extremis terræ. *Vota mea,* id est sacrificium novæ legis, videlicet sacrificium corporis et sanguinis mei, *reddam,* id est, per sacerdotes meos offerri faciam Domino, *in conspectu timentium eum,* id est præsentibus atque cernentibus populis christianis. Reddidit quoque Christus vota, id est desideria sua, Deo Patri in conspectu timentium eum, dum post Cœnam instante jam passione oravit, et orando desideria sua expressit, quæ habuit pro Patris clarificatione, sui ipsius

Digitized by Google

glorificatione, et discipulorum omniumque A electorum salvatione. Unde apud Joannem
Joann. xvii, 1. loquitur : Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te. Et
Ibid. 11. rursus : Pater, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi.

27 (27) *Edent pauperes*, id est, humiles manducabunt Sacramentum altaris, non solum sacramentaliter, sed etiam spiritualiter : ideo *et saturabuntur*, id est, mentaliter impinguabuntur caritate, gratia, consolatione ac donis Spiritus Sancti; *et laudabunt Dominum* Jesum Christum, qui B est in hoc Sacramento dator ac donum, *qui requirunt eum* affectu, fide et opere, sequendo vestigia ejus; *vivent corda eorum*, spirituali vita, *in sæculum sæculi*, id est sine fine. Nunc enim vivunt per fidem et caritatem; consummatoque cursu præsentis exsilii, vivent per contemplationem et gloriam. Vivent enim, quoniam fontem vitæ, scilicet Christum, di-
Ibid. vi, 51, 52. gne recipiunt, sicut et ipse testatur : Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in C æternum.

Insuper sanctus David, totius mundi conversionem ad Christum prænuntians,
28 ait : (28) *Reminiscentur*, id est, delictorum suorum, divinorumque beneficiorum quæ non pensabant, recordabuntur, *et convertentur ad Dominum* Salvatorem *universi fines terræ*, audita evangelicæ veritatis prædicatione. Ecce hic conversio gentium apertissime denuntiatur. Quam et Daniel
Dan. vii, 13, 14. prædixit sub his verbis : Ecce in nubibus cœli quasi Filius hominis venit, et ad An- D tiquum dierum pervenit; et dedit ei potestatem et honorem et regnum; et omnes populi, tribus et linguæ servient ei. Et
Is. lii, 10. Isaias ait : Paravit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium; et videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. (29) *Et adorabunt in conspectu ejus*, id est, ipsum Dominum tanquam præsentem adorabunt, *universæ familiæ gentium*.
29 (30) *Quoniam Domini* Salvatoris *est re-*
Luc. i, 33. *gnum*, cujus non erit finis. Ipsius enim est regnum militantis ac triumphantis Ecclesiæ, quemadmodum Jeremias prædixit : Regnabit rex et sapiens erit. *Et ipse* Do- Jer. xxiii, 5.
minus *dominabitur gentium* sibi per fidem obedientium. Unde in Zacharia de Christo habetur : Et loquetur pacem gentibus; Zach. ix, 10.
potestas ejus a mari usque ad mare, et a fluminibus usque ad fines terræ.

(31) *Manducaverunt* corpus et sangui- 30
nem Christi sacramentaliter vel spiritualiter, *et adoraverunt* ipsum Sacramentum, scilicet Christum in Sacramento contentum, *omnes pingues terræ*, id est omnes in gratia Dei atque virtutibus divites : de quibus Dominus per Isaiam ait, Delectabi- Is. lv, 2.
tur in crassitudine anima vestra; et in Canticis, Comedite, amici, et bibite, et Cant. v, 1.
inebriamini, carissimi. *In conspectu ejus cadent*, id est, Christum devote colent atque humiliter adorabunt, *omnes qui descendunt in terram*, id est omnes nascentes ac habitantes in mundo, secundum quod ad Abraham dicitur : In semine tuo, Gen. xxii, 18.
videlicet Christo, benedicentur omnes cognationes terræ. Istæ vero distributiones intelliguntur de generibus singulorum, non de singulis generum. (32) *Et anima* 31
mea illi vivet : id est, ad honorem et gloriam ejus totam suam vitam Dei obsequio mancipabit; *et semen meum*, id est, qui meo exemplo convertuntur ad Dominum, *serviet ipsi*. Hoc ad litteram de David accipi potest, quoniam anima ejus Deo fidelis fuit, et multi filiorum suorum Deo devotissimi erant.

(33) *Annuntiabitur Domino generatio* 32
ventura, id est, populus christianus dicetur ad Christum pertinere, et per annuntiationem prædicatorum convertetur ad Christum; *et annuntiabunt cœli justitiam ejus*, id est, Apostoli aliique cœliformiter conversantes in terra, prædicabunt evangelicam legem, *populo qui nascetur*, id est populo in Christum credenti, *quem fecit Dominus*, id est, quem ex aqua et Spiritu Joan. iii, 5.
Sancto regeneravit. Mirabilis videtur ista connexio, quia verbo futuri temporis, puta Nascetur, adjungit verbum præteriti tem-

Digitized by Google

poris, scilicet Fecit. Nam quod sanctus Propheta vidit futurum quoad temporalem successionem, vidit jam factum se- A cundum prædestinationem æternam; tamque certissime cognovit futurum, ac si jam factum fuisset.

ARTICULUS LII

EXPOSITIO MORALIS EJUSDEM PSALMI VICESIMI PRIMI.

DENIQUE sancta Ecclesia, seu unusquisque fidelium, Capiti suo se conformans, ac Christi vestigia cruciformiter sequens, atque variis tribulationibus graviter molestatus, cum Christo clamare po-
2 test ad Dominum : *Deus, Deus meus,* id est, o Creator meus, quem unice diligo, cui me totum committo, in quo plenissime spero, *respice in me* miserum et afflictum, non oculis ulciscentis justitiæ, sed oculis tuæ paternæ dilectionis, tuæ infinitæ pietatis, tuæ liberalissimæ bonitatis. *Quare me dereliquisti* taliter cadere, tam dure tentari, tam dire affligi, in tanta mentis ariditate ac desolatione vexari, ita ut videar esse *longe a salute mea,* id est ab interiori unione cum te Deo ac Domino meo? Verumtamen id dico non quasi existimans aliquid sine rationabili causa fieri vel permitti a te. Unde perpendo causam hujus derelictionis meæ esse peccata mea : quem-
Is. LIX, 1, 2. admodum in Isaia legitur : Ecce non est abbreviata manus Domini ut salvare nequeat, neque aggravata est auris ejus ut non exaudiat; sed iniquitates vestræ diviserunt inter Deum vestrum et vos. Unde Jeremias
Thren. III, 42. ait : Nos inique egimus, et te ad iracundiam provocavimus; idcirco tu inexorabilis es. Idcirco derelictionis suæ causam designans ait fidelis : *Verba delictorum meorum,* id est insolentia seu clamor vitiorum meorum, id exigit : sicut et ali-
Job XV, 11. bi scriptum est : Numquid grande est ut consoletur te Deus? Sed peccata tua hoc prohibent.

3 *Deus meus, clamabo* corde et ore *per diem,* id est quotidie, imo indesinenter, sicut ait Apostolus : Sine intermissione (I Thess. V, 17.) B orate; *et non exaudies* ad votum vel secundum desiderium meum : secundum quod Jacobus ait, Petitis, et non accipitis, (Jacob. IV, 3.) eo quod male petatis. Male enim petitur, quod non in nomine Salvatoris rogatur, id est, quod ad veram beatitudinem non suffragatur. Ego itaque clamabo ad te more ægri, qui propter doloris molestiam sæpe petit, quod sanitati, quam optat, repugnat; sed tu, Domine, more piissimi ac expertissimi medici non exaudies, quoniam diligis me. Ideo enim non exaudies, C quia animæ meæ, quod peto, non expedit; (Luc. XI, 5-13.) exaudies tamen ad salutem, si perseveranter pulsavero : dabis enim mihi quod nosti prodesse ad beatitudinem animæ. Sic indulgentissimus pater filio insipienti negat quod postulat, et præstat ei quod non postulat, vel etiam quod non vult. *Et nocte, et non ad insipientiam mihi,* id est, per noctes clamabo ad te, qui non exaudies; sed clamor meus non imputabitur mihi ad insipientiam, dummodo intentio bona sit. Non enim possumus semper in D speciali agnoscere quid nobis expediat.

Instruimur ergo hoc loco, ut non deficiamus, nec pusillanimitate frangamur orando, dum non exaudimur secundum desiderium nostrum; sed dilationem et inauditionem iniquitati nostræ adscribamus, vel etiam interdum nostræ utilitati, seu dispositioni divinæ; credamusque firmissime verbis Christi, Prophetarum, ac Apostolorum, quoniam quidquid a Deo petimus, si petimus sicut petendum est, scilicet perseveranter, salubriter, et pro

Digitized by Google

nobismetipsis, tunc absque omni ambigui-
tate sortiemur a Deo quod petimus. Non
Matth. VII, 8; *Luc.* XI, 10. enim mentiri potest Christus qui ait : Om-
nis qui petit, accipit; et qui quærit, in-
venit; et pulsanti aperietur.

Itaque, Domine, non exaudies, sed non
ad insipientiam mihi, propter id quod sub-
4 jungitur : *Tu autem in sancto habitas,* id
est in his qui tuis præceptis obediunt,
Ps. LXXXV, 2. qui cum Propheta dicere possunt : Custo-
di animam meam, quoniam sanctus sum.
Is. LVII, 15. Propter quod scriptum est : Hæc dicit
Dominus excelsus et sublimis, habitans
æternitatem, et sanctum nomen ejus, in
excelso et in sancto habitans, et cum con-
trito et humili spiritu, ut vivificet spiri-
tum humilium, et vivificet cor contrito-
rum. *Tu* ergo *in sancto,* id est in mundo
corde, *habitas* per caritatem, fidem et gra-
tiam, *laus Israel,* id est, quem laudat om-
nis Israelita seu homo contemplativus, qui
Philipp. III, 20. vitia supplantavit ; cujus cum Apostolo
II Cor. III, 18. conversatio est in cœlis, et revelata facie
gloriam Domini speculatur.

5 *In te speraverunt patres nostri,* sancti
Apostoli, martyres, anachoretæ, eremitæ,
omnesque viri christiani adulti; *sperave-
runt, et liberasti eos* a præsenti miseria,
et ab æterna damnatione, atque ab uni-
6 versis animarum saluti contrariis. *Ad te
clamaverunt* cum certa, perseveranti ac
inconcussa fiducia, quasi dicentes cum
Job XIII, 15. Job : Etiam si occiderit me, in ipso spe-
rabo. *Et* ideo *salvi facti sunt,* tanquam
æternam felicitatem adepti. *In te sperave-
runt, et non sunt confusi :* quemadmodum
Eccli. II, 11, 12. in Ecclesiastico legitur : Respicite, filii,
nationes hominum, et scitote quoniam nul-
lus speravit in Domino et confusus est.
Aut quis invocavit eum, et despexit illum?

7 *Ego autem sum vermis, et non homo.* Hoc
quilibet dicere potest vel propter mala pœ-
næ, vel propter mala culpæ. Unde qui variis
pœnis mente et corpore cruciatur, ad pro-
vocandum misericordiam Domini, clamare
potest ad eum : *Ego autem sum vermis,*
quia pœnis atque doloribus conculcatus,
et non homo, id est non similis homini-
A bus aliis, sed miserabilior ipsis. Idcirco
sum *opprobrium hominum et abjectio ple-
bis.* Nam omnes aspernantur, vilipendunt
et deserunt me. Ideo subjungitur : *Omnes* 8
*videntes me, deriserunt me; locuti sunt
labiis* contra me, *et moverunt caput,* sub-
sannando illudendoque mihi. Sicque de-
ridendo dixerunt : *Speravit in Domino,* 9
eripiat eum. Hoc homines carnales dicunt
dum vident justos affligi, non intelligen-
tes quod Deus electos suos in præsenti
vita expurgat, quatenus emendatos post
B mortem statim recipiat. Hinc nempe legi-
tur : Stabunt justi in magna constantia *Sap.* V, 1.
adversus eos qui se angustiaverunt. Et de
impiis subdit : Videntes turbabuntur ti- *Ibid.* 2-4
more horribili, dicentes : Hi sunt quos
aliquando habuimus in derisum, et in si-
militudinem improperii. Nos insensati, vi-
tam illorum æstimabamus insaniam, et
finem illorum sine honore. Unde et Chri-
stus discipulis dixit : Eritis odio omnibus *Matth.* X, 22.
hominibus propter nomen meum.

Denique quod dictum est, Ego autem
C sum vermis, exponi potest de homine pro-
pter mala culpæ, ut sit sensus : *Ego au-
tem sum vermis et non homo,* id est, tam
irrationabiliter vixi, tantis peccatis subje-
ctus sum, ac tantis culpis oppressus sum,
ut dignus non sim homo vocari, sed ver-
mis. *Omnes videntes me,* id est diaboli,
deriserunt me. Tunc enim nos irrident
diaboli, dum seducti ab eis, a via Dei re-
cedimus, atque eorum suggestionibus con-
sentimus. Ideo autem mundanæ mentes
derident me : sicut et Job ait, Deridetur *Job* XII, 4.
D justi simplicitas.

Quoniam tu, Domine, *es qui extraxisti* 10
me de ventre, id est, de sacro Baptismo
renatum in Christo eduxisti me per tuos
ministros. Mater enim nostra est Ecclesia,
cujus venter dici potest sacrum Baptisma,
in quo spiritualiter regeneramur. De hoc
Deus extrahit baptizatos, quoniam gratia
atque virtutibus adornatos educit. Et tu,
Domine, es *spes mea,* id est objectum, cau-
sa, et finis spei meæ, *ab uberibus matris
meæ,* id est ab uberibus sanctæ matris

Digitized by Google

Ecclesiæ. Ubera autem Ecclesiæ sunt sa- A
pientia et caritas. Ait ergo homo fidelis
ad Deum : Spes mea ab uberibus matris
meæ, id est, in te confisus sum ex eo
tempore, quo ab Ecclesia informatus sum
instructione sapientiæ salutaris, atque ex-
pertus viscera caritatis tuæ circa me. Hoc
competit eis, qui vestem innocentiæ in Ba-
ptismo receptam, custodierunt immacula-
tam. De his uberibus in Canticis scriptum
Cant. I, 2. est : Meliora sunt ubera tua vino, fra-
Is. LXVI, 10, 11. grantia unguentis optimis. Et alibi : Gau-
dete gaudio magno omnes qui lugebatis, ut B
potemini a lacte, et satiemini ab uberi-
bus consolationis ejus. Demum hæc ubera
hortatur nos sugere excellentissimus Ar-
chiapostolus in prima sua Canonica, di-
Petr. II, 2. cens : Quasi modo geniti infantes, ratio-
nabiles, sine dolo, lac concupiscite, ut in
eo crescatis in salutem.

Hic igitur justus, cujus Deus sic spes
est ab uberibus matris suæ, dicere potest
11 quod sequitur : *In te projectus sum ex
utero,* id est, ex fonte Baptismatis con-
junctus sum tibi per fidem, spem et cari- C
tatem. Nam in Baptismo non solum pec-
cata donantur, sed etiam gratia, virtutes
et dona divinitus infunduntur. *De ventre
matris meæ* jam dicto, scilicet ab ipso Ba-
ptismo Ecclesiæ, *Deus meus es tu,* per cul-
tum, quoniam interim fide et opere colui
te solum ut Deum.

Dum ista, o peccator, dicis vel audis, in-
gemisce ex compunctione cordis tui, quod
vestem innocentiæ perdidisti, quod rursus
II Petr. II, 22. ad vomitum reversus, ista de te ipso dice-
re nequis ; et satage gratiam recuperare D
amissam, et cura ne recuperatam perdas,
sed in ea incessanter proficias.

12 *Ne discesseris a me,* gratiam subtrahen-
do, aut non exaudiendo ; *quoniam tribu-
latio,* id est tentatio multiplex, mundi, car-
nis ac dæmonum, *proxima est* mihi, qui
in medio periculorum versor ac fluctuo.
Ideoque ne discesseris a me, *quoniam non
est qui adjuvet,* id est, adjuvare me pos-
sit, præter te. Nam si alius me juvat, hoc
Is. XLV, 18, 21. facit tua virtute, sicut testatus es : Ego
Dominus, et non est alius ; Deus justus et
salvans non est præter me. *Circumde-* 13
derunt me vituli multi, id est homines
luxuriosi, petulantes, instabiles, qui ni-
tuntur me ad vitia inclinare, quibus ipsi
sordescunt ; *tauri pingues,* id est superbi
vitiis pleni, *obsederunt me,* qualenus vel
minis vel blanditiis avertant me a tuo ob-
sequio. *Aperuerunt super me os suum,* ca- 14
lumniando et persequendo me, *sicut leo ra-
piens et rugiens,* quoniam animam meam
conantur spirituali vita privare.

Sicut aqua effusus sum, id est, ex mo- 15
lestia tentationum lassatus sum animo,
exhaustusque viribus et victus, virtutes et
gratiam perdidi, atque per hoc effusus
sum, id est mente evacuatus ; *et dispersa
sunt omnia ossa mea,* id est, virtutes ani-
mæ meæ infirmatæ sunt propter adversi-
tates insurgentes continuo. Istud vero de
sanctis martyribus plane intelligi potest,
qui pro Christo sanguinem effuderunt,
et corpore lacerati sunt. *Factum est cor
meum tanquam cera liquescens,* id est,
præ desiderio futurorum bonorum resolu-
tum est cor meum in te, et præ timore
atque dolore variorum malorum mollifi-
catum est tanquam cera, *in medio ventris
mei,* id est corporis mei. *Aruit tanquam* 16
testa virtus mea, id est, fortitudo animæ
meæ confracta est, et quasi præ tædio at-
que acedia defecit : quando videlicet gra-
tiam tuam atque consolationem internam
subtrahis vel suspendis a me ; *et lingua
mea adhæsit faucibus meis,* quoniam pro-
pter animæ sterilitatem atque inopiam
gratiæ, non habui in ore verbum conso-
lationis aut informationis, ut aliis possem
prodesse. Dum enim Spiritus Sanctus in-
tus non agit, lingua oris mox deficit. Pro-
pter quod ad Ezechielem Dominus ait : Lin- Ezech. III, 26.
guam tuam adhærere faciam palato tuo, et
non eris quasi vir objurgans. Quocontra
per Isaiam dictum est : Dominus dedit Is. L, 4.
mihi linguam eruditam, ut sciam susten-
tare eum, qui lassus est, verbo. O quam
magnum donum est hoc, atque prælatis
maxime necessarium ! *Et in pulverem mor-*

Digitized by Google

tis deduxisti me, id est, caritatem, quæ A
est vita animæ, permisisti exstingui aut
minorari in me, exigentibus culpis meis.
Hæc etiam de martyribus corporaliter in-
telligi possunt, in quibus tempore passio-
nis eorumdem, propter sanguinis exhala-
tionem virtus corporalis exaruit, sicut de
Christo ostensum est.
17 *Quoniam circumdederunt me canes mul-*
ti, id est detractores, iracundi, furiosi : qui
vel blandiendo vel deterrendo conantur
animam meam mordere, id est a mansue-
tudine, humilitate, ac tranquillitate aver- B
tere, et suis caninis operibus conformare.
De quibus ad Philippenses ait Apostolus :
Philipp. III, 2. Videte canes, videte malos operarios, videte
concisionem. *Consilium* malignantium ob-*
*alias concilium
sedit me, id est, homines in cathedra pesti-
Ps. I, 1.
lentiæ sedentes, videlicet verbo aut opere
alios inficientes, vallaverunt me, quate-
nus decipiant me. *Foderunt manus meas*
et pedes meos, id est, læserunt, corrupe-
runt, seu imperfectos fecerunt, vel peni-
tus impedierunt operationes meas ac ani-
mæ meæ gressus. Frequenter enim perversi C
impediunt bonos ab aliquibus operibus
bonis : et tunc manus eorum ac pedes
quasi confodiunt, ligant, et immobiles red-
18 dunt. *Dinumeraverunt omnia ossa mea,*
id est, opera mea virtuosiora seu firmiora
consideraverunt, non ut imitentur, sed ut
male interpretentur, aut occasionem ca-
lumniandi scrutentur.
Ipsi vero, prædicti homines mali, *con-*
sideraverunt mente, *et inspexerunt* oculis
corporis *me* ex invidia, quatenus noceant
19 mihi. *Diviserunt sibi vestimenta mea,* id D
est, exteriora bona mihi abstulerunt, vel
animæ virtutes, quibus ipsa spiritualiter
adornatur, quantum potuerunt, corrupe-
runt in me ; *et super vestem meam,* id est
Matth. XXII, 11. super caritatem quæ est vestis nuptialis
electorum ad cœnam æterni convivii, *mi-*
serunt sortem, consulendo inter se, quis
eorum tam cautus esset, quod caritatem
in me occidere posset, ac per hoc me pe-
nitus perdere. Sæpenumero enim homines
sæculares, dum vident aliquem Deo forti-
ter adhærentem, seu omnia relinquentem,
atque monasterium introeuntem, diligen-
ter inquirunt seductorem subtilem ac lu- Matth. VII, 15.
pum veste ovina obtectum, ut vestem
conversi diripiat, id est, caritatis fervo-
rem in eo occidat, sicque infrigidatum ad
pristinam conversationem reducat.
Tu autem, Domine, ne elongaveris au- 20
xilium tuum a me, in tantis tribulationi-
bus constituto ; *ad defensionem meam con-*
spice, id est, vide quibus auxiliis egeo, et
sicut indigeo, sic semper succurre. *Erue* 21
a framea, id est a peccato mortali, quod
est ensis et mors rationalium creatura-
rum, *animam meam,* indulgendo mihi pœ-
nam et culpam ; *et de manu canis,* id est
de potestate et nocumento eorum, de qui-
bus prædixi, erue *unicam meam,* id est
animam meam, quæ non est nisi una in
me : quod est contra eos, qui ponunt plu-
res formas substantiales in uno individuo.
Vel, Unicam meam, id est animam meam,
quam solam præ omnibus rebus creatis
custodire, salvare ac diligere teneor, sic-
ut tu, Domine, in Evangelio contestaris :
Quid proficit homo si lucretur universum Luc. IX, 25.
mundum, se autem ipsum perdat, et de- Matth. XVI, 26.
trimentum sui faciat ? *Salva me ex ore* 22
leonis, id est a devoratione diaboli, qui cir- I Petr. V, 8.
cuit tanquam leo rugiens, quærens quem
devoret. De quo scriptum est : Ecce ab- Job XL, 18.
sorbebit fluvium, id est animas sæcula-
res, et non mirabitur, et habet fiduciam
quod influat Jordanis, id est animæ reli-
giosæ, in os ejus. *Et* salva *a cornibus uni-*
cornium, id est a perditione et pompa
animosorum, *humilitatem meam,* id est
paupertatem et vilitatem meam, videlicet
me vilem et pauperem. Humilis quippe,
non humilis, sed vilis appellari desiderat.
Unde, dum homo pius se humilem nomi-
nat, non intendit sibi humilitatis virtutem
adscribere, sed vilitatem et abjectionem
suam cupit ab aliis sciri, quemadmodum
David ait : Ego sum vir pauper et tenuis. I Reg. XVIII, 23.
Et alibi : Ludam, inquit, et vilior fiam II Reg. VI, 22.
plus quam factus sum, et ero humilis (id
est vilis) in oculis meis.

Digitized by Google

23 *Narrabo*, o Domine, *nomen tuum fra-* A
tribus meis, id est, laudem tuam aliis nun-
tiabo ; *in medio Ecclesiæ*, id est inter fi-
Luc. xii, 8, 9. deles, *laudabo te*, nec erubescam nomen
tuum coram hominibus, sed in conspectu
eorum confitebor tibi mente, ore et ope-
re. Quidam narrant, laudant, seu prædi-
cant Deum ore, non opere, quia non agunt
quod docent : et eo ipso quo sic docent,
mortaliter peccant, quoniam veritatem Scri-
pturæ ac Spiritus Sancti (qui est princi-
palis auctor Scripturæ) intentionem, quan-
tum in se est, evacuant. Alii docent vita B
et fama dumtaxat, quemadmodum mona-
chi : et hi bene sufficienterque agunt,
dummodo non teneantur ad informatio-
nem vocalem ; alias intelligeretur de eis
Is. lvi, 10. illud Isaiæ, Canes muti, non valentes la-
trare. Alii docent ore et opere : de quibus
Dan. xii, 3. dicitur, Qui multos erudiunt ad justitiam,
fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æter-
nitates.
26 *Apud te*, Domine Deus, *laus mea in Ec-*
clesia magna, id est, laus quam ego tibi
attribuo in Ecclesia christiana, est apud C
te, id est in conspectu tuo, qui omnia vi-
des, et complacet tibi. *Vota mea*, id est
desideria atque orationes ac hostias, *red-*
dam, id est, divinæ majestati offeram, *in*
conspectu timentium eum, publice bene
agendo, et Domino immolando : quemad-
modum in Evangelio monet Salvator : Sic Matth. v,
luceat lux vestra coram hominibus, ut vi- 16.
deant opera vestra bona, et glorificent Pa-
trem vestrum qui in cœlis est. Quod in-
telligendum est de his bonis, ad quæ ex
debito obligamur, et quæ notam singu-
laritatis aut simulationis non continent.
Edent pauperes, id est, spiritualiter a Do- 27
mino cibabuntur, quemadmodum scriptum
est : Cibabit illum pane vitæ et intelle- Eccli. xv,
ctus ; *et saturabuntur*, pietate divina at- 3.
que consolatione æterna in præsenti in-
choative, et in futuro complete. Cetera ex
præcedentibus satis elucescunt.

PRECATIO.

Deus Pater omnipotens, qui Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum ad passionem in mundum mittere, et hominem ligni vetiti gustu seductum, et a paradisi felicitate ejectum, ad cœlestia regna revocare voluisti : respice nos ad te clamantes, libera nos a verbis delictorum, et salvos facias in te sperantes in æternum.

ARTICULUS LIII

EXPOSITIO PSALMI VICESIMI SECUNDI : DOMINUS REGIT ME, ETC.

ADSCRIBITUR demum præsenti psalmo D
1 titulus talis : *Psalmus David* : id est, psal-
mus iste convenit David et significatis per
ipsum, videlicet Christo et Ecclesiæ ac sin-
gulis vere fidelibus.

EXPONENDO ergo primo hunc psalmum
de Ecclesia et unoquoque fideli, sic
Sap. xii, 13; I Petr. v, 7. ait : (1) *Dominus*, cui cura est de omnibus,
regit me in hujus peregrinationis exsilio :
regit me, id est, ad æternam beatitudinem
dirigit me, de necessariis tam menti quam
corpori, providet mihi, et impedimenta
perveniendi ad ipsum tollit a me ; regit
me, quoniam suæ legi ac fidei facit me
subditum, et a dominio dæmonum ac ser-
vitute peccati defendit me. Quoniam ergo
sic regit me, idcirco *et nihil mihi deerit* :
eo modo quo inferius dicitur, Timete Do- Ps. xxxiii,
minum, omnes Sancti ejus, quoniam nihil 10.
deest timentibus eum : non quod simpli-
citer nihil desit eis ; alias essent perfecte

Digitized by Google

beati, nec aliam vitam optarent : sed ni-
hil deest eis eorum quæ necessaria sunt
saluti, vel eorum quæ petunt a Domino.
Matth. VI, 33. Unde Dominus in Evangelio ait : Primum
quærite regnum Dei et justitiam ejus, et
hæc omnia adjicientur vobis. Nihil quo-
que deest ei quem Deus regit per specia-
lem providentiam : quoniam bona futura
quæ nondum habet in re, habet in spe et
in propinqua dispositione : imo jam unum
pedem habet in cœlo.

Itaque nihil mihi deerit, sed ubi ? Sub-
2 jungit, *in loco pascuæ*, id est in domo mi-
litantis Ecclesiæ, in qua sunt sacramenta
saluberrima, Scripturæ divinæ, virtutes di-
versæ ; *ibi me collocavit*, faciens me fide-
le atque obediens membrum Ecclesiæ, ita
ut stando et perseverando in ecclesiasti-
ca unitate, possim frui prædictis Ecclesiæ
pascuis, quibus spiritualiter impinguan-
tur fideles animæ. Istud ergo est primum
beneficium gratiæ Dei, quod Deus ponit
hominem in unitate Ecclesiæ, quæ in sa-
cra Scriptura frequenter dicitur regnum
Coloss. I, 3, 13. Dei. Propter quod ait Apostolus : Gratias
agimus Deo et Patri, qui nos transtulit in
regnum Filii dilectionis suæ. Et Petrus :
I *Petr.* II, 9. Virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris
vos vocavit in admirabile lumen suum.

Deinde commemoratur secundum bene-
ficium Dei. (2) *Super aquam refectionis
educavit me*, id est, salutari eruditione
enutrivit me, ita ut possim inter bonum
ac malum discernere in virtutibus, et ad
spiritualis incrementi perfectionem veni-
re. Aqua refectionis, est divina doctrina
mentem consolans, confortans et alens,
Eccli. XV, 3. juxta illud Ecclesiastici : Aqua sapientiæ
salutaris potabit illum. Et ad Romanos :
Rom. XV, 4. Quæcumque scripta sunt, ad nostram do-
ctrinam scripta sunt, ut per patientiam et
consolationem Scripturarum, spem habe-
amus. Super hanc igitur aquam educatur
homo a Deo, quando illuminatur a Spiritu
Sancto, vel proprio studio, vel alterius
magisterio intelligit quæ ad interiorem
Coloss. III, 16; *Eph.* V, 19. profectum respiciunt, sicut monet Apo-
stolus : Docentes et commonentes vosmet-

A ipsos in hymnis et psalmis et canticis spi-
ritualibus, cantantes et psallentes Domino
in cordibus vestris semper. Et Isaias ait :
Haurietis aquas, id est spirituales doctri- *Is.* XII, 3.
nas, in gaudio de fontibus Salvatoris, id est
de Evangeliis seu instructionibus Christi.

Deinde ponit tertium beneficium Dei.
Animam meam convertit, id est, per salu- 3
tarem eruditionem accendit animam meam
divino amore, qui unit mentem creatam
proprio Creatori : quæ unio amorosa voca-
tur conversio mentis ad Deum. Itaque, Ani-
B mam meam convertit a multis ad unum, a
turbatione ad quietem, a creatis caducis-
que rebus ad increatum incommutabile-
que bonum.

Post hæc subdit de quarto beneficio.
(3) *Deduxit me super semitas justitiæ*. Se-
mitæ justitiæ, sunt opera præceptorum
divinorum. Itaque, Deduxit me super se-
mitas justitiæ, id est, gratia sua auxiliante
ac duce, fecit me divina præcepta servare,
mandata caritatis Dei et proximi adimple-
re : et hoc contulit mihi non propter mea
C merita, sed *propter nomen suum*, id est
propter propriam suam bonitatem et ca-
ritatem ad gloriam nominis sui : quemad-
modum Salomon ait, Universa propter se- *Prov.* XVI, 4.
metipsum operatus est Dominus. Unde per
Osee Dominus dicit : Perditio tua, Israel, *Osee* XIII, 9.
ex te ; in me tantummodo auxilium tuum.
Nullus ergo lætetur in se, nullus de sua
justitia glorietur in se ipso ; sed ut ait
Apostolus, Qui gloriatur, in Domino glo- II *Cor.* X, 17.
rietur.

Attende autem pulcherrimum ordinem
D horum : primo, educatur anima super
aquas refectionis ; secundo, convertitur ;
tertio, super justitiæ semitas deducitur.
Primo enim oportet animam illuminari ad
cognoscendum ; deinde, ex veritatis cogni-
tione inflammari ad amorem boni ; tertio,
ex amore ad exterioris conversationis re-
ctitudinem tendere.

Possunt autem hæc de populo novæ
legis specialiter explanari, ut sit sensus :
Super aquam refectionis, id est in fonte
Baptismatis hominem spiritualiter regene-

Digitized by Google

* alias refo- rantis, et gratia reformantis *, *educavit*
ventis *me*, id est, de imperfecto puerilique statu
ad statum perfectum transtulit animam
meam. *Deduxit me super semitas justi-*
tiæ, id est, evangelica consilia dedit mihi
adimplere : et in hoc deduxit me, quo-
niam ipse prior implevit ea, quatenus ego
sequar vestigia ejus.

Insuper ponitur quintum beneficium,
quod est quasi signum prædictorum bene-
4 ficiorum. (4) *Nam et si ambulavero in me-*
dio umbræ mortis, id est, si fuero inter
magna pericula, quæ tam propinqua sunt
morti, ut umbra caligini, *non timebo mala*,
id est, non timebo incidere malum culpæ,
neque timebo perpeti mala pœnæ, propter
fiduciam mentis et animi fortitudinem,
quam mihi dedisti. Unde subjungit : *quo-*
niam tu mecum es, scilicet per gratiam.
Rom. VIII, 38, 39. Talis erat Apostolus : Certus sum, inqui-
ens, quia neque mors, neque vita, neque
angeli, etc., neque creatura alia poterit
nos separare a caritate Dei. Hoc est quod
Jer. XX, 11. apud Jeremiam dicitur : Dominus mecum
est quasi bellator fortis; idcirco qui per-
sequuntur me, cadent et infirmi erunt. —
(5) *Virga tua*, id est paterna tua corre-
ctio, *et baculus tuus*, id est pia subventio
tua, *ipsa me consolata sunt* : quia ex tali
vicissitudine visitationum tuarum concepi
fiduciam in te, credens me pertinere ad
numerum filiorum tuorum, quos in præ-
senti vita per virgam præsentis tribula-
tionis emendas, atque per baculum piæ
consolationis sustentas. Talis quoque vi-
cissitudo facit me cognoscere propriam
infirmitatem, et experiri tuam clemen-
tiam. Gaudeamus ergo dum adversis con-
Job V, 17. cutimur : quia, ut Job ait, Beatus homo qui
corripitur a Domino; et in Apocalypsi Do-

A minus, Ego, inquit, quos amo, arguo et Apoc. III, 19.
castigo. Et hoc est sextum beneficium Dei.
(6) *Parasti in conspectu meo mensam*, 5
id est communionem corporis et sanguinis
Christi, *adversus eos qui tribulant me*, id
est contra omnes tentationes hostium ani-
mæ meæ. Vel, Mensam, id est divinam
Scripturam, in qua tot sunt fercula, quot
salutares sensus continentur in ea. Istud
quoque est septimum beneficium Dei. —
(7) *Impinguasti in oleo caput meum*, id
est, animam meam spirituali jucunditate
B implesti : quod est octavum beneficium.
Et calix meus inebrians, id est sanguis
Christi contentus in calice benedictionis,
mentem divino amore inflammans, et velut
ebriam faciens, quoniam facit eam inferi-
orum immemorem, ac divinorum sitibun-
dam, *quam præclarus est!* id est, multum
clarus, sanctus et nobilis est, imo plus
quam dici possit vel credi. — Postremo
ponitur nonum beneficium. (8) *Et miseri-* 6
cordia tua subsequetur me omnibus diebus
vitæ meæ, id est, gratia tua quæ me pie
C prævenit, permanebit in me; neque relin-
quar a te, donec ad te summum bonum
beatificandus pervenero : et hoc est ver-
bum bonæ spei.

Omnia autem prædicta, mihi, o Domi-
ne, præstitisti propter id quod sequitur :
(9) *Et ut inhabitem in domo Domini*, id
est, ut post præsentem miseriam demorari
merear in regno cœlorum, quod est do-
mus tua : de qua in Evangelio scriptum
est, In domo Patris mei mansiones multæ Joann. XIV, 2.
sunt. Ad hunc etenim finem referenda
D sunt omnia dona et opera vitæ præsentis.
Ut, inquam, inhabitem in domo tua, non
modico aut tempore finito, sed *in longitu-*
dinem dierum, id est in æternum.

Digitized by Google

ARTICULUS LIV

EXPOSITIO ANAGOGICA EJUSDEM PSALMI VICESIMI SECUNDI, DE CHRISTO ET DE BEATIS SEU COMPREHENSORIBUS.

ALITER reguntur viatores a Deo, et
aliter comprehensores. Viatores enim
reguntur per hoc, quod ad beatitudinem
nondum adeptam, seu finem a se distan-
tem, diriguntur; comprehensores vero per
hoc reguntur a Deo, quod immobiliter in
ipso fine adepto seu beatitudine conser-
vantur. Christus ergo ut homo seu com-
prehensor, singulique Beati dicere possunt
in patria, commemorando beneficia Dei ad
1 gloriam Creatoris : *Dominus regit me,*
quia in nullo sinit me errare, *et nihil mi-
hi deerit,* quia æternaliter contentantur in
2 Deo ; *in loco pascuæ,* id est in supercœle-
sti paradiso beatissimæ voluptatis, *ibi me
collocavit,* id est inter angelicos choros.
Vel, In loco pascuæ, id est in affluentia
cœlestium deliciarum.

Super aquam refectionis educavit me,
id est, visione clara per speciem seu bea-
tifica cognitione divinæ essentiæ aluit me.
Ps. xxxv, 9. De qua visione infra habetur : Torrente
voluptatis tuæ potabis eos. Ipsa namque
visio Dei, est omnium Beatorum refectio,
universæ jucunditatis plenitudinem con-
tinens : et hac visione anima Christi ab
initio suæ incarnationis excellentissime
3 plena fuit. *Animam meam convertit,* id
est, inavertibiliter sibi conjunxit, confir-
mando eam in sui amore, ita ut nil inor-
dinate possit appetere. *Deduxit me super
semitas justitiæ propter nomen suum.* Be-
ati in patria, Deo attribuunt quod salvati
sunt, eique de sua salvatione regratiantur,
dicentes inter se : Deduxit me super se-
mitas justitiæ, quando adhuc peregrina-
bar in mundo, et non dereliquit me falli ;
sed propter nomen suum perduxit me re-
4 cto tramite de via ad patriam. *Nam et si
ambulavero in medio umbræ mortis, non*
A *timebo mala, quoniam tu mecum es.* Hunc
versum Beatis competere certum est, quo-
niam nec malum culpæ, nec malum pœ-
næ possunt timere. Quamvis enim in ipsis
permaneat donum timoris, non tamen
quantum ad hoc quod actus ejus est fu-
gere malum, sed prout actus ejus est Deum
revereri.

Virga tua et baculus tuus, quibus in via
visitasti me, *ipsa me consolata sunt,* id
est, ad istam consolationem cœlestem pro-
vexerunt me. Nam flagella pro peccatis in-
B flicta, quæ nomine virgæ signantur, pur-
gant animam, ut luci divinæ fiat unibilis;
consolationes vero divinæ in hac vita a Deo
clementer infusæ, animam accendunt ad
concupiscendam perfectam dulcedinem pa-
triæ. Beati ergo in patria, regratiantes Deo
quod eos in hac vita tam paterne correxit,
atque tam dulciter sustentavit, dicunt : Vir-
ga tua et baculus tuus ipsa me consolata
sunt. — Sed videtur, quod istud Beatis
convenire non possit, videlicet ut recor-
dentur in patria eorum quæ passi sunt in
C via, quoniam in Isaia habetur : Oblivioni *Is. LXV, 16, 17.*
traditæ sunt angustiæ priores, et non erunt
in memoria. Et respondendum, quod San-
cti in patria recordantur malorum quæ
passi sunt in via, quatenus talis memoria
est ipsis materia gaudiorum ; non autem,
in quantum memoria mali seu pœnæ est
occasio alicujus tristitiæ. Nam et Christus
in corpore suo gloriosissimo sibi retinuit
signa quinque vulnerum, non solum ut in
die judicii ingratis ostendat quid pro eis
passus sit, sed ut in æternum homines
D sancti in patria videant quid pro ipso-
rum salute pertulerit, atque ex hoc inæsti-
mabili inflammentur amore ac gratiarum
actione.

Digitized by Google

5 *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me.* Istud Beatis non competit, quoniam nullus tribulat eos; sed de Christo, secundum quod conversabatur in mundo, et passibilis erat tanquam aliquo modo viator, exponi potest. Ait ergo Christus ad Deum : Parasti in conspectu meo mensam, id est, pane illo pavisti me semper, de quo in Evangelio scriptum
Luc. XIV, 15. est : Beatus qui manducabit panem in regno Dei. Illa enim mensa, quæ modo paratur Beatis in patria : de qua dicit Salva-
Ibid. XXII, 29. 30. tor, Ego dispono vobis regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo : illa (inquam) mensa, animæ Christi semper parata fuit, quia semper Deum per speciem vidit, sicut Beati. Hæc vero mensa intelligi potest ipsa felicitas, in qua velut in mensa constitutæ sunt omnes deliciæ : quoniam teste Boetio, Felicitas est status omnium bonorum aggregatione perfectus. De hac itaque mensa ait Christus ad Patrem : *Parasti in conspectu meo mensam,* id est, animæ meæ ostendisti ac præstitisti felicitatem perfectam, *adversus eos qui tribulant me,* puta Judæos. Hæc siquidem mensa in tantum confortavit et immobilitavit animam Christi, quod adversarios non expavit.

Impinguasti in oleo caput meum, id est, perfecta dulcedine atque dulcissima beatitudine lætificasti mentem meam. Hoc omnibus comprehensoribus convenit. *Et calix meus inebrians,* id est fons vitæ ad satietatem me potans, vel ipse sapor æterni A fontis me plene reficiens, *quam præclarus est!* id est, quam incomparabiliter omnem sensibilem delectationem excedit ! Quod
nemo novit nisi expertus. *Et misericordia* 6
tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ, id est, lumen gloriæ, quod est gratia consummata, et beatitudo cœlestis, quæ est vita æterna, mihi misericorditer, id est ultra condignum, collata, in me perseverabunt sine fine, quatenus sim securus de æternitate beatitudinis meæ. *Et ut inhabitem in domo Domini,* id est in cœlo B empyreo : quod est locus beatificæ contemplationis ; *in longitudinem dierum,* id est per sæcula infinita, seu in ævo : quod est mensura durationis Beatorum, infinitos dies, si essent, complectens.

Ecce in psalmo isto brevi verbis, sed non brevi virtutibus, commemoravit deiformis Propheta multa et magna atque præcipua beneficia Dei. Idcirco decet nos hunc psalmum tanto cordialius, jucundius, atque devotius decantare, quo tantum benefactorem ardentius obligamur diligere, C ejusque piissima ac liberalissima dona diligentius considerare, magni pendere, ac amare. Et utique qui psalmum istum attente pronuntiat, ipsum promendo vehementer in Dei amore incalescere potest.

PRECATIO.

Propter nomen tuum, Domine, deduc nos super semitas justitiæ : subsequatur nos misericordia tua, ut in sempiternum habitemus in domo tua.

ARTICULUS LV

EXPOSITIO PSALMI VICESIMI TERTII : DOMINI EST TERRA, ETC.

DENIQUE hujus psalmi iste est titulus :
1 *Psalmus David, prima sabbati.* Prima sabbati, est dies dominica, qua Dominus a morte surrexit. Judæi enim propter reverentiam sabbati, omnes dies septimanæ D appellant a sabbato. Nam diem immediate sequentem diem sabbati nominant primam sabbati ; secundo sequentem, secundam sabbati, sicque de aliis. Gentiles vero vocant dies nominibus planetarum, dicentes,

Digitized by Google

Dies solis, dies lunæ, etc. Christiani autem dies nuncupant ferias, quoniam semper feriandum est a peccatis. Est igitur hujus tituli sensus : *Psalmus David,* id est, psalmus iste conscriptus est a David, pro gloria resurrectionis Christi, quæ facta est
Marc. xvi, 2, 9. *prima sabbati* valde mane.

AIT itaque : (1) *Domini,* cujus nutui omnia parent, *est terra et plenitudo ejus,* id est ipsum elementum et omnia in ipso contenta, videlicet homines, terræ nascentia et jumenta : quod consequenter clarius exponit. *Orbis terrarum,* id est omnis circumferentia partium terræ, *et universi qui habitant in eo.* Omnia ista sunt Domini, sicut creatoris, gubernatoris et conservatoris, quemadmodum in libro Job de Deo
Job xxxiv, 13. habetur : Quem constituit alium super terram? aut quem posuit super orbem quem fabricatus est? In quo hæresis Manichæi ac Valentini, dicentium ista inferiora non esse creata a Deo lucis, confunditur.

Signum autem hujus, scilicet quod Domini est terra et plenitudo ejus, est id
2 quod subditur : (2) *Quia ipse* Dominus *super maria,* id est super aliqua brachia maris Oceani, quod terram cingit et ambit, *fundavit,* id est, firmiter collocavit, *eum,* scilicet orbem terrarum : non quod terra simpliciter sit superior aqua, quoniam terra est centrum universi : unde necesse est ipsam esse in medio mundi, et per consequens ab aqua cingi, et in medio ejus locari pro majori sua parte. Dicitur ergo terra super maria fundata, quia divina virtute factum est, ut non sit tota aquis operta, nec mare erumpens ipsam operiat : sed pars ejus est superior mari, quantum ad partes maris terræ vicinas, quatenus animalia commorari possint in ea. Idcirco subjungit : *et super flumina præparavit eum,* id est, fecit orbem terræ, quantum ad aliqua loca, eminentiorem ripis fluviorum, præparans eum habitationi viventium. Et in isto apparet ineffabilis sapientia, atque omnipotens virtus Creatoris, quemadmodum per Jeremiam Dominus ait : Audi, popule stulte, qui non habes *Jer.* v, 21, 22.
cor. Me non timebitis, qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum quod non præteribit? Intumescent fluctus ejus, et non transibunt illud. Ad beatum Job quoque : Quis, inquit, conclusit os- *Job* xxxviii, 8, 10, 11.
tiis mare, quando erumpebat quasi de vulva procedens? Circumdedi illud terminis meis, et posui vectes et ostia; et dixi, Hucusque venies, et non procedes amplius.

Potest autem hic locus magis spiritualiter explanari. Ut sit sensus : *Domini est terra,* id est militans Ecclesia in terra peregrinans, atque instar bonæ terræ uberes fructus sanctæ conversationis producens, *et plenitudo ejus,* id est, tota virtus, gratia atque perfectio fidelium, Domino adscribenda est, sicut datori qui dedit, et fini propter quem omnia fieri debent. *Orbis terrarum,* id est hæc ipsa Ecclesia per totum mundum diffusa, seu ex populis omnium finium mundi collecta, *et universi qui habitant in eo,* id est, omnes Christifideles in ecclesiastica unitate, fide et opere stabiles, sunt Domini Jesu Christi, qui proprio sanguine sibi acquisivit *Act.* xx, 28; *Ephes.* v, 25-27.
eamdem, secundum Apostolum. Cujus rationem subjungit : *Quia ipse super maria,* id est super homines sæculares, tanquam mare fluctuantes de vanitate in vanitatem, et nunquam in Domino stabilitos; vel, Super maria, id est super tribulationes et amaritudines fluctusque sæculi; *fundavit eum,* id est, corroboravit Ecclesiam : non quod prædicta sint fundamenta Ecclesiæ; sed quia Christus stabilivit Ecclesiam adversus prædicta, ne obruatur vel penitus superetur ab eis, fecitque Ecclesiam firmiorem ac sublimiorem prædictis, super quæ fundata asseritur. Propter quod subditur : *et super flumina,* id est super vitia tanquam flumen fluentia : sicut luxuria atque cupiditas, quæ in bonis delectabilibus et utilibus inordinate et sine quiete discurrunt, nec satiant, sed magis accendunt. Super hæc itaque flumina *præparavit eum,* id est Ecclesiam seu fidelium congregationem, disponendo eam ad bel-

Digitized by Google

lum contra vitia ista, quemadmodum ait A
II Cor. x, 3, 4. Apostolus : In carne ambulantes, non secundum carnem militamus. Nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo.

Postquam Propheta testatus est omnia Domini esse, nunc sciscitatur atque declarat qui ad Dominum tantæ majestatis per-
3 tingere possint, et ait : (3) *Quis ascendet in montem Domini?* id est, quis de naturalibus perveniet ad apicem gratiæ? quis de sæculo nequam intrabit sanctam reli-
gionem? quis de servitute peccati ascen- B
det ad obedientiam matris Ecclesiæ? quis de imperfectione ascendet ad perfectionem? quis de hac valle lacrimarum ascendet ad regnum cœlorum? *Aut quis stabit in loco sancto ejus?* id est, quis usque in finem perseverabit in monte Domini jam prædicto atque exposito? Ascendunt enim interdum etiam reprobi, sed non stant nisi electi. Omnes interrogationes istæ, in idem redire videntur, et omnes per responsionem sequentem solvuntur. Respon-
det enim Propheta : C

4 (4) *Innocens manibus,* id est, qui alteri operando non nocuit, *et mundo corde,* id est a sorde peccatorum purgatus, *qui non accepit in vano animam suam,* id est, qui non neglexit implere id, propter quod anima sua creata est, corporique infusa. Creata enim et corpori conjuncta est anima, ut virtutibus adornetur, scientiam salutarem adipisci conetur, Domino cum omni obedientia famuletur. Qui igitur ista acquirit et implet, non accepit in vano ani-
mam suam. *Nec juravit in dolo proximo* D
suo, id est, nil promisit quod non solvit, nil firmiter affirmavit quod verificare non potuit, nil cum juramento asseruit ut
5 alium falleret. (5) *Hic,* qui ista observat, *accipiet benedictionem,* id est gratiarum dona et multiplicationem eorum, *a Domino, et misericordiam,* id est indulgentiam, et omne quod petit, *a Deo salutari suo,* id est a Deo in quo salus sua consistit, vel a Christo salvatore.

Deinde quod singulariter dixit, omnibus
applicat justis. (6) *Hæc,* id est, qui taliter 6
vivunt, *est generatio quærentium eum :* quia isti sunt renati in Domino, pertinentes ad numerum regeneratorum in Christo; et quærunt Dominum per fidem et sancta desideria bonaque opera. Nec solum quærunt Dominum per fidem; sed hæc est (inquit) generatio *quærentium faciem Dei Jacob,* id est desiderantium videre Deum in patria clare per speciem : qui in præsenti quærunt eum, contemplari volentes eum sicut nunc possunt; sed in
futuro cupiunt eum cognoscere sicut et I Cor. XIII, 12.
cogniti sunt. Si ergo tu Deum quæris, si eum videre, si ei conjungi desideras, fac
proximo quod tibi vis fieri; talem te ex- Tob. IV, 16.
hibe fratri, qualem optas ut se Deus exhibeat tibi. Ab omni vanitate et vili occupatione atque malitia purga aciem mentis, quoniam Deus non nisi a purgatissimis mentibus cernitur, nilque vel minimæ maculæ esse potest in anima quæ divinæ luci immediate jungetur, quoniam tantum a Deo distamus, quantum vitiis subjacemus.

(7) *Attollite portas, principes, vestras.* 7
Hæc est vox angelorum sanctorum, cum Christo ad inferos descendentium, eumque præeuntium ut famuli dominum, et ad dæmones ita loquentium : Attollite, id est aperite, o principes tenebrarum, portas vestras, id est claustra inferni, seu potestatem et jus quod hucusque habuistis in animas electorum propter originalis peccati reatum : ob quem impediebantur ab ingressu regni cœlorum. *Et elevamini, portæ æternales,* id est aperiamini, prædictæ portæ, quæ ab origine mundi clausæ fuistis universis, et sine fine clausæ manebitis reprobis quantum ad liberationem. Vel, Elevamini, portæ æternales, id est, ad Christi contemplationem erigite vos, o animæ electorum, quas Christus modo ingreditur per beatificam visionem, et in æternum in vobis manebit. Propterea subditur: *et introibit rex gloriæ :* quod ad utramque expositionem refertur. Nam infernum (id est limbum patrum) Christus intravit; mentes quoque animarum illic captiva-

Digitized by Google

rum ingressus est. Nam statim ut anima Christi a corpore suo gloriosissimo separata fuit, infernum intravit, et omnes animas Sanctorum clara Divinitatis visione beatificavit: quoniam pro originali plenissime satisfecit, propter cujus reatum animæ sanctæ retardabantur a visione beata.

Ad hanc vocem, admirati dæmones,
8 aiunt : (8) *Quis est iste rex gloriæ,* qui tam inconsuete, tam gloriose, tamque secure descendit ad nos ? Quibus angeli sancti respondent : *Dominus fortis,* ratione divinitatis, *et potens,* ratione humanitatis, per cujus passionem, mortem ac dæmones superavit; *Dominus potens in prælio,* id est in passione qua principem hujus mundi
Matth. xii, 29. alligavit, foras ejecit, et vasa ejus diripuit. Hic ergo est rex gloriæ. Porro, per hoc quod isto in versu vocatur Christus rex gloriæ, atque in versu sequenti, Dominus virtutum, manifeste probatur quod ipse sit verus Deus. Nulla enim pura creatura dici potest rex gloriæ, aut Dominus virtutum, quia auctoritatem regni atque dominii ex se ipsa non habet.

9 (9) *Attollite portas, principes, vestras.* Hæc est vox sanctorum angelorum, Christum in ascensione præcedentium, et cœlestibus civibus atque principibus clamantium : Attollite, o principes, id est angelicæ potestates, portas vestras : id est, reserate ingressum regni cœlorum, parantes introitum Filio Dei ac venientibus secum, quatenus cum reverentia debita suscipiatis eumdem. *Et elevamini, portæ æternales,* id est, patefacite vos, januæ vitæ æternæ. Portæ istæ non sunt corporaliter intelligendæ; sed facultas, virtus, seu jus ingrediendi vitam æternam, est porta cœlorum. *Et introibit rex gloriæ :* sicut ait
Hebr. ix, 24. Apostolus : Non in manufacta sancta Jesus introiit exemplaria verorum; sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.

Interea angeli audientes hanc vocem, adspicientesque Christum tam gloriose ascendere, inquirunt ab angelis superiori-
10 bus : (10) *Quis est iste rex gloriæ?* tanquam a doctioribus cupientes plenius edoceri. Quibus angeli cum Christo venientes respondent : *Dominus virtutum,* id est ipsemet Deus Unigenitus Dei Patris, qui est Dominus Sabaoth, id est exercituum atque universarum virtutum cœlestium, *ipse est rex gloriæ,* id est princeps lætitiæ, fons felicitatis æternæ, rex tantæ excellentiæ : cui secundum quod homo est, data est omnis potestas in cœlo et in terra. Matth. xxviii, 18.

Advertendum est hic, quod juxta doctrinam divini ac magni Dionysii, septimo Cœlestis hierarchiæ capitulo, Christo ascendente, angeli tres quæstiones fecerunt. Prima fuit inferiorum, quærentium a superioribus cum Christo venientibus : Quis est iste rex gloriæ? Non enim tam perfecte noverunt mysteria Christi, ut superiores, quamvis secundum Augustinum, omnes angeli sancti agnoverunt a principio mundi mysterium Christi, videlicet incarnationem Filii Dei, et hoc saltem in generali. Secunda erat quæstio angelorum primæ ac summæ hierarchiæ, quærentium inter se : Quis est iste qui venit de Edom, Is. lxiii, 1. tinctis vestibus de Bosra ? Edom interpretatur, sanguinea; Bosra vero, munita. Est igitur sensus : Quis est iste, tam præclarus et candidus, qui venit de mundo sanguineo per peccata, ac munito contra Deum per malitiam ? Hanc autem quæstionem faciunt angeli summi inter se, non quasi volentes a se invicem edoceri, quoniam omnes immediate illuminantur a Deo; sed quærunt sic conferendo inter se, quatenus ostendant se scientiam sanctam appetere, neque audere divinam in eos processivam instructionem anticipare, aut præfixos sibi terminos transilire : quasi deliberent primo inter se, ut fiant idonei ad illuminationem divinam. Unde et Christus per se ipsum eis respondet : Ego qui loquor Ibidem. justitiam, et propugnator sum ad salvandum. Tertia quæstio est, quam angeli summi faciunt, Christo dicentes : Quare ergo Ibid. 2. rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Indumentum Christi, est corpus ejus, quod

Digitized by Google

fuit suæ divinitatis templum atque latibulum. Est itaque sensus : Quare sanguine rubricatum fuit corpus tuum, sicut cicatrices testantur, si tam justus es, et idem salvator ? Quibus Christus respondet : Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum, id est, diabolum, peccata, et mundum solus devici, et passionem pro omnibus pertuli, nec est aliquis patiens mecum pro mundi sceleribus. Has quæstiones faciunt angeli summi, quia nec ipsi penetrare possunt profunditatem incarnationis ac aliorum mysteriorum Domini salvatoris. *Is.* LXIII, 3.

Ecce psalmus iste lucifluus, breviter docuit nos majestatem contemplari divinam, cujus imperio universa subduntur, quatenus excitet nos ad reverentiam ac sanctum timorem altissimi Creatoris. Docuit quoque, qualem esse oporteat eum qui ad Dominum pertinere desiderat, quatenus exhortetur nos ad cordis munditiam. Postremo, docuit nos de Christi felicissima ascensione, quatenus erigat corda nostra ad superna : quemadmodum ait Apostolus : Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens ; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. *Coloss.* III, 1, 2.

PRECATIO.

Domine virtutum et Rex gloriæ, purifica conscientiam nostram : ut innocentes manibus et mundi corde semper exsistentes, benedictionem et misericordiam æternam a te percipiamus.

ARTICULUS LVI

EXPOSITIO PSALMI VICESIMI QUARTI : AD TE, DOMINE, LEVAVI, ETC.

1 Titulus psalmi est : *In finem, psalmus David :* id est, psalmus iste in finem perficientem seu consummantem, id est in Christum, nos dirigens, est David loquentis hic in persona pœnitentis per flagella correcti. Est enim hic psalmus oratio Ecclesiæ atque cujuslibet vere contriti, consolationem ac opem quærentis contra mala culpæ et pœnæ.

Ait itaque : (1) *Ad te* Deum totius salutis meæ, summumque bonum cordis mei, *Domine, levavi animam meam,* per fidem certissimam te contemplando, carnalia ac sensibilia deserendo, atque in te omnium rerum altissimo vertice mentis meæ intuitum affectuosissime figendo : quemadmodum Isaias monet, Excutere de *Is.* LII, 2.
2 pulvere, consurge. *Deus meus,* quem summe ac unice colo et diligo, *in te confido,* non in rebus caducis : idcirco *non erubescam,* id est, da mihi ut nil dignum erubescentia agam, videlicet ut non peccem. Est enim erubescentia, timor de aliquo turpi. Nil autem peccato turpius esse potest. Vel sic : Non erubescam, id est, non timeam propria peccata confiteri, sed impleam illud : Fili mi, da gloriam Deo Israel, et confitere atque indica quid feceris. *Josue* VII, 19. Vel : Non erubescam de opere bono : de quo imperfecti sæpius erubescunt propter aliquod consequens, scilicet propter pœnam vel irrisionem aliorum. Itaque, Non erubescam, ne mihi contingat quod tu, Domine Jesu, in Evangelio dicis : Qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, quum venerit in regno suo. *Luc.* IX, 26. Verumtamen est quædam erubescentia bona, de qua ait Philosophus quod sit optima passio. Est enim timor de aliquo inhonesto. De hac ergo non loquitur hic Propheta, imo rogare debe-

Digitized by Google

mus Dominum ut omnino erubescamus, dum aliquid vitiosum committimus, ne illud nobis dicatur : Frons mulieris meretricis facta est tibi ; noluisti erubescere. Nam qui in malo habituati sunt, non erubescunt. (*Jer.* III, 3.)

Vel : Non erubescam, id est, non confundar a te, in die judicii mei particularis, quando anima mea a corpore exiens, statim judicabitur a te, neque in die univer-
3 salis judicii. Unde subjungitur : (2) *Neque irrideant me inimici mei,* scilicet dæmones, qui suos ministros modo occulte derident, sed in die utriusque judicii, maxime tamen in die extremi judicii, eos manifeste irridebunt. *Etenim universi qui sustinent te,* id est, qui nunc omnia quæ sibi contingunt, æquanimiter ferunt, et tibi ultionem judiciumque committunt, quemadmodum scriptum est : Mihi vindictam, et ego retribuam, dicit Dominus. (*Rom.* XII, 19; *Hebr.* X, 30.) Isti *non confundentur* in tempore judiciorum istorum ; sed audient verbum illud honorificum atque dulcissimum, Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, etc. (*Matth.* XXV, 34.)

4 (3) *Confundantur omnes iniqua agentes supervacue :* id est, peccatores qui inutiliter et vane malitias perpetrant, confundantur in præsenti vita ad pœnitentiam salutarem, ne æternaliter confundantur, quemadmodum scriptum est : Confundimini et erubescite super viis vestris, dicit Dominus. (*Ezech.* XXXVI, 32.) Et hoc modo, quod dicitur, Confundantur, optando exponitur. Vel sic : Confundantur omnes iniqua agentes supervacue, id est, vituperentur a te, in æternumque pereant, sicut comminaris : Dabo, inquiens, vos in opprobrium sempiternum et ignominiam æternam, quæ nunquam oblivione delebitur. (*Jer.* XXIII, 40.) Et ita, quod dicitur, Confundantur, intelligendum est prophetative, non optative, nisi Propheta dicat hoc de his qui obstinati permanent, vel conformando affectum suum divinæ justitiæ.

(4) *Vias tuas,* id est mandata tua, *Domine, demonstra mihi,* id est, lumen gratiæ tuæ mihi infunde, quatenus tua præcepta

A actualiter pensem, ac diligenter observem. *Et semitas tuas edoce me.* Aliud nihil dicit, nisi quod dictum est ; sed dictum, aliis verbis resumit, propter affectus sui fervorem, atque ut corda nostra inflammet. Vel, Semitas tuas, id est vias perfectas, quæ sunt evangelica consilia, edoce me : non solum ut ea informiter sciam, quod et reprobis competit ; sed ut
opere et veritate ea perficiam. (5) *Dirige* 5
me ad te ipsum et ad beatitudinem sempiternam, ut ad tuum honorem omnia
B agam ; *in veritate tua,* id est in lege divina, quatenus secundum ejus rectitudinem et doctrinam, omnia opera mea disponam ac ordinem ad ultimum finem ; *et doce me,* ut sciam quid acceptum sit coram te omni tempore, (*Sap.* IX, 10.) sciamque (prout hortatur Apostolus) quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens et perfecta. (*Rom.* XII, 2.) Idcirco autem oro doceri a te, *quia tu es Deus salvator meus,* qui animam tuam posuisti pro me, (*Joann.* X, 15.) et a peccatis, a jugo diaboli, a damnatione æterna redemisti me. *Et te*
C *sustinui tota die :* id est, omni tempore quo vivo sub sole, præstolatus sum tuam clementiam, et me ipsum ac omnia quæ mihi eveniunt, tuæ pietati commisi. Idcirco :

(6) *Reminiscere miserationum tuarum,* 6
Domine, et misericordiarum tuarum quæ a sæculo sunt. Reminiscentia et oblivio in incommutabili Deo proprie non cadunt ; sed per transumptionem dicitur Deus reminisci, dum exaudit, parcit, succurrit ; oblivisci vero, dum opposito modo se ha-
D bet. Denique misericordia, prout in Deo esse censetur, non est nisi bonitas ejus piissima. Miseratio autem Dei, est effectus misericordiæ ejus. Multæ ergo possunt esse miserationes Dei, quoniam multa sunt opera pietatis divinæ ; sed misericordia Dei non est nisi una, quæ est divina essentia. Cur ergo modo pluraliter ait, Et misericordiarum tuarum, nisi quod divina misericordia, quæ in se una et simplex est, pluraliter nominatur, propter diversitatem suorum effectuum ? Igitur, Domi-

Digitized by Google

ne, reminiscere miserationum tuarum, id est, attende quantam pietatem et gratiam prioribus sanctis dedisti ; et mihi fac quemadmodum illis fecisti, indulgendo mihi semper in omnibus. Et reminiscere misericordiarum tuarum quæ a sæculo sunt, id est, recorderis pietatis tuæ æternæ, quæ ab origine mundi fuit in te, et effunde benignitatis tuæ effectus in me ; clementiæ tuæ abyssum, atque totius misericordiæ tuæ pelagus, in æternum ostende in me.

7 (7) *Delicta juventutis meæ,* id est peccata commissionis facta in juventute, *et ignorantias meas,* id est peccata omissionis, *ne memineris* reservando mihi pœnam æternam pro eis; sed in præsenti da mihi ea delere. Vel : Delicta, id est peccata ex malitia seu electione mali perpetrata, et ignorantias, id est peccata ex infirmitate admissa, ne memineris. Omnis enim qui peccat : vel peccat ex passione, et iste faciliter emendatur, quia passione cessante, cessat peccatum ; vel ex habitu malo, videlicet ex certa malitia, et iste difficulter corrigitur, quia difficile est habitum exstirpare. Theologi vero dicunt, peccatum procedere, vel ex infirmitate, quod est peccatum contra Patrem, cui appropriatur potentia; vel ex ignorantia, quod est peccatum contra Filium, cui appropriatur sapientia ; vel ex certa malitia, quod est peccatum contra Spiritum Sanctum, cui appropriata est bonitas. Sed hæc tria reduci possunt ad duo prædicta. (8) *Secundum misericordiam tuam memento mei tu :* id est, non secundum mea peccata, non secundum justitiæ tuæ rigorem, sed secundum misericordiam tuam fac mihi, peccata ignoscendo, gratiam infundendo, meque in omni bono conservando : et hoc fac *propter bonitatem tuam, Domine,* id est propter te ipsum et nominis tui honorem. Hoc est quod Nehemias ait : Memento mei, Deus meus, in bonum ; et ne deleas miserationes tuas a me. II *Esdr.* XIII, 31, 14.

8 (9) *Dulcis et rectus Dominus,* id est suavis in se et aliis pius, rectus quoque, id A est justus : imo ipse est universæ dulcedinis causa fontalis, cujus dulcedo in se ipso vere simpliciterque immensa exsistit. *Propter hoc legem dabit delinquentibus in via,* id est hominibus qui sæpe delinquunt in vita præsenti, quæ est peregrinatio et via ad vitam æternam. Triplicem legem contulit Deus hominibus, scilicet legem naturalem, legem scriptam, et legem evangelicam : et omnes hæ leges sunt datæ hominibus, quatenus juste vivant ; et Deus propter suam dulcedinem B et æquitatem præstitit eas hominibus, quoniam pium ac justum fuit ut Creator rationali creaturæ legem vivendi præfigeret. Propter quod in Ecclesiastico dicitur : Ostendit Deus hominibus bona et mala ; et lege vitæ hereditavit illos. Justitiam et judicia sua ostendit illis ; et dixit eis : Attendite vobis ab omni iniquo. *Eccli.* XVII, 6, 9-11. Quod autem hic dicitur, Dulcis et rectus Dominus, convenienter de Christo accipitur, qui legem evangelicam dedit in monte, ubi octo beatitudines discipulis declaravit. *Matth.* v, 1 *et seq.*

C (10) *Diriget* ipse Dominus per inspirationem et gratiam Spiritus Sancti, *mansuetos,* id est patientes, *in judicio* discretionis, ut se ipsos vere discutiant, judicent, et emendent. Diriget equidem eos, quoniam impatientia, quæ rationis judicium plurimum impedit, carent : ac per hoc capaces ac digni sunt a Domino dirigi per dona Spiritus Sancti. Nam per donum sapientiæ judicamus de divinis ; per donum scientiæ, de creatis ; per donum consilii, de actibus humanis. *Docebit mites vias suas,* D id est, Dominus informabit homines, qui iracundiæ motus vicerunt, operationes salubres ac sanctas, quia ad omne bonum dirigit eos. Communiter accipi solent mansuetudo et mititas pro eodem ; sed quia Propheta loquitur de eis distincte, idcirco mansuetudo jam sumpta est pro patientia, quæ est virtus moralis refrenans passionem tristitiæ, sicut et mititas iram restringit. 9

(11) *Universæ viæ Domini,* id est omnia opera Dei, sunt *misericordia et veritas :* 10

id est, in omnibus effectibus Dei apparent
atque relucent misericordia Dei et justitia
ejus. In aliquibus tamen misericordia Dei
evidenter apparet, ut in electis ; et in qui-
busdam manifestius apparet justitia, sic-
ut in reprobis. Tamen quoniam reprobi
citra condignum a Deo in hac vita relin-
quuntur et in inferno torquentur, idcirco
in eis misericordia Dei apparet. Electi ve-
ro ultra condignum præmiantur, sicque
in eis misericordia locum habet : et quod
istud est verum, constat *requirentibus te-
stamentum ejus et testimonia ejus,* id est
hominibus qui in hac vita requirunt le-
gem divinam, et veritates quæ in ea cre-
dendæ traduntur. Possent hic multa dici,
quomodo in omni opere Creatoris commi-
scentur misericordia et veritas. De quibus
Anselmus in suo Proslogio pulcherrime
tractat, ostendens quædam esse justa ex
parte Dei, ut quod malis miseretur : quia
tam bonus est Deus, ut justum sit eum
etiam malis benefacere. Quædam vero sunt
justa ex parte Dei et nostri, sicut dum
bonis benefacit. Cur vero potius Deus ju-
ste eligat misereri uni malo, quam alteri,
a nobis inveniri non potest : imo, ut ait
Augustinus, Hoc noli investigare, si non
vis errare. Sed de ista materia transeo, et
ad Anselmum studiosos remitto.
11 (12) *Propter nomen tuum,* id est propter
te ipsum, et ut ostendas divitias miseri-
cordiæ tuæ in me, *propitiaberis peccato
meo,* ut spero ; *multum est enim :* non
quod multitudo peccati sit causa merito-
ria indulgentiæ Dei, sed quia est causa
propter quam peccati remissio dici po-
test propitiatio. Ponit autem hic singulare
pro plurali, dum ait, Propitiaberis peccato
meo : quoniam sensus est, Propitiaberis
omnibus peccatis meis. Unum namque
mortale peccatum, sine alio nunquam di-
mittitur in eo qui plura mortalia habet ;
sed unum veniale, sine alio potest dimitti.
Interea Propheta mutat personam, et
12 subdit : (13) *Quis est homo qui timet Do-
minum* casto ac filiali timore? Hic talis
magnus et felix est, quoniam Dominus
A *legem statuit ei,* id est, legem divinam
proposuit ei, *in via quam elegit,* id est in
sancta conversatione quam sponte assum-
psit, malam conversationem contemnens.
(14) *Anima ejus* qui sic timet Dominum, 13
in bonis demorabitur, id est, in præsenti
vita perseverabit in gratia atque virtuti-
bus, et in futuro æternaliter permanebit
in gloria cum electis : eritque utrobique
dives in Christo. *Et semen ejus,* id est
fructuosa vita sua, *hereditabit terram,* id
est, in hoc sæculo habebit corpus sibi ac
B rationi subjectum, in futuroque sæculo
possidebit regnum cœlorum, quod est re-
gio vivorum seu terra viventium. Et de
utraque hac terra exponi potest, secun-
dum modum prædictum, quod Christus in
Evangelio dicit : Beati mites, quoniam ipsi Matth. v. 4.
possidebunt terram. (15) *Firmamentum,* id 14
est causa omnis stabilitatis ac perfectio-
nis, *est Dominus timentibus eum :* quem-
admodum Apostolus, Optimum, inquit, est Hebr. xiii. 9.
gratia stabiliri cor. *Et testamentum ip-
sius,* id est, lex Dei ad hoc data est, *ut
C manifestetur illis,* id est, quatenus agno-
scatur et impleatur ab ipsis.
Sequitur versus dulcissimus ac saluber-
rimus : (16) *Oculi mei semper ad Domi-* 15
num, id est, intentio et contemplatio cor-
dis mei ad Deum erecta est semper, id est
in omni tempore debito, vel semper actu
aut habitu. Hoc convenit his qui cum Apo-
stolo dicere possunt : Nos autem revelata II Cor. iii. 18.
facie gloriam Domini speculantes, in eam-
dem imaginem transformamur de clarita-
te in claritatem. Unde ait Jeremias : Le- Thren. iii. 41.
D vemus corda nostra cum manibus ad Deum
in cœlos. Ideo autem, Oculi mei semper
ad Dominum, *quoniam ipse evellet de la-
queo,* id est, liberabit de insidiis inimici,
de omni tentatione et vitio, quibus anima
captivatur, *pedes meos,* id est peregrina-
tionem meam, seu actus vitæ meæ in isto
exsilio, laqueis pleno.
(17) *Respice in me,* implendo cordis mei 16
affectum in bonis, *et miserere mei, quo-
niam unicus,* id est solus, et præter te
adjutorem ac miseratorem non habens, *et*

pauper, id est indigens gratia tua, et nil A
boni potens per me, *sum ego.* Hoc modo
unica et pauper fuit illa sanctissima Es-
Esther xiv, 3. ther, quæ dixit ad Dominum : Adjuva me
solitariam, et cujus præter te nullus alius
17 auxiliator est. (18) *Tribulationes cordis mei*
multiplicatæ sunt : quia affligor pro pec-
catis commissis, affligor propter defectum
perfectionis, affligor timore pœnarum et
Prov. xiii, 12. desiderio gaudiorum. Spes enim quæ dif-
fertur, affligit animam. Affligor molestia
tentationum et compassione proximorum.
Quoniam ergo tantis malis nunc tribulor, B
ideo oro, *de necessitatibus meis erue me,*
id est, ab indigentiis istis corporalibus
cibi, potus, somni, vestitus, atque simi-
lium libera me, ut non tam frequenter
impediant animam a contemplatione divi-
na, sed utar eis solum quantum oportet,
non quantum delectat; nec sim sollicitus
Matth. vi, 33. de crastino, sed primo quæram regnum
Dei, ac per hoc omnia illa mihi adji-
ciantur.
18 (19) *Vide humilitatem meam,* id est, be-
nigne considera vilitatem et contritionem C
meam, quomodo me ipsum contémno, *et*
laborem meum, id est satisfactionem pro
culpis meis, atque conatum quo facio quod
in me est pro gratia acquirenda; *et dimit-*
te universa delicta mea, quoad pœnam et
19 culpam. (20) *Respice inimicos meos,* id est,
dæmones reprime, et homines malos con-
verte, meque ab eis conserva, *quoniam*
multiplicati sunt : id est, quia propriis
viribus eis resistere nequeo, propterea ad
tuam pietatem confugio; *et odio iniquo*
oderunt me, quia spiritualia bona mihi D
auferre conantur, et a te Deo meo elon-
gare me cupiunt : quod est pessimum
odium, et peccatum in Spiritum Sanctum,
quod dicitur, invidentia fraternæ gratiæ.
20 (21) *Custodi animam meam* in profectu
virtutum et omni bono. Scio enim quod
Prov. iv, 23. utiliter Scriptura admoneat : Omni custo-
dia serva cor tuum, quia ex ipso vita pro-
cedit. Sed quoniam non sufficio per meam
virtutem hoc ipsum implere, quia (ut Je-
Jer. x, 23. remias ait) non est in homine via ejus;
idcirco, o Domine, custodi tu per conti-
nuam gratiam atque angelicam opem ani-
mam meam, ne recedat a te. *Et erue me,* a
malis præteritis, præsentibus et futuris.
Non erubescam, quoniam speravi in te.
Hoc in primo hujus psalmi versu satis ex-
positum est.

Deinceps commemorat beneficium sibi
collatum a Domino, seu fructum sperandi
in Deo, et ait ad gloriam Creatoris : (22) *In-* 21
nocentes et recti, id est simplices, nulli
nocentes, sed recedentes a malo, et juste
facientes bonum, *adhæserunt mihi* cordis
consensu, approbando opera mea, et opi-
tulando studiis meis, *quia sustinui te,* id
est, te longanimiter atque fiducialiter ex-
spectavi in omni eventu. Unumquodque
enim applaudit suo simili, quoniam simi-
litudo est causa amoris. Ideo boni bonis
adhærent : et hæc sola est vera et sancta
dilectio, quæ in similitudine virtutis ac
bono honesto fundatur. (23) *Libera, Deus,* 22
Israel, id est populum te fideliter con-
templantem, *ex omnibus tribulationibus*
suis, dando ei vitam ac requiem sempiter-
nam, post hujus sæculi peregrinationem
pœnalem.

Ecce quam affectuosissimæ et efficacis-
simæ orationes continentur in psalmo is-
to; et quam suaviter atque præclare lauda-
tur Deus in eo, tam quoad se ipsum, quam
in ordine ad suos effectus. Studeamus er-
go hunc psalmum prænobilem cum cor-
diali contritione, cum gustu mentali, cum
caritate divina, cum delectatione divini
præconii, cum ardenti affectu proficiendi
cantare, ut devotæ orationis effectum, di-
vinæque laudis fructum mereamur sortiri.

PRECATIO.

Memento nostri, Domine, secundum mi-
sericordiam et bonitatem tuam, et pedes
nostros de laqueo inimicorum evelle : ut
qui aliquando ad mala currendo proni ex-
sistebant, vias et semitas justitiæ tandem
te docente apprehendant, easque constan-
ter et perseveranter incedere non desistant,

Digitized by Google

ARTICULUS LVII

EXPOSITIO DE CHRISTO, PSALMI VICESIMI QUINTI : JUDICA ME, DOMINE, ETC.

Brevis demum est titulus psalmi istius, A
1 scilicet : *Psalmus David*. Et dicunt aliqui expositores, quod hoc loco per David non intelligitur Christus, sed quilibet homo perfectus. Verumtamen quidquid sit de hoc, videtur omnino psalmus iste posse exponi de Christo, etiam aptius quam de aliquo alio.

CHRISTUS ergo ut homo, ait ad Deum : (1) *Judica me, Domine,* id est, a malis discerne et separa me, atque secundum justitiam meam restitue mihi accidentale B præmium. Christus enim optavit a malis secerni, ad Patrem redire, et beatificari in corpore. Unde in Evangelio ait : O generatio mala et incredula, quamdiu apud vos ero? quamdiu patiar vos? (*Matth.* XVII, 16; *Marc.* IX, 18.) Et iterum : Pater, clarifica me claritate quam habui, antequam mundus esset, coram te. (*Joann.* XVII, 5.) Deus quoque judicavit Christum hominem judicio discretionis et remunerationis. Ideo autem judicari peto, o Domine, *quoniam ego in innocentia mea ingressus,* id est innocenter in omnibus conversatus *sum,* C *et in Domino sperans, non infirmabor* mente, licet in corpore patiar : nam animo stabilis ero ac fixus in Domino. Christus namque a perfecta fortitudine mentis nunquam defecit, quamvis spontanea dispensatione quasdam passiones animæ assumpsit. Illæ quippe passiones non impediverunt actum rationis in ipso. Nulla enim passio appetitus sensitivi prævenit rationem in Christo, sed ipse quas voluit, sponte admisit.

2 (2) *Proba me, Domine,* id est, permitte D me pati adversa ac dura pro mundi salute, ut omnes agnoscant me probatum et tibi acceptum. Itaque, Proba me, id est, per pœnas experire obedientiam meam, non ut tu aliquid de novo agnoscas, sed ut aliis probationem ac approbationem meam ostendas. *Et tenta me,* id est, tentari me sine a Satana, et a Pharisæis ac Scribis : quatenus mea tentatio fiat aliis causa vincendi tentationes; et mea resistentia atque victoria fiat aliis forma resistendi tentationibus, superandique eas. *Ure,* igne passionis, *renes meos et cor meum,* id est naturam sensitivam et appetitum ipsius. Nam tota natura corporea Christi, vehementi dolore passa fuit; dolor quoque interior et timor atque tristitia, prout sunt passiones animæ, afflixerunt cor, id est appetitum sensitivum, animæ Christi. Vel sic : Ure, igne Sancti Spiritus, renes meos et cor meum, scilicet, ut fervor caritatis in voluntate exsistens, redundet in inferiorem partem animæ, faciatque appetitum sensitivum ardenter paratum ad sustinendum ignominiam mortis pro mundo. Istud autem in Christo impletum est. Nam, postquam ab oratione surrexit, Judæis intrepidus obviam ivit, et dixit : Quem quæritis? (*Joann.* XVIII, 4, 7.) ita quod tunc natura inferior, promptissime et sine pavore sequebatur appetitum intellectualem ac rationem.

Porro quod ista Christo conveniant, patet ex eo quod Apostolus ait : Non habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris; tentatum autem per omnia pro similitudine, absque peccato. (*Hebr.* IV, 15.) Et iterum de Christo loquens : Debuit, inquit, per omnia fratribus similari. In quo enim passus est ipse et tentatus, potens est et eis qui tentantur, auxiliari. (*Ibid.* II, 17, 18.) Ideo etiam Christus orat probari, tentari et uri, quia aliter non potuit gloriam suam intra-

Digitized by Google

re ac mundum salvare, eo modo quo ipse A
Luc. xxiv, 26. asserit : Nonne hæc oportuit pati Chri-
stum, et ita intrare in gloriam suam?
Consequenter rationem assignat, cur
tam secure ista desiderat, et ait ad Deum :
3 (3) *Quoniam misericordia tua ante oculos
meos est,* id est, quia incessanter confido
in te; et in gratia tua, quam mihi miseri-
corditer præstitisti, confirmatus sum : ex
quo certus sum non me posse deficere;
et complacui in veritate tua, id est, in
tua justitia, et secundum exigentiam seu
dictamen divinæ tuæ justitiæ, placui tibi, B
eo quod nihil unquam peccati contraxi
aut feci. Unde nil erat in me, unde displi-
cere tuæ justitiæ possem. Hoc est quod
Matth. iii, 17; Marc. i, 11. Evangelistæ Patrem dixisse testantur ad
Christum : Hic est Filius meus dilectus, in
quo mihi bene complacui.
4 (4) *Non sedi cum consilio vanitatis,* id
est, cum vanis consiliatoribus vana et ma-
la quærentibus non feci moram, adju-
vando eorum consilia, vel eis consensum
præbendo; *et cum iniqua gerentibus non
introibo* viam injustam, faciendo quæ ipsi C
Ephes. v, 11. faciunt, vel communicando operibus eo-
5 rum infructuosis : et hoc ideo, quia (5) *Odi-
vi ecclesiam malignantium,* id est congre-
gationem eorum qui ex proposito peccatis
insistunt : hos odio, in quantum sunt ma-
lignantes, non in quantum sunt homines.
Odio igitur in eis non naturam, sed cul-
pam : imo Christus peccatores dilexit, in-
struxit, convertit, redemit, quoniam Filius
Luc. xix, 10. hominis venit quærere et salvum facere
quod perierat. *Et cum impiis,* qui peccant
in Deum, *non sedebo,* mente approbando D
quæ agunt. Christus tamen (sicut in Evan-
Matth. ix, 10, 11. gelio scribitur) cum publicanis et pecca-
toribus interdum comedit, bibit, et se-
dit : non utique nisi ut eos ab errore
Ibid. 12. reduceret, sciens quod infirmi medico in-
digerent.
6 (6) *Lavabo inter innocentes manus meas,*
id est, opera mea pura exhibebo; vel me
ab omni peccato, quod Judæi imputant
mihi, veraciter me coram te, Domine, ex-
cusabo : sicut et omnes innocentes, qui
false accusantur, facere possunt. *Et cir-
cumdabo altare tuum, Domine :* id est,
caritatem qua diligo te et proximum, un-
dique adornabo operibus sanctis, agendo
et patiendo quidquid caritas exigit. Be-
ne autem caritas appellatur Dei altare,
quia necesse est omnia in caritate offer-
re et facere. Unde in Levitico habetur :
Ignis est iste perpetuus, qui nunquam Lev. vi, 13.
deficiet in altari. Per hunc etenim ignem
caritas designatur, quæ semper in ara
cordis ardere exigitur. (7) *Ut audiam vo-* 7
cem laudis : id est, propterea circumda-
bo altare tuum, ut audiam vocem lau-
dis, videlicet ut mente advertam quod
mihi Deus de sua majestate per modum
laudis revelat : quemadmodum infra ha-
betur, Audiam quid loquatur in me Domi- Ps. lxxxiv, 9.
nus Deus. Et de Christo apud Isaiam legi-
tur : Dominus Deus aperuit mihi aurem; Is. l, 5.
ego autem non contradico, retrorsum non
abii. Propter quod subditur hic : *et enar-
rem universa mirabilia tua.* Christus enim
prædicando narravit mirabilia Dei homi-
nibus, secundum quod ipse Apostolis di-
xit : Omnia quæcumque audivi a Patre Joann. xv, 15.
meo, nota feci vobis. Omnia enim quæ
Deus inspiravit animæ Christi, ut ea ho-
minibus manifestaret, illa Christus enar-
ravit; non tamen simpliciter universa mi-
rabilia Dei narravit, quia nec mundus ea Ibid. xxi, 25.
capere posset.
(8) *Domine, dilexi decorem domus tuæ,* 8
id est interiorem ornatum animæ seu cor-
dis munditiam, quia hæc docui verbo et
opere. Dicitur autem anima domus Dei,
quoniam anima justi sedes est sapientiæ; Prov. xiv, 33.
et Deus per fidem habitat in cordibus no-
stris, teste Apostolo. Vel sic : Domine, di- Ephes. iii, 17.
lexi decorem domus tuæ, id est domum
tuam decoram, videlicet Ecclesiam mili-
tantem, quam mihi elegi in sponsam, non Ibid. v, 27.
habentem maculam neque rugam : hanc
dilexi, quia pro ejus salute sanguinem fu-
di. Dilexi quoque *et locum habitationis
gloriæ tuæ,* id est Ecclesiam triumphan-
tem, quia ut reædificaretur ejus ruina,
descendi in mundum et pertuli mortem :

Digitized by Google

sed et ego cum magno affectu ascendi in A
locum illum cœlestem. Hoc est quod ait
Hebr. II, 10. Apostolus : Decebat enim eum, propter
quem omnia, et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem
salutis eorum per passionem consummare.
9 (9) *Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam,* dimittendo eam diutius in
inferno, quam usque ad tertium diem :
sicut sæpe prædictum est. *Et* ne perdas
cum viris sanguinum, id est peccatoribus, *vitam meam* corporalem, differendo
resurrectionem meam ultra tertium diem. B
10 (10) *In quorum* impiorum *manibus,* id est
operibus, *iniquitates sunt :* quia opera
eorum sunt vitiosa. *Dextera eorum,* id est
actio eorum quæ justa videtur, *repleta est muneribus :* propter quæ a recta via recedunt. Est enim munus a lingua, scilicet
adulatio, aut favor humanus ; munus a
manu, ut pecunia seu res terrena ; munus
ab obsequio, sicut servitium impensum.
Propter hæc munera multorum dextera, id
est apparens justitia, obligatur atque in-
Exod. xxiii, 8; Eccli. xx, 31. ficitur : quoniam teste Scriptura, Munera C
excæcant oculos etiam sapientium.
11 (11) *Ego autem* Christus Filius tuus *in innocentia mea ingressus sum :* quia sine
dolo et injustitia vixi; *redime me* a malis præsentis sæculi, *et miserere mei,* accelerando resuscitationem corporis mei.
12 (12) *Pes meus,* id est gressus totius conversationis meæ, *stetit in directo,* id est, mansit
Matth. vii, 14. et stabilis fuit in via arcta et recta, quæ
ducit ad vitam : quemadmodum scriptum
Joann. xiv, 31. est, Quia diligo Patrem, et sicut mandatum
dedit mihi Pater, sic facio. [*In ecclesiis benedicam te, Domine.*] D

POSTREMO, locus iste de Christo litteraliter exponi potest : quod breviter tangere
4 congruit. Ait itaque Christus : *Non sedi cum consilio vanitatis,* scilicet Judæorum, quorum consilio nunquam interfui, vel consensi; *et cum iniqua gerentibus,* id est cum Scribis et Pharisæis, legem Moysis carnaliter intelligentibus et male servantibus, *non introibo,* ut sim particeps pravitatis
eorum. *Odivi ecclesiam malignantium,* ut- 5
pote prædictorum Judæorum, quæ potius
fuit synagoga Satanæ quam Dei, *et cum* Apoc. II, 9.
impiis istis *non sedebo* in cathedra pesti- Ps. I, 1.
lentiæ, docendo quæ non ago, quemadmodum ipsi. In his autem verbis tangit
Christus causam, ob quam Judæi inflammati sunt invidia contra eum, et ipsum
occiderunt. Nam quia vituperavit vitam
eorum, seque ab ipsis subtraxit, idcirco oderunt eum, quemadmodum alio loco
scriptum est : Dissimilis est aliis vita il- Sap. II, 15, 16.
lius, et tanquam nugaces æstimati sumus
ab illo, et abstinet se a viis nostris tanquam ab immunditiis, et gloriatur se Deum
patrem habere. Idcirco probemus patien- Ibid. 19, 20.
tiam ejus, et morte turpissima condemnemus eum.

Lavabo inter innocentes manus meas, id 6
est, inter Apostolos, aliosque meos discipulos, immaculatam vitam agam, et irreprehensibiliter conversabor ; *et circumdabo altare tuum, Domine,* id est altare
templi, quod fuit in Jerusalem, in quo
Christus sæpe intravit et docuit. Vel, Al- Matth. xxi, 12, 23.
tare, id est mensam illam, in qua Christus
primam Missam celebravit in die Cœnæ. Ibid. xxvi, 26-28.
Hoc altare Christus circumdedit, quando
singulis Apostolis corpus suum sanguinemque porrexit. *Ut audiam vocem lau-* 7
dis : nam in utroque horum altarium erant
aliqui boni Deum laudantes, quorum voces Christus libenter audivit ; *et enarrem universa mirabilia tua.* Ideo enim Christus altare templi atque altare cœnaculi
circumdedit, quatenus mirabilia Dei doce-
ret ac prædicaret, sicut scriptum est : Ve- Malach. III, 1, 3.
niet ad templum suum Dominator quem
vos quæritis; et sedebit conflans et emundans argentum, et purgabit filios Levi.
Domine, dilexi decorem domus tuæ, scili- 8
cet templi in Jerusalem : propter quod
ejeci de illo omnes vendentes et emen- Matth. xxi, 12; Marc. xi, 15; Joann. II, 15, 16.
tes, et dixi : Nolite facere domum Patris
mei, domum negotiationis. *Et* dilexi *locum habitationis gloriæ tuæ,* quia in templo illo Deus se velle habitare perhibuit.
Ne perdas cum impiis Judæis, *Deus,* 9

Digitized by Google

animam meam, dimittendo me in mani-
bus eorum ; *et cum viris sanguinum,* qui
Matth. XXIII, 34. Prophetas occiderunt, meque occidere vo-
lunt, ne perdas *vitam meam* corpora-
10 lem. *Dextera eorum repleta est muneri-*
Ibid. XXVI, 15. *bus,* quoniam pro pecunia procuraverunt
a discipulo meo ut traderet me, sicut scri-
ptum est : Dixi : Si bonum est in oculis *Zach.* XI, 12, 13.
vestris, afferte mercedem meam ; et si
non, quiescite. Et appenderunt mercedem
meam triginta argenteos. Et dixit Domi-
nus ad me : Projice eos ad statuarium,
decorum pretium quo appretiatus sum ab
eis. Cetera satis exposita sunt.

ARTICULUS LVIII

EXPOSITIO EJUSDEM PSALMI VICESIMI QUINTI TROPOLOGICA, DE UNOQUOQUE VIRO PERFECTO.

DENIQUE in persona hominis virtuosi
1 loquens Propheta, ait : *Judica me,*
Hebr. X, 31. *Domine.* Quum dicat Apostolus, Horren-
dum est incidere in manus Dei viventis ;
Eccle. IX, 1, 2. et Salomon, Nescit homo, an amore di-
gnus sit, an odio, sed omnia in futurum
servantur incerta : videtur incautum ac
præsumptuosum, dicere Domino, Judica
me, Domine. Verum, quamvis hæc secun-
dum communem legem ita se habeant, ne-
moque noverit sine speciali inspiratione
aut revelatione, an placeat Deo ; tamen si
quis veram perfectionem sortitus est, ut
Philipp. I, 23. cum Apostolo dicere possit, Cupio dissol-
Rom. VIII, 35, 39. vi ; et iterum : Quis nos separabit a cari-
tate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino
Ibid. 16. nostro ? et rursus, Ipse Spiritus testimo-
nium reddit spiritui nostro, quod sumus
filii Dei : hic talis secure dicit, Judica
me, Domine, id est, secundum justitiam
meam fac mihi, et a malis divide me nunc
merito, atque in futuro divide me ab eis
mercede seu præmio. Ait ergo vir san-
ctus, Judica me, non ex præsumptione
meritorum suorum, sed ex conscientiæ te-
stimonio, et ex caritate divina, quoniam
cupit soli Domino adhærere, nilque cum
malis commune habere.

Itaque, *Judica me, Domine,* jam nunc
judicio discretionis, ne facias mihi sicut
et impiis, quibus gratiam non das, sed
eos relinquis ; mihi autem da gratiarum
augmenta, et libera me ab his qui malum
merentur. Hoc judicio se privatum fuisse
conqueritur Job, quantum ad hoc quod
sustinuit mala pœnalia : Vivit, inquiens, *Job* XXVII, 2.
Dominus qui abstulit judicium meum. Ip-
sumque desideravit piissimus ille Eze-
chias, qui dixit : Obsecro, Domine, me- IV *Reg.* XX, 3.
mento quomodo ambulaverim coram te in
veritate et corde perfecto. Unde causam
subjungit Propheta, cur audeat judicium
implorare : *Quoniam ego in innocentia*
mea ingressus sum per viam mandatorum
tuorum, et conversatus sine offensa et
nocumento alterius. Quoniam igitur scio
quia qua mensura mensus fuero, remetie- *Matth.* VII, 2.
tur mihi ; et non sum mihi conscius de
injustitia aliqua contra Deum vel proxi-
mum : ideo judicari non timeo. Hanc igi-
tur perfectionem suam fatetur vir bo-
nus, non se ipsum inaniter jactando aut
aliis præferendo, sed Deo humiliter gratias
agendo. Hoc enim sancti homines sæpe
leguntur fecisse, sicut Job ait : Donec de- *Job* XXVII, 5.
ficiam, non recedam ab innocentia mea.
Et Jeremias : Diem hominis non concu- *Jer.* XVII, 16.
pivi, tu scis. Quid ergo peccavit Phari-
sæus qui dixit, Gratias ago tibi, quia non *Luc.* XVIII, 11.
sum sicut ceteri hominum ? Utique statim
constat ex verbis suis quod alios sprevit,
nec bona sua sincere Deo attribuit : pro-

ptcrea se ipsum exaltavit ac aliis prætu-
Eccli. III, 20. lit. Quocontra scriptum est : Quanto ma-
gnus es, humilia te in omnibus.

Denique, quod ista non dixit homo
perfectus ex aliqua vanitate aut elatione,
aut in sua virtute confidens, patet ex eo
quod subdit : *et in Domino sperans non
infirmabor :* id est, ideo judicari deside-
ro, quia in Deo confido ; et in ipso spe-
rando, non infirmabor in anima, id est,
nulla tentatione vincar, nulla adversitate
dejiciar, sed de die in diem in omni gra-
tia roborabor atque proficiam. Propterea
2 adhuc dicere audeo : *Proba me, Domine,*
per adversa et prospera, et per correptio-
nes tuas paternas examina me, non ut tu
me agnoscas, sed ut me probatum osten-
das atque corones, quemadmodum proba-
Job XXIII, 10. sti sanctum Job, dicentem : Probavit me
Dominus quasi aurum quod per ignem
transit. Sic probari opto, quoniam scio
II Tim. III, 12. quod omnes qui volunt pie vivere in Chri-
sto, persecutionem patientur. Et, ut ait
Act. XIV, 21. Apostolus in Actibus Apostolorum, Per
multas tribulationes oportet nos intrare
in regnum cœlorum. Igitur, Domine, pro-
ba me, quatenus ad illorum societatem
Sap. III, 6. pertineam, de quibus dicitur : Tanquam
aurum in fornace probavit electos Domi-
nus, et quasi holocausti hostiam accepit
eos. Ideo nunc additur :

Et tenta me. Tentare, est experimentum
de alio sumere. Deus autem omnia novit,
et ideo proprie non convenit Deo tentare.
Propter quod Jacobus in sua Canonica di-
Jacob. I, 13. cit : Nemo, quum tentatur, dicat quoniam
a Deo tentatur. Ipse enim neminem ten-
tat. Sed advertendum, quod diversi sunt
fines tentationis. Interdum enim aliquis
tentat alium, ut noceat ac fallat ; inter-
dum vero, ut sciat ; interdum autem, ut
instruat et succurrat. Primo modo tentat
dæmon et mundus : et de hac tentatione
intelligitur quod in Oratione dominica di-
Matth. VI, 13. cimus, Et ne nos inducas in tentationem.
Secundo tentat ignorans, de alio certifi-
cari desiderans qualis sit. Tertio tentat
Deus, quemadmodum in Genesi habetur :

A Tentavit Deus Abraham. An vero debeat Gen. XXII, 1.
aliquis desiderare tentationes diaboli et
mundi, de hoc diversi diversimode sen-
tiunt ; sed videtur quod perfecti eas de-
siderare possunt sine periculo, eo quod
gaudeant in adversis. Desiderant tamen
eas cum moderamine et præsuppositione * *alias præsumptione
divini auxilii.

Ure renes meos, id est, labore abstinen-
tiæ et afflictione pœnitentiæ reprime et
exstingue in me delectationes et culpas
carnales : sic ure *et cor meum,* id est af-
B fectiones et cogitationes inordinatas ac
spiritualia vitia. Vel sic : *Ure* igne divini
amoris, et flamma caritatis accende *renes
meos,* id est appetitum sensitivum : qui in
concupiscibilem irascibilemque partitur ;
et cor meum, id est appetitum intellectu-
alem seu voluntatem, ita quod ignis Spi-
ritus Sancti voluntatem tam vehementer
accendat, ut amor seu ignis iste in infe-
riorem appetitum redundet, eumque per
omnia rationi ac sanctæ voluntati subji-
ciat. Vel sic : Ure, igne tribulationis in
C præsenti, renes meos et cor meum, id est
corpus et animam : quatenus sic in utro-
que expurger a vitiis in hoc sæculo, quod
aliam pœnam sustinere non cogar in pur-
gatorio, et ut Christo mente et corpore
compatiar atque conformer, sicut decet
servum condolere et conformari Domino
suo.

Idcirco autem, o Domine, omnia ista
tam fiducialiter peto, *Quoniam misericor-* 3
dia tua ante oculos meos est, id est, quia
pietatem tuam agnosco, eam semper con-
D sidero, nec ab ejus fiducia discedere vo-
lo ; *et complacui in veritate tua,* id est in
vero judicio justitiæ tuæ. Innocentes enim
et justi complacent tibi. Ideo autem com-
placui tibi, quia *Non sedi cum consilio* 4
vanitatis, id est, consensum non præbui,
nec opem contuli consiliariis vanis : id-
circo beatus sum, quia superius dictum
est, Beatus vir qui non abiit in consilio Ps. I, 1.
impiorum.

Et circumdabo altare tuum, Domine. 6
Secundum Ambrosium, altare Dei est Chri-

Digitized by Google

stus ut homo : quia in ipso et per ipsum
omnia opera atque sacrificia nostra offerri
et fieri debent. Quid est ergo, Circumdabo
altare tuum, Domine, nisi, Filio tuo Jesu
Christo adhærebo, ad eum accedam, eum
sequar, et per contemplationem ambiam
eum? Altare quoque Dei, est mens devota,
Ps. L, 19. in qua Deo offertur spiritus contribulatus.
Itaque, Circumdabo altare tuum, Domine,
id est, ad me ipsum redibo, mentem meam
discutiam, eamque sanctis affectibus ador-
7 nabo. *Ut audiam*, auribus cordis : de qui-
Luc. VIII, 8. bus in Evangelio dicitur, Qui habet aures
audiendi, audiat; *vocem laudis*, id est doc-
trinam Christi ac sacram Scripturam : sicut
Joann. VIII, 47. scriptum est, Qui ex Deo est, verba Dei
Luc. XI, 28. audit; et iterum, Beati qui audiunt ver-
bum Dei, et custodiunt illud. *Et enarrem
universa mirabilia tua*, id est, ut ea quæ
audivi et didici de laude divina ac sacra
Scriptura, annuntiem aliis, vel saltem in
ore proprio ea revolvam, laudando bene-
dicendoque Dominum, qui tanta mirabilia
hominibus fecit, sicut Scriptura divina
testatur.

8 *Domine, dilexi decorem domus tuæ*, id
est prosperitatem, profectum, ac perfecti-
onem fidelium : quorum congregatio est
domus Dei, quæ vocatur Ecclesia. Debe-
mus enim bonum commune, et spiritua-
lem profectum totius Ecclesiæ vehemen-
tissime desiderare, orare atque diligere, ut
nobis conveniat quod de Jeremia dicitur :
II Mach. XV, 14. Hic est fratrum amator et populi Israel;
hic est qui multum orat pro populo et
universa sancta civitate. Vel, Dilexi deco-
rem domus tuæ, id est interiorem splendo-
rem et sanctitatem animæ meæ, desiderans
tibi cordis mei hospitium immaculatum
ac placitum exhibere, sicut consulitur mi-
Amos IV, 12. hi : Præparare in occursum Dei tui, Israel.
Dilexi *et locum habitationis gloriæ tuæ*, id
est mansionem cœlestem et regnum cœlo-
II Cor. V, 1. rum. De quo ait Apostolus : Scimus, quo-
niam si terrestris domus nostra hujus ha-
bitationis dissolvatur, quod ædificationem
habemus ex Deo, domum non manufac-
tam, æternam in cœlis. Et ipse Salvator :

A Vado, inquit, parare vobis locum; et ite- Joann. XIV, 2, 3.
rum venio, et accipiam vos ad me ipsum,
ut ubi sum ego, et vos sitis. Hunc locum,
Domine, diligo, non propter ipsum locum,
sed propter te habitatorem ac Dominum
loci illius, ut videant oculi mei te Regem Is. XXXIII, 17.
gloriæ in decore tuo.

Præterea totus hic psalmus ad sacerdo-
tes specialiter applicari posset, præsertim
ab eo loco quo dicitur, Lavabo inter inno-
centes manus meas. Dicat ergo devotus ac
dignus Christi sacerdos : *Lavabo*, quando 6
B ad celebrationem accessurus sum, *inter
innocentes*, id est cum sanctis ac veris sa-
cerdotibus novæ legis : quorum est nulli
nocere, sed verbis et exemplis cunctis
prodesse; *manus meas*, non solum corpo-
rales, quibus Christi sacramenta tractabo,
sed etiam affectus, cogitationes et opera :
istas lavabo in confessione, quoniam teste Ps. XXXI, 5; Prov. XXVIII, 13.
Scriptura, omnia in confessione lavantur.
Sed et sacerdos antequam ad celebrandum
accedit, digitos, vel potius digitorum ex-
trema, lavat : primo, propter reverentiam
C Sacramenti; secundo, ad designandum spi-
ritualem lotionem, qua mentem purgari
oportet a maculis peccatorum. Lotio enim
extremarum partium digitorum, secundum
Dionysium, signat abstersionem minima-
rum culparum. Debet namque sacerdos
non solum mortalia ac graviora venialia
abhorrere, confiteri ac fugere, sed et mi-
nima quæque vitare, ut omnino mundus
et mente collectus, affectuque fervens ac
stabilis, Deo adsistat, habens Christum et
passionem ejus ac cetera beneficia Dei fir-
D miter cordi suo impressa.

Et circumdabo altare tuum, Domine,
videlicet materiale altare ecclesiæ : in cu-
jus utroque cornu ac medio stabo, dum
celebro. *Ut audiam vocem laudis*, id est 7
cantum Ecclesiæ, responsionemque chori,
vel saltem ministri mei : quorum voces
Deum collaudant, ut tanti sacramenti my-
sterium digne agatur; *et enarrem* in Mis-
sa *universa mirabilia tua*, id est omnia
Christi admiranda mysteria, scilicet incar-
nationem, passionem, resurrectionem et

ascensionem, de quibus fit memoria in A
8 officio Missæ. *Domine, dilexi decorem domus tuæ,* id est devotionem ministrorum altaris ac populi, ne indigne celebrando et
I Cor. xi, 27. communicando, rei efficiamur corporis et sanguinis Christi; *et locum habitationis gloriæ tuæ,* quoniam cupio jam in militanti Ecclesia Christum sub sacramentorum velamine tam reverenter atque fideliter contrectare, ut postmodum in triumphanti Ecclesia merear ego, et omnes pro quibus oro ac celebro, ipsum clare conspicere : sicut ipse digno ministro promisit, B
Joann. xiv, 21. Manifestabo ei me ipsum.

9 *Ne perdas cum impiis,* id est malis sacerdotibus et ingratis hominibus, *Deus, animam meam,* deserendo eam in præsenti a gratia, repellendoque eam in futuro a gloria; *et cum viris sanguinum,* qui cor-
I Cor. xi, 29. pus Christi manducant et sanguinem ejus bibunt indigne, vel a communione sacra penitus abstinent propter odium Christi, seu negligentiam sui, ne perdas *vitam meam,* derelinquendo me vitiose et turpiter vivere, et postea in infernum damnando me. C

11 *Ego autem in innocentia mea ingressus sum,* ambulando in hoc mundo per fidem, spem et caritatem. Ideo, Domine, *redime me,* ne incidam culpam, et perdam innocentiam hucusque servatam. Non enim debeo esse securus durante hujus exsilii via,
Mich. vi, 8. sed sollicite ambulare cum Domino. *Et miserere mei,* ignoscendo imperfectioni justitiæ meæ, quæ est sicut pannus men- Is. LXIV, 6.
struatæ, si comparetur ad perfectionem divinæ justitiæ, et ad sanctitatem mentis æternæ, substantialiter, totaliter ac incircumscriptibiliter sanctæ. *Pes meus,* id est 12
conversatio mea qua tendo ad te, *stetit in directo,* id est in observantia præceptorum tuorum. *In ecclesiis,* id est inter fideles, *benedicam te, Domine,* laudando beneficia tua mihi concessa, et glorificando nomen tuum æternaliter benedictum. Cetera nunc omissa, in præcedenti expositione satis elucidata videntur.

Ecce ex psalmo isto sententioso et splendido, audivimus quid ad Christianum perfectum pertineat. Si igitur aliquid horum in nobis invenimus, Deo gratias referamus, et ad perfectionem feramur. Si autem prædictæ perfectiones viri perfecti longe a nobis sunt, ingemiscamus, emendemus, atque juxta verbum gloriosi Apostoli, cum timore et tremore nostram ope- Philip. II, 12.
remur salutem.

PRECATIO.

Deus innocentiæ auctor, et rectarum mentium sanctificator, ure renes nostros et cor nostrum, castimoniæ pacem nobis inserendo; non sedeamus cum consilio vanitatis : ut stantibus pedibus nostris in directo, digne in ecclesiis nomen tuum benedicamus.

ARTICULUS LIX

EXPOSITIO PSALMI VICESIMI SEXTI : DOMINUS ILLUMINATIO MEA.

PRÆPONITUR autem huic psalmo hic titu- D
1 lus : *In finem, psalmus David, priusquam liniretur.* Pro cujus intellectu sciendum, quod David in libris Regum describitur
I Reg. xvi, 13. ter unctus fuisse : primo, in domo patris
II Reg. II, 4. sui, in signum futuri regni; secundo, in
Ibid. v, 3. Hebron super tribum Juda; tertio, super totum populum Israel. Similiter Christianus ter ungitur : primo, in Baptismo, in quo accipit pignus Spiritus Sancti; secundo, in Confirmatione; tertio, in Extrema Unctione. Hic vero psalmus intitulatur de David, antequam ungeretur secundo : nam secunda ejus unctio ad præsentem perti-

Digitized by Google

net psalmum. Est igitur sensus tituli : A *Psalmus* iste dirigens nos *in finem,* id est beatam consummationem et Christum, est *David,* id est, convenit cuilibet fideli, *priusquam liniretur* secundo, id est, antequam perveniat ad beatitudinis patriam, in qua omnes Beati perfecte unguntur a Spiritu Sancto. Quemadmodum enim Da-
I *Reg.* xviii-xxvii. vid post primam suam unctionem maximas habuit persecutiones a Saule, et ali-
II *Reg.* ii, 8 *et seq.*; iii, 1. quas post secundam suam unctionem sub Isboseth filio Saul, quasdam etiam post ter-
Ibid. xv-xviii. tiam suam unctionem a proprio filio, sci- B licet Absalone; sic Christianus post unctionem Baptismi multas patitur tribulationes a dæmone, mundo et carne, donec Confirmationis unctionem recipiat : qua adepta, adhuc variis tribulationibus fatigatur a satellitibus dæmonum, filiis superbiæ, usque ad extremum vitæ suæ : quo ultimo ungitur; et nec tunc quidem tribulationibus caret, donec ad unctionem cœlestem pertingat. In hoc itaque psalmo demonstratur, quanta oporteat pati hominem Dei in præsenti exsilio : contra quæ in exor- C dio psalmi inducuntur arma fortissima, utpote elevatio mentis in Deum, confidentia de bonitate ipsius, atque memoria beneficiorum Dei.

AIT ergo : (1) *Dominus illuminatio mea,* id est illuminator animæ meæ, illuminans me lumine naturali atque gratuito, seu donis naturæ et gratiæ, illuminans rationem ne erret, ne fallatur, ne peccet.
Mich. vii, 8. Ideo Michæas ait : Quum sedero in tenebris, Dominus lux mea est. *Et salus mea,* D id est, ipse Dominus est objectum et causa salutis meæ, dator et conservator totius perfectionis et gratiæ meæ. Propterea, *quem timebo?* quasi dicat, Nullum, nisi Dominum Deum meum : quia, ut ait Apo-
Rom. viii, 31. stolus, Si Deus pro nobis, quis contra nos? Si ipse illuminet, quis obtenebret? Si ipse me salvet, quis condemnare me poterit?
Prov. xxviii, 1. Ideo Salomon dicit : Justus quasi leo confidens, absque terrore erit.

(2) *Dominus protector vitæ meæ,* id est defensor ab his qui contrariantur spirituali vitæ animæ meæ; qui etiam per angelorum custodiam protegit nos ab adversitatibus mentis et corporis, et si non ab omnibus propter nostra demerita, tamen a multis propter suam clementiam. Quum ergo sit ita, *a quo trepidabo?* tanquam dicat, Nec dæmones, nec mundum, nec carnis impugnationem verebor. Hæc autem intelligenda sunt de timore inordinato, scilicet carnali, humano, et pure servili. Nam cujus mens in Deo fixa est, ac dono fortitudinis in ipso firmata, is nil metuit, sciens certissime Deum sibi ubique præsentem, ac paratus omnia sustinere quæ Deus sibi evenire aut infligi jubet vel sinit : imo in adversitatibus gaudet, sicut Apostoli, qui ibant gaudentes *Act.* v, 41.
a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. Nec mirum, quum magnum sit donum Altissimi propter justitiam pati, prout testatur Apostolus : Vobis datum est a Chri- *Philipp.* i, 29.
sto, non solum ut credatis in eum, sed etiam ut patiamini pro illo. Non ergo in adversis et improperiis atque injuriis contristemur.

(3) *Dum appropiant super me nocentes,* 2
id est, dum contra me insurgunt maligni, *ut edant carnes meas,* id est tam invidiose et valide me invadentes, ac si carnem meam devorare deberent. Unde ad Galatas ait Apostolus : Si invicem mordetis et co- *Galat.* v, 15.
meditis, videte ne ab invicem consumamini. Itaque nec tunc trepidabo, dum sic appropiant super me nocentes : et hoc ideo, quia (4) *Qui tribulant me,* scilicet *inimici mei,* utpote dæmones hominesque injusti, *ipsi infirmati sunt* virtute passionis Christi et angelorum præsidio, qui dæmones prohibent, ne quantum volunt, impugnent. Homines etiam mali quanto amplius roborantur contra justitiam, tanto corda eorum magis debilitantur a gratia, suntque magis subjecti vitiis atque dæmonibus, et ad omne bonum infirmi. *Et ceciderunt,* id est, prædicti inimici mei per gratiam victi sunt a me, quoniam tentationibus re-

Digitized by Google

stiti, nec propter adversa a Deo recessi. Hunc versum ad gloriam Dei dicere potest et debet, qui se tentationes ac laqueos adversariorum suæ salutis per gratiam Dei vicisse cognoscit. Sicque ex priori triumpho fortius sperans in Domino, non expavescat de cetero aggredi viam justitiæ ; sed Domino auxiliante, prævalere contra tentantes ac persequentes confidens, dicat quod sequitur.

3 (5) *Si consistant adversum me castra,* id est dæmonum acies me tentantes ac persequentes, *non timebit cor meum* vinci ab eis, vel separari a Christo, propter firmitatem spei et caritatis quam habeo in
Rom. VIII, 38, 39. Christo. Hoc est quod dicit Apostolus : Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, etc., poterunt nos separare a caritate Dei, quæ est in Christo Jesu. Per angelos autem et reliquos quos inducit, certum est eum intelligere dæmones. Hoc itaque loco, per castra intelligit sancta Scriptura dæmones ; interdum vero, per castra intelligit angelos sanctos. Unde alio loco
Gen. XXXII, 1, 2. scriptum est : Fuerunt Jacob obviam angeli Dei, quos quum vidisset, dixit : Castra
Joel II, 11. Dei sunt hæc. Et Joel propheta ait : Multa sunt nimis castra Domini fortia, et facientia verbum ejus. De quibus castris infe-
Ps. CII, 20. rius dicetur : Benedicite Domino, omnes angeli ejus, potentes virtute, facientes verbum illius. (6) *Si exsurgat adversum me prælium,* id est persecutio hominum, *in hoc ego sperabo,* id est, in tali casu non deficiam, sed in Deo confidam. Ideo etiam
Job XVII, 3. Job ait ad Dominum : Pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me. Atque
Luc. XXI, 9. in Evangelio Christus : Quum audieritis, inquit, prælia et seditiones, nolite terreri.

4 (7) *Unam petii a Domino.* Juxta proprietatem idiomatis Hebræorum, adjectiva atque pronomina substantivantur in feminino genere, quemadmodum apud Latinos in neutro. Quum ergo ait, Unam, sensus est, Unum aliquid, seu unam rem. Itaque, Unam petii a Domino, a quo bona cuncta procedunt, *hanc requiram,* id est, non

A cessabo petere, donec pulsanti aperiat. Et Luc. XI, 10.
quæ sit hæc una res tam præoptata, ostendit subjungens : *ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ,* id est, ut re et nomine sim membrum militantis Ecclesiæ, et inter fideles bene vivendo permaneam, perseverando usque in finem. (8) *Ut videam voluntatem Domini,* id est, ut ejus præcepta intelligam et observem ; *et visitem templum ejus,* id est ipsam matrem Ecclesiam, audiendo divinum Officium. Vel, Visitem templum ejus,
B id est, mente in cœlestibus sim per spem et desiderium : prout ait Apostolus, Nostra Philipp. III, 20.
conversatio in cœlis est. — Vel sic : *Ut inhabitem in domo Domini,* id est in regno cœlorum post præsens exsilium ; *ut videam voluntatem Domini,* id est, perfecte cognoscam, et sine periculo videam quid Domino placeat, ita ut in omnibus ejus voluntati perfecte obediam, sicut et angeli sancti nunc faciunt ; *et visitem templum ejus,* id est, ad ipsum Deum incessanter accedam, eumque sicut amicum
C carissimum videam, alloquar, et sine fine possideam. Deus enim est templum Jerusalem civitatis supernæ, quemadmodum ait Joannes : Templum non vidi in ea ; Dominus enim omnipotens, templum illius Apoc. XXI, 22.
est et Agnus.

Hæc autem confidenter oro : (9) *Quoniam* 5
abscondit me in tabernaculo suo in die malorum : id est, tempore tribulationis et tentationis jam currente, occultavit me in fide et unitate Ecclesiæ ab adversariis meis, quatenus non invenirent me consentientem
D operibus suis, vel pertinentem ad numerum reproborum, quamvis me corporaliter invenirent ad persequendum. Ideo subdit : *protexit me* ab insidiis æmulorum istorum, scilicet dæmonum hominumque malorum, *in abscondito tabernaculi sui,* id est in communione Ecclesiæ, scilicet in mutua oratione fidelium pro se invicem : prout Jacobus dicit, Orate pro invi- Jacob. V, 16.
cem ut salvemini. Devota quippe oratio fidelium pro se invicem, ex interna caritate procedens, merito appellatur abs-

Digitized by Google

conditum tabernaculum Dei, quoniam ex A
affectu soli Deo agnito profluit ; et in
abscondito fieri debet, quia Christus do-
Matth. vi, 6. cuit : Tu, inquiens, quum oraveris, intra
in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora
Patrem in abscondito. Hæc autem oratio
fideles multum defendit ac adjuvat. Pro-
pterea abhorrendum est valde, excommu-
nicari, imo et in mortali peccato esse,
quoniam sola caritas facit communionem
sanctorum.

6 (10) *In petra,* id est in fide Christi, de
I Cor. x, 4. qua ait Apostolus, Petra erat Christus, *exal-* B
tavit me, dando mihi per fidem et gratiam
Christi ista terrena despicere, et cœlestia
desiderare, et divinis fideliter inhærere ;
et nunc, in præsenti vita, *exaltavit caput*
meum, id est rationem meam, quæ est
principalis vis animæ, *super inimicos meos,*
dando mihi victoriam tentationum, et vin-
cere hostes invisibiles atque visibiles. Hoc
convenit bonis fidelibus, illis præsertim
qui propter Christum omnia reliquerunt,
et in claustro Regi gloriæ militant, sicut
Luc. ix, 23. et Dominus ait : Qui vult venire post me, C
abneget semetipsum, et tollat crucem suam
quotidie, et sequatur me. Talibus quippe
Ibid. xii, 32. dicit denuo Christus : Nolite timere, pusil-
lus grex, quia complacuit Patri vestro da-
re vobis regnum.

Ps. xi, 9. (11) *Circuivi.* Superius dixit, In circuitu
impii ambulant ; nunc vero in persona
hominis justi ait, Circuivi. Est ergo qui-
dam circuitus malus, et quidam bonus.
Circuitus enim est quædam gyratio rerum
creatarum. Sed mali in rebus creatis gy-
rando versantur, ita quod in eis quie- D
scunt, amorem, delectationem et finem sibi
constituendo in ipsis. Boni vero eas con-
templando circumeunt, referendo amorem
scientiamque earum ad gloriam Creatoris,
quem solum finaliter intendunt ac dili-
gunt. Hoc igitur modo nunc asserit : *Cir-*
cuivi, id est, omnia ista visibilia cir-
Rom. i, 20. cumspexi, quatenus invisibilia Dei ex eis
cognoscerem : imo universa creata pro vi-
ribus consideravi, ut ex eis ad cognitio-
nem Creatoris pertingerem ; *et immolavi*
in tabernaculo ejus, id est in cubiculo
animæ meæ, vel in ipsa Ecclesia, *hostiam*
vociferationis, id est sacrificium affectu-
osæ seu altæ orationis, sicut infra habe-
tur : Immola Deo sacrificium laudis. Et Ps. xlix, 14.
in Osee : Dicite Domino : Omnem aufer Osee xiv, 3.
iniquitatem ; et reddemus vitulos labio-
rum nostrorum, id est, preces atque præ-
conia oris nostri immolabimus tibi. *Canta-*
bo, id est, ore laudabo, *et psalmum dicam*
Domino, id est, opere ipsum glorificabo
et confitebor. Cantare namque, est sola
voce laudare ; psallere vero, est bonis ac-
tibus Deum venerari ac prædicare.

Denique, post commemorationem bene-
ficiorum Dei et boni propositi sui, denuo
redit ad implorationem pietatis divinæ,
quoniam sine cessatione oportet orare : et Luc. xviii, 1.
quanto homo plus proficit, tanto amplius
proficere cupit, atque frequentius et dul-
cius orat ; imo orando indesinenter accen-
ditur ad orationem. Ait ergo : (12) *Exaudi,* 7
Domine, vocem meam qua clamavi ad
te, id est orationem quam ardenti affectu
transmisi ad te ; *miserere mei,* dimittendo
peccata, *et exaudi me,* desideratam perfe-
ctionem præstando.

(13) *Tibi dixit cor meum,* id est, tecum 8
locutus est intellectus meus, desiderium
animæ meæ tibi offerendo. Quemadmo-
dum de sanctissima Anna recolitur : Porro I Reg. i, 13.
Anna loquebatur in corde suo, tantumque
labia illius movebantur, et vox penitus
non audiebatur. Unde et Christus ait : Veri Joann. iv, 23.
adoratores adorabunt Patrem in spiritu et
veritate. *Exquisivit te facies mea,* id est,
te solum quæsivit, et ex aliis te invenire
ac possidere optavit mens mea, vel fides
mea, quæ est vultus et oculus animæ meæ :
quoniam omnem scientiam rerum creata-
rum, et omnia opera mea ad te, sicut ad
ultimum finem, dispono ac refero. Ideo
additur : *faciem tuam,* id est claram tui
notitiam, imo te ipsum per speciem in-
tuendum, *Domine, requiram,* id est, in-
cessanter adipisci conabor. Hanc faciem
Moyses exquisivit, qui ait ad Dominum :
Si inveni gratiam in conspectu tuo, os- Exod. xxxiii, 13.

Digitized by Google

tende mihi faciem tuam, ut sciam te. Hanc A
superbeatissimam faciem, in qua est omnium
deliciarum plenitudo immensa, in
præsenti videre non possumus, sicut et
Exod. xxxiii, 20. Moysi Deus respondens : Faciem, inquit,
meam videre non poteris. Non enim videbit
me homo, et vivet. Propterea requirere
et semper desiderare debemus hanc faciem,
et pura mente Domino ministrare,
ut via ista decursa, mereamur Deum videre
sicuti est : quo sic viso, nil erit quod
amplius desiderari possit.

Sed ut ista obtineam, Domine, rogo, B
9 (14) *Ne avertas* jam *faciem tuam,* id est
pietatis tuæ adspectum, seu gratiæ tuæ
præsentiam, *a me ; ne declines in ira a
servo tuo,* id est, propter peccata mea non
recedas a me, gratiam denegando : cujus
denegatio ira vocatur hoc loco. (15) *Adjutor
meus esto, Domine,* cooperando mihi,
ut beatitudinem tandem acquiram ; *ne derelinquas
me* in tribulatione et angustia ;
neque despicias me, Deus salutaris meus, id
est Deus salvans me. Ecce quam ignita et
fervida sunt omnia verba ista : quorum C
tamen unum includit aliud, imo fervor
unius, mentem inflammat ad affectuosam
10 prolationem alterius. (16) *Quoniam pater
meus et mater mea,* id est carnales progenitores
mei, *dereliquerunt me,* indignando
mihi, eo quod sequerer te, et eos derelinquerem.
Vel : Pater meus et mater
mea, id est primi parentes, videlicet Adam
Gen. iii, 6. et Eva, dereliquerunt me, inducendo super
me originale peccatum, et pœnalitates
varias ex illo peccato sequentes. *Dominus
autem assumpsit me,* per suam misericor- D
diam exaudiendo me, et conservando in
se. Vel, Dominus assumpsit me, induendo
naturam meam, factus homo.

11 (17) *Legem pone mihi, Domine.* Cur petitur
hoc ? Nonne jam nobis lex posita est,
quam observemus, tam naturalis, quam
divina ? Quid ergo petit dum ait, Legem
pone mihi, Domine, nisi ut lex divina, quæ
omnibus posita est, sibi ponatur ante oculos
cordis sui, ita quod per gratiam Dei
eam actualiter penset ac impleat ? Ait ergo
: Legem pone mihi, Domine, id est, legem
tuam pone in memoria mea, ut ambulem
*in via tua ; et dirige me in semita
recta,* id est in observatione præceptorum
tuorum, quæ justa et recta sunt : et hoc
fac *propter inimicos meos,* id est occasione
inimicorum meorum, videlicet ut evadam
insidias mihi ab eis paratas. (18) *Ne* 12
tradideris me in animas tribulantium me,
id est in potestatem et malam voluntatem
diabolorum ac hominum malignorum, ut
eis conformer atque consentiam : et hoc
oro, *quoniam insurrexerunt in me testes
iniqui,* videlicet tribulatores prædicti, qui
insurgunt in me, conando ut fallant me :
qui sunt testes iniqui, quoniam falsa affirmant
et consulunt, meque sub specie
boni decipere student ; et si non consentio
eis, nihilo minus me false accusare
tentabunt. Verumtamen ista eorum iniquitas
fallit eos, non me : nam nocet eis,
sed mihi cooperatur ad gloriam, dummodo
non consensero eis. Hoc est quod subditur,
et mentita est iniquitas sibi, id est,
pravitas eorum eos fefellit.

(19) *Credo,* fide formata et inconcussa, 13
videre bona Domini, quæ oculus non vi- I Cor. ii, 9.
dit, nec auris audivit, nec cor concepit, *in
terra viventium,* id est in regno cœlorum
: quod dicitur terra, quoniam est locus
quietus et permanens, sicut et terra
inferior, quæ non movetur, sed (teste Scri- Eccle. i, 4.
ptura) in æternum stat. Propter hanc spem
et propter hanc fidem omnia æquanimiter
fero, sciens quod non sunt condignæ Rom. viii,
passiones hujus temporis ad gloriam il- 18.
lam. Sed neminem frangat difficultas perveniendi
ad beatitudinem istam. Ideo consolatorie
subdit :

(20) *Exspecta Dominum,* longanimiter 14
sperando in ipso ; *viriliter age,* quæcumque
noveris placere Deo, quoniam erit Jer. xxxi,
merces operi tuo ; *et confortetur cor tuum,* 16.
per virtutes ac dona Spiritus Sancti, contra
omnia mundi hujus adversa ac dæmonum
tentamenta ; *et sustine Dominum,*
inter prospera et adversa, nec fatigeris
animo tuo. Versus iste dulcissimus omnem

Digitized by Google

militem Christi, omnem utique laboratorem, qui Deo cum metu et reverentia deservire contendit, ineffabiliter consolatur ac roborat. Itaque, o famule Christi, ex- *Habac.* II, 3. specta Dominum. Apparebit Dominus in finem, et non mentietur; si moram fecerit, exspecta eum, quia veniens veniet, et non tardabit. Unde Jacobus admonet : *Jacob.* v, 10, 11. Exemplum accipite longanimitatis, laboris et patientiæ, Prophetas. Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt. Sufferentiam Job audistis, et finem Domini vidistis. Denique, viriliter age, quia hortatur Apo- *I Cor.* xv, 58. stolus : Fratres mei dilecti, stabiles estote et immobiles, abundantes in omni opere

A Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino. Confortetur quoque cor tuum, quemadmodum Josue Dominus jubet : Ecce, inquit, præci- *Josue* I, 9. pio tibi : confortare et esto robustus valde ; noli metuere et noli timere, quoniam tecum est Dominus Deus tuus in omnibus ad quæcumque perrexeris. Postremo, sustine Dominum, quatenus dicere queas cum sancto Job : Etiam si occiderit me, *Job* XIII, 15. in ipso sperabo. Versus iste acediam fugat, caritatem inflammat, longanimitatem B instruit, stabilitatem inducit, omnemque torporem, diffidentiam, pusillanimitatem, negligentiam, ac desperationem expellit.

ARTICULUS LX

EXPOSITIO EJUSDEM PSALMI VICESIMI SEXTI DE CHRISTO.

1 EXPONENDO insuper psalmum istum de Christo, sensus tituli erit : *In finem, psalmus David,* id est, psalmus iste Christo conveniens, *priusquam* ipse Christus *liniretur* secundo, id est, antequam glorificaretur in corpore. Prima enim linitio, est glorificatio animæ ejus, quam ab initio conceptionis in Virgine habuit. Secunda autem ejus linitio, est glorificatio corporis ejus, quam in resurrectione accepit : de qua glorificatione ait Joannes, *Joann.* VII, 39. Spiritus nondum erat datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.

Christus ergo ut homo, sic ait : *Dominus,* id est Deus Trinitas, est *illuminatio mea,* id est causa totius sapientiæ meæ creatæ, et ab instanti creationis animæ meæ illuminavit eam lumine gloriæ atque beatifica visione. Ubi pensandum, quod in Christo erat Sapientia increata, quæ est idem quod divina essentia ac Verbi persona : et per hanc Christus actualiter æternaliterque cognoscit quidquid Pater et Spiritus Sanctus ; imo hæc Sapientia est una

C in tribus Personis. Erat quoque in Christo sapientia creata, et hæc multiplex fuit. Habuit enim sapientiam patriæ seu Beatorum, cognoscendo cuncta in Verbo per unionem divinæ essentiæ cum intellectu ipsius, per modum formæ intelligibilis copulatæ. Habuit etiam sapientiam inditam seu infusam, qua ab exordio suæ conceptionis in Matre, cognovit res omnes in propriis earum naturis, per species intelligibiles sibi concreatas. Præter hanc quidam attribuunt Christo homini sapientiam D acquisitam seu experimentalem, in qua profecerit, non tamen ab aliis quidpiam discendo, sed per propriam inventionem : ita quod per naturale lumen intellectus agentis, abstraxit a phantasmatibus intelligibiles species, easque in intellectu possibili reposuit, atque per hunc modum scientiam acquisivit. Nulla enim naturalis perfectio aut operatio defuisse videtur animæ Christi. Nam, ut adstruit Damascenus, nihil eorum Christo defuit, quæ Deus in nostra natura plantavit.

Digitized by Google

Ob has scientias animæ Christi collatas, A ait Salvator : *Dominus illuminatio mea, et* ipse est *salus mea,* id est objectum felicitatis meæ creatæ ; *quem timebo?* Nullum utique, nisi sponte voluero passionem timoris assumere, sicut et passione instante
Matth. XXVI, 37. peregi, quando cœpi contristari et mœstus esse : quas utique passiones sicut sponte assumpsit, sic imperialiter eas deposuit. *Dominus protector vitæ meæ,* singularissimo ac excellentissimo modo intus custodiens me a malis culpæ ac periculis animæ, ita quod talia in me esse non poterant ; et foris, a læsionibus corporis, nisi in quantum humani generis redemptio exigebat me pa-
Luc. IV, 29, 30 ; *Joann.* VIII, 59. ti. Nam quando Judæi quærebant eum præcipitare et lapidare, Jesus abscondit se ipsum, Domino ipso protegente. Quando etiam
Matth. IV, 11. dæmon reliquit eum in monte altissimo, statim angeli accesserunt, et ei ministrabant. *A quo trepidabo?* quasi dicat, Nec Judæos neque gentiles neque tentatorem diabolum formidabo : secundum modum prædictum.

2 *Dum,* id est pro eo tempore, quo *appropiant super me nocentes,* id est Judæi cum paganis, me capientes atque ligantes in nocte ante passionem, *ut edant carnes meas,* id est, ut occidant me. *Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt, et ceciderunt.* Hoc jam in Judæis hostibus Christi videmus impletum. Infirmati sunt enim, fidem et gratiam amittentes ; et ceciderunt, sceptrum et principatum om-
3 nemque legis honorem perdentes. *Si consistant adversum me castra,* id est acies Judæorum, qui ante Herodem et Pilatum
Ibid. XXVII, 23 ; *Luc.* XXIII, 21. stabant fortiter proclamantes, Crucifige, crucifige eum ; *non timebit cor meum* eos,
Matth. X, 28. qui corpus occidere possunt, sed animæ detrimentum inferre non prævalent. *Si exsurgat adversum me prælium,* id est impugnatio persecutorum me crucifigere affectantium, *in hoc ego sperabo,* id est, in tali articulo confidam in Domino quod victurus sim, scilicet mortem destructurus, peccatum ablaturus, mundum redempturus, dæmones dejecturus, tertio die resurrecturus, atque incredulos judicaturus.

Unam, id est unum quoddam præci- 4
puum, *petii a Domino : hanc requiram,* perseveranter orando ; et hæc una est, *ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ,* id est, ut per gratiam habitem in cordibus hominum, et in militanti Ecclesia regnem per fidem. Christus enim ut homo, frequenter oravit pro mundi salute, videlicet ut Deus aperiret corda hominum ad recipiendum inhabitationem Christi per fidem : imo propter hoc passus est, ut habitaret in nobis. Propterea B dixit etiam Christus ad Petrum : Ego pro *Luc.* XXII, 32.
te rogavi, ut non deficiat fides tua. Nos enim sumus domus Dei, et Christi Filii ejus, in qua Christus habitare desiderat.
Propter quod ait Apostolus : Christus tan- *Hebr.* III, 6.
quam filius fidelis erat in domo sua : quæ domus sumus nos, si fiduciam usque in finem firmam retineamus. *Ut videam voluntatem Domini,* id est, ideo habitare petii in domo Domini, ut videam fideles divinæ voluntati obedientes. Sæpe enim accipitur divina voluntas pro effectu et C signo voluntatis divinæ, sicut ait Apostolus : Hæc est voluntas Dei, sanctificatio *I Thess.* IV, 3.
vestra. Et in Oratione dominica dicimus :
Fiat voluntas tua, id est, impleatur præ- *Matth.* VI, 10.
ceptum tuum. *Et visitem templum ejus,* id est, mentes humanas per gratiam et consolationem Spiritus Sancti ingrediar, et per sacramenta mea cum hominibus maneam. Unde Christus loquens Ecclesiæ,
Ecce, ait, ego vobiscum sum omnibus die- *Ibid.* XXVIII, 20.
bus usque ad consummationem sæculi.

Vel sic : *Ut inhabitem in domo Domini,* D id est, ut ascendam ad cœlos, sedeamque ad dexteram Patris. Sicut enim ostensum est, Christus interdum oravit pro sui corporis glorificatione et exaltatione. *Ut videam voluntatem Domini* impleri ab omnibus civibus cœli, qui omnes Deo ad nutum obtemperant ; *et visitem templum ejus,* id est, ut mittam angelos sanctos de cœlo, ad visitandum et custodiendum Ecclesiam militantem ; vel, ut mittam paracletum Spiritum Sanctum Apostolis aliisque discipulis, quem non mitterem, nisi

Digitized by Google

primo ascenderem : quemadmodum apud A
Joann. xvi, 7. Joannem scriptum est, Nisi ego abiero,
Paracletus non veniet ad vos.
5 Denique ista rationabiliter oro, *Quo-*
niam ipse Dominus *abscondit me in taber-*
naculo suo, id est in umbraculo atque cu-
stodia suæ divinitatis : in qua sicut in
tabernaculo non manufacto omnes Beati
morantur; *in die malorum,* id est tempore
quo me persequebantur Judæi : quemadmo-
Ibid. viii, 59. dum et in Evangelio habetur, Jesus autem
abscondit se, et exivit de templo. Et Lucas,
Luc. iv, 30. Ipse, inquit, transiens per medium illorum, B
ibat. Nam ipsa ejus divinitas fecit corpus
ipsius invisibile his, qui eum lædere cona-
bantur. *Protexit me in abscondito taberna-*
culi sui, id est in se ipso, et in intima con-
templatione ipsius. Ipsa enim persona Ver-
bi protexit in omnibus hominem quem
assumpsit. Deus autem merito dicitur, abs-
conditum tabernaculi, quoniam de eo apud
Is. xlv, 15. Isaiam legitur : Vere tu es Deus abscon-
6 ditus, Deus Israel. *In petra,* id est in im-
mobili caritate Dei et proximi, et in certa
fiducia nominis sui, *exaltavit me* ab om- C
ni defectu et vitio, stabiliens me in se
ipso : in quo stabiliri, est maxime exal-
tari; *et nunc,* id est in die resurrectio-
nis, *exaltavit caput meum,* id est me ip-
sum : ponit enim partem pro toto; *super*
inimicos meos, id est super aerias pote-
states, quas vici, et super Judæos, qui me
in sepulcro custodiri fecerunt.
Circuivi, quando inter homines conver-
sabar, Judæam et alias multas terras, præ-
dicando Evangelium regni Dei, et sanando
infirmos : quemadmodum de Christo Petrus D
Act. x, 38. testatur, Pertransiit, inquiens, benefacien-
do, et sanando omnes oppressos a diabolo.
Et immolavi in tabernaculo ejus, id est in
synagogis et in templo in Jerusalem, *ho-*
stiam vociferationis, id est duræ et altæ
increpationis malorum, devotæ orationis
pro eorum conversione, ac laudis divi-
næ. Hanc Christus frequentissime obtulit
Deo. *Cantabo, et psalmum dicam Domi-*
no, per me ipsum et per meos ministros,
Deum laudando ac venerando. Propterea et
apud Joannem ait Salvator : Ego non quæ- Joann. viii, 50, 49.
ro gloriam meam, sed honorifico Patrem
meum.
Exaudi, Domine Pater, *vocem meam* 7
qua clamavi ad te, offerendo tibi prædi-
ctam hostiam vociferationis, et subveni
mundo, per gratiam incessantem; *misere-*
re mei, liberando me a molestiis vitæ præ-
sentis, *et exaudi me* pro mundi salute.
Tibi dixit cor meum, id est, mens mea te 8
semper interius allocuta est, contemplan-
do atque laudando te indesinenter; *ex-*
quisivit te facies mea, id est, tota intentio
mea semper quæsivit nominis tui honorem
et gloriam. *Faciem tuam,* id est claram at-
que beatam tuæ essentiæ visionem, *Domi-*
ne, requiram : non ut eam mihi ostendas,
quoniam ab initio vidi eam per speciem
tanquam comprehensor perfectus; sed ut
eam ostendas electis, pro quorum salute
misisti me. Hoc est quod Christus ait : Pa- Ibid. xvii, 24.
ter, quos dedisti mihi, volo ut videant cla-
ritatem quam dedisti mihi, quia dilexi te
ante mundi constitutionem.
Ne avertas faciem tuam a me, repellen- 9
do preces istas quas fundo; *ne declines in*
ira a servo tuo, id est, ne propter pecca-
ta hominum differas adimplere quæ peto
pro eis : ego qui secundum formam servi
quam accepi, sum servus tuus, de quo per
Isaiam prophetam dixisti : Ecce servus Is. xlii, 1.
meus, suscipiam eum; et iterum per alium :
Ecce ego adducam servum meum Orien- Zach. iii, 8, 9.
tem, et auferam iniquitatem terræ illius,
id est populi sui, in una die, videlicet in
die passionis suæ. *Adjutor meus esto,* Do-
mine Pater, cooperando mihi in omnibus;
ne derelinquas me in manu impiorum, vel
in sepulcro, *neque despicias me,* id est
corpus meum mysticum, puta Ecclesiam,
pro qua passus sum, *Deus salutaris meus,*
id est salus mea, in quantum homo sum.
Quoniam pater meus et mater mea, id est 10
populus Hebræorum, ex quorum semine
natus sum, *dereliquerunt me,* quoniam no-
luerunt recipere me : prout in Evangelio
habetur, In propria venit, et sui eum non Joann. i, 11.
receperunt. *Dominus autem assumpsit me,*

Digitized by Google

resuscitando me ad immortalem statum, A
et convertendo gentiles ad me.
11 *Legem pone mihi, Domine,* etc. Hunc versum orat Christus pro corpore mystico,
12 quod ita dilexit sicut se ipsum. *Ne tradideris me in animas tribulantium me,* id est in potestatem Judæorum : non ut penitus non moriar, sed ne in morte detinear ; *quoniam insurrexerunt in me testes iniqui.* Hoc in Christo tempore passionis esse impletum Evangelistæ commemorant, quemadmodum apud unum eorum
Matth. xxvi, 60, 61. scriptum est : Quum multi falsi testes ac- B
cessissent, novissime surgunt duo falsi testes, dicentes : Nos audivimus eum dicentem, Possum destruere templum Dei, et in triduo reædificare illud. *Et mentita est iniquitas sibi,* id est, falsitas eorum decepit atque damnavit eos, et mihi nil nocuit, sed causa magni meriti fuit.
13 *Credo videre bona Domini,* id est gratiam et dona Spiritus Sancti, *in terra viventium,* id est in Ecclesia militanti. Nam propterea pati dignatus sum, ut homines cœlestia bona participarent, cœliformem- C
que vitam in mundo deducerent. Vel sic : Credo videre bona Domini, id est accidentale præmium recipere, in terra viventium, id est in patria, et etiam corporali oculo cernere gloriam Dei in suis effectibus. In hoc ergo versu tangit Christus fructum et præmium passionis suæ. Non autem convenit Christo credere per fidem, quæ est virtus theologica, quoniam fidem talem non habuit; sed sumitur Credere, hoc loco, pro quacumque agnitione, ut sit sensus : Credo videre, id est, visurum me scio.

Postremo Christus consolatur et animat
fidelem suum imitatorem, et ait : *Exspecta* 14
Dominum, viriliter age, etc. Qui versus cum ceteris nunc transcursis, in præcedenti expositione satis declaratus est.

Ecce psalmus iste pulcherrimus, quomodo in principio sui mentem psallentis ad Dominum elevat, fiduciam excitat, timorem inordinatum excludit. Nos ergo ad consequendum hæc bona, devotissime cantemus hunc psalmum. Videturque multum idoneus et fructuosus atque conveniens ad hoc, quod vesperi a quolibet devote et intente cantetur contra tenebras, formidines et insidias noctis.

PRECATIO.

Deus omnipotens, adjutor et protector vitæ nostræ, protege nos ab hostium insidiis, et ab omnibus periculis animæ et corporis : ut tuæ pietatis dono, placitis tibi operibus perseveranter insistentes, bona tua in terra viventium videre digni inveniamur.

ARTICULUS LXI

EXPOSITIO LITTERALIS PSALMI VICESIMI SEPTIMI : AD TE, DOMINE, CLAMABO.

Est autem titulus psalmi jam exponen- D
di : *Psalmus ipsi David.* Dum dicitur in titulo, Ipsi, intelligendus est Christus ad litteram. Est ergo sensus tituli : Psalmus iste attribuitur et convenit ipsi David, id est Christo, quem sancti Prophetæ frequenter David appellant, sicut ostensum est. Quibus jam adjici potest quod Amos
scripsit : In die illa suscitabo tabernacu- Amos
lum David quod cecidit. Quam scripturam 11.
Jacobus apostolus Spiritu Sancto repletus, introducit in Actibus Apostolorum de Christo sub aliis verbis, videlicet secundum translationem Septuaginta interpretum, sic

Digitized by Google

Act. xv, 16. dicens : Reædificabo tabernaculum David quod cecidit, id est, reparabo militantem Ecclesiam Christi. Hic itaque psalmus convenit Christo in passione constituto.

1 AIT igitur Christus homo : (1) *Ad te, Domine,* Pater æterne, *clamabo,* id est, affectuose orabo, pendens in crucis patibulo : in quo Christus affectuosissime dixit, Luc. xxiii, 34. Pater, ignosce illis. Et alia multa in cruce oravit intra se, quæ scripta non sunt : imo credendum est, quod nunquam amorosius oraverit pro mundi salute, quam tempore quo pendebat in cruce. *Deus meus, ne sileas a me,* id est, ne per modum silentis et non exaudientis te habeas, sed responde mihi per inspirationem internam verba bona, verba consolatoria; *nequando,* id est ne aliquo tempore, *taceas a me,* differendo quod peto, *et assimilabor descendentibus in lacum,* id est, similis ero descendentibus in sepulcrum et in infernum, quorum corpora detinentur in terra, et animæ in gehenna. Christus enim, ut Is. liii, 12. Isaias ait, cum sceleratis reputatus est ; et Galat. iii, 13. ipse (secundum Apostolum) factus est propter nos maledictum, ut nos de maledicto Deut. xxi, 23. legis eriperet. Scriptum est enim : Maledictus omnis qui pendet in ligno. Ob id igitur Christus asserit assimilari se peccatoribus descendentibus in lacum, non secundum veritatem, sed secundum iniquorum æsti- Ps. lxxxvii, 5. mationem, sicut inferius dicit : Æstimatus sum cum descendentibus in lacum. Vel sic : Assimilabor descendentibus in lacum, id est sanctis patribus, qui ante passionem meam descendebant in limbum inferni. His assimilatus est Christus secundum veritatem, quoniam anima ejus in hunc limbum descendit statim quando a corpore emigravit. Propter quod Apo- Hebr. ii, 17. stolus ait : Debuit per omnia fratribus assimilari.

2 (2) *Exaudi, Domine, vocem deprecationis meæ,* id est cordialem precis meæ clamorem et ferventem affectum, *dum oro ad te,* id est, dum oro ut adipiscar te ipsum, quantum ad accidentalis præmii susceptionem : quantum vero ad beatificam visionem, Christus homo ab incarnationis principio Deum possedit, nec sic cum adipisci oravit. Et intentionem ad te finaliter dirigo, *dum extollo manus meas* corporales in ara crucis, *ad templum sanctum tuum* reædificandum, id est ad redimendum genus humanum, quod est templum Dei vivi. Hoc est quod ait Salvator : Ego Joann. xii, 32. si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum. Vel sic : Dum extollo manus meas, id est, desideria cordis mei erigo, ad templum sanctum tuum, id est ad cœlestem patriam : quatenus ego in brevi post passionem illuc ascendam ; atque electi mei, pro quibus hæc patior, merito mortis meæ ad eam perveniant.

3 (3) *Ne simul tradas me* potestati malorum, *cum peccatoribus,* id est, quemadmodum illos tradis, quos permittis non solum corporaliter occidi, sed etiam in sepulcris putrefieri, et in inferno teneri. *Et cum operantibus iniquitatem ne perdas me.* Christus qui comprehensor fuit, et confirmatus in bono, nequaquam oravit ne damnaretur aut peccaret. Quid ergo est, Et cum operantibus iniquitatem ne perdas me, nisi, Corpus meum non permittas in terra corrumpi, vel diu ab anima separari, sed statim resuscita me ? Itaque, Ne simul tradas me cum peccatoribus, id est cum Pharisæis et Scribis, ceterisque perversis Judæis : (4) *qui loquuntur pacem,* id est verba pacifica fraudulenter, *cum proximo suo,* id est mecum, qui sum frater et proximus eorum, quia de eorum genere natus sum ; *mala autem,* id est invidia, dolus, affectus me occidendi, *in cordibus eorum.* Frequenter enim, ut aiunt Evangelistæ, convenerunt Judæi ut caperent Matth. xxii, 15, et alibi. Jesum in sermone, adulatoria verba promentes, sed corde fallaciam intendentes.

4 (5) *Da illis,* Domine omnium, juste Judex, *secundum opera eorum, et secundum nequitiam adinventionum ipsorum,* id est, secundum quod maligna eorum consilia promerentur. (6) *Secundum opera manuum eorum tribue eis,* id est, secundum actus

Digitized by Google

eorum interiores et exteriores restitue eis; A
redde retributionem eorum ipsis, tradendo
eos in manus principum Romanorum, et
Rom. i, 28. in reprobum sensum, et in iram finalem.
Eamdem sententiam sæpius repetit, ad insinuandum cordis sui affectum pro observanda justitia. Hæc autem Christus dicit, non optando vindictam simpliciter, sed prænuntiando quid eis futurum esset. Vel dicit hæc etiam optative, conformando cordis affectum divinæ justitiæ, quemadmodum Sancti in patria. Secundum hunc intellectum apud Jeremiam Christus ait : B
Jer xvii, 18. Confundantur qui me persequuntur, et non confundar ego; induc super eos diem afflictionis, et duplici contritione contere eos, Domine Deus noster. Et apud Isaiam :
Is. lxiii, 4. Dies ultionis in corde meo, annus retributionis meæ venit.
5 Ideo autem sic pereant, (7) *Quoniam non intellexerunt opera Domini,* id est divina miracula Christi, quæ Christus fecit in nomine Domini, *et in opera manuum ejus,* id est opera Christi humana, videlicet conversationis suæ sanctitatem atque C
doctrinæ veritatem. Nam miracula ejus
Matth. xii, 24. adscripserunt Beelzebub principi dæmoniorum. Vitam vero arguebant, dicentes :
Ibid. xi, 19. Homo vorax, potator vini, amator publica-
Joann. ix, 16. norum, transgressor legis, non custodiens sabbatum. Doctrinam quoque irridentes,
Ibid. x, 20. dicebant : Insanit, quid eum auditis? et :
Luc. xxiii, 2. Hunc invenimus subvertentem gentem nostram. Propterea, Domine Pater, *destrues illos* gladio, fame, siti, ac venditione atque expulsione de terra natali : quæ omnia inducta sunt eis per Titum. *Et non* D
ædificabis eos : id est, nec intus reparabis eos, ædificando corda eorum in habitaculum tibi per fidem ac gratiam; nec foris recuperabis eos, reducendo eos ad terram patrum suorum, sed usque ad finem sæculi deseres eos.

Deinde Christus de sua exauditione gra-
6 tias agit, et ait : (8) *Benedictus Dominus* Pater, seu Trinitas Deus, *quoniam exaudivit vocem deprecationis meæ* jam præmissæ, qua oravi pro corpore meo vero ac mystico. (9) *Dominus adjutor meus,* co- 7
operando mihi in omnibus per gratiam suam, dandoque mihi idoneitatem ac efficaciam satisfaciendi pro sæculo universo. Christus enim ut homo meruit; sed ejus humanitas a Verbo sibi unito efficaciam promerendi præmium tam immensum recepit. *Et* Dominus est *protector meus,* in adversitatibus : sicut jam sæpe dictum est. *Et in ipso speravit cor meum,* id est, in ejus bonitate ac ope semper confisa est
anima mea, sciens omne bonum ab ipso Jacob. i, 17
procedere. Nec frustra speravit, nam sequitur : *et adjutus sum,* id est, efficaciter prosecutus quidquid ad humanam redemptionem necessarium fuit. (10) *Et refloruit caro mea :* quæ tertia die resuscitata est et glorificata, atque impassibilis et inalterabilis facta; *et ex voluntate mea confitebor ei,* id est, ex totis præcordiis laudabo Patrem meum cœlestem, et Deo trino ac simplici gratias agam, quatenus homo sum, de omnibus bonis mihi secundum formam servi ab ipso collatis.

(11) *Dominus fortitudo plebis suæ,* id est 8
conservator eorum in bono, et causans in eis quidquid virtutis et perfectionis ac fortitudinis habent; *et protector salvationum Christi sui est.* Salvationes Christi sunt salutares effectus suæ beatissimæ passionis, videlicet liberatio a peccato, infusio gratiæ, apertio januæ regni cœlestis. Harum Christi Filii sui salvationum est Deus Pater protector, quia defendit electos, ne istis effectibus spolientur a tentatore, et protegit eos finaliter ut salventur.

Insuper Christus homo, mediator Dei ac I Tim. ii, 5
hominum, pro Ecclesia quam redemit precatur, et ait : (12) *Salvum fac populum* 9
tuum, Domine, id est populum tuum fidelem, vel omnem populum, etiam infidelem, convertendo eos ad fidem : omnes namque sunt tui per creationem; *et benedic,* id est, munera gratiarum multipliciter tribue, *hereditati tuæ,* id est plebi christianæ, quam tu specialiter colis, possides et fecundas. *Et rege eos,* dirigendo

Digitized by Google

eos in vitam æternam, *et extolle illos,* id est, sublimem conversationem et alta merita præsta eis in præsenti, *usque in æternum,* id est, tamdiu rege eos atque extolle, donec ad æternam felicitatem pertingant.

Ecce, cur metuis? cur pusillanimis es? cur non plenissime speras, o Christiane? Attende quid Christus oret pro te. Vide A quoniam Creator tuus factus est Salvator tuus, Deus tuus factus est frater tuus, judex tuus factus est advocatus tuus. Qui cum Patre et Spiritu Sancto exaudit, ipse pro te Patrem ac Spiritum Sanctum exorat. Accedamus ergo cum fiducia ad thro- Hebr. IV, 16.
num gratiæ ejus, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.

ARTICULUS LXII

EXPOSITIO TROPOLOGICA SEU MORALIS EJUSDEM PSALMI VICESIMI SEPTIMI.

MORALITER denique convenit psalmus iste cuicumque fideli, mente vel corpore, aut in utroque afflicto, qui pro
1 relevamine clamat ad Dominum : *Ad te, Domine, clamabo* in omni tribulatione et angustia, non ad aliquem alium : quoniam tu solus es Deus totius salutis meæ, in quo solo finaliter immobiliterque confido, ita
Job XIII, 15. quod licet occideris me, nihilo minus confiderem in te, sciens possibilius esse cœlum et terram annihilari, quam in tua bonitate sperantem fraudari. Idcirco, *Deus meus, ne sileas a me,* sed intus instrue me, *nequando taceas a me,* dissimulando
I Reg. III, 10. aut repellendo desideria mea; sed loquere, Domine, quia audit servus tuus. Loquere mihi per inspirationem internam, per sacræ Scripturæ exhortationem, per devotorum famulorum tuorum informationem. Consolare, o Domine, animam meam, abstrahe eam a mundanarum rerum tumultu, et quiescentem alloquere atque illumina, quemadmodum de anima pia te-
Osee II, 14. status es : Ecce, inquiens, ego lactabo eam, et ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus. *Et assimilabor descendentibus in lacum :* id est, tot tribulationibus crucior, tot malis afficior, ut similis videar descendentibus in infernum, in quibus est plena miseria. Vel sic : Et as- B similabor descendentibus in lacum, id est, nisi tu preces meas pie exaudias, descendam et ego cum aliis in lacum, id est in profundum vitiorum, in voraginem periculorum, et in foveam carceris infernalis.

Exaudi, Domine, vocem deprecationis 2
meæ, dum oro ad te, id est, dum adoro te, *dum extollo manus meas* corporales et spirituales *ad templum sanctum tuum,* id est ad patriam Beatorum, elevando manus meas corporeas cum ardentibus desi- C deriis mentis ad triumphantem Ecclesiam, salutans eam, et petens ad eam perduci : quemadmodum Jeremias monet, Levemus Thren. III, 41.
corda nostra cum manibus ad Dominum in cœlos. Unde Apostolus dicit : Volo viros I Tim. II, 8.
orare in omni loco, levantes puras manus sine ira et disceptatione. Ecce quam frequenter vir sanctus eamdem sententiam orando repetiit. Ardens nempe affectus mensuram ignorat, nec satiatur orando, sed indesinenter accenditur, et flamma flammam producit, ignisque amoris ignem D affectuosæ orationis nutrit et auget. Etenim divinarum rerum nulla saturitas est, sed quo magis gustantur, eo amplius appetuntur, quemadmodum scriptum est : Qui Eccli. XXIV, 29.
edunt me, adhuc esurient; et qui bibunt me, adhuc sitient.

Digitized by Google

3 *Ne simul tradas me cum peccatoribus,* A
id est, ne permittas me jugo peccati et
servituti diaboli subjici : quibus peccato-
res subduntur, sicut in Evangelio habe-
Joann. VIII, 34. tur, Omnis qui facit peccatum, servus est
peccati ; et qui a diabolo in tentationibus
II Petr. II, 19. vincitur, ejus ditioni infelix subjicitur. *Et
cum operantibus iniquitatem,* id est in
malo perseverantibus, *ne perdas me,* sub-
trahendo mihi gratiam in præsenti, et glo-
riam in futuro. *Qui loquuntur pacem cum
proximo suo, mala autem in cordibus eo-*
Ps. LXI, 5. *rum,* id est, qui ore benedicunt, et corde B
maledicunt, ut sunt adulatores, menda-
ces, fallaces. Tales, proh dolor ! multi
sunt : imo pauci inveniuntur fideles ac
integri amici. Propterea optime dictum
est, quod utinam efficaciter pensaretur.
Mich. VII, 2, 5, 6. Ait enim Propheta : Periit sanctus de ter-
ra, et rectus in hominibus non est. Vir fra-
trem suum venatur ad mortem. Ab ea quæ
dormit in sinu tuo, custodi claustra oris
tui : quia filius contumeliam facit patri ; et
inimici hominis domestici ejus. Nam ut ait
Philipp. II, 21. Apostolus, Omnes quæ sua sunt quærunt. C
4 *Da illis secundum opera eorum.* Hic
versus cum sequenti ex præcedenti expo-
sitione patescit. Ideo autem redde illis de-
5 bitas pœnas, o Domine, *quoniam non in-
tellexerunt opera Domini,* id est exempla
Jesu Christi : cujus tota vita est informa-
tio nostra; *et in opera manuum ejus,* id est
Christi, non intellexerunt : id est, judicia
Christi, quibus bonis dat vitam æternam,
et malis pœnas perpetuas, non considera-
verunt. Hæc opera Domini non intelligunt
mali, quia etsi se intelligere asserant, fa- D
ctis tamen negant, et se nescire osten-
Jer. IV, 22. dunt, quemadmodum scriptum est : Sa-
pientes sunt ut faciant mala, bene autem
facere nescierunt. *Destrues illos,* o Domi-
ne, auferendo eis esse spirituale, et vo-
luntatem eorum privando bonis cupitis,
quando in pœnas æternas dejicies ipsos; *et
non ædificabis eos* interius per illumina-
tionem et gratiam Spiritus Sancti, nec
ordinabis, neque stabilies interiora eorum,
sed erunt miseri et caduci.

Benedictus Dominus, id est, benedictus 6
sit ipse Dominus, et benedicatur ab omni-
bus, *quoniam exaudivit vocem depreca-
tionis meæ,* sicut ex interna inspiratione
jam sentio, vel experior per effectum. In-
terdum enim devoti famuli Dei, antequam
orationem suam finiant, se exauditos mox
sentiunt. Propter quod Dominus ait : An- Is. LXV, 24.
tequam clament, ego exaudiam ; adhuc il-
lis loquentibus, ego audiam. *Dominus ad-* 7
jutor meus, in faciendo quæ bona sunt,
et protector meus, in declinando ab his
quæ mala sunt ; *et in ipso speravit cor
meum,* sine quo nil boni cogitare, loqui
aut facere possum, *et adjutus sum* per
gratiam ejus, nec succubui hostibus ani-
mæ meæ. *Et refloruit caro mea :* id est,
corpus meum, quod ante peccatis subja-
cuit, quod pollutionibus variis commacu-
latum erat, et iniquitatibus deservivit, hoc
modo per adjutorium Dei subjectum est
rationis imperio, caritatis obsequio ; con-
tinentiæ flore jam nitet, et castitatis odore
nunc fragrat : quemadmodum jubet divi-
nus Apostolus : Non regnet peccatum in Rom. VI,
vestro mortali corpore ; neque exhibeatis 12, 13.
membra vestra arma iniquitatis peccato,
sed arma justitiæ Deo. *Et ex voluntate
mea,* id est sponte ac prompte, *confitebor
ei,* videlicet Domino. Confitebor, inquam,
ei mea mala ac vitia, me ipsum dijudican-
do, contemnendo et castigando. Confite-
borque ei sua bona ac beneficia, ipsum
laudando, venerando atque amando.

Dominus fortitudo plebis suæ, id est 8
causa fortitudinis servorum suorum, quem-
admodum Moyses dicit : Noli timere ; Do- Deut. I, 29,
minus Deus tuus, qui ductor est tui, ipse 30.
pugnabit pro te ; *et protector salvatio-
num,* id est conservator virtutum salvan-
tium, *Christi sui est :* id est, ipse Dominus
est defensor et conservator virtutum et
gratiarum cujuslibet Christiani chrisma-
te sacro ac Spiritu Sancto uncti. Virtu-
tes enim et gratiæ Dei sunt salvationes
nostræ, quas necesse est defendi a Deo,
ne vitiis ingredientibus expellantur ac
pereant.

Digitized by Google

Postremo homo fidelis, sui oblitus, communisque boni accensus amore, pro om-
9 nibus orat ex caritate fraterna : *Salvum fac populum tuum, Domine :* cujus expositio in præcedenti articulo patet. Vere pulcher suavisque psalmus, qui a singulari caritate orditur, et in communi amore finitur : in quo homo devotus primo orat pro se, et tandem se exauditum glorians, ac Deum collaudans, tanquam idoneus factus orat pro omni populo christiano. Et est oratio hujus versus admodum sententiosa ac fervida : quam debemus quotidie A intentissima mente effundere, sicut et totum psalmum debito tempore, quoniam totus fructuosus consolatoriusque consistit.

PRECATIO.

Ad templum sanctum tuum manus cum genibus * levantes invalidas, quæsumus, Domine, ne tradas cum peccatoribus non te agnoscentibus animas nostras : non nos deseras, non nos cum operantibus iniquitatem perdas ; sed nos regendo, tecum in B cœlesti regno extollas.

* gemitibus

ARTICULUS LXIII

EXPOSITIO PSALMI VICESIMI OCTAVI : AFFERTE DOMINO, FILII DEI.

1 Titulus psalmi est : *Psalmus David, in consummatione tabernaculi.* Primo libro Paralipomenon legitur, quod arca Domini de terra Philistinorum reducta, manserit ad tempus in Silo. Postmodum vero David ædificavit ei tabernaculum : in quod quum introduxisset eam, hortatus est populum ad hostias immolandas. Ab hac ergo historia sumptus est titulus psalmi præsentis, possetque littera ejus applicari ad illam historiam ; sed multo congruentius exponitur de re figurata, quam de figura. David C enim est evidens figura Christi, et arca est typus Ecclesiæ ; consummatio quoque tabernaculi, Ecclesiæ perfectionem designat. Sicut enim David reduxit arcam in tabernaculum suum, sic Christus reduxit Ecclesiam in regnum cœlorum. Est igitur tituli sensus : *Psalmus David,* id est, psalmus iste adscribitur David hic loquenti, *in consummatione tabernaculi,* id est, conscriptus est ex perfectionis Ecclesiæ præconsideratione. David namque in Spiritu Sancto prænoscens totum mundum ad Christi fi- D dem per Apostolos convertendum, alloquitur hic universalem Ecclesiam, quatenus digna Deo sacrificia offerat. Ait enim :

Cf. 1 Par. XIII. Ibid. XV, XVI.

(1) AFFERTE, id est, ad gloriam Creatoris aliquid apportate, *Domino,* cujus sunt omnia, o *filii Dei* adoptivi, quibus Christus dedit potestatem filios Dei fieri. De quibus scriptum est : Carissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Et iterum : Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus. Itaque, o omnes fideles, in testimonium quod omnia quæ habetis, a Deo recepistis, afferte ei, id est, aliquid ipsi offerte. Quemadmodum enim omnia quæ habemus, a Deo recepimus ; sic totum quod sumus, possumus, agimus et habemus, Deo offerre, id est ejus obsequio mancipare, debemus : quia non sumus nostri, sed ejus qui condidit nos. Propterea ait Apostolus : Nemo nostrum sibi vivit. Et rursus : Omne quodcumque facitis in verbo aut opere, omnia in nomine Domini

Joann. I, 12. 1 Joann. III, 2. Ibid. 1. Rom. XIV, 7. Coloss. III, 17.

Digitized by Google

nostri Jesu Christi facite, gratias agentes Deo et Patri per ipsum. Unde quod hic ait Psalmista, Afferte Domino, filii Dei, Moyses ita inducit (*Deut.* xvi, 16, 17) : Non apparebit vacuus ante Dominum ; sed offeret unusquisque secundum quod habuerit. Exterior namque oblatio, signum est interioris oblationis, qua spiritus semetipsum immolat Deo per obedientiam ac reverentiam. De qua interiori oblatione in Ecclesiastico legitur (*Eccli.* xxxv, 2): Salutare sacrificium est attendere mandatis.

Deinde declarat quid filii debeant Deo afferre. *Afferte Domino filios arietum,* id est vosmetipsos, qui estis filii Apostolorum : qui arietes appellantur, quoniam duces sunt ovium Christi, atque fortissimi protectores earum, inducentes easdem in ovile Christi. Nemo enim aliquid majus afferre potest Deo de suis, quam se ipsum. Ergo afferte vos ipsos, id est, corde et opere appropinquate, adhærete et ministrate ei.

Sed ne quis male intelligat quomodo debeat se ipsum Deo offerre, velitque se ipsum occidere, et more pecudum offerre : ideo consequenter ostendit, quid sit
2 afferre se ipsum. (2) *Afferte Domino gloriam et honorem :* id est, ita afferte vos Domino, ut glorificetis et honoretis Dominum, quantum potestis, tam in vobis quam in aliis : sicut in Evangelio ait Salvator (*Matth.* v, 16) : Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. Hoc est quod quotidie in Oratione dominica deprecamur (*Ibid.* vi, 9) : Sanctificetur (in nobis) nomen tuum, id est, da nobis gratiam taliter tibi serviendi, ut ex puritate et sanctitate nostræ conversationis, omnibus innotescat quam vere sanctus sis tu, Domine Deus, cui tale obsequium placet. Ergo, Afferte Domino gloriam et honorem, quemadmodum fecit Apostolus, dicens (*I Tim.* i, 17) : Regi autem sæculorum immortali, invisibili, soli Deo honor et gloria in sæcula sæculorum. Et David (*I Par.* xxix, 11, 12, 14) : Tua est, Domine, magnificentia et potestas, et gloria atque victoria ; tibi laus, tuæ divitiæ, tua est gloria : tua enim sunt omnia ; et quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.

Afferte Domino gloriam nomini ejus. Gloria est clara cum laude notitia. Quid est ergo, Afferte Domino gloriam nomini ejus? nisi, Ore et opere manifestate aliis notitiam Dei, ut sciant quam sanctus et justus est Dominus, et quomodo omnia nostra bona ac merita sint ejus dona, ac per hoc studeant Deo in sanctitate et justitia deservire (*Luc.* i, 75), atque omne bonum ei cum incessabili adscribere laude. Hoc est sacrificium placitum Deo, quod ipse a nobis summe requirit, quemadmodum Michæas pulcherrime scribit (*Mich.* vi, 6-8) : Quid dignum offeram Domino? Curvabo genu Deo excelso? Numquid placari potest Dominus in millibus arietum? Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, aut quid a te Dominus requirat : utique facere judicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo. *Adorate Dominum in atrio sancto ejus,* id est in ecclesiastica unitate, vel in cubiculo cordis vestri, orando Patrem in abscondito (*Matth.* vi, 6) et in spiritu ac veritate. Spiritus enim est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate adorare oportet (*Joan.* iv, 24). Et spiritus noster est atrium Dei, quia in ipso moratur et epulatur Altissimus, quemadmodum in Apocalypsi ipse testatur (*Apoc.* iii, 20) : Ego sto ad ostium, et pulso. Si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et cœnabo cum eo, et ipse mecum.

Insuper sanctus David describit constitutionem Ecclesiæ, dicens : (3) *Vox Domi-* 3
ni, id est prædicatio Christi, *super aquas,* id est super populum Judæorum : de quo in Evangelio Christus ait (*Matth.* xv, 24), Non sum missus, nisi ad oves quæ perierunt domus Israel. Nam illis Christus specialiter promissus fuit ac missus, et eis primum prædicavit per se ipsum et suos discipulos. *Deus majestatis,* id est Christus rex gloriæ, *intonuit,* id est, altissima documenta proposuit, docens ea quæ omnem rationem transcendunt, videlicet, Deum esse unum ac trinum, se esse Deum ac homi-

Digitized by Google

nem, carnem suam vere esse cibum. Intonuit quoque, id est, terribilia edocuit de futuro judicio et pœnis inferni : et in omnibus excellentissime loquebatur, sicut Judæi ad eum missi, redeuntes dixerunt : Joann. VII, 46. Nunquam sic locutus est homo, sicut hic loquitur. *Dominus super aquas multas :* id est, prædicatio Christi etiam super gentiles effusa est : quia (ut Evangelistæ testantur) Matth. XV, 21 ; Marc. VII, 24. Christus interdum per Tyrum et Sidonem, aliasque terras gentilium ambulavit et prædicavit. Designantur autem per aquas populi, quoniam in Apocalypsi dicitur : Apoc. XVII, 15. Aquæ multæ, populi multi sunt. Et Eccle. XI, 1. Salomon : Mitte, inquit, panem tuum super transeuntes aquas, id est populum mendicantem. Vel sic : *Vox Domini,* scilicet Patris æterni, *super aquas.* Nam Christo in Jordane baptizato, vox Patris facta est (id est, *Deus majestatis,* id est Pater Matth. III, 17 ; XVII, 5. cœlestis, *intonuit*), dicens : Hic est Filius meus dilectus. *Dominus super aquas multas,* id est, virtus Christi purgativa peccati, ex tunc collata est omnibus aquis. Christus enim tactu suæ mundissimæ carnis, vim regenerativam tribuit omnibus aquis.

4 (4) *Vox Domini in virtute :* id est, prædicatio Evangelii facta est a Christo ac ejus discipulis in magna miraculorum potentia, quemadmodum in Evangelio scriptum Marc. XVI, 20. est : Illi autem profecti, prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis. *Vox Domini in magnificentia :* id est, prædicta prædicatio in magna excellentia facta est, tam propter sanctitatem vitæ prædicantium, quam propter magnalia quæ Deus per eos Luc. XXI, 15. effecit, dando eis os et sapientiam, cui non poterant resistere et contradicere omnes adversarii eorum. Hinc ait divinus ac Hebr. II, 1, 3, 4. sanctus Apostolus : Abundantius oportet nos observare ea quæ audivimus, ne forte pereffluamus. Quomodo enim effugiemus, si tantam neglexerimus salutem, quæ in nos confirmata est, contestante Deo signis et portentis, et variis virtutibus, et Spiritus Sancti distributionibus ? Nam (ut alibi docet Apostolus) alii per Spiritum datur I Cor. XII, 8-10. sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, etc. Propter hæc ergo facta est vox Domini in magnificentia.

(5) *Vox Domini confringentis cedros :* id est, sermo Christi, vel ipse Christus, qui est 5
vox, sermo et verbum Patris æterni, confringit superbos, qui instar cedrorum in Joann. I, 1. propriis oculis magni atque sublimes sunt. Hos Christus confringit tripliciter : Primo, corrumpendo in eis passiones immoderatas ac vitia, et exstinguendo in eis superbiam. Et ista confractio pia est et salubris. Istæ sunt cedri, qui discunt a Christo quia mitis est et humilis corde. Matth. XI, 29. Secundo, Christus confringit has cedros, subtrahendo vel non dando eis esse spirituale, sed spiritualiter eas occidendo. Tertio, eas confringet in die judicii, quando æternaliter damnabuntur. Et hoc modo confregit cedrum altissimam, puta Luciferum. De quo legitur : Cedri non fuerunt Ezech. XXXI, 8. altiores illo in paradiso Dei. Sed hoc loco accipitur cedrus in bono, quia per cedros intelliguntur angeli, quorum Lucifer summus fuit. Sæpe enim sumit Scriptura cedrum in bono, quemadmodum in Ecclesiastico Sapientia dicit : Ego quasi cedrus Eccli. XXIV, 17. exaltata sum in Libano. Cedrus namque est arbor altissima. Sed altitudo quædam est bona, et aliqua mala.

Et confringet Dominus cedros Libani : id est superbos prælatos ac principes, de carnis claritate ac famæ splendore, vel ingenii aut scientiæ eminentia, seu sæculari potentia, inaniter gloriantes. Libanus enim candidatio interpretatur. Has cedros Libani Deus confringit secundum triplicem modum prædictum. Unde sacratissima atque Christifera virgo Maria : Deposuit, inquit, potentes de sede, et exaltavit Luc. I, 52. humiles. Cui concordat illud Ecclesiastici : Sedes ducum superborum destruxit Deus, Eccli. X, 17.
et sedere fecit pro eis mites. (6) *Et comminuet eas tanquam vitulum Libani :* id 6
est, cedros prædictas conteret Dominus,

Digitized by Google

sicut conteritur vitulus nutritus in Libano, auferendo eis vel culpam, vel gratiam, vel salutem æternam. Sicut enim tripliciter intelligi potest cedrorum confractio, ita quoque earum comminutio tripliciter accipi potest. *Et dilectus,* id est humilis, Deoque placens, erit *quemadmodum filius unicornium,* id est, non comminuetur ut cedri, sed fortis atque securus erit in Domino Deo suo, et tanquam pullus unicornis seu rhinocerotis, qui est fortissimum, grande atque imperterritum animal. In hoc ergo quod ait, Et dilectus quemadmodum filius unicornium, ponit distinctionem inter superbos et in suis viribus confidentes, et humiles in Deo sperantes.

7 (7) *Vox Domini intercidentis flammam ignis :* id est, Dominus ipse per rorem gratiæ suæ interrumpit et exstinguit in servis suis ignem seu inflammationem iræ atque luxuriæ, perducendo eos ad refrigerium mansuetudinis et castitatis. Ad litteram quoque Christus sæpe exstinxit et scidit ignem materialem, cui sancti martyres aut fideles, ad martyrium præparati, injecti fuerunt, sicut de sancta Agnete narrat Ambrosius : imo multi Sanctorum in igne omnino illæsi manserunt. Christus etiam scidit flammam ignis, quando quosdam Judæorum contra se furentium misericorditer illuminavit, et quosdam in sua
8 incredulitate juste reliquit. *Vox Domini concutientis desertum :* id est, sermo Christi excitat corda infructuosa, pigra ac arida, concutiendo ea sancto timore ac divino amore, ut fiant agilia, fructuosa et fervida. Cor enim peccatoris, desertum vocatur, tanquam a Deo relictum, et ab humore, ac fructu salutis et gratiæ alienum. *Et commovebit Dominus* ad pœnitentiam et vitam laudabilem, *desertum Cades,* id est cor electorum et fidem Dei habentium. Cades enim, immutata vel sancta interpretatur. Electi igitur, quoniam ad tempus errare possunt, sed finaliter perire non valent, commovebuntur a Domino ad salutem, antequam moriantur. Posset autem per desertum Cades, Judæa intelligi, quæ legem a Deo recepit, et in fine sæculi immutanda ad fidem est. Hanc Dominus commovebit in fine mundi, ut convertatur ad Christum, quemadmodum Osee testatur : Post hæc revertentur filii Israel, et *Osee* III, 5.
quærent Dominum Deum suum, et David regem suum, id est Messiam, ut omnes exponunt.

(8) *Vox Domini præparantis cervos :* id est, Christus per suum sermonem disponit 9
ad currendum velociter viam præceptorum suorum servos suos ferventes; et ipse *Ps.* CXVIII, 32.
præparavit Apostolos, dando eis primitias Spiritus Sancti, ut per totum mundum disseminarent verbum Dei, prosequendo velociter onus sibi injunctum, quemadmodum cervi veloces sunt in actibus suis. *Rom.* VIII, 23. *Et revelabit condensa,* id est, illuminabit corda servorum istorum, ut intelligant abdita Scripturarum. Hoc enim Christus in Apostolis ac aliis multis effecit. *Et in templo ejus omnes dicent gloriam,* id est, in Ecclesia Dei omnes fideles Deo gloriam ac laudem attribuent.

(9) *Dominus diluvium,* id est plenitudi- 10
nem seu exuberantiam gratiarum, *inhabitare facit* in cordibus electorum, præsertim tempore evangelicæ legis, quod propter supereffluentem misericordiam Dei Christianis exhibitam nuncupatur tempus gratiæ. *Et sedebit Dominus rex in æternum,* id est, æternaliter præsidebit fidelibus suis, et habitabit in eis, modo per gratiam, in futuro autem per gloriam : quemadmodum Zacharias de Christo prædixit, Ipse *Zach.* VI, 13.
portabit gloriam, et sedebit et dominabitur in * solio suo, et erit sacerdos. (10) *Do- * super*
minus virtutem populo suo dabit, ut de- 11
clinent a malis, et faciant bona. *Dominus benedicet populo suo,* id est, gratiam multam tribuet eis, *in pace,* id est, dum tranquilli fuerint et mente quieti. Corda enim turbata et inquieta, non sunt divinæ benedictionis capacia. Vel, In pace, id est ad finem illum, ut veram ac stabilem pacem consequantur. Vel, In pace, id est in se ipso : Christus enim (ut ait Apostolus) est *Ephes.* II, 14.
pax nostra, qui fecit utraque unum.

Digitized by Google

PRECATIO.

A cunctis malis exime nos, Domine, et tribue nobis cor contritum et humiliatum A pro peccatis nostris tibi offerre : ut tua virtute et magnificentia sedatis scandalis, quæ operantur iniquitatem, populo tuo benedicas in pace.

ARTICULUS LXIV

EXPOSITIO LITTERALIS PSALMI VICESIMI NONI : EXALTABO TE, DOMINE.

1 Hujus denique psalmi titulus est : *Psalmus cantici, in dedicatione domus David.* Psalmus, bonam operationem vel laudem cum operatione significat; canticum vero, spiritualem lætitiam. Dedicatio vero domus David, est resurrectio corporis Christi. Sapi-
Prov. IX, 1. entia namque Dei ædificavit sibi domum, quando corpus assumpsit humanum. In resurrectione vero dedicavit hanc domum, resuscitans corpus suum ad impassibilem, inviolabilem ac solennissimum statum. Est igitur tituli sensus : *Psalmus,* id est laus operosa, et ad bene operandum nos instruens : laus, inquam, *cantici,* id est, spiritualem lætitiam continens, *in dedicatione domus David,* id est pro resuscitatione corporis Domini Salvatoris.

2 Igitur Christus pro sua resurrectione Deo Patri gratias agens, ait : (1) *Exaltabo te, Domine* Pater, id est, laudabo te, et alios illustrabo, ut te exaltent et venerentur, teque immensum agnoscant, et omnibus creaturis incomparabiliter digniorem; *quoniam suscepisti me* in resurrectione ad impassibilem statum, et in ascensione ad dexteram tuam ; *nec delectasti inimicos meos super me,* id est, non permisisti eos finaliter aut diu gaudere de afflictionibus meis. Nam quamvis Judæi ad tempus gavisi sunt de Christi occisione, non tamen tam diu sicut putabant. Putabant enim omnino exstinguere nomen atque memoriam ejus, et corpus ejus corrumpendum æstimabant in tumulo; sed dum a custodi- B bus monumenti audierunt quæ facta erant, contristari cœperunt, præsertim propter testimonium illud, quod mortui cum Christo resuscitati perhibuerunt de Christi resurrectione. Venerunt enim (sicut testatur Matthæus) in sanctam civitatem, et appa- Matth.
ruerunt multis : quod principes sacerdo- XXVII, 53.
tum non latuit; imo et eis apparuisse leguntur. Maxime autem contristati sunt in Act. II, 43;
die Pentecostes, et postmodum, quando IV, 2; etc.
videbant in Christi discipulis tam manifesta miracula Dei, et tot millia converti ad C Christum. Porro diaboli ad tempus gavisi sunt de tribulationibus Christi. Nisi enim dæmon optasset Jesum occidi, nequaquam misisset in cor, ut eum Judas Simonis Isca- Joann. XIII,
riotis traderet. 2. Verumtamen in ipsa nocte videns admirabilem patientiam Jesu, et alia quædam, ex quibus conjici potuit Jesum esse verum Christum, cœpit timere, et de ejus traditione dolere. Unde uxorem Pilati sollicitavit de nocte per visum, ut Matth.
marito consuleret ne justum illum occi- XXVII, 19.
deret. Quum ergo agnoverant dæmones Jesum, D cujus mortem procuraverunt, esse Christum, tunc omnis delectatio, quam de ejus persecutione habebant, cessavit. Hinc ergo ait Salvator ad Patrem, Nec delectasti inimicos meos super me. Et secundum hanc intelligentiam, per inimicos designantur tam infideles Judæi quam dæmones.

(2) *Domine Deus meus, clamavi ad te :* 3
passione instante, dum dixi, Non mea vo- Luc. XXII,
luntas fiat, sed tua; atque in cruce, dum 42.

Digitized by Google

Ps. xxx, 6; Luc. xxiii, 46. dixi, Pater, in manus tuas commendo spi- A
ritum meum; *et sanasti me* a læsione mor-
tis, reuniendo animam corpori immortali
4 et glorificato. (3) *Domine, eduxisti ab in-
ferno,* id est a limbo patrum, *animam
meam,* in die resurrectionis; *salvasti me
a descendentibus in lacum,* id est, præser-
vasti me, ne essem de eorum consortio,
Ps. lxxxv, 13. qui in infernum inferiorem descendunt.
5 Idcirco hortor vos ego Christus: (4) *Psallite
Domino* Deo Patri, qui tanta bona contulit
mihi, o omnes *sancti ejus, et confitemini
memoriæ sanctitatis ejus,* id est, confes- B
sione laudis enuntiate atque recolite mi-
sericordiam divinæ sanctitatis seu sancti
Dei, per quam recordatus est vestri, mit-
tendo me Filium suum in mundum, ut re-
dimerem vos. Hortatur itaque Christus, ut
psallamus Domino propter bona quæ præ-
stitit sibi, et ut confiteamur ei qui tam
benigne recordatus est nostri, qui obliti
eramus illius, propter beneficia quæ dedit
nobis per Christum.
6 (5) *Quoniam ira,* id est humani generis
perditio seu originalis criminis ultio, est C
in indignatione ejus, id est ex justa dete-
statione divina: quæ illud peccatum in
tantum detestata est, ut non remitteretur,
nisi ego pro eo mortem subirem; imo et
ipse Pater quodammodo ultus est illud
peccatum in me, sicut per Isaiam testatur:
Is. liii, 8. Propter scelus populi mei percussi eum.
Et vita, id est humanæ naturæ redemptio
ac mea resuscitatio, est *in voluntate ejus,*
id est, ex pio beneplacito Dei Patris pro-
cedit. Deus enim omnia libere facit, quem-
Ephes. i, 11. admodum Apostolus ait: Omnia operatur D
secundum consilium voluntatis suæ. Et ita
ex misericordissima voluntate profluxit,
quod per Christi passionem liberatus est
mundus a morte peccati, et gratiæ vitam
sortitus.

(6) *Ad vesperum demorabitur fletus:* id
est, Christo in cruce jam mortuo, magnus
planctus ac vehemens dolor fuit in suis
discipulis et amicis; imo, ut ait Evange-
Luc. xxiii, 47, 48. lista, centurio et omnis turba eorum qui
simul aderant, percutientes pectora sua,
revertebantur. *Et ad matutinum lætitia,*
id est, Christo surgente valde dilucu-
lo, incepit consolatio prædictorum lugen-
tium. Nam in die resurrectionis Christus
quinquies apparebat, et corda suorum læ-
tificabat. Vel sic: *Ad vesperum,* id est
tempore hujus exsilii, quo sedemus in te- Luc. i, 79.
nebris et umbra mortis, *demorabitur fle-
tus,* id est, Christo condolere oportet et
compati, et propter nostram ingratitudi-
nem lacrimari; *et ad matutinum lætitia,*
id est, in die beatæ remunerationis ac lu-
cis cœlestis, erit exsultatio his qui in præ-
dicto vespere lugent, quemadmodum ait
Apostolus: Si compatimur, et conregna- Rom. viii, 17; II Tim. ii, 12.
bimus.

(7) *Ego autem dixi in abundantia mea,* 7
id est, ego Christus exsistens in plenitudi-
ne gratiæ et exuberantia consolationis di-
vinæ, dixi: *Non movebor in æternum,* id
est, non semper agitabor persecutione om-
nium impiorum. Unde et in novissima
Cœna Christus discipulis dixit: Etenim ea Luc. xxii, 37.
quæ sunt de me, finem habent. Vel, Non
movebor in æternum, id est, ab obedien-
tia Patris mei nunquam recedam, nec a
rectitudine sanctæ conversationis unquam
deflectar, sed immobilis ero in Deo. Chri-
stus enim propter abundantiam gratiæ
suæ comprehensor fuit, et confirmatus in
bono: propterea dicere potuit, Non move-
bor in æternum. (8) *Domine* Pater, *in vo-* 8
luntate tua, id est in beneplacito tui amo-
ris ac pii favoris, *præstitisti decori meo,*
id est sanctæ et immaculatæ ac splendidæ
conversationi meæ, *virtutem,* id est stabi-
litatem prædictam in te.

Verumtamen (9) *Avertisti faciem tuam
a me;* id est, tempore passionis subtraxisti
internam ac solitam consolationem ab in-
ferioribus viribus animæ meæ, et ita me
tractari permisisti ac inter latrones sus-
pendi, ac si non fuissem Filius tuus di-
lectus. Unde clamare compulsus sum:
Deus meus, Deus meus, ut quid dereliqui- Matth. xxvii, 46; Ps. xxi, 2.
sti me? *Et factus sum conturbatus:* non
conturbatione culpæ, quia superius dixi,
Non movebor in æternum; sed conturba-

Digitized by Google

tione pœnæ seu naturalis vehementisque A
afflictionis. Quemadmodum a Joanne scri-
Joann. XIII, 21. ptum est : Quum hæc dixisset Jesus, tur-
batus est spiritu, et protestatus est, et
dixit : Unus ex vobis me tradet. Et Lucas
Luc. XXII, 43, 44. ait : Factus in agonia, prolixius orabat; et
factus est sudor ejus, sicut guttæ sangui-
nis decurrentis in terram.

Nihilo minus post hanc turbationem,
9 (10) *Ad te, Domine, clamabo,* orando in
Ibid. XXIII, 34. cruce pro crucifixoribus meis, totiusque
mundi salute. Deinde Christus mutans per-
sonam, hoc idem quod dixit ad Patrem, B
dicit Ecclesiæ, ut eam ad similia facienda
informet, et ait : *et ad Deum meum de-
precabor,* non cessando ab invocatione ip-
sius propter angustiam tribulationis acer-
bitatemque passionis. Et hoc rationabiliter
10 ago : nam, (11) *Quæ utilitas in sanguine
meo,* id est, quis fructus esset incarnatio-
nis et vitæ meæ atque effusionis sangui-
nis mei, *dum descendo in corruptionem,* id
est, si in sepulcro relinquor, et in cine-
rem redigor? Christus enim incarnatus et
passus est, ut mundum converteret. Si C
autem ipse non resurrexisset, mundus in
eum nullatenus credidisset, sicque nulla
videretur utilitas passionis suæ ac mortis.
I Cor. XV, 14; Joann. XX, 31. Propter quod ait Apostolus : Si Christus
non resurrexit, ergo inanis est prædicatio
nostra, inanis est et fides vestra. Unde
Christus consequenter probat quod dixit,
subjungens : (12) *Numquid confitebitur ti-
bi pulvis?* id est, numquid caro mea in-
cinerata atque corrupta, erit occasio at-
que materia credendi et confitendi nomini
tuo? *Aut* ipsa sic pulvis effecta, *annun-* D
tiabit veritatem tuam? apparendo Apo-
Luc. XXIV, 39. stolis, et ostendendo eis cicatrices, atque
dicendo, Palpate et videte; et verificando

Prophetarum scripturas, qui omnes con-
corditer vaticinantur carnem meam pro-
tinus resurrecturam. Ideo enim post re-
surrectionem Christus discipulis dixit :
Necesse est impleri omnia quæ scripta Luc. XXIV, 44.
sunt in lege Moysis, et Prophetis, et Psal-
mis de me.

(13) *Audivit Dominus* orationes præmis- 11
sas, *et misertus est mei,* eripiendo me de
universis pœnalitatibus vitæ præsentis ;
Dominus factus est adjutor meus, dando
mihi omnem potestatem in cœlo et in ter- Matth. XXVIII, 18.
ra. (14) *Convertisti,* o Domine, *planctum* 12
meum, id est tristitiam qua dixi, Tristis Ibid. XXVI, 38.
est anima mea usque ad mortem, *in gau-
dium mihi :* quoniam tribuisti pro il-
la temporali tristitia, sempiternam læti-
tiam præmii essentialis cunctis electis, et
gaudium accidentalis præmii mihimetipsi,
transferendo me ab ignominia passionis
ad gloriam resurrectionis. Sicut enim te-
statur Apostolus, Christus cum clamore Hebr. V, 7.
valido et lacrimis supplicationes fudit ad
Deum. *Conscidisti saccum meum :* id est,
corpus meum, animæ atque divinitatis meæ
contemptum latibulum, permisisti in pas-
sione multis vulneribus lacerari, ita ut a
planta pedis usque ad verticem capitis, Is. I, 6.
non esset in eo sanitas; *et circumdedisti
me lætitia,* id est, corpus gloriosum red-
didisti animæ meæ in resurrectione; (15) *ut* 13
cantet tibi gloria mea, id est, ut ego ani-
ma et corpore glorificatus, laudem te, *et
non compungar,* id est, non amplius pa-
tiar. Nam Christus resurgens ex mortuis, Rom. VI, 9.
jam non moritur. *Domine Deus meus, in
æternum confitebor tibi,* laudando te se-
cundum quod homo sum, sine fine in
regno cœlorum, ubi tecum sedeo ad dex- Hebr. I, 3.
teram tuam.

Digitized by Google

ARTICULUS LXV

EXPOSITIO TROPOLOGICA EJUSDEM PSALMI VICESIMI NONI.

MORALITER autem exponendo hunc A
psalmum, per domum David, intelli-
gitur Ecclesia, vel quicumque fidelis, in
quo Deus per fidem et gratiam habitat. Et
per dedicationem hujus domus, intelligi-
tur deputatio seu exhibitio qua exhibe-
mus nos ipsos servire Deo vero ac vivo.
1 Sicque tituli sensus est : *Psalmus canti-
ci, in dedicatione domus David,* id est
pro exhibitione gratiarum actionis atque
obsequii, quibus corde, ore et moribus
regratiamur Altissimo pro beneficiis suis,
ejusque famulatui nos ipsos voluntarie ex- B
hibemus.

Ecclesia igitur vel quilibet Christianus,
se a multis periculis præservatum vel li-
beratum a Deo perpendens, gratias agat
2 et dicat : *Exaltabo te, Domine,* me ipsum
humiliando, et tibi reverenter obsequen-
do, tuam altitudinem confitendo, omnem
perfectionem, bonitatem et gratiam tibi
attribuendo. Quanto enim nos ipsos pro-
fundius humiliamus, tanto Deum glorio-
sius exaltamus. Idcirco autem Exaltabo
te, Domine, *quoniam suscepisti me,* id est, C
orationem meam et pœnitentiam ac servi-
tutem meam grata ac placita habuisti, et
non contempsisti, nec repulisti me vilem
et pauperem peccatorem ; *nec delectasti
inimicos meos super me,* id est, non per-
misisti homines malos ac dæmones, qui
delectantur de adversitatibus meis, finali-
ter gloriari super me ; sed a pœnis vel
vitiis eripuisti animam meam, et ita dele-
ctasti angelos sanctos piosque homines
Luc. xv, 10. super me, quoniam gaudium est ange-
lis Dei super uno peccatore pœnitentiam D
agente.

3 *Domine Deus meus, clamavi ad te,* pro
indulgentia peccatorum, infusione virtu-
tum, ac relevamine pœnarum seu per-
secutionum ; *et sanasti me,* ab interiori
læsione peccati, vel etiam ab exteriori tri-
bulatione, seu morbo corporali. *Domine,* 4
eduxisti ab inferno animam meam, id
est, a reatu et macula mortalium peccato-
rum, per quæ homines merentur infer-
num, liberasti me ; *salvasti me a descen-
dentibus in lacum,* id est, non permisisti
me perseverare in malis, quemadmodum
illos qui in infernalem foveam, seu vi-
tiorum profunditatem descendunt. Ecce
quantum beneficium Dei est hoc ! quod
illis potissimum datur, qui Deo inspiran-
te, mundum et omnia quæ in mundo sunt,
derelinquunt, et Christo in religione fide-
liter serviunt. Hi a pristina conversatione
et societate malorum conversi, hunc ver-
sum verissime dicere possunt, imo cum
magna ac devotissima jucunditate dicere
debent. Considerare enim debemus nos,
qui mundum reliquimus, vel ad veram ac
perseverantem pœnitentiam conversi su-
mus, quot propinquorum, coætaneorum,
consortium nostrorum jam infernus ab-
sorbuit, qui paulo ante nobiscum conver-
sati sunt, et forte multo meliores nobis
fuerunt. Quantum ergo regratiari tenemur
Deo altissimo, qui illos jam juste damna-
vit, et nobis tam pie pepercit, et ad vitam
meliorem transvexit !

Unde vir sanctus, pro tam ineffabili be-
neficio digne regratiari Deo nequaquam
per se solum sufficiens, omnes sanctos qui
vel in cœlo sunt, sive in terra, ad laudem
Dei et gratiarum actionem invitans, sub-
jungit : *Psallite Domino, sancti ejus, et* 5
confitemini, confessione laudis, *memoriæ
sanctitatis ejus,* id est sanctæ memoriæ
Dei, seu sancto Deo nostri misericorditer

Digitized by Google

recordanti, qui a se aversos ac sui oblitos
non est oblitus, sed reduxit ad se. Hinc
Is. XLIX, 15. enim Dominus ait per Isaiam : Numquid
oblivisci potest mulier infantem suum, ut
non misereatur filio uteri sui? Et si illa
oblita fuerit, ego tamen non obliviscar
tui. Nos ergo non obliviscamur misericor-
diarum Domini, qui nos ita prævenit in
omni pietate et gratia. Sed illud Isaiæ in-
Ibid. LXIII, 7. tente dicamus : Miserationum Domini re-
cordabor, laudem Domini super omnibus
bonis quæ reddidit nobis Dominus, quæ
largitus est secundum indulgentiam suam.
Thren. III, 22. Illud quoque Jeremiæ : Misericordiæ Do-
mini quia non sumus consumpti ; quia
non defecerunt miserationes ejus.
6 *Quoniam ira,* id est effectus divinæ ju-
stitiæ, scilicet privatio gratiæ, ultio culpæ,
inductio pœnæ, est *in indignatione ejus,*
id est ex justo judicio Dei, quo ingratis et
impiis indignatur ; *et vita,* id est vivifi-
catio mentis per gratiam, omnisque effe-
ctus misericordiæ Dei, est *in voluntate
ejus,* id est, ex divinæ pietatis beneplacito
oritur et causatur. *Ad vesperum,* id est in
adversis et consideratione propriæ tene-
brositatis ac imperfectionis, *demorabitur
fletus,* pro peccatis et incolatu vitæ præ-
sentis ; *et ad matutinum,* id est in pro-
speris, et ex contemplatione divinæ perfe-
ctionis beneficiorumque Dei, demorabitur
lætitia, id est, lætabuntur homines boni
qui fleverunt ad vesperum.
7 *Ego autem,* post peccata conversus ad
te, *dixi in abundantia mea,* id est in ex-
cessiva confidentia fervoris mei : *Non mo-
vebor in æternum,* id est, nunquam rever-
tar ad priora peccata, nunquam desolabor
aut tristis ero, nunquam a semita Dei re-
cedam. Solet enim istud contingere noviter
conversis, ut dum insolitam consolationem
et gratiam Spiritus Sancti percipiunt, sta-
tim incaute præsumant, et quasi nunquam
perdituri sint dulcedinem talem, magna
lætanter proponunt, non satis propriam
fragilitatem pensantes. Sed istud incaute
8 fit. Idcirco subjungit : *Domine, in vo-
luntate tua,* id est secundum quod tibi
A complacuit, *præstitisti decori meo,* id est
interiori renovationi animæ meæ, quæ re-
novatur quotidie de claritate in clarita- II Cor. III, 18.
tem, *virtutem,* id est gratiæ stabilitatem.
Tanquam dicat : Non sicut ego præsumo et
æstimo, sed sicut tibi decens et bonum vi-
detur, tribuisti mihi gratiæ dona. Propterea
non debui tam inconsulte in abundantia
mea præsumere. Propter quod subditur :
Avertisti faciem tuam, id est pium
consolationis tuæ subsidiique respectum,
a me, et factus sum conturbatus, id est
B tristis et piger, tanquam fraudatus spe il-
la, qua dixi, Non movebor in æternum.
Verumtamen pro conversione vultus tui
ad me, *Ad te, Domine, clamabo* ardenti af- 9
fectu, *et ad Deum meum deprecabor,* pro
omni re qua indiget anima mea. Et meri-
to : nam, *Quæ utilitas in sanguine meo,* 10
id est in vita mea (sanguis namque sedes
est animæ, a qua vita causatur), *dum de-
scendo in corruptionem,* id est, dum spi-
ritualiter morior, atque in anima pereo ?
quasi dicat, Nulla : imo melius esset mihi
C non esse, quam sine gratia esse, quoniam
sine gratia tibi placere non valeo. Ideo
sequitur : *Numquid confitebitur tibi pul-
vis,* id est homo inconstans, superbus,
atque impœnitens : de quo in primo psal-
mo præhabitum est, quod erit tanquam Ps. I, 4.
pulvis, quem projicit ventus a facie ter-
ræ ; *aut annuntiabit veritatem tuam* ho-
mo talis, te digne laudando, aut alios effi-
caciter admonendo ? Non utique, quoniam
non est speciosa laus in ore peccatoris. Eccli. XV, 9.
Audivit Dominus ista, quæ dixi ad pro- 11
D vocandum et concutiendum viscera mise-
ricordiæ suæ, *et misertus est mei,* liberan-
do me a miseriis multis. *Dominus factus
est adjutor meus,* cooperando mihi per
gratiam. *Convertisti,* o Domine, *planctum* 12
meum in gaudium mihi, id est, post do-
lorem de peccatis, infudisti mihi de spe
veniæ gratiam consolationis. Quemadmo-
dum Propheta dicit : Quum iratus fueris, Habac. III, 2.
misericordiæ recordaberis. Et alius : Filii,
patienter sustinete iram quæ supervenit Baruch IV, 25, 29.
vobis. Qui enim induxit vobis mala, ipse

Digitized by Google

rursus adducet vobis lætitiam sempiternam cum vestra salute. *Conscidisti saccum meum,* id est, laboribus pœnitentiæ, scilicet abstinentia, vigiliis, disciplinis, macerasti et afflixisti corpus meum, *et circumdedisti me lætitia,* id est, spirituali exsultatione replesti animam meam post prædictos labores. Qui enim se ipsos in labore pœnitentiali digne affligunt, omni consolatione divina refrigerari idonei
Hebr. XII, 11. fiunt, quemadmodum Apostolus ait : Omnis disciplina in præsenti quidem videtur esse non gaudii, sed mœroris ; postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam, reddet justitiæ. Idcirco autem Circumdedisti me lætitia, non ut glorier in
13 me ipso ; sed *ut cantet tibi gloria mea,* id est, ut omnis gratia, omnisque gloria, et quidquid boni in me est, sit mihi occasio atque materia laudandi te, et gratias referendi nomini tuo excelso, *et non compungar,* id est, non stimuler conscientia mala, sed nihil mihi conscius sim, nilque in anima mea remaneat, de quo merito remorsum pati possit mens christiana.

Postremo, vir sanctus et Domino gratus, se offert paratum ad hoc, quod gloria sua cantet Deo, et ait : *Domine Deus meus, in æternum confitebor tibi,* id est, quamdiu fuero : et hoc est verbum bonæ spei ac sancti propositi, non præsumptionis ex abundantia erumpentis, sicut superius dixit, Non movebor in æternum. Confitebitur autem in æternum, quoniam vita contemplativa, ad quam spectat confessio laudis divinæ, hic incipit, et in futuro æternaliter perseverat, prout in Apocalypsi habetur : Requiem non habebant, die ac nocte *Apoc.* IV, 8.
dicentia : Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens.

ARTICULUS LXVI

EXPOSITIO EJUSDEM PSALMI VICESIMI NONI ANAGOGICA.

Anagogice demum, per domum David, intelligitur quilibet Beatorum, in quo Deus habitat per gratiam consummatam in genere, caritatem perfectam, ac unionem immediatam. Per dedicationem quoque hujus domus, intelligi potest assumptio electorum ad beatificam fruitionem. Secundum anagogicum igitur intel-
1 lectum sensus tituli est : *Psalmus cantici,* id est ineffabilis atque cœlestis lætitiæ, *in dedicatione domus David,* id est pro assumptione electorum ad gloriam.

Quilibet ergo comprehensor in patria,
2 ait : *Exaltabo te, Domine,* qui es objectum et causa ac fons totius cœlestis lætitiæ, *quoniam suscepisti me* in heredem ac filium felicitatis æternæ ; *nec delectasti inimicos meos,* videlicet dæmones, *super me :* qui tunc gaudebant de me, quando in mundo injuste vixi, et in purgatorio affligebar ; nunc vero tristantur, quoniam a culpa et pœna ereptus sum, et in cœlo locatus. Porro angeli sancti et animæ innocentium, et qui nunquam peccaverunt, ut Christus et Virgo beata, dicunt : Nec delectasti inimicos meos super me, quia nunquam permisisti me vitio maculari. Nam et dæmones, quum sint invidissimi, contristantur de permanentia et felicitate angelorum sanctorum. Ipsi vero angeli sancti, de sua fixione in bono regratiantur Deo, et dicunt : Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me.

Domine Deus meus, clamavi ad te, dum 3
eram in mundo vel in purgatorio, *et sanasti me* ab omni tormento. Animæ namque in purgatorio exsistentes sciunt se liberandas, et vehementissime liberari deside-

Digitized by Google

rant : imo dilatio gloriæ est eis ita pœna-
lis, ut nulla pœna sensibilis hujus mundi
æquari possit pœnæ quam habent propter
gloriæ dilationem. Jam enim via in eis fi-
nita est, et ergo non retardantur a patria
sine amarissima pœna. Istud itaque deside-
rium earum, clamor dicitur. Nil tamen cla-
mando proficiunt, et mereri non possunt,
nec se ipsas juvare. Verumtamen dum ad
patriam veniunt, gaudent de evasione pœ-
narum, et dicunt : Domine Deus meus, cla-
mavi ad te, per me ipsam, et per eos qui
oraverunt pro me. Deinde homines jam
4 salvati dicunt : *Domine, eduxisti ab in-
ferno animam meam,* quia non permisisti
me mori in peccato mortali : de quo Beati
ineffabiliter Domino grati sunt ; *salvasti
me a descendentibus in lacum,* id est, illis
relictis atque damnatis, me assumpsisti ac
beatificasti.

Propterea comprehensores cohortantur
se mutuo ad gratiarum actionem ac lau-
5 dem divinam, dicentes : *Psallite Domi-
no, Sancti ejus, et confitemini memoriæ
6 sanctitatis ejus : quoniam ira,* id est vin-
dicta seu pœna quam passi sumus pro
culpis nostris, fuit *in indignatione ejus,*
id est ex zelo divinæ justitiæ, quæ nil ma-
li impunitum relinquit. Vel, ut verbum
istud omnibus Beatis conveniat, sic expo-
nitur : Quoniam ira, id est reproborum
damnatio, est in indignatione ejus, id est
ex offensa Dei et contemptu quo despici-
untur a Deo : unde nec corrigi possunt,
nec pœnitent, quemadmodum Salomon
Eccle. vii, 14. ait : Considera opera Dei, quod nemo pos-
sit corrigere quem ille despexerit. *Et vita,*
id est nostra felicitas, quæ est vita æterna,
est *in voluntate ejus,* id est, ex divinæ
voluntatis beneplacito et amore nobis col-
lata est. *Ad vesperum,* id est in exteriori-
bus tenebris ergastuli infernalis, *demora-
bitur,* id est, semper manebit, *fletus :* sicut
Matth. viii, 12; xiii, 42, 50; xxii, 13; xxiv, 51; xxv, 30; Luc. xiii, 28. in Evangelio asserit Christus, Ibi erit fletus
et stridor dentium ; *et ad matutinum,* id est
in regno cœlorum, ubi lux divina incessabi-
liter oritur, demorabitur *lætitia,* quoniam
ibi est jucunditas plena atque perpetua.

Ego autem, qui sum comprehensor, *di- 7
xi in abundantia mea,* id est in plena læ-
titia de mea securitate : *Non movebor in
æternum,* id est, nunquam a Deo avertar.
Omnes enim Beati sciunt se confirmatos
in bono, ideo secure affirmant, Non mo-
vebor in æternum. *Domine, in voluntate* 8
tua præstitisti decori meo, id est beatitu-
dini meæ, quæ est summus ornatus men-
tis, *virtutem,* id est securam stabilitatem
seu confirmationem in te. *Avertisti fa-
ciem tuam a me,* quando adhuc peregri-
nabar in mundo, *et factus sum conturba-
tus* pro tempore illo ; nunc vero ostendisti
mihi faciem tuam, ideo salvus sum. *Ad* 9
te, Domine, clamabo, orando pro amicis et
familiaribus meis, et his qui implorant
suffragium meum ; *et ad Deum meum de-
precabor* pro resuscitatione corporis mei.
Sancti enim in patria, resurrectionem fu-
turam desiderant. *Quæ utilitas in sanguine* 10
meo, id est, quid mihi, quid meo prodes-
set corpori, quod ita cooperatum est ani-
mæ in divino obsequio, *dum descendo in
corruptionem,* id est, si ipsum corpus ma-
neret corruptum, neque resurgeret ? Inter-
dum enim aliquid attribuitur toti ratione
partis, quemadmodum Christus dicitur ja-
cuisse in sepulcro, et Maria Magdalene cor-
pus Christi sublatum credens, dixit : Tu- Joann. xx, 13.
lerunt Dominum meum, et nescimus * ubi * nescio
posuerunt eum. Simili modo comprehen-
sor, ratione corporis quod reliquit in ter-
ris, ait, Dum descendo in corruptionem.

Audivit Dominus preces has, *et miser-* 11
tus est mei, non pro me ipso qui miser non
sum, sed pro miseris pro quorum salute
precatus sum, et pro resuscitatione ac glo-
rificatione corporis mei. *Dominus factus
est adjutor meus,* dando mihi virtutem su-
pernaturalem, per quam sibi inavertibili-
ter adhærebo. *Convertisti planctum meum* 12
in gaudium mihi, id est, fletum quem pro
peccatis et pro adeptione felicitatis effudi
in terra, commutasti in jucunditatem cœ-
lestem ac sempiternam : quemadmodum
scriptum est, Beati qui lugent, quoniam Matth. v, 5.
ipsi consolabuntur. Unde in Isaia Christus

Digitized by Google

Is. LXI, 1, 3. ait : Spiritus Domini super me, ut darem A
lugentibus coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris. *Conscidisti saccum meum,* id est, corpus meum redegisti in pulve-
Gen. III, 19. rem : quemadmodum scriptum est, Cinis es, et in cinerem reverteris ; *et circumdedisti me lætitia,* id est, æterna felicitate
13 omnifariam adornasti me ; *ut cantet tibi gloria mea,* id est, ut beatitudo et omnis excellentia mihi a te impertita, sit mihi causa et ratio laudandi te laude perfecta ac indesinenti, *et non compungar,* id est, B
nullo dolore de cetero unquam afficiar :
Apoc. VII, 17; XXI, 4. prout in Apocalypsi dicitur : Absterget Deus omnem lacrimam ab oculis Sanctorum, et mors non erit ultra, neque luctus, sed nec ullus dolor. *Domine Deus meus, in æternum confitebor tibi,* id est, incessanter, sine interruptione, fatigatione ac tædio, laudabo te Deum sublimem et benedictum.

Ecce quam compendiosus, speciosus ac dulcis est psalmus iste, ex divinæ sapientiæ thesauro emanans, qui tam multipliciter exponi potest. Hunc ergo ad gloriam Creatoris, in commemoratione beneficiorum suorum et resurrectionis glorificationisque Christi, devotissime concinamus.

PRECATIO.

Audi, Domine, preces nostras et miserere nobis ; converte planctum nostrum in gaudium, et circumda nos lætitia salutis : ut pro universis beneficiis tuis tibi cantemus et confiteamur in beata sede æternitatis.

ARTICULUS LXVII

EXPOSITIO DE CHRISTO PSALMI TRICESIMI : IN TE, DOMINE, SPERAVI.

PRÆSCRIBITUR denique huic psalmo titu- C
1 lus talis : *In finem, psalmus David, pro ecstasi :* id est, psalmus iste sancti David, qui loquitur hic in persona Christi atque fidelium ; psalmus, inquam, dirigens nos in finem ultimum, scilicet Deum, est scriptus, tractans ac habitus pro ecstasi, id est excessu mentis Christi membrorumque ejus : qui excessus contingit vel ex pavore tribulationis magnæ imminentis, vel ex contemplatione sublimium veritatum in rebus divinis. Hic itaque psalmus, de Christi passione ac fidelium persecutione conscriptus est. Unde primo de Christo exponendus est.

CHRISTUS ergo ut homo, propter passionem sibi instantem, ait ad Patrem :
2 (1) *In te, Domine, speravi,* in quantum homo et aliquo modo viator, videlicet quantum ad naturam passibilem nondum glorificatam. Jam enim toties dictum est quomodo Christo convenit sperare seu spes, ut fastidium pariat si denuo repetatur. Itaque, Domine Pater, non in mea natura creata, sed in te speravi, exspectans atque confidens, tua virtute et gratia cooperante, redimere genus humanum, a morte resurgere, omnemque mundi ac dæmonum malitiam superare. Idcirco, o Pater, *non confundar in æternum,* id est, nunquam confundar confusione illa, quæ oritur ex aliquo acciden- D
ti quod inest ei qui confunditur, scilicet ex defectu aut inordinatione naturæ, culpæ, vel pœnæ. Vel : Non confundar in æternum : id est, quamvis ad tempus in hoc mundo a Judæis irrideor et confundor ante passionem, in passione, et post passionem ; non tamen duret ista confusio in æternum, sed statim resuscita me, per mi-

Digitized by Google

Jer. xvii, 18. racula quoque glorifica me, ut confundantur qui me persequuntur, et non confundar ego de cetero. *In justitia tua,* id est secundum censuram sive dictamen tuæ divinæ justitiæ, *libera me* a passibilitate corporis et imperio mortis. Vel, In justitia, id est propter justitiam meam mihi a te collatam, libera me.

3 (2) *Inclina ad me aurem tuam,* impendendo mihi misericordiæ tuæ effectum ; *accelera ut eruas me,* id est, cito age quod rogo, et tertia die resuscita me. (3) *Esto mihi in Deum protectorem :* id est, non solum sis mihi Deus meus eo modo quo es omnium Deus, sed per specialem curam ac gratiam esto Deus meus, videlicet ut in omni adversitate defendas me, protegendo corpus meum in sepulcro a corruptione, et nomen ab infamatione. Hoc est
Ibid. xv, 15. quod apud Jeremiam ait Salvator : Tu scis, Domine, recordare mei, et visita me, et tuere me ab his qui persequuntur me. Esto mihi quoque, o Domine, *et in domum refugii,* id est pro domo refugii, quatenus in omni necessitate ad te confugiam, atque in te securus sim. Quemadmodum homo ab hostibus insecutus, ad domum munitam fugit, et in ea tute quiescit ; sic oro et ego in te quiescere, stabiliri, et imperterritus permanere. *Ut salvum me facias* a corporis passibilitate, ac morte corporea.

4 Et hoc ideo oro, (4) *Quoniam firmamentum meum et refugium meum es tu :* id est, præter te aliud firmamentum non habeo, neque refugium ; sed tu es firmamentum meum, id est causa totius stabilitatis meæ, et refugium in quo sicut in ultimo fine quiesco. *Et propter nomen tuum,* id est propter te ipsum, seu nominis tui clarificationem ac venerationem, *deduces me* a cruce in sepulcrum, a sepulcro ad discipulos in conclave et alio, et ab eis, utpote a monte Oliveti, in regnum cœlorum ; *et enutries me,* transferendo me a nutrimento status mortalis, ad alimentum impassibilis status, et a cibo terreno ad cibum cœlestem. Vel, Enutries me, id est corpus meum mysticum, vide-

A licet congregationem fidelium, dando eis gratiam paulatim proficiendi, ac spiritualis virtutem augmenti. Primitivam quoque Ecclesiam Deus enutrivit, quoniam de die in diem auxit fideles merito et numero, sicut in Actibus Apostolorum Lucas
testatur : Verbum, inquiens, Domini crescebat, et confortabatur valde, et Dominus auxit quotidie qui salvi fierent. *Act.* vi, 7; xii, 24; ii, 47.

(5) *Educes me de laqueo hoc,* id est a mortis periculo, *quem* laqueum *absconderunt mihi,* id est, quem putabant Judæi 5
B se mihi occulte parare, et me eorum nequitiam ignorare. Putabant namque Judæi Christum nescire studia eorum contra se. Ideo autem Educes me de laqueo isto, *quoniam tu es protector meus,* sicut paulo ante precatus sum, dicens : Esto mihi in Deum protectorem. Et quia omnino sic est, idcirco ego Christus pendens in cru-
ce, dico tibi, Pater : (6) *In manus tuas,* id 6
est in potestatem et caritatem tuam, *commendo spiritum meum,* id est animam meam, commendatione gratiarum actio-
C nis, ut eam corpori statim reunias ; *redemisti me* ab omni pœna in ipsa separatione animæ meæ a corpore, *Domine, Deus veritatis,* id est causa, mensura et conservator omnis veritatis creatæ. Nam mors Christi fuit finis suæ miseriæ, et principium suæ felicitatis seu glorificationis in corpore. In proferendo hujus versus prin-
cipium, scilicet, In manus tuas commendo *Luc.* xxiii, 46.
spiritum meum, libenter sequi solent homines boni, qui vere sunt membra Christi, Caput suum, utpote Christum : ita ut
D ipsi dicant morti jam proximi, In manus tuas commendo spiritum meum. Et utinam, Domine Jesu, talem vitam mihi conferre digneris, ut in hora mortis meæ, hæc verba dulcissima, digne, fiducialiter atque affectuosissime promam.

(7) *Odisti,* o Domine, *observantes vanitates,* id est peccatores vana sectantes, *supervacue,* id est inutiliter. Quomodo autem Deus dicatur peccatores odio habere, quum 7
tamen nihil eorum quæ fecit odio habeat, *Sap.* xi, 25.
dictum est in expositione quinti psalmi,

Digitized by Google

Ps. v, 7. in quo dicitur : Odisti omnes qui operantur iniquitatem. (8) *Ego autem in Domino speravi,* et non in me, sicut illi qui vanitates observant : de quibus Michæas ait,
Mich. II, 1. Væ qui cogitatis inutile, et operamini malum in cubilibus vestris. Idcirco, Domine
8 Pater, *exsultabo* forinsecus, *et lætabor* intrinsecus, *in misericordia tua,* id est, contemplando tuam misericordiam, vel recipiendo ejus effectum. Hoc modo exsultavit atque lætatus est Christus in die resurrectionis.

(9) *Quoniam respexisti* oculo paternæ dilectionis ac piæ subventionis, *humilitatem meam,* id est me Filium tuum mitem et humilem ; *salvasti de necessitatibus animam meam :* id est, de pœnis quas necesse fuit me pati propter verificandas Prophetarum Scripturas, eripuisti me per
9 resurrectionem beatam. (10) *Nec conclusisti me in manibus inimici,* id est, non permisisti me comprehendi ac detineri finaliter in pœnis atque convitiis, quæ inferebantur mihi ab adversariis meis. Vel sic : Nec conclusisti me in manibus inimicorum, id est, non permisisti me superari et opprimi ab hostibus meis, sed ego potius superavi oppressique eos. Ideo subdit : *statuisti* in die ascensionis, *in loco spatioso,* id est in regno cœlorum, *pedes meos,* id est, me ipsum collocando ad dexteram tuam in solio majestatis tuæ. Hoc
Apoc. III, 21. est quod in Apocalypsi ait Salvator : Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus. Vel sic : Statuisti in loco spatioso, id est in toto universo, pedes meos, id est virtutem meam operativam : quemadmodum apud Matthæum di-
Matth. XXVIII, 18. citur, Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Vel sic : Statuisti in loco spatioso, id est in latitudine caritatis, quæ angustiari et coarctari non novit, pedes meos, id est opera mea et desideria. Nam Christus indesinenter caritatem habet ad
Rom. VIII, 34. nos, et caritative interpellat pro nobis. Vel : Statuisti in loco spatioso, id est, per totum mundum misisti, dispersisti ac collocasti, pedes meos, id est sanctos Apostolos aliosque prædicatores devotos, qui sunt columna, basis ac pedes Ecclesiæ.

(11) *Miserere mei, Domine,* liberando me 10
in resurrectione ab istis miseriis, quibus pro hominibus crucior et occidor, *quoniam tribulor,* in passione variis pœnis ; *conturbatus est in ira oculus meus,* [*anima mea et venter meus.*] Quomodo hoc conveniat Christo, pensandum est. Nam in eo inordinata ira non fuit, nec aliqua passio ejus intellectum (qui nomine oculi designatur) impedivit in actu suo aut obnubilavit. Est igitur sensus : *Conturbatus est* conturbatione pœnali, non conturbatione culpabili, *in ira,* id est propter iram et iræ effectum, videlicet persecutionem inimicorum meorum Judæorum, *oculus meus,* id est ratio mea seu consideratio virtutis cogitativæ. Jam enim ostensum est, quod tempore passionis etiam intellectus atque voluntas animæ Christi patiebantur, secundum quod erant naturales potentiæ humanitatis Christi, quæ tota exstitit in dolore. Potest quoque per oculum intelligi corporalis oculus Christi : quoniam in passione, propter vehementissimam Christi pœnam, oculi ejus corporei obtenebrati, lacrimati, et item eversi sunt. (12) *Quo-* 11
niam defecit in dolore vita mea, id est, propter acerbitatem pœnarum, exstincta est in cruce vita mea corporalis, *et anni mei in gemitibus :* id est, tota conversatio mea in mundo a nativitate usque ad passionem, adversitatibus et compassionibus proximorum tam plena fuit, quod quasi defecisse, id est ab exsultatione et prosperis minorata, videretur. Christus enim semper elegit quod carni molestius est, quatenus imitemur vestigia ejus.

(13) *Infirmata est in paupertate virtus mea :* id est, omnipotentia mea seu divina potestas est infirmata, id est infirmæ ac debili potestati similis reputata, et apparenter assimilata : quoniam actionem suam suspendit, et naturam quam assumpsit, quodammodo dereliquit in paupertate, id est tempore abjectissimæ mortis meæ. Vel

Digitized by Google

Christus ex parte naturæ assumptæ sic A
ait : Infirmata est, id est variis infirmi-
tatibus naturalibus atque defectibus in-
detrahibilibus subdita, virtus mea, id est
persona Verbi quod est virtus et sapientia
Patris, et etiam virtus mea assumptam
naturam fulciens et conservans. Hæc vir-
tus infirmata est in paupertate, id est in
humanitate assumpta, ita quod prædica-
tiones prædictæ conveniunt ei ratione na-
turæ assumptæ, quamvis ipsa secundum
se propriamque naturam impassibilis sit.
Nam de persona Verbi seu Filio Dei, imo B
de vero et incommutabili Deo, vere con-
ceditur quod sit incarnata, passa ac mor-
tua, et per consequens infirmata. In Christo
enim divina conveniunt homini, humana-
que Deo; sed quid, propter quid dicatur,
intueri oportet. *Et ossa mea conturbata
sunt,* id est, caro mea et tota corporalis
natura infirmata est in gemitibus propter
afflictionum mearum molestiam : sicut
Ps. xxi, 15. superius dictum est, Sicut aqua effusus
sum, et dispersa sunt omnia ossa mea. De-
nique quod dictum est, Infirmata est in C
paupertate virtus mea, exponi potest de
virtute seu fortitudine Christi corporali,
humana et naturali, secundum illum intel-
Ibid. 16. lectum quo antea dixit, Aruit tanquam te-
sta virtus mea.
12 (14) *Super omnes inimicos meos,* id est
plus quam adversarii mei, *factus sum op-
probrium,* id est contemptus et vilipensus,
vicinis meis, id est his qui aliquando me
sequebantur, et opera mea laudabant, jam-
que videbantur pertinere ad me. His factus
sum opprobrium [*valde*], præsertim in pas- D
sione, quando quidam eorum ex instru-
ctione principum sacerdotum, clamabant
Joann. xviii, 40. coram Pilato : Non hunc, sed Barabbam di-
mitte nobis. Factus sum quoque *et timor
notis meis,* id est causa timoris his qui fa-
miliariter mihi adhærebant, videlicet Apo-
Matth. xxvi, 56. stolis aliisque discipulis, qui ex timore
fugerunt a me, et post passionem clausi
Joann. xx, 19. sedebant in conclavi propter metum Judæ-
orum. (15) *Qui videbant me, foras fugerunt
a me :* id est, tam horribiliter et misera-
biliter patiebar, tractabar et apparebam,
quod homines ex solo adspectu abomina-
ti sunt me, atque aversi a me. *Oblivioni* 13
datus sum, tanquam mortuus a corde : id
est, statim dum eram sepultus, obliti sunt
mei infideles Judæi : non simpliciter, quia
fecerunt custodiri sepulcrum; sed quan- Matth.
tum ad hoc, oblivioni datus sum, quod xxvii, 64-66.
nihil curabant de me, nec reputaverunt
me pro aliquo quasi resurrecturus essem
a morte, sed inter damnatos et reprobos
æstimaverunt computandum. Hoc modo
usque in hodiernum diem datus est obli-
vioni in cordibus Judæorum : non tamen
simpliciter obliti sunt ejus, quia quotidie
blasphemant nomen ejus, et orant pro de-
structione Romani imperii atque exstin-
ctione nominis christiani.

(16) *Factus sum tanquam vas perditum :*
id est, ita a Judæis contemptus sum, quasi
nulli utilitati proficuus essem, nec aliquid
boni continerem in me, sed essem frau-
dibus atque blasphemiis plenus. Reprobi
enim dicuntur vasa perdita, quoniam a
gratia vacui sunt, nilque meritorium con-
tinent; electi vero appellantur vasa feli-
cia, sicut de Paulo Christus, Vas, inquit, Act. ix, 15.
electionis est mihi iste. Ideo autem ego
Christus assero me factum tanquam vas
perditum, *quoniam audivi vituperationem* 14
multorum commorantium in circuitu. Nam
in diebus azymorum, populi universæ Ju-
dææ in circuitu Jerusalem habitantes con-
fluxerant ad ipsam urbem Jerusalem : et
hi pene omnes consenserunt in mortem
Christi, vituperantes eum. (17) *In eo* tem-
pore *dum convenirent simul adversum
me,* scilicet in die Parasceves, *accipere
animam meam consiliati sunt,* id est, oc-
cidere vitam meam corporalem consulue-
runt. Nam coram Pilato clamabant : Tolle, Joann. xix,
tolle, crucifige eum. 15.

(18) *Ego autem in te speravi, Domine :* 15
sicut in exordio psalmi dictum est atque
expositum. *Dixi : Deus meus es tu,* id est,
coram hominibus confessus sum, teque
veraciter colui, idcirco false accusor et in-
juste condemnor; *in manibus tuis,* id est 16

Digitized by Google

in virtute ac dispositione tua, sunt *sortes meæ,* id est eventus mei vel tempora mea. Quasi dicat : Quidquid mihi contingit, in potestate tua repositum est, et potes me liberare ab illo ; nec aliquid evenit mihi, nisi secundum moderamen sapientiæ tuæ : propterea patienter cuncta sustineo, sciens te non sine magna ratione permittere.

(19) *Eripe me,* per resurrectionem beatam et acceleratam, *de manu inimicorum meorum,* id est de potestate Judæorum crucifigentium me, *et a persequentibus me,* id est, corpus meum mysticum tuere a persecutoribus suis. Unde Paulo adhuc sævienti Christus dixit : Saule, Saule, quid me persequeris ? [*Act.* IX, 4.] Hoc ergo Christus pro Ecclesia orat, quia quod fidelibus suis infertur, ipse sibi ipsi inferri testatur. [*Matth.* XXV, 40.]
17 (20) *Illustra faciem tuam super servum tuum.* Christus a principio sapientia plenus fuit, et comprehensor perfectus : non ergo pro illuminatione sui intellectus nunc orat. Quid itaque est quod ait, Illustra faciem tuam super servum tuum, nisi quod alibi ait, Clarifica me tu, Pater, apud temetipsum, claritate quam habui priusquam mundus esset ? [*Joann.* XVII, 5.] Orat igitur Christus ut lux divina corpus suum claritate gloriosa adornet, atque hominibus gloriam suam revelet. *Salvum me fac* a morte et pœnalitatibus corporis, *in misericordia tua,* id est propter te ipsum, et nominis tui bonitatem. Quamvis Christus justissime meruit tertio die resurgere, tamen potius quærit exaudiri a Patre propter divinam bonitatem, quam humanam justitiam. In quo præstat nobis exemplum, quatenus quantumcumque profecerimus aut justi fuerimus, semper in misericordia Dei principaliter confidamus.

18 *Domine, non confundar,* id est, non inveniar falsum dixisse, asserendo me tertio die resurrecturum, *quoniam invocavi te,* id est, interna affectuosaque prece, pro hac re deprecatus sum te. Itaque, Non confundar ego, sed potius (21) *Erubescant impii,* id est blasphemi Judæi, *et deducantur in infernum,* in æternum damnati. Hoc Christus dicit, vel prædicendo quod futurum erat, vel se divinæ justitiæ conformando, vel explicando quid reprobi
mereantur. *Muta fiant labia dolosa :* id 19
est, ora Judæorum, qui me dolose occidere tentaverunt, retundantur atque claudantur, et comprehendantur astuti in sua astutia ; (22) *Quæ loquuntur adversus justum iniquitatem,* id est, quæ mihi Sancto Sanctorum, et justo Filio Dei, peccata imposuerunt, *in superbia,* qua me aspernabantur et vilipendebant, *et abusione,* qua beneficiis meis abusi sunt, omnia opera mea atque miracula dæmoni adscribendo, et meam doctrinam tanquam seductionem reputando : ac per hoc abusi sunt bonis meis, quia unde meliorari debebant, inde pejores effecti sunt. Hinc Stephanus dixit Judæis : Dura cervice et incircumcisi corde et auribus, vos semper restitistis Spiritui Sancto, sicut et patres vestri. Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri ? Et occiderunt eos, qui annuntiarunt de adventu Justi : cujus vos nunc proditores et homicidæ fuistis. [*Act.* VII, 51, 52.]

(23) *Quam magna multitudo dulcedinis* 20
tuæ, Domine ! Hoc noverunt, qui eam experti sunt. Et quoniam nemo eam tam plene experiebatur in hac vita ut Christus, idcirco nemo tam congruenter dicere potest verbum istud, quam Christus. Denique multitudo dulcedinis Dei, in suo fonte, videlicet in ipso Deo, est vere immensa, imo intensive atque simpliciter infinita ; sed et multitudo dulcedinis Dei, quam ipse carissimis suis ministris in præsenti vita sæpe infundit, magna est nimis, et omnem carnalem dulcedinem prorsus excedens : et ista dulcedo est quoddam præambulum futuræ dulcedinis Beatorum.

Quam abscondisti timentibus te. Duplex est timor, videlicet filialis atque servilis. Secundum hoc dupliciter potest exponi hic locus. Primo sic : *quam* dulcedinis tuæ multitudinem, *abscondisti,* id est, occultasti, ignotam fecisti et inexpertam, *timentibus te* timore servili. Tales enim neque digni sunt, neque capaces degustationis

Digitized by Google

divinæ dulcedinis, quoniam operantur bona, non amore boni, sed horrore supplicii. Secundo sic : *quam abscondisti,* id est, occulte ostendisti, et per gustum internum in cordis abscondito declarasti, *timentibus te* timore filiali. Hi enim, quoniam omnem inordinatam lætitiam, omnem corporalem delectationem, omnemque superfluam consolationem contemnunt, et semper solliciti sunt ne Deum quem filialiter super omnia diligunt, aliquo modo offendant; propterea experiri merentur quanta sit multitudo dulcedinis Dei. Verumtamen interdum timentes Deum timore initiali, sicut noviter conversi, ad horam admittuntur ad mensam filiorum, ita ut paululum gustent dulcedinem Dei, et clament ad Dominum : Quam magna est multitudo dulcedinis tuæ, Domine! Sed hoc eis præstat Sapientia Dei Jesus Christus, quatenus eos sibi alliciat, ab exterioribus revocet, ad interiora invitet, in adversis constantes
Eccli. XI, 27. efficiat, faciatque eos in die malorum, memores esse bonorum. Unde hujusmodi magna egent cautela et discretione præcipua, ne dum prædicta consolatione diutius carent, pusillanimes fiant, vel eam importune desiderent : imo Domino committendum est quando eam donare dignetur.

Hanc divinæ dulcedinis multitudinem
Matth. XV, 27. experiri, est edere de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum, scilicet beatorum comprehensorum; estque ad mensam Christi sedere, ad quam Sapientia Dei
Cant. V, 1. Patris invitat suos electos, dum ait : Comedite, amici, et bibite; et inebriamini,
Eccli. XXIV, 26, 27. carissimi. Et : Transite ad me, omnes qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini; spiritus enim meus super mel dulcis, et hereditas mea super mel et favum. Ad hanc quoque mensam sedit be-
Jer. XVII, 16. atissimus Jeremias, qui diem hominis, id est delectationem temporalem et corporalem aut humanam, non concupivit, quemadmodum ipse de se in libro visionum
Ibid. XV, 16. suarum profitetur : Factum est mihi verbum tuum, Domine, in gaudium et læti-
Ibid. XX, 9. tiam cordis mei. Et alio loco : Factus est,

A inquit, sermo Domini in corde meo, quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis; et defeci, ferre non sustinens. Hinc ait Apostolus : Sicut abundant passiones *II Cor.* I, 5.
Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra.

(24) *Perfecisti eis qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum :* id est, prædictam dulcedinis tuæ multitudinem perfecte ostendisti, et gustare fecisti eos qui non erubescunt nomen tuum coram homi- *Luc.* IX, 26; *I Petr.* IV, 16.
nibus, qui propter spem quam habent in
B te, patienter ferunt adversa, et in omni persecutione atque contemptu sperant in te, non erubescentes viam justitiæ. (25) *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ, a conturbatione hominum :* id est, corda eorum qui dulcedinem tuam degustant, convertes ad te, et ab exterioribus reduces ad interiora, ut ponant se in præsentia vultus tui per contemplationem sinceram, ne ab hostibus conturbati, amittant gustum internum et tranquillitatem mentis. Absconditum enim faciei divinæ, est ipsa con-
C templatio ejus, per quam occulte ad Deum convertimur; vel ipsamet facies Dei, quæ mundanis hominibus abscondita est, quoniam in malevolam animam non introibit *Sap.* I, 4.
sapientia. Hoc modo abscondit Deus contemplativos ac solitariam vitam ducentes : quorum animabus competit quod per Osee Dominus dicit, Ecce ego lactabo eam, et *Osee* II, 14.
ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus. (26) *Proteges eos in tabernaculo tuo,* id est in militanti Ecclesia, vel potius in ipso eorum cordis cubiculo, in quo in-
D tra se conversi, stant in Deo securi, *a contradictione linguarum,* id est a strepitu adversantium veritati, et ab omni tumultu eorum qui interiorem suavitatem auferre conantur. Ex quibus ostenditur quam sit necesse, eum qui vult divinam experiri dulcedinem, fugere homines, fugere lites et contradictiones, omnesque sæculares tumultus, ut sit corde tranquillus ac stabilis.

(27) *Benedictus Dominus,* id est, lauda- 22
tus sit Deus, et benedicatur ac glorificetur

Digitized by Google

ab omnibus, *quoniam mirificavit misericordiam suam mihi,* id est, mirabiliter magnam gratiam misericorditer mihi impendit, *in civitate munita,* id est in Ecclesia militanti ac triumphanti, quarum utraque firma est, et Deo protegente munita. Hoc maxime convenit Christo : nam ejus humanitas, sola misericordia Dei, assumpta est ad personalem unionem cum Verbo, ab omni culpa præservata, et omni gratia adimpleta, quantum creata potest capere natura. Hanc autem misericordiam contulit Deus Christo homini, primo in terris ; et deinde in cœlis conservavit et adimplevit eamdem. Vel : Benedictus Dominus, quoniam mirificavit misericordiam suam mihi, id est ad laudem et gloriam meam, in civitate munita, id est in populo christiano, dando eis diversa charismata Spiritus Sancti, atque ineffabilem gratiam ejus, præsertim in primitiva Ecclesia, et in die Pentecostes, dum misit ad instan-
Act. II, 3. tiam meam Spiritum Sanctum in igneis linguis. Unde Christus discipulis dixit :
Joann. XIV, 16, 17. Ecce ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere.

23 (28) *Ego autem dixi in excessu mentis meæ,* id est in magna passione et cordis mei ecstasi quadam : *Projectus sum a facie oculorum tuorum,* id est derelictus ab
Matth. XXVII, 46. adspectu tuæ pietatis paternæ. Christus enim in cruce clamavit : Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Quod qualiter intelligendum sit, in expositione psalmi vicesimi primi præhabitum est. (29) *Ideo,* id est, quia in tanta angustia invocavi te, *exaudisti vocem orationis meæ, dum clamarem ad te,* dicendo in cruce : Pater, ignosce illis, et, In manus tuas commendo spiritum meum. Idcirco, (30) *Diligite Dominum, omnes sancti ejus,* id est, qui immaculatam vitam ducitis, et sine reprehensione atque querela Domino servitis, *quoniam veritatem requiret Dominus,* id est, justitiam exiget, et pro me, qui tanta patior sine propria culpa, judicabit, nilque indiscussum relinquet ; *et retribuet abundanter facientibus superbiam :* quia pro culpa temporali infliget eis pœnam æternam, quemadmodum scriptum est : Si ascenderit usque ad cœlum superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur. Luet quæ fecit omnia, nec tamen consumetur ; juxta multitudinem adinventionum suarum sustinebit. Idcirco in Apocalypsi habetur : Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum. Et apud Sophoniam Dominus ait : Visitabo super omnem qui arroganter ingreditur. (31) *Viriliter agite* præcepta sive consilia Christi, *et confortetur cor vestrum* in gratia Dei : sicut ait Apostolus, Optimum est gratia stabiliri cor ; *omnes qui speratis in Domino.* Qui enim in se ipsis confidunt, deficient.

Luc. XXIII, 34, 46. — 24 — Job XX, 6, 7, 12. — Apoc. XVIII, 7. — Soph. I, 9. — 25 — Hebr. XIII, 9.

ARTICULUS LXVIII

EXPOSITIO EJUSDEM PSALMI TRICESIMI DE ECCLESIA, ET QUOCUMQUE FIDELI IN TRIBULATIONIBUS CONSTITUTO.

PORRO Ecclesia, quilibetque fidelis persecutionibus, tentationibus et variis pœnis lassatus, in se ipso quoque deficiens, ad Deum confugiat, et corde devo-
2 tissimo dicat : *In te, Domine, speravi,* non in viribus meis : ideo *non confundar in æternum,* id est, non cadam a spe mea, nec priver effectu ipsius, nec a tentationibus vincar, atque æternam confusionem incidam post vitam præsentem. *In justitia*

tua, quæ est ipsa essentia tua : in hac A
justitia, qua sperantes in te salvas, et præ-
sumentes de se atque malignos relinquis,
libera me a tentationibus et omni pericu-
lo interioris salutis. Vel, In justitia tua, id
est propter meritum justæ conversationis,
quam mihi dedisti, ita ut sperarem in te;
I Cor. x, 13. libera me, non permittendo me tentari,
affligi et concuti supra id quod possum
sufferre, sed faciendo cum tentatione pro-
Rom. viii, 28. ventum, sic ut omnia cooperentur mihi
in bonum.
3 *Inclina ad me aurem tuam,* id est, mi- B
sericordiam tuam effunde super me, et
preces meas pio favore prosequere. Satis
autem dictum opinor, quomodo in Deo
non sunt corporeæ aures; sed misericor-
dia per quam exaudit, et sapientia per
quam universa cognoscit Deus, sunt aures
ejus. *Accelera ut eruas me,* id est, cito et
immediate succurre, quoniam vehemen-
ter indigeo. *Esto mihi in Deum protecto-
rem,* id est, sis tu Deus protector meus,
et in domum refugii, id est salvator, ad
quem semper fiducialiter fugiam; *ut sal-* C
vum me facias, id est, eruas me ab omni
4 peccato cordis, oris et operis. *Propter no-
men tuum deduces me* in isto exsilio, os-
tendendo mihi viam bonam per illumina-
tionem internam, deducesque me de via
ad patriam; *et enutries me,* dando mihi
Matth. vi, 11. panem quotidianum, panem sacramenta-
lem, panem gratiarum, panem lacrima-
rum, et ab omni imperfecto animalique
statu, ad statum spiritualem atque perfe-
ctum me transferendo.
5 *Educes me de laqueo hoc quem abscon-* D
derunt mihi: id est, ab insidiis omnium
adversariorum meorum, præcipue dæmo-
num, quorum laquei tanto sunt periculo-
siores quo invisibiliores, salvabis me. Ab
his laqueis educit nos Deus per angelorum
custodiam, per Sanctorum suffragia, per
orationum merita, gratiam conferens, per
quam illuminamur, roboramur, et vitiis
6 reluctamur. *In manus tuas commendo spi-
ritum meum,* tam in corpore exsistentem
quam de corpore egredientem, ut in omni
loco, tempore, atque negotio eum paterne
custodias. Tu es enim creator meus fide-
lis, amator præcipuus, salvator piissimus.
Ideo sequitur : *Redemisti me, Domine,
Deus veritatis,* Domine Jesu Christe, qui
pretioso sanguine tuo liberasti animam
meam. *Ego autem in Domino speravi,* id 7
est in bonitate et misericordia Christi, et
in virtute ac merito passionis ipsius, spe-
rans ab ejus misericordia adipisci quidquid
mihi salubre est, per sanguinis sui pre-
tium mortisque meritum, atque per digni-
tatem et sanctitatem totius conversationis
suæ in sæculo isto. *Exsultabo et lætabor* 8
in misericordia tua, id est in contempla-
tione tantæ pietatis ac beneficentiæ tuæ.

Quoniam respexisti humilitatem meam,
id est, pie considerasti paupertatem, vili-
tatem, parvitatemque meam, et subvenisti
mihi egeno et fragili. Nam *salvasti de ne-
cessitatibus animam meam,* id est de ma-
lis quæ evadere nequeo : ut sunt mala
venialium peccatorum, de quibus salvat
nos Christus per pœnitentiam; mala na-
turalium passionum atque hostilium per-
secutionum, de quibus salvat nos Christus
per patientiam; mala quoque corporalium
indigentiarum, de quibus salvat nos Chri-
stus per temperantiam. Ab his necessita-
tibus jam salvati sumus in spe, et in futu-
ro salvabimur de eis in re, quando mortale I Cor. xv, 54.
hoc induet immortalitatem, et corruptibi-
le incorruptionem. Unde Apostolus : Spe, Rom. viii, 24.
inquit, salvati estis. Et Isaias : In silen- Is. xxx, 15.
tio, ait, et spe erit fortitudo vestra. *Nec* 9
conclusisti me in manibus inimici, id est,
non permisisti me superari et rapi ab ho-
stibus meis, nec damnasti me, dum di-
gnus eram damnatione, in mortali peccato
vivendo; sed *statuisti in loco spatioso,* id
est in ipsa Ecclesia, quæ per orbem terra-
rum longe ac late diffunditur, *pedes meos,*
id est me ipsum et opera ac desideria
mea, subjiciendo me præceptis ac monitis
sanctæ matris Ecclesiæ.

Miserere mei, Domine, misericorditer 10
indulgendo, celeriter succurrendo, et for-
titer triumphando, *quoniam tribulor* con-

Digitized by Google

cupiscentiis malis, tentationibus variis, pœnis diversis ; *conturbatus est in ira oculus meus,* id est, passio iræ interdum immoderata fuit in me, perturbans rationis judicium. Vel sic : Conturbatus est in ira oculus meus, id est, propter peccata mea tam iratus fui mihi ipsi, sicque ultus sum ea in me, ut oculus meus tam interior quam exterior aliqualiter turbaretur, non tamen vitiose : nam et ira per zelum, rationem aliquo modo perturbat ; ira vero per vitium, eam excæcat. Vel : Conturbatus est in ira, id est propter iram adversariorum meorum contra me, oculus meus. *Anima mea,* id est vita mea sensitiva ac animalis, *et venter meus,* id est corpus ipsum. Passio enim iræ fit cum corporali transmutatione, et ita conturbat et afficit totam naturam irascentis. Per ventrem tamen intelligi potest memoria, quæ est velut venter et locus specierum et cogita-
11 tionum. *Quoniam defecit in dolore vita mea,* id est, tantis miseriis, angustiis, pœnis atque tristitiis plena fuit, quod ad defectum sive interitum multum appropinquavit. Passiones quippe, præsertim pœnales, ut odium, ira, tristitia, timor et dolor, corporalem vitam vehementer abbreviant, et nonnunquam omnino exstinguunt, propter innaturalem transmutationem quam corpori inferunt. *Et anni mei,* id est conversatio mea, per annos exacta, defecit *in gemitibus* et singultibus, quibus affligor et gemo, propter mala quibus mundum repletum conspicio, quibus et ego afficior ac diversimode crucior.

Infirmata est in paupertate virtus mea : id est, perfectio cordis mei et exercitatio bona, frequenter interrumpitur ac debilitatur, propter carnis fragilitatem et necessitudines corporales ; *et ossa mea,* id est, fortiores virtutes animæ meæ, *conturbata sunt,* id est ab actione sua suspensæ, impeditæ ac motæ : quoniam passiones interiores et exteriores frequenter impediunt actum virtutum, eo quod anima circa unius potentiæ operationem intenta, minus queat vacare operationi alterius potentiæ.

Super omnes inimicos meos, id est ma- 12
gis quam omnes hostes mei : non quod ego odio habeam eos, sed quia odiunt me; *factus sum opprobrium vicinis meis,* id est conchristianis et proximis seu carne propinquis, *valde,* ita ut multum abhorreant ac spernant me, propter adversa et mala quæ mihi contingunt; *et timor notis meis :* id est, tantis miseriis et afflictionibus sum repletus, ut familiares mei me viso timerent, meque relinquerent, ne similia mala inciderent.

Iste versus cum tribus sequentibus, maxime convenit Ecclesiæ vehementer oppressæ a tyrannis, hæreticis, schismaticis et persecutoribus, sicut erat primitiva Ecclesia, et sicut erit Ecclesia tempore Antichristi ; unicuique quoque fidelium, cui multum successus adversi eveniunt, et qui infortunatus videtur, atque præ ceteris sibi propinquis ac notis contemptus, qualis erat beatissimus David auctor psalmi præsentis, quando Saul eum persequebatur. (I Reg. xvii-xxi, xxiii, xxiv, xxvi.) Nam et occasione illius persecutionis creditur fecisse hunc psalmum. Unde et psalmus iste facile de eo exponi posset, si devotionem importaret. Præcipue ergo competunt verba ista sanctis martyribus et justis hominibus a toto mundo contemptis. Talibus namque Christus in Evangelio ait : Trademini autem a parentibus et propinquis et amicis, et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. (Luc. xxi, 16, 17.) Et : Amen, amen dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit; vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. (Joan. xvi, 20.)

Prædictis denique convenit quod sequitur : *Qui videbant me* ita afflictum et miserum, *foras fugerunt a me,* ne fierent participes pœnarum mearum, vel ne viderentur consentientes mihi, atque ob hoc associarentur mihi in pœnis. Hoc est quod sanctus Job ait : Fratres mei elongaverunt a me, et noti mei quasi alieni recesserunt (Job xix, 13.)
a me. *Oblivioni datus sum tanquam mor-* 13
tuus a corde, id est, prædicti vicini ac noti mei, obliti sunt mei, nil curando de

Digitized by Google

me, nec compatiendo, neque succurrendo A
miseriis meis. *Factus sum tanquam vas
perditum,* id est, omnino vilis et inutilis
reputatus sum, quasi ad aliud nihil va-
14 lens, nisi ad conculcationem ; *quoniam
audivi vituperationem multorum commo-
rantium in circuitu :* id est, vicini et noti
mei inter quos habito, vituperant me, de-
trahendo, calumniando, et persequendo. *In
eo* casu, conventu, negotio vel tempore,
dum convenirent simul adversum me, facti
concordes ad infestandum virum inno-
xium, *accipere animam meam consiliati* B
sunt, id est, consilium habuerunt inter
se, ut vitam meam exstinguerent, læde-
rent, aut suæ voluntati perversæ subjice-
rent, conantes me a via recta subvertere, et
suis injustitiis conformare.

15 *Ego autem in te speravi, Domine,* con-
fidens tua pietate præservari ac trium-
phare. *Dixi* ex corde et animo : *Deus
meus es tu,* quem singulariter colo et di-
16 ligo, et cui æternaliter adhærebo. *Eripe
me de manu inimicorum meorum,* id est
de potestate adversariorum meorum, ne C
eis in malo consentiam, *et a persequenti-
bus me,* ne vitam meam corrumpant malo
17 exemplo, fraude, aut simili modo. *Illu-
stra faciem tuam,* id est, radium tuæ noti-
tiæ ac lucem sapientiæ tuæ effunde *super*
me *servum tuum,* illuminando fidem, di-
rigendo in omnibus rationem, et cœle-
stium contemplationem intellectui infun-
dendo ; *salvum me fac,* in præsenti ab
omni peccato per gratiam, *in misericordia
tua,* id est propter bonitatis tuæ clemen-
18 tiam. *Domine, non confundar* propria pec- D
cata confiteri, tuam legem servare ; nec
confundar, repellar, seu reprober a te,
præsertim quum fuero tuo tribunali obla-
tus, *quoniam invocavi te.*

Erubescant impii, id est, confusione
digni appareant, *et deducantur in infer-
num* post vitam præsentem. Hoc dicit Chri-
stianus fidelis de impiis, eo modo quo
Christus, videlicet prædicendo quid re-
stat, vel insinuando quid mali merentur,
19 vel conformando se divinæ justitiæ. *Muta
fiant labia dolosa :* id est, fraudulenta ver-
ba proferre prohibeantur a te, et cessent
detrahere, vel jam per pœnitentiam, vel
in futuro per pœnam ; *quæ loquuntur ad-
versus justum,* quicumque sit ille, *ini-
quitatem,* eum mendaciter criminando, *in
superbia,* id est ex proprii cordis tumore,
et abusione, id est ex perversa interpreta-
tione, qua vitam justi ex simulatione seu
vana intentione procedere asserunt ; et
sic abutuntur bono exemplo justorum :
nam inde invidia inflammantur, unde ædi-
ficari debebant.

Benedictus Dominus, id est, gratias ago 22
Deo, et laudo eum, *quoniam mirificavit,*
id est magnam fecit, *misericordiam suam
mihi,* dando mihi gratiam magnam, in-
dulgentiam integram, profectum in bono,
et alia dona mihi indignissimo contulit :
in quo constat, quam mirabiliter magna
sit misericordia ejus. Hanc autem miseri-
cordiam suam mirificavit mihi *in civitate
munita,* id est in anima mea, quæ est
civitas regis cœlestis, quando virtutum
consonantia venustatur ; vel, In civitate
munita, id est in congregatione devota
seu claustro ; vel certe in ipsa Ecclesia,
faciens me vivum fideleque membrum
ipsius. *Ego autem dixi in excessu mentis* 23
meæ, id est ex abundantia tribulationum,
et ex quadam alienatione cordis mei a se
ipso, quæ accidit ex dolore, timore, seu
acerbissima aliqua afflictione : *Projectus
sum,* id est derelictus sum, *a facie oculo-
rum tuorum,* id est ab effectu tui piissi-
mi respectus, videlicet a gratia et miseri-
cordia tua. Superius dixit ex abundantia
divinæ consolationis et gratiæ, Non move- *Ps.* xxix, 7.
bor in æternum ; nunc dicit ex abundan-
tia tribulationis et miseriæ, Projectus sum
a facie oculorum tuorum. Et videtur utrum-
que esse incautum, quoniam inter prospe-
ra et adversa semper regia debemus in-
cedere via, ne in prosperis extollamur aut
nimium gloriemur, nec in adversis deji-
ciamur, quemadmodum scriptum est : In *Eccli.* xi,
die bonorum ne immemor sis malorum, 27.
et in die malorum ne immemor sis bo-

Digitized by Google

II Cor. vi, 4, 7. norum. Et sapientissimus Paulus : In omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros in multa patientia, per arma justitiæ a dextris et a sinistris. Quæ autem jam exposita non sunt, ex præcedenti expositione satis innotescunt.

Ecce quam præclarus, mysterialis, affectuosusque psalmus, in quo tam ardentissimæ preces continentur, in quo verba bonæ spei abundant, in quo Christi passio explicatur, in quo divinæ dulcedinis copia commemoratur, in quo Dei beneficia describuntur, in quo humanæ infirmitatis fragilitas reseratur, et quid nos pati oporteat, si Christi vestigia sequi optamus, ostenditur. Cum quanta ergo ardentissimæ dilectionis devotione, cum quanta spei fiducia et orationis fervore cantare nos A decet psalmum tam splendidum, præsertim in Completorio, usque ad illum versum, In manus tuas commendo spiritum meum ! Quem versum dicendo, recommendare debemus nos ipsos totaliter fideli Creatori nostro, cum ingenti affectu ac plena fiducia contra omnes noctis molestias.

PRECATIO.

Spes et salus fidelium Deus, in te sperantes B non confundamur in æternum, lapsis nobis te exorantibus aurem clementiæ inclina propitius, et laxando debita mitis nos justifica, atque indulta delictorum venia, salva nos ineffabili misericordia tua.

ARTICULUS LXIX

EXPOSITIO PSALMI TRICESIMI PRIMI : BEATI QUORUM REMISSÆ SUNT INIQUITATES.

Psalmus nunc exponendus, hoc titulo prænotatur : *Intellectus David,* id est cognitio veraciter pœnitentis. Docet enim hic psalmus, quid necesse sit intelligere peccatorem vere pœnitere volentem, scilicet ut expurgatos a vitiis, beatos existimet, seque ad eorum statum perduci desideret. Quod quoniam fieri nequit, nisi propria confiteatur atque deplangat peccata, et divinæ pietati ac gratiæ totaliter innitatur; idcirco docet hic psalmus propriorum peccatorum humilem confessionem, ac fiduciale ad misericordiam Dei refugium.

David ergo in persona pœnitentis lo-
1 quens, ait : (1) *Beati quorum remissæ*
sunt iniquitates, id est, quibus Deus omne
peccatum dimisit, per pœnitentiam salutarem, gratiam baptismalem, aut simili C modo ; *et* beati sunt *quorum tecta sunt peccata,* id est per emendationem et gratiam ita deleta, quasi nunquam fuissent : sic quod Deus ea ignorat, quoniam non commemorat nec vindicat ea de reliquo, quamvis ejus agnitionem nil lateat. Realiter vero idem sunt, iniquitatis remissio,
peccatique tectio. (2) *Beatus vir,* id est 2
felix homo : felix, inquam, in spe et gratia, futurus felix in re et gloria ; *cui non imputavit Dominus peccatum,* id est, qui divino judicio reputatur a peccato immu- D nis et absolutus. Deus enim non fallitur, sed homo decipi potest. Idcirco non propterea beatus, cui homo non imputavit peccatum ; sed multum beatus est, cui Deus peccatum non imputavit, præsertim egredienti de corpore. *Nec est in spiritu,* id est in intentione et voluntate *ejus dolus,* id est simulatio, falsa confessio, pal-

Digitized by Google

liata excusatio; sed ex intimo corde pec- A
cata sua deplangit, confitetur, emendat.
Hi ergo beati sunt, sed ego infelix et
3 miser sum. (3) *Quoniam tacui,* id est, abs-
condi vitia mea, idcirco *inveteraverunt*
ossa mea, id est, vetustate pravæ consue-
tudinis et diuturnitate peccati consumptæ
sunt virtutes animæ meæ, mihi in Bapti-
smo aut postmodum infusæ, seu acqui-
sitæ. Peccata enim non confessa neque
contrita, caritatem et gratiam omnesque
virtutes mortificant et expellunt. Invete-
raverunt itaque ossa mea, *dum clamarem* B
tota die, id est, dum incessanter loquerer
vana, et magna de me ipso præsumerem,
aliosque aspernarer. Non ergo celemus vi-
tia nostra, nec veterascat peccatum in
mentibus nostris ; sed attendamus illud
Jer. IV, 14. Jeremiæ : Usquequo morabuntur in te co-
Job XXXI, 33. gitationes noxiæ ? Illud quoque Job : Si
abscondi quasi homo peccatum meum, et
celavi in sinu meo iniquitatem meam.
4 (4) *Quoniam die ac nocte,* id est indesi-
nenter, *gravata est super me manus tua :*
id est, adversitates et pœnæ quæ infli- C
guntur a tua justitia pro peccatis, mul-
tiplicatæ et aggravatæ sunt in me, ita ut
castigans castigasti me flagellis diversis,
quatenus redirem ad te : quod etiam feci.
Nam sequitur : *conversus sum in ærumna*
mea : id est, propter afflictiones, adversi-
tates atque miserias quæ mihi tuo mode-
ramine evenerunt, attendi peccata mea, et
discussi conscientiam meam ; intellexique
mihi tanta adversa contingere propter pec-
cata mea quibus offendi te. Idcirco in hac
ærumna conversus sum ad te, *dum confi-* D
gitur spina, id est, dum ærumna seu mi-
seria mea variis doloribus atque pœnarum
puncturis afficitur. Hoc convenit his qui
Luc. XIV, 23. compelluntur intrare : qui quamdiu pro-
sperantur, Deum contemnunt, sed quum
adversitatibus fatigantur, incipiunt se ip-
sos attendere. Hæc autem aggravatio ma-
nus Dei super peccatores in vita præsenti,
ad magnam misericordiam pertinet. Ele-
ctos namque solet Deus in hoc sæculo
castigare et tribulare, ne æternaliter per-
eant. Unde hanc castigationem Jeremias
desiderans : Corripe (inquit) me, Domine, *Jer.* X, 24.
verumtamen in judicio, et non in furore
tuo, ne forte ad nihilum redigas me. Hinc
et apud Michæam habetur : Iram Domini *Mich.* VII, 9.
portabo, quia peccavi ei. Et per Osee Do-
minus ait : Ecce ego sepiam viam tuam *Osee* II, 6.
spinis, et sepiam eam maceria. Et apud
Jeremiam : Castigabo te in judicio, ut non *Jer.* XXX, 11.
tibi videaris innoxius.

(5) *Delictum meum,* id est peccatum 5
omissionis, *cognitum tibi feci,* humiliter
confitendo : non quod Deus aliquid ne-
sciat, sed loquitur ad Deum humano mo-
re, secundum quem dicitur aliquid alteri
notificari, dum publice revelatur ; *et in-*
justitiam meam non abscondi, id est, pec-
cata commissionis confessus sum. Debe-
mus enim non solum nos ipsos discutere,
judicare, damnare et corrigere propter
mala quæ fecimus, sed etiam propter bo-
na quæ omisimus : quia non solum arbor
faciens fructum malum, in ignem mitte-
tur; sed et illa quæ non facit fructum bo- *Matth.* III, 10; VII, 19.
num, excidetur et comburetur. Superius
dixit beatos, quorum tecta sunt peccata ;
nunc asserit se peccatum suum publicas-
se Domino, et non abscondisse ; in quo
innuit, quod illorum peccata Deus tegit,
et dæmon accusare non valet, qui sua pec-
cata integre confitentur, nec abscondunt.
Ideo subditur :

(6) *Dixi,* id est, mente proposui : *Confi-*
tebor adversum me, id est, me ipsum non
alios accusando et inculpando, *injustitiam*
meam Domino, id est ad gloriam Dei quem
offendi. Sic tu confiteri debes peccata tua,
omne malum tuæ ignaviæ, malitiæ, seu
fragilitati attribuendo, non te ipsum ex-
cusando, et alios criminando. Alias timen-
dum est tibi quod Dominus ait : Ecce ego *Jer.* II, 35.
judicio contendam tecum, eo quod dixe-
ris, Non peccavi. Et iterum : Arguet te *Ibid.* 19.
malitia tua, et aversio tua increpabit te.
Itaque, Dixi, Confitebor adversum me in-
justitiam meam Domino : nec frustra, quo-
niam sequitur, *et tu,* Domine, *remisisti*
impietatem peccati mei, id est impium

Digitized by Google

peccatum meum. Ecce quanta benignitas Dei, qui naturaliter bonus est, essentialiter clemens, cui proprium est misereri semper et parcere. Mox quippe ut dixit se confessurum Domino, Dominus ei indulsit. Quocumque enim momento peccator ge-
Ezech. xviii, 21. muerit pro peccato, judicium et justitiam fecerit, Deus protinus ei ignoscit. Nihilo minus debet Christianus, quum opportunum fuerit, confiteri vicario Dei : alias propter inobedientiam damnaretur. Nec confessio coram Deo meretur nunc remissionem peccati, nisi aliquo modo includat propositum confitendi presbytero, si possibile fuerit : ideo propositum executioni mandandum est. Debet autem confessio non ex solo servili timore procedere, sed etiam ex caritate : alias meritoria non esset de condigno. Tamen si facit peccator quod in se est, Dominus gratiam statim infundit, sicque confessio et pœnitentia ex caritate emanare incipiunt.

6 (7) *Pro hac* re, id est pro remissione peccati, *orabit ad te omnis sanctus,* id est omnis viator quantumcumque perfectus, *in tempore opportuno,* id est determinato et congruo tempore, non semper.
Prov. xviii, 17. Quamvis enim justus in principio accusator sit sui, et veniæ implorator, tamen vir justus, perfectus, sanctus, diuturnius atque ferventius occupare se debet in altioribus actibus, scilicet in contemplatione divinorum, in actuali Divinitatis amore, in meditatione passionis dominicæ, in studio perfectionis majoris acquirendæ. Verum-
Eccle. vii, 21. tamen quoniam (Salomone attestante) non est homo super terram qui faciat bonum, et non peccet; idcirco omnis sanctus in tempore opportuno orare indiget pro remissione peccati. Qui vero adhuc passionibus languet, et ad vitia pronus est, neque de transactis criminibus condignam pœnitentiam egit, quasi continuo orare debet pro remissione peccati : et tali tempus opportunum orandi pro remissione peccati, est totum tempus vitæ suæ, donec ad perfectionem deductus, in divinioribus exercitiis occupare se queat.

(8) *Verumtamen in diluvio aquarum multarum,* id est homines in fluxu luxuriæ et superfluitate gulæ, ac ceteris vitiis carnalibus seu spiritualibus perseverantes, *ad eum,* scilicet Deum, *non approximabunt :* quoniam peccata eorum dividunt *Is.* lix, 2.
inter eos et Deum, et quamdiu in peccati proposito atque in actibus vitiosis perdurant, in regione dissimilitudinis sunt, et longe a Deo, non loco, sed voto ; non conditione, sed dilectione ; non natura, sed gratia ; non conservatione, sed cultu. Ideo scriptum est : Scimus quoniam peccatores *Joann.* ix, 31.
Deus non audit ; sed si quis Dei cultor est, et voluntatem ejus facit, hunc exaudit. Itaque si vis Deo appropinquare, propositum peccandi relinque ; si vis ei propior fieri, serva mandata; si vis ei proximus esse, imple consilia.

Denique pœnitens post confessionem peractam, ampliorem ad Deum sumens fiduciam ex peccati remissione et gratiæ infusione, confidenter et amorose ad Deum
confugit, et ait : (9) *Tu es refugium meum.* 7
id est, is in quo solo spero salvari, *a tribulatione,* id est persecutione, tentatione et pœna, *quæ circumdedit me,* id est, multipliciter et undique insurgit et oritur in me, a suggestione dæmonis, a persuasione seu molestatione mundi, et a lege peccati quæ viget in membris meis ; et tu, Domine, es *exsultatio mea,* id est objectum interioris lætitiæ meæ, causa gaudii mei spiritualis, et finis totius gloriationis meæ : ideo *erue me a circumdantibus me,* id est, libera me ab his qui prædictas tribulationes inferunt mihi, videlicet ab hostibus visibilibus et invisibilibus.

Insuper misericors Deus ostendens se recepisse preces pœnitentis, consolatorie
ait ad eum : (10) *Intellectum tibi dabo,* id 8
est intellectualem notitiam ; *et instruam te,* ut cognoscas et penses tuam miseriam, defectibilitatem, malitiam, et omnia quæ expedit tibi scire de rebus creatis; et item, ut cognoscas et contempleris meam bonitatem, perfectionem, misericordiam et gratiam, et beneficia cuncta quæ tibi dona-

Digitized by Google

vi ; *in via hac qua gradieris,* id est in peregrinatione hujus exsilii. *Firmabo super te oculos meos :* id est, per sapientiam meam providebo tibi de necessariis ad salutem, et per misericordiam meam erigam te labentem, ac semper custodiam, ita ut
Ps. xxxix, 18. dicere possis quod infra habetur : Dominus sollicitus est mei. Ecce, carissimi, quam fructuosa atque salubris est vera et humilis peccatorum confessio, quæ tantam gratiæ plenitudinem promeretur, videlicet ut pœnitenti dicatur a Domino, quod versus iste proposuit. Quam vere beatus ac tutus est, quem Deus ita illuminat et custodit !

Sed quoniam caritas fraterna deposcit, ut quilibet nostrum gratiam sibi divinitus datam aliis communicare conetur, secundum quod status suus permittit, juxta
I Petr. iv, 10. illud, Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei; idcirco pœnitens misericordiam consecutus, tanquam a Deo illuminationem sortitus, convertit se ad aliorum exhortatio-
9 nem, et ait : (11) *Nolite,* o peccatores, *fieri sicut equus,* id est, ne sitis superbi et rebelles lumini, *et mulus,* id est, ne sitis ad divina pigri, *quibus,* scilicet equo et mulo, *non est intellectus,* id est ratio potens passiones appetitus sensitivi refrenare : imo vos, quum sitis rationales creaturæ, nolite irrationabiliter vivere, sed per rationem passiones refrenate, et humiliter atque ferventer confessionem peragite. Nam (ut Aristoteles ait) homo peccator decies millies pejor est bestiis. — Verum quia oratio interdum plus proficit quam exhortatio, ideo pœnitens iste ex abundantia caritatis orat pro aliis, ut suam admonitionem adimpleant, et ait ad Deum : (12) *In camo et freno,* id est per varias adversitates et per magnas ac parvas afflictiones, *maxillas eorum constringe,* id est, linguam et ora retunde, claude, compesce : eorum, inquam, *qui non approximant ad te,* id est superborum, præsumptuosorum, et confiteri nolentium, quatenus eruditi verberibus et doloribus castigati, convertantur ad te.

(13) *Multa flagella peccatoris,* id est, va- 10
riæ sunt peccatoris pœnæ, ejus præsertim qui perseverat in vitiis. Nam in præsenti a Deo relinquitur, et in futuro æternis pœnis torquebitur. *Sperantem autem in Domino misericordia,* id est effectus pietatis divinæ, *circumdabit :* quoniam anima ejus implebitur gratia, virtutibus, et consolatione Spiritus Sancti, et angeli Dei custodient eum, eritque incessanter sub umbra alarum sui Creatoris securus.

Postremo, de tantis beneficiis misericordissimi Dei cupit pœnitens, jam perfectus et justificatus, omnes lætificare, et sui gaudii participes facere, atque ad gratias Deo
referendas inducere, dicens : (14) *Lætami-* 11
ni in Domino, non in rebus carnalibus, vanis et transitoriis ; *et exsultate,* id est, signa interioris lætitiæ foris ostendite, Deum vocaliter collaudando, cærimoniis honorando, atque exteriori latriæ cultu hilariter ministrando, o *justi,* qui redditis unicuique quod suum est : sicut hortatur Apostolus, Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis ; *et gloriamini, omnes recti corde :* id est, in Deo, non in vobis, in cruce Christi, non in vanitate sæculi, læti estote, omnes quorum corda sunt recta, id est ad nullum vitium obliquata, ad nihil illicitum inclinata, sed divinæ legi in omnibus subdita : ita ut Deus dicere possit unicuique vestrum, quod dixit ad hujus psalmi auctorem, Inveni David filium Jesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas. Rom. xiii, 8. Ps. lxxxviii, 21, juxta LXX ; Act. xiii, 22.

Ecce iste est pœnitentialium psalmorum secundus, parvus quantitate, sed magnus virtute, instructivus valde et accensivus pii pœnitentisque cordis : quem decet nos cum profundissima cordis contritione, humilitate et affectione depromere, quatenus in primis indulgentiam consequi, deinde spem magnam in Domino adipisci, tertio ab eo in omnibus dirigi et custodiri, sicque ad cœlestem beatitudinem promoveri mereamur.

Digitized by Google

PRECATIO.

Domine Jesu Christe, sapientia Dei Patris, da nobis intellectum, et instrue nos
A de præceptis tuis; firma super nos oculos tuos in via qua gradimur: ut te ductore, ad te qui es via, veritas et vita, sine errore perveniamus.

ARTICULUS LXX

EXPOSITIO PSALMI TRICESIMI SECUNDI : EXSULTATE, JUSTI, IN DOMINO.

SECUNDUM beatum Hieronymum in prologo libri Psalmorum, multi sunt psalmi, videlicet decem et septem, qui apud Hebræos titulis carent, videlicet psalmus primus, psalmus quoque secundus, et iste nunc exponendus, alii quoque nonnulli sequentes. Verumtamen communiter intitulatur in Bibliis et expositionibus Latinorum, quibus conformari me decet. Est
1 igitur titulus ejus : *In finem, psalmus David :* id est, psalmus iste in Deum nos dirigens, adscribitur David, qui hic in persona devoti ac fervidi amatoris, laudat Deum super excellentia suæ potentiæ et misericordiæ, et de operibus creationis ac recreationis.

AIT ergo : (1) *Exsultate, justi, in Domino,* id est, toto et exuberanti affectu gaudete in primo universorum principio. Gaudium autem est diffusio animi in conceptu boni, et oritur ex unione potentiæ cum objecto convenienti. Consequitur enim aliquam operationem connaturalem seu virtuosam : idcirco impiis non convenit, quoniam operationes eorum sunt innaturales et vitiosæ. Peccatum enim est recessus ab eo quod est secundum naturam et ordinem, secundum Dionysium et Damascenum. Unde scriptum est : Non est gaudere impiis, dicit Dominus. (Cf. *Is.* LVII, 21.) Et Philosophus ait, quod signum virtutis est delectatio operis. Operationes vero, quibus rationalis creatura immediate conjungitur Deo tanquam objecto, sunt operationes in-
B tellectus et voluntatis, videlicet contemplatio veritatis, et dilectio bonitatis. Exultatio itaque mentis in Deo, procedit vel ex contemplatione, vel ex sancta et ordinata dilectione, vel ex aliis actibus virtuosis, qui a ratione et voluntate imperantur, causantur et diriguntur. Quid ergo est, Exsultate, justi, in Domino? nisi, Considerate Deum ejusque opera, et diligite eum, ac facite ea quæ Deo sunt placita; et in his cordialiter exsultate, non in vobis, tanquam propriis viribus bona agatis,
C aut aliquid a vobismetipsis habeatis, sed in Domino, a quo est omne datum optimum, et omne donum perfectum. (*Jacob.* I, 17.) Interdum autem accipitur Exsultare, gaudere, lætari, magis communiter atque improprie pro Gestire : et ita Scriptura divina tribuere solet injustis prædicta. Secundum quod Salomon ait : Lætantur quum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis; (*Prov.* II, 14.) et Job : Tenent tympanum et citharam, et gaudent ad sonitum organi. (*Job* XXI, 12.) *Rectos decet collaudatio,* id est, justum et condecens
D est ut recti Deum collaudent : primo, quoniam ipsi digni sunt laudare Deum; secundo, quoniam dona majora a Deo receperunt.

(2) *Confitemini Domino in cithara, in* 2
psalterio decem chordarum psallite ei. Ad litteram sanctus David hortabatur ministros templi in his musicis instrumentis Domino laudes offerre; (I *Par.* XV, 16.) sed secundum spiritualem intelligentiam, per citharam intelliguntur misericordiæ opera, et per psal-

terium, custodia præceptorum. Cithara enim aperturam habet inferius, et ab inferiori reddit sonum; habetque sex chordas, vel septem secundum quosdam : per quas sex opera misericordiæ intelliguntur, quæ circa corporalem necessitatem versantur. Psalterium vero decem habet chordas, et a superiori sonum causat : per quas intelliguntur divina præcepta, quæ de cœlestibus profluxerunt, atque sublimem ac cœliformem melodiam in auribus Dei efficiunt. Itaque, Confitemini Domino in cithara, id est, laudate eum per opera misericordiæ; in psalterio decem chordarum psallite ei, id est, per divinorum observantiam præceptorum glorificate Dominum, non tam ore quam opere.

3 (3) *Cantate ei,* corde devoto et ordinato, *canticum novum,* id est laudem ex recenti fervore et novo affectu manantem. Fervida namque dilectio fatigari non potest in laude dilecti, sed nova semper præconia suggerit, et mille modis in laudem dilecti accenditur et prorumpit. *Bene psallite ei in vociferatione :* id est, sic laudate Deum ore seu vocibus, ut vita consonet verbis, idque observetis in moribus quod vocibus prædicatis, ne vobis conveniat quod per
Is. XXIX, 13. Isaiam Dominus ait : Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.

4 Ideo autem debetis bene psallere, (4) *Quia rectum est verbum Domini,* id est, sacra Scriptura et omnis sermo divinus, justi sunt, veri et sancti; *et omnia opera ejus in fide,* id est, fidelia et irreprehensibilia sunt, nihil habentia de admixtione fallaciæ. Vel, Omnia opera ejus in fide, id est, quidquid Deo placet et meritorium esse debet, necesse est in fide fundari, et ex ea
Rom. XIV, 23. procedere : quoniam teste Apostolo, Quidquid non est ex fide, peccatum est. Et
Habac. II, 4. Habacuc : Ecce qui incredulus est, non erit anima ejus recta in semetipso. Justus autem in sua fide vivet.

5 (5) *Diligit Dominus misericordiam,* id est mutuam atque fraternam compassionem, subventionem, et celerem offensæ remissionem. Hoc est quod in Evangelio
A ait Salvator : Beati misericordes, quoniam *Matth.* V, 7.
ipsi misericordiam consequentur. Et in tantum Dominus misericordiam diligit, ut in die judicii de operibus misericordiæ *Ibid.* XXV, 35 *et seq.* præsertim perhibeat se inquisitionem facturum. Propterea monet nos divinus Apostolus : Induite vos sicut electi Dei, viscera *Coloss.* III, 12, 13. misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes invicem, et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam, sicut et Christus donavit vobis. Hinc de immi-
B sericordi homine alibi scriptum est : Homo homini servat iram, et a Deo quærit *Eccli.* XXVIII, 3-5. medelam? In hominem sibi similem non habet misericordiam, et de peccatis suis deprecatur Altissimum? Quis orabit pro delictis illius?

Itaque, Dominus diligit misericordiam, *et judicium,* id est actum justitiæ, scilicet ut judicet homo se ipsum et alios sibi commissos, cum diligenti examinatione et justa correctione. Propter quod Apostolus ait : Quod si nosmetipsos dijudicaremus, *I Cor.* XI, 31.
C non utique judicaremur. Denique hanc sententiam per Zachariam Dominus præcepit : Judicium, inquiens, verum judicate, et *Zach.* VII, 9. misericordiam et miserationes facite, unusquisque cum proximo suo. Et Michæas : Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et *Mich.* VI, 8. quid Dominus requirat a te : utique facere judicium, et diligere misericordiam. Verumtamen est quoddam judicium temerarium, quo homo incerta judicare præsumit, vel suum superiorem, vel sibi non commissos. De quo Christus : Nolite, in- *Luc.* VI, 37.
D quit, judicare, et non judicabimini. Et Apostolus : Tu quis es qui judicas alienum *Rom.* XIV, 4. servum? Suo domino stat aut cadit. Et : Tu quid judicas fratrem tuum? Omnes *Ibid.* 10. enim stabimus ante tribunal Christi. Diligit quoque Dominus judicium remunerationis : quod duplex est, scilicet particulare in morte singulorum, et generale in die novissimo. Hoc utrumque judicium Dominus diligit, facit aut faciet.

Misericordia Domini plena est terra : id est, beneficiis Dei, gratia Christi, et

Digitized by Google

variis donis Spiritus Sancti repleti sunt
homines christiani in terra peregrinantes : imo omnes homines aliquo modo pleni sunt misericordia Dei, quoniam Deus omnes longanimiter exspectat, et omnibus, quantum in se est, gratiam suam offert, atque ubique terrarum Evangelium regni prædicari disposuit.
6 (6) *Verbo Domini,* id est per Sapientiam Patris æterni, quæ est Christus Dominus, *cœli,* id est orbes cœlestes, *firmati sunt,* id
Joann. I, 3. est fundati et stabiliti. Omnia enim per ipsum facta sunt, quemadmodum ait Apostolus : Gratias agimus Deo et Patri, qui nos
Coloss. I, 12-16. transtulit in regnum Filii dilectionis suæ, qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ, quia in ipso condita sunt universa in cœlo et in terra, visibilia et invisibilia. Et ad Hebræos loquens,
Hebr. I, 3. de Filio dicit : Qui quum sit splendor gloriæ et figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ, sedet ad dexteram majestatis in excelsis. *Et spiritu oris ejus,* id est a Spiritu Sancto, qui est Spiritus Patris, ab ore (id est a voluntate) Patris procedens : ab hoc Spiritu est *omnis virtus eorum,* id est omnis potestas et decor cœlorum. Virtus autem cœlorum, in stellis atque planetis præsertim consistit.
Job XXVI, 13. Unde alibi scriptum est : Spiritus ejus ornavit cœlos. Vel sic : *Verbo Domini cœli,* id est sancti Apostoli, *firmati sunt.*
Joann. XV, 5. Nam illis Christus dixit : Sine me nihil potestis facere. *Et spiritu oris ejus,* id est Spiritu Sancto, qui a Filio quoque procedit, *omnis virtus eorum,* id est tota potestas faciendi miracula, efficaciterque lo-
Act. II, 4. quendi. Unde scriptum est : Cœperunt Apostoli loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis.
7 Denique ipse Dominus est (7) *Congregans sicut in utre aquas maris :* id est, ipsum elementum aquæ seu mare Oceanum, quod ambit et cingit terram, Dominus claudit et servat in uno loco, sicut homo claudit aliquam partem aquæ in utre, id est in vase de corio facto. Hoc
Job XXVI, 12. est quod Job inducit : In fortitudine illius repente maria congregata sunt. Et Salomon : Certa lege et gyro vallavit abyssos. Prov. VIII, 27.
Ponens in thesauris abyssos, id est, locans ac retinens ipsum mare, quod appellatur abyssus, id est sine termino, propter inæstimabilem suam profunditatem. Propter quod Sapientia Dei, scilicet Christus, unigenitus Filius Patris æterni, ait : Gyrum Eccli. XXIV, 8.
cœli circuivi sola, et profundum abyssi penetravi. Itaque Dominus locat ac retinet abyssos in thesauris, id est inter ripas secretas receptaculorum suorum, quemadmodum ad Job loquens asserit : Quis conclu- Job XXXVIII, 8-11.
sit ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulva procedens, quum ponerem nubem vestimentum ejus, et caligine illud quasi pannis infantiæ involverem ? Circumdedi illud terminis meis, et posui vectes et ostia, et dixi : Hucusque venies et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos.
Quoniam ergo tanta est majestas Dei, et tanta excellentia atque omnipotentia Creatoris in operibus suis, idcirco, (8) *Timeat* 8
Dominum, timore filiali et casto, *omnis terra,* id est universi incolæ ejus. Unde his qui Creatorem ex consideratione effectuum suorum prædictorum non timent, ipsemet per Jeremiam ait : Audi, popule Jer. V, 21, 22.
stulte, qui non habes cor : me non timebitis qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum quod non præteribit? *Ab eo autem,* id est ex consideratione divinæ potentiæ, *commoveantur* ad pœnitentiam ac salutarem conversionem, *omnes inhabitantes orbem,* id est sphæram seu circulum terræ. Hoc est quod scriptum est : Non est similis tui, Domine. Ibid. X, 6.
Magnus es tu, et magnum nomen tuum in fortitudine. Quis non timebit te, o rex
gentium ? (9) *Quoniam ipse* Deus omnipo- 9
tens *dixit,* id est, intra se practico intellectu intellectualiter protulit producenda, *et* statim *facta sunt; ipse mandavit,* id est, per voluntatem imperialiter voluit, ut quæ non erant, essent, *et* mox *creata sunt.* Ex quo innotescit, quod Deus est causa rerum per intellectum et voluntatem. Nam

Digitized by Google

Dicere, pertinet ad intellectum; Mandare, ad voluntatem. Ad intellectum pertinet, ordinare, distinguere, specificare; ad voluntatem, exsequi quæ ab intellectu disposita sunt.

10 (10) *Dominus dissipat consilia gentium,* id est, confundit, destruit, disperdit, et ab effectu optato impedit inquisitiones et studia idololatrarum, et etiam Christianorum gentiliter conversantium. Horum consilia Dominus dissipat finaliter, quamvis interdum ad tempus permittat eos regnare et prosperari. *Reprobat autem cogitationes populorum,* non omnium, sed infidelium et malorum. De quibus apud Isaiam testatur (*Is.* LV, 9) : Sicut exaltantur cœli a terra, sic exaltatæ sunt cogitationes meæ a cogitationibus vestris, et viæ meæ a viis vestris. *Et Dominus reprobat consilia principum,* qui tales sunt, quales gentes et populi nunc descripti, videlicet iniquorum; non autem principis boni, de quo habetur (*Ibid.* XXXII, 8), Princeps ea quæ digna sunt principe, cogitabit. Unde ait et alia scriptura (*Job* XXXVI, 5) : Deus potentes non abjicit, quum et ipse sit potens.

11 (11) *Consilium autem Domini in æternum manet.* Consilium proprie sumptum, non competit Deo : nam consilium est inquisitio de agendis; inquisitio autem ignorantiam præsupponit, et ideo Damascenus dicit, quod consilium est ignorantis naturæ. Verumtamen sacra Scriptura frequenter attribuit Deo consilium, sed tunc sumitur consilium secundum id perfectionis, quod in ejus ratione includitur. Adscribitur namque Deo consilium, non in quantum includit inquisitionem dubiosam, sed in quantum excludit improvidam determinationem. Deus enim nil agit fortuito, sed secundum æternas atque incommutabiles rationes omnia agit. Itaque, Consilium Domini in æternum manet, quoniam nullus ei resistere potest (*Sap.* XII, 18), sed subest ei quando voluerit, posse, quemadmodum ipse ait (*Is.* XLVI, 10) : Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet.

Cogitationes cordis ejus in generatione et generationem. Nihil enim volubile, nihil instabile, nihil mutabile esse potest in A Deo æterno, qui etiam alibi dicit (*Malach.* III, 6) : Ego Dominus, et non mutor. Ideo non est in Deo vicissitudo, aut variatio consilii aut cogitationum, præsertim quum quidquid in Deo sit, sit ipsemet Deus sublimis et benedictus. Sed videtur obviare, quod Zacharias ait (*Zach.* VIII, 14, 15) : Sicut cogitavi ut affligerem vos, quum me ad iracundiam provocassent patres vestri; sic conversus in diebus istis, cogitavi ut benefaciam Jerusalem et domui Juda. Et alio loco (*Jer.* XVIII, 7, 8) : Repente loquar adversus gentem et regnum, ut eradicem B et destruam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa super malo quod fecit, agam et ego pœnitentiam super malo quod cogitavi ut facerem ei. Sed hæc atque similia, non sunt intelligenda quasi aliquid in Deo varietur; sed propter diversitatem effectuum dicitur Deus converti et pœnitere, seu aliter aliterque se habere : per quæ designatur mutatio in creatura, non in Creatore. Quidquid enim Deus operatur circa creata, hoc ipse ab æterno se acturum præscivit atque decrevit: sicque ab invariabili C et æterna voluntate summi opificis, procedere possunt temporales ac recentes effectus, sine omni mutatione ipsius: quoniam quidquid Deus operatur in mundo, hoc prævidit se acturum in illo momento in quo fit, secundum omnem modum et circumstantiam sui effectus : et circa hoc quidam philosophi graviter erraverunt. Unde Gregorius asserit, quod Deus non mutat consilium, quamvis mutat sententiam : non illam quæ exprimit æternam divinæ sapientiæ dispositionem, sed il- D lam quæ explicat naturalium seu proximarum causarum ordinem : sicut prædixit (IV *Reg.* XX, 1; *Jonæ* III, 4) Ezechiam moriturum, et Niniven subvertendam, quia utrumque futurum erat secundum proprias suas causas, scilicet secundum infirmitatem Ezechiæ, et crimina Ninivæ; sed divina ordinatio, quæ omnes causas secundas complectitur et excedit, aliter præagnovit, et illius consilium non est mutatum.

(12) *Beata gens* nunc per gratiam et spem, *cujus est Dominus* omnium, *Deus* 12

Digitized by Google

ejus speciali modo, videlicet per fidem et cultum. Et merito dicitur gens talis beata, quoniam ipsa est *populus quem elegit* Dominus *in hereditatem sibi :* ita quod ipse vult eum possidere per providentiam singularem, et gratiam consummatam, ne pereat in æternum, sed ad cœlestem beatitudinem perducatur. Propterea scriptum
Baruch iv, 4. habetur : Beati sumus nos, quoniam quæ Deo placita sunt, manifesta sunt nobis.

13 (13) *De cœlo respexit Dominus :* id est, Dominus, qui specialiter dicitur in cœlo esse et habitare, simili modo dicitur de cœlo respicere. Respexit ergo Dominus de cœlo, quoniam ipse est omnium provisor, rector, judex, considerator ac testis, quem-
Jer. xxix, 23. admodum per Jeremiam ait : Ego sum judex et testis. *Vidit,* id est, intellexit, et ab æterno cognovit, *omnes filios hominum,* id est totam posteritatem Adæ ac Evæ. Non enim nomine filii, exclusæ sunt filiæ.
14 (14) *De præparato habitaculo suo,* id est de summo cœlo, quod ipse sui ipsius et Beatorum habitationi aptavit, *respexit super omnes* homines *qui habitant terram,* ut reddat unicuique quod meretur, imo et indignis misereatur. Propter quod in Ec-
Eccli. xxiii, 28, 29. clesiastico dicitur : Oculi Domini multo plus lucidiores super solem, circumspicientes omnes vias hominum. Domino enim Deo, antequam crearentur, omnia sunt cognita. Et per Jeremiam ipse ait iterum :
Jer. xxiii, 23, 24. Putasne Deus e vicino ego sum, dicit Dominus, et non Deus de longe? Si occultabitur vir in absconditis, et ego non videbo
15 eum, dicit Dominus ? (15) *Qui* Dominus *finxit,* id est creavit, *sigillatim,* id est singulariter et seorsum, *corda eorum,* id est animas hominum. Anima enim creando infunditur, et infundendo creatur. Per hoc ergo quod Propheta asserit animas sigillatim produci, destruitur error ponentium omnes animas rationales simul creatas a principio mundi cum angelis. *Qui intelligit omnia opera eorum.* Dominus enim agnoscit omnia opera hominum interiora et exteriora.

16 (16) *Non salvatur rex per multam virtutem :* id est, nec corporalem salutem, puta victoriam, neque interiorem salutem, utpote beatitudinem, consequetur propriis viribus, aut per fortitudinem sui exercitus ; sed secundum divinæ providentiæ ordinationem datur victoria per virtutem divinam, secundum quod Salomon ait : Equus paratur ad diem belli, Dominus Prov. xxi, 31.
autem salutem tribuit. Et sine gratia non potest adipisci felicitas. Unde Jonathas ait: Non est Domino difficile salvare in multis I Reg. xiv, 6.
vel in paucis. Et sæpe divina virtute pauci multos vicerunt. *Et gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ :* id est, nec corpore prævalebit, nec corde beatus erit sua naturali virtute, nisi in quantum Deus ei præstiterit, qui utique potest per hominem mediocrem gigantem dejicere, sicut dejecit Goliath per David. (17) *Fallax* Ibid. xvii, 49.
equus ad salutem, id est, insufficiens est 17
suo sessori ad salvationem, imo decipiet eum, si in ipso speraverit ; *in abundantia autem virtutis suæ,* id est in magna potentia equi, *non salvabitur* sedens in equo. Propterea Dominus ait : Non glorietur sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis ; sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire et nosse me. Jer. ix, 23, 24; I Cor. i, 31; II Cor. x, 17.

(18) *Ecce oculi Domini,* id est sapientia 18
providens, et misericordia parcens, *super justos; et aures ejus,* id est pietas ac liberalitas, per quam exaudit et donat, *in preces* Cf. Ps. xxxiii, 16.
eorum ; (19) *ut eruat a morte,* id est a pec- 19
cato quod mentem occidit, *animas eorum :* vel a morte etiam corporali interdum, quando expedit bono communi vel animæ justi ; *et alat eos in fame,* id est, mentes eorum sitientes justitiam impleat gratia, et corpora, si necesse fuerit, nutriat pane. Unde Salvator in Evangelio asserit : Primum quærite regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis. Matth. vi, 33.

(20) *Anima nostra sustinet Dominum,* id 20
est, æquanimiter ac longanimiter exspectat eum, sperans sibi semper a Domino gratiam et misericordiam adfuturam ; nec in adversis recedit ab eo, desperando vel

Digitized by Google

diffidendo de bonitate ipsius ; *quoniam adjutor* in bonis, *et protector noster* a malis, *est* ipse Dominus. Nam ipse per gratiam cooperatur atque defendit. Et signum hujus quod ipse est adjutor protectorque
21 noster, est quod sequitur : (21) *Quia in eo lætabitur cor nostrum :* id est, in contemplatione atque dilectione ipsius, atque de omni opere bono et beneficiis ejus, non in nobis, sed in Domino lætabimur. *Et in nomine sancto ejus sperabimus.* Hoc autem nequaquam possemus, nisi ipse Dominus nos adjuvaret. Et istud est verbum bonæ spei ac sancti propositi, non præsumptionis aut confidentiæ propriæ perfectionis. Quoniam ergo, o Domine, in te
22 sperabimus, ideo (22) *Fiat misericordia tua, Domine, super nos,* id est, effectum misericordiæ tuæ, scilicet opem et gratiam, et dona Spiritus Sancti nobis infunde, *quemadmodum speravimus in te,* id est tam copiose et cito, sicut de tua bonitate confidimus. Et tu ergo, quum hunc versum dicis, attende quomodo aut quan-
Eccli. xviii, 23. tum speres in Domino, et ante orationem hanc, præpara animam tuam, ne sis sicut homo tentans Deum. Si enim mente vaganti hæc dicis, non actualiter speras in Domino.

Ecce quam gratæ atque pulcherrimæ laudes Altissimi continentur in psalmo isto. Et primo omnium hortatur omnes generaliter ad laudem divinam ; deinde præconia Dei prosequitur ; et tandem saluberrimam ponit doctrinam, ostendens in solo Deo esse salutem. Et tu igitur, dum ais, Rectos decet collaudatio, vide ut recta sit anima tua cum Deo, ne inveniaris indignus Dei laudator. Denique ex contemplatione magnificentiæ Dei atque mirabilium operum ejus, concipe reverentialem timorem ad ipsum ; et age quod psallis, dum ais, Anima nostra sustinet Dominum ; et, In eo lætabitur cor nostrum. Nam quam fructuosum sit Dominum sustinere, ostenditur ubi scriptum est : Eruis sustinentes Eccli. li, 12.
te, et liberas eos de omni angustia, Domine Deus noster.

Postremo contemplandum est, quam evidenter tangatur Trinitas superbenedicta in versu illo, Verbo Domini cœli firmati sunt. Nam nomine Verbi, exprimitur Filius, de quo alio loco habetur, Fons sapi- Ibid. i, 5.
entiæ Verbum Dei in excelsis ; et iterum, In principio erat Verbum. Nomine autem Joann. i, 1.
Domini, intelligitur Pater. Et per spiritum oris ejus, accipitur Spiritus Sanctus, qui procedit a Patre et Filio, sicut ab uno principio, uno spiratore, ac uno supersplendidissimo fonte.

PRECATIO.

Verbum Patris æterni, Christe, quo cœli firmati sunt, munere Spiritus tui nos illustra, et in opere bono confirma : ut fide Trinitatis et operatione tibi placita justi simus, et cum populo in hereditatem tibi deputato, in æternum glorificandi.

ARTICULUS LXXI

EXPOSITIO PSALMI TRICESIMI TERTII : BENEDICAM DOMINUM IN OMNI TEMPORE.

Assignatur demum psalmo jam expo-
1 nendo titulus talis : *Psalmus David, quum mutavit vultum suum coram Abimelech,*
I Reg. xxi, 10-15. *et dimisit eum, et abiit.* Primo Regum narratur, quemadmodum sanctus David persecutionem Saulis perpessus, venit ad Achis regem Geth, qui alio nomine appellatur Abimelech, ut salvaretur in terra ipsius. Philistæi vero famuli Achis, agnoscentes ipsum David, dixerunt ad regem : Nonne

iste est David rex terræ, id est futurus rex? A
quasi dicerent : Expedit nobis interficere
eum, ne promotus ad regnum, impugnet
et opprimat terram nostram. Quo audito,
voluit eum rex occidere. Quod sentiens David
et resistere nequiens, simulavit amentiam,
et feriebatur manibus suis, et impingebat
in portam, decurrebantque salivæ ex
ore ipsius. Quo viso, ait Abimelech servis
suis : Vidistis hominem insanum ; ad quid
adduxistis eum, ut fureret me præsente?
Fecit ergo eum expelli, et ita salvatus est David.
Unde ad litteram fecit hunc psalmum, B
pro liberatione ista gratias referens Deo.

Sed secundum spiritualem ac mysticum
intellectum, per David intelligitur Christus,
et per Abimelech, qui interpretatur,
regnum patris mei, intelliguntur Judæi,
Matth. viii, 12. de quibus in Evangelio ait Salvator : Filii
regni ejicientur in tenebras exteriores. Venit
ergo David ad Abimelech, id est Christus
ad Judæos, secundum quod ipse ait :
Ibid. xv, 24. Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt
domus Israel. Quem quum vidissent
Luc. xx, 14. Judæi, dixerunt : Hic est heres, venite, oc- C
cidamus eum, et nostra erit hereditas, id
Joann. xi, 48. est, ne veniant Romani, et tollant nostrum
locum et gentem. David autem simulavit
amentiam, quum voluissent eum occide-
Luc. xxiii, 9, 11. re. Sic et Christus nihil respondit Herodi :
propter quod reputavit eum insanum, fecitque
eum tanquam fatuum alba veste
indui atque illudi. Abimelech quoque dixit
de David ad servos suos : Vidistis hominem
insanum. Et Judæi dixerunt de
Joann. x, 20. Christo, Insanit. Et Caiphas, Audistis, in-
Marc. xiv, 64. quit, blasphemiam : quæ est insania ma- D
xima. David autem liberatus a rege iniquo
et populo ejus, gratias egit Deo, et cecinit
psalmum præsentem. Sic et Christus in
resurrectione liberatus de principibus sacerdotum
et malitia Judæorum, gratias retulit
Patri, secundum quod ante dixit :
Ps. xxi, 23. Narrabo nomen tuum fratribus meis, in
medio Ecclesiæ laudabo te. Hic itaque
psalmus convenit Christo, imo cuilibet
Christiano a variis tribulationibus liberato,
et inde gratias Domino referenti.

In horum ergo persona loquens Propheta,
volensque universos accendere ad
Deum laudandum, ait : (1) *Benedicam Do-* 2
minum, id est, bona de Domino dicam,
eumque laudabo, et omne bonum ipsi attribuam,
in omni tempore opportuno, et
ad actualem laudem mihi convenienti seu
deputato. Vel simpliciter, Omni tempore
benedicam Dominum, non ore, sed opere,
vel cessatione ab opere, scilicet somno,
quoniam omnia ordinabo ad gloriam Dei.
Semper laus ejus in ore meo. Repetit quod
prædixit, ad designandum amoris sui fervorem,
quem habet ad hoc, ut sit Domino
gratus. Nil enim aliud est, Dominum benedicere,
quam esse laudem ejus semper
in ore. Nam sicut est benedictio mentalis,
et benedictio vocalis : ita est et os interius
seu mentale quo angeli colloquuntur, et
quo verbum cordis profertur ; est quoque
et os exterius seu corporale, quo verbum
sonans ac transiens dicitur : et de utroque
intelligi potest quod ait, Semper laus ejus
in ore meo. Unde scriptum est : Laudabit Eccli. li. 8.
usque ad mortem anima mea Dominum.
Et Tobias ait : Omni tempore benedic Tob. iv. 20.
Deum, et pete ab eo, ut viam tuam dirigat,
et omnia consilia tua in ipso permaneant.
Et Apostolus : Cantantes, inquit, in Coloss. iii. 16.
cordibus vestris Domino semper.

Semper ergo, o frater, sit laus Dei in
ore tuo, fac tibi consuetudinem bonam, et
nullam des requiem labiis tuis ; assuesce
indesinenter psalmos in ore revolvere, Domino
psallere, in laudibus Dei gaudere :
et quamvis ad tempus sit tibi laboriosum
hoc continuare, tamen si constanter laboraveris
in hoc ipso, fiet tibi in brevi leve
ac dulce, quod ante fuerat grave atque
pœnale. Consuetudo namque seu habitus,
est altera natura, et ideo delectabiliter
agit. Cogita quam miserabile sit, tempus
infructuose expendere, et quod nulla sit
occupatio vitæ præsentis divinior atque
præstantior, tamque angelica ac cœlestis,
ut Deum laudare ; et ex hac consideratione,
noli fatigari in laudibus Dei, quoniam
ipse ait : Ego glorificantes me glorifico. I Reg. ii. 30.

Porro Domino Salvatori, sicut et com-
prehensoribus, versus iste primus perfecte
semper convenit, ita quod Christus ut ho-
mo, a primo suæ maternæ conceptionis
instanti, actualiter omni tempore Domi-
num benedixit, et laudem ejus suo ore,
saltem interiori, revolvit. Non enim som-
nus, cibus, collocutio et similia, unquam
animam Christi ab actuali Divinitatis con-
templatione, amore, aut laude suspende-
runt aut impedierunt.

3 (2) *In Domino laudabitur anima mea :*
id est, si quis velit me laudare propter
virtutes quas videt in me, non in me ip-
so, sed in Domino laudet me, quoniam ab
ipso est omnis perfectio mea. Nec aliquid
I Cor. iv, 7. habeo quod non aliunde acceperim : id-
circo nec volo, nec debeo in me ipso lau-
dari. Nemo itaque aduletur mihi, nemo
mihi applaudat, sed Domino gratias refe-
rat de omni virtute et bonitate in rebus
creatis repertis : quemadmodum ait Apo-
I Tim. i, 17. stolus, Soli Deo honor et gloria. Volenti-
bus vero in se ipsis laudari, Dominus per
Is. iii, 12. Isaiam dicit : Popule meus, qui te beatum
dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gres-
suum tuorum dissipant. Quotiescumque
ergo palpari te sentis tentatione inanis
lætitiæ, seu motu elationis propter bona
quæ habes, responde : In Domino lauda-
bitur anima mea.

Audiant mansueti hoc quod dixi : nam
ipsis sapit quod dictum est. Iracundi enim,
indignabundi, atque superbi, in se ipsis,
non in Domino, volunt laudari. Mansueti
vero qui iram, et per consequens indigna-
tionem superbiamque vicerunt : quia ex
superbia oritur indignatio, et ex indignati-
one impatientia, ex impatientia vero ira :
mansueti itaque in Domino solum laudari
desiderant ; et dum laus eorum aliis cedit
ad ædificationem, et Deo ad gloriam, tunc
libenter audiunt sua præconia. Imo ob
hanc causam aliquando pandunt propria
bona : quemadmodum Paulus in epistolis
II Cor. xii, 11. suis frequentissime facit : Nihil, inquiens,
arbitror me minus fecisse ab his, qui
I Cor. xv, 10. sunt supra modum Apostoli ; et, Abundan-
tius illis omnibus laboravi ; et, Scio homi- II Cor. xii, 2.
nem in Christo raptum usque ad tertium
cœlum ; et, In faciem restiti Cephæ, id Galat. ii, 11.
est Petro archiapostolo, quia reprehensi-
bilis erat ; multaque alia. Itaque audiant
mansueti quod dixi, in Domino animam
meam debere laudari, *et lætentur,* id est,
gratiæ mihi collatæ congratulentur, meum-
que desiderium imitentur, quærentes in
Domino solum laudari : sicut Sophonias
ait, Quærite Dominum, omnes mansueti Soph. ii, 3.
terræ, qui judicium ejus estis operati.

Deinde vir sanctus, non sufficiens per
se Dominum sufficienter laudare, alios in-
citat ad Dei præconia, dicens : (3) *Ma-* 4
gnificate Dominum mecum, id est, ma-
gnitudinem Dei, videlicet immensam ejus
perfectionem, agnoscite, confitemini, ho-
norate, sicut et ego ; *et exaltemus,* id est,
reverenter veneremur, *nomen ejus in id*
ipsum, id est concordi affectu et simili
fide : prout monet Apostolus, Id ipsum di- I Cor. i, 10.
catis omnes, docentes et commonentes vos- Coloss. iii, 16.
metipsos in hymnis et psalmis et canticis
spiritualibus.

(4) *Exquisivi Dominum :* quemadmodum 5
Isaias hortatur : Quærite Dominum dum Is. lv, 6.
inveniri potest ; invocate eum dum prope
est. Et si interrogas quando est hoc, res-
pondet Apostolus : Ecce nunc tempus ac- II Cor. vi, 2.
ceptabile, ecce nunc dies salutis. Nunc Philipp. iv, 5.
enim prope est Dominus. Nam omnis qui Matth. vii, 8.
quærit, invenit. Et ipse in Apocalypsi te-
statur : Ecce ego sto ad ostium, et pul- Apoc. iii, 20.
so. Sic ergo, Exquisivi Dominum, fideliter
contemplando, ardenter amando, bene vi-
vendo, et affectuose orando, *et exaudivit*
me : ita quod reperi eum, et unitus sum
ei per caritatem et gratiam ; *et ex omni-*
bus tribulationibus meis eripuit me, vel
omnino auferendo eas a me, vel dando
mihi gratiam patienter sustinendi. Christo
quoque istud convenit : nam et ipse Deum
orando exquisivit, et in die resurrectio-
nis Deus eum ab omnibus tribulationibus
eripuit.

Ut ergo et vos, o fratres et proximi mei,
eamdem gratiam obtineatis, (5) *Accedite ad* 6

Digitized by Google

eum, non corporis motu, sed cordis affe- A
ctu ; non pede, sed fide ; non solo verbo,
sed opere et veritate. *Et illuminamini :* id
est, si sic accesseritis, tunc utique illumi-
nabimini intus in anima lumine gratiæ,
et sapientiæ claritate atque decore justi-
Jacob. i, 5, 6. tiæ. Unde beatus Jacobus inquit : Si quis
indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat
omnibus affluenter, et dabitur ei. Postulet
autem in fide nihil hæsitans. Et apud Mala-
Malach. iv, 2. chiam Dominus ait : Orietur vobis timenti-
bus nomen meum Sol justitiæ. *Et facies ve-
stræ non confundentur,* id est, intellectus B
vestri seu corda non fraudabuntur spe
sua, nec patebunt contemptui, sed certis-
sime adipiscentur quod quærunt. Et hoc
7 constat ex eo : (6) *Iste pauper,* scilicet Chri-
II Cor. viii, 9. stus, qui quum dives esset, propter nos
egenus effectus est ; vel, Iste pauper, sci-
licet David, qui in libro Regum de se as-
I Reg. xviii, 23. serit, Ego sum vir pauper et tenuis ; vel,
Iste pauper, id est quicumque humilis et
parvus in oculis propriis, qui imperfe-
ctum suum attendit. Itaque, Iste pauper
clamavit, ardenti affectu et prece devota, C
pro misericordia Dei impetranda ; *et Do-
minus exaudivit eum, et de omnibus tri-
bulationibus* mentis et corporis, *salvavit
eum,* in præsenti vita per relevamen et
spem, et post vitam præsentem per omni-
modam amotionem malorum, secundum
Apoc. xxi, 4. quod scriptum est : Absterget Deus om-
nem lacrimam ab oculis Sanctorum su-
orum.

8 (7) *Immittet angelus Domini* adjutorium
suum, *in circuitu timentium eum,* scilicet
Dominum : id est, ex omni parte proteget D
eos, arcendo ab eis dæmonum impugna-
tionem, mundi pericula, atque interius eos
ad bonum persuadendo ac illustrando. Qui-
dam namque angelici spiritus præsunt
communitati, sicut Archangeli : et horum
unus defendit et adjuvat multos, ut Mi-
chael, qui nunc tuetur Ecclesiam, sicut in
Dan. xii, 1. veteri Testamento tuebatur Synagogam.
Alii vero angelici spiritus singulis præsunt
hominibus, ut angeli infimi ordinis, et ho-
rum singuli singulos protegunt. Unde si
de his intelligatur quod ait, Immittet ange-
lus Domini, etc., tunc ponitur singulare pro
plurali, quemadmodum in Exodo scriptum
est, Venit musca gravissima in domum Exod. viii, 24.
Pharaonis. *Et eripiet eos,* scilicet angelus
homines a multis malis. Nullus enim tam
impius est, quin angelus sanctus custos
ipsius, a multis peccatis eum præservet.

(8) *Gustate et videte,* id est, taliter vivi- 9
te, tam sancte, pure atque interne Domino
adhærete, ut gratia tanta vobis præstetur,
per quam certo et experimentaliter agno-
scatis quod sequitur : *quoniam suavis est
Dominus.* Deum namque esse suavem, om-
nes sciunt per intellectum, sed non om-
nes sapiunt per affectum. Per naturalem
rationem Dei dulcedo cognoscitur, sed per
gratiam degustatur. Nil autem dulciter sa-
pit, nisi ametur : idcirco amor est causa
saporis. Ad hoc ergo quod homo divinam
dulcedinem experiatur, oportet ut Deum
fervide diligat : quod esse non potest, nisi
excludat a se quæ caritatem diminuunt.
Caritatis autem venenum et diminutio, est
cupiditas seu amor privatus et ad se in-
ordinate reflexus. Incrementum vero seu
profectus caritatis, est privati amoris mi-
noratio. Perfectio autem caritatis, est pri-
vati amoris mera expulsio : quando vide-
licet homo diligit se pure in Deo, utpote
nihil desiderans, nihilque amans, nisi
Deum propter se, et se in ordine ad Deum,
et alia in quantum per ipsa ad Deum per-
ducitur. Qui ergo ita diligit Deum, omnes
corporales delicias, omnes delectationes
carnales, omnes temporales honores, et uni-
versa caduca et vana contemnit et fugit,
quoniam per talia elongatur a Deo. Porro
carnis macerationem, mundi contemptum,
irrisionem, adversa et dura, sacras vigi-
lias, continuas orationes, atque similia
amat, quia per talia Deo conjungitur.

Qui itaque talis est, gustare potest quo-
niam suavis est Dominus. Vere enim suavis
est Dominus, et fons universæ dulcedinis,
a quo omnia dulcia dulcedinem sortiun-
tur : et ipse Deus excelsus et benedictus,
essentialiter dulcis est, et dulcedo separa-

Digitized by Google

ta, immensa, supersubstantialis atque fon-
tana, omni creaturæ, quantum ad suam
plenitudinem, inexperta. Et vere omni-
no dignissimum est, ut qui hanc divinæ
bonitatis dulcedinem gustare desiderat,
omnem indignam et vilem ac transitori-
am delectationem abhorreat, et cum om-
ni mentis custodia, caritate ac reverentia,
Deo ministret. Hæc enim degustatio, est
futuræ beatitudinis certa ac supernatura-
lis prælibatio, quam nemo philosophorum
aut superborum theologorum unquam gu-
stavit; sed mites et humiles corde, qui
totum suum affectum in illo uno, quod
Luc. x, 42. solum necessarium est, figunt, eam sape-
re promerentur. Hanc autem dulcedinem
gustavit sacratissimus Isaias, dum verba il-
Is. xxvi, 8, 9. la super mel et favum suavia dixit: Nomen
tuum et memoriale tuum, Domine, in de-
siderio animæ. Anima mea desideravit te
in nocte, sed et spiritu meo in præcor-
diis meis de mane vigilabo ad te. Jeremias
Jer. xx, 9. quoque, dum ait : Factus est sermo Domi-
ni in corde meo, quasi ignis exæstuans
claususque in ossibus meis; et defeci, fer-
re non sustinens. Unde alio loco scriptum
Sap. xii, 1. est : O quam bonus et suavis est, Domine,
spiritus tuus in omnibus !

Beatus vir qui sperat in eo. Hoc jam
frequenter expositum est.

Denique ut gustare mereamini dulcedi-
10 nem Dei, (9) *Timete* timore filiali, amoro-
so et sancto, *Dominum, omnes sancti ejus,*
qui adhuc peregrinamini in terra, et adspi-
ratis ad patriam, *quoniam non est inopia*
timentibus eum. Nam in spiritualibus et
corporalibus bonis providet eis Dominus
sufficienter : imo et in bonis interioribus
dat eis quotidianum augmentum et co-
piam magnam, quemadmodum in Evan-
Matth. xxv, 29; *Luc.* xix, 26. gelio ait Salvator : Habenti, id est grato
et coram Domino sollicite ambulanti, da-
11 bitur et abundabit. (10) *Divites eguerunt,* id
est, in divitiis hujus mundi gloriantes, vel
eas superflue desiderantes, eguerunt gra-
tia et virtutibus animæ. Nam ut ait Christi-
Luc. i, 53. fera Virgo, Deus divites dimisit inanes, id
est, a spiritualibus gratiis vacuos. *Et esu-*
A *rierunt,* non utique justitiam et regnum
Dei, sed opes mundanas : quoniam, sicut
in Ecclesiaste dicitur, Avarus non imple- *Eccle.* v, 9.
tur pecunia. Quanto enim plura acquirunt
divites isti, tanto plura desiderant. *Inqui-*
rentes autem Dominum, id est esurientes
ac sitientes justitiam, *non minuentur om-* *Matth.* v, 6.
ni bono. Imo incessanter proficient, do-
nec æternam beatitudinem evolantes in-
veniant.

(11) *Venite, filii, audite me,* id est, in 12
domum disciplinæ congregate vos, et in- *Eccli.* li, 31.
B formationem meam percipite auribus cor-
dis; *timorem Domini docebo vos,* id est,
ostendam vobis quid pertineat ad Dei
timorem, et quomodo acquiratur, conser-
vetur, ac perficiatur. Et debetis libenter
audire me, quoniam instructio mea valet
ad obtinendum vitam æternam, quam quia
diligitis, expedit vobis acquiescere mihi.
Ideo sequitur : (12) *Quis est homo qui vult* 13
vitam religiosam, spiritualem et sanctam,
diligit dies videre bonos? id est, quis est
qui cupit acquirere vitam æternam? Ille
C advertat quod dicam :

(13) *Prohibe linguam tuam a malo,* id 14
est, cohibe te ipsum ab omni sermone il-
licito; *et labia tua ne loquantur dolum,*
id est, te ipsum compesce ne aliquem fal-
las. (14) *Declina a malo,* id est, recede a 15
peccato : quemadmodum alibi scriptum
est, Quasi a facie colubri fuge peccatum; *Ibid.* xxi, 2.
et fac bonum, id est, serva mandata, et
quæ Deo sunt placita. *Inquire pacem,* id
est, stude et satage in mente tranquillita-
tem habere, atque cum proximis tuis con-
D cordiam : maxime vero omnia age ac or-
dina, quatenus ad cœlestis patriæ pacem
merearis perduci; *et persequere eam,* id
est, perfecte et infatigabiliter sequere eam,
amplectendo et operando quæ proficua
sunt ad pacem acquirendam ac conser-
vandam, ea quoque vitando quæ pacem
corrumpunt, videlicet lites, propriæ sen-
tentiæ defensionem pertinacem, verba pun-
gitiva et derisionem. Hinc enim dicit Apo-
stolus : Si fieri potest, quod in vobis est, *Rom.* xii, 18.
cum omnibus hominibus pacem habete.

Digitized by Google

Rom. xiv, 19. Et iterum ait : Quæ pacis sunt, sectemur ; A
et quæ ædificationis sunt, invicem custo-
Coloss. iii, 15. diamus. Et ad Colossenses : Pax Christi
exsultet semper in cordibus vestris.

Præterea in eo quod ait Psalmista, De-
clina a malo et fac bonum, tangit duas
partes justitiæ, in quarum observatione
totius perfectionis summa consistit. Et has
duas justitiæ partes Christus in Evangelio
Luc. xii, 35. tangit, dum ait : Sint lumbi vestri præcin-
cti, id est, abstinete a malo ; et lucernæ
ardentes in manibus vestris, id est, facite
bonum. Patet quoque ex his, quam magna B
sit virtus, linguam refrenare ab omni ser-
Prov. xiii, 3. mone nocivo. Idcirco Salomon ait : Qui
custodit os suum, custodit animam suam ;
qui autem inconsideratus est ad loquen-
Ibid. xxix, 20. dum, sentiet mala. Et alibi : Vidisti homi-
nem velocem ad loquendum? Stultitia ma-
gis speranda est, quam illius correctio. Et
Eccli. xx, 8. rursus scriptum est : Qui multis utitur
Prov. x, 19. verbis, lædit animam suam ; qui vero mo-
deratur labia sua, sapientissimus est. Et
Jacob. i, 26. Jacobus ait : Si quis se putat religiosum
esse, non refrenans linguam suam, hujus C
vana est religio.

16 (15) *Oculi Domini super justos,* id est,
adspectus divinæ pietatis expansus est su-
per eos qui Deo obediunt, ut eos conservet
et dirigat ; *et aures ejus,* id est miseratio
et liberalitas Dei, *in preces eorum,* ut eas
Eccli. xxxv, 21. exaudiat. Nam oratio humiliantis se nu-
17 bes penetrabit. (16) *Vultus autem Domini,*
id est adspectus divinæ justitiæ, *super
facientes mala, ut perdat de terra memo-
riam eorum,* id est, excludat eos a regno
cœlorum, quod est terra viventium, vita D
beata, ita ut nullus Sanctorum in cœlo sit
memor eorum in bonum, videlicet condo-
lendo eis, aut intercedendo pro ipsis.

18 (17) *Clamaverunt justi,* orando ferventer
pro divino auxilio ; *et Dominus exaudivit
eos, et ex omnibus tribulationibus eorum
liberavit eos,* vel in præsenti vita, vel certe
post vitam præsentem, dando eis requiem
sempiternam, sicut patet in sanctis marty-
19 ribus. (18) *Juxta est Dominus,* per gratiam
et misericordiam suam, *his qui tribulato
sunt corde,* id est, qui propter justitiam
tribulantur, aut bono dolore (scilicet pro
peccatis) afficiuntur, aut adversitates pro-
pter Deum æquanimiter ferunt : imo et
omnibus tribulatis prope est, quantum ad
hoc quod citius inclinatur ad miserendum,
indulgendum, succurrendumque eis, quam
aliis, loquendo in genere, et ceteris pari-
bus : quoniam (teste Apostolo) abjecta et I *Cor.* i, 27.
infirma mundi elegit Deus, ut confundat
fortia. Unde Baruch ait : Anima quæ tri- *Baruch* ii, 18.
stis est super magnitudine mali, et incedit
curva et infirma, et oculi deficientes, dant
gloriam et justitiam tibi Domino. Nam in
eis relucet divina justitia, et ideo, quo-
niam in hac vita torquentur, Deus pronus
est ut misereatur eorum. *Et humiles spi-
ritu salvabit :* quemadmodum in Evange-
lio dicitur : Beati pauperes spiritu, quo- *Matth.* v, 3.
niam ipsorum est regnum cœlorum.

(19) *Multæ tribulationes justorum :* nam 20
corde et corpore affliguntur variis modis,
et propter causas diversas, scilicet propter
propria crimina, propter perfectionis ca-
rentiam, propter proximorum errorem, et
propter Dei inhonorationem, ac similes
causas ; *et de omnibus his liberabit eos
Dominus,* partim in hoc sæculo per con-
solationem Spiritus Sancti, et perfecte in
sæculo futuro, quando beatitudinem ple-
nam possidebunt. Propter quod ait Scri-
ptura : Bonus Dominus et confortans in *Nahum* i, 7.
die tribulationis, et sciens sperantes in se.
(20) *Custodit Dominus omnia ossa eorum,* 21
id est, Dominus conservat virtutes justo-
rum, quæ sunt robur et fixio ac fulci-
mentum cordis in Deo ; *unum ex his non
conteretur,* id est, nulla virtus justorum
peribit, sed Domino conservante, in ten-
tatione servabitur, ne vitio obruatur. Hoc
verum est de electis et perseverantibus
usque in finem. Vel sensus est, quod quo-
rum ossa (id est virtutes) conservantur,
non ab ipsis, sed a Domino custodiuntur.
Potest quoque exponi de ossibus corporis,
quæ licet in passione, vel post mortem
conterantur et corrumpantur, custodiun-
tur tamen a Domino, neque finaliter ma-

Digitized by Google

nebunt contrita, sed resuscitabuntur, et A
animæ copulabuntur, sicut et caro in die
novissimo. Secundum hunc modum Chri-
Luc. xxi, 18. stus in Evangelio ait : Capillus de capite
vestro non peribit.
22 (21) *Mors peccatorum pessima :* quoniam
ipsa est via ad mortem æternam, et non
potest esse reparatio gratiæ post eam ; *et
qui oderunt justum, delinquent :* nam odi-
um justi est magnum peccatum, et ma-
jus quam odium peccatoris, quum tamen
utrumque sit mortale peccatum, sicut et
23 odium inimici. (22) *Redimet Dominus ani-* B
mas servorum suorum, indulgendo eorum
peccata, et de via hujus exsilii transferendo
eos ad patriam ; *et non delinquent omnes
qui sperant in eo :* non quod nunquam pec-
cabunt, sed quoniam pœnitentiam agent,
nec in peccato finaliter perseverabunt. Se-
cundum hunc intellectum, alio etiam loco
I Joann. iii, 9. scriptum est : Qui natus est ex Deo, non
peccat, quoniam semen ipsius in eo ma-
net, et non potest peccare, sed generatio
Dei conservat illum.

Ecce quam admirabilis est virtus hujus C
psalmi ; quam consolatorium atque jucundum, attente depromere psalmum hunc ipsum. Primo omnium continet laudes Altissimi. Deinde excitat omnes ad laudem ipsius ; narrat quoque varia beneficia Dei, et ad divinæ dulcedinis gustum nos invitat. Exhortationem etiam saluberrimam et præcepta perfecta proponit. Postremo inter justos et impios præclare distinguit, et sæcularium hominum vanitatem ostendit, ipsumque omnium Creatorem asserit singulos intueri, ut vel sic studeant homines vivere timorate coram Deo omnia considerante. Studeamus ergo cum omni stabilitate, attentione atque fervore cantare hunc psalmum : quod si fecerimus, mirabilem suavitatem in ipso experiemur, ad proficiendum accendemur, et ad mundi contemptum erudiemur.

PRECATIO.

Propitiator omnium Deus, fac nos declinare a malo, et facere bonum ; da nobis pacem semper inquirere et sectari, per quam, suavitatem tuam gustantes et videntes, præveniente clementia tua, beatificemur in te sperantes.

ARTICULUS LXXII

EXPOSITIO PSALMI TRICESIMI QUARTI : JUDICA, DOMINE, NOCENTES ME.

Habet autem psalmus jam exponendus
1 hunc titulum : *Psalmus ipsi David :* id
est, psalmus iste a David compositus, con- D
venit Christo per David præfigurato, et membris ipsius. Primo igitur exponendus videtur de Christo, deinde de membris ipsius.

Christus ergo ut homo, passione jam ingruente, ait ad Patrem æternum, seu totam superfelicissimam Trinitatem : (1) *Judica, Domine, nocentes me,* id est, profer sententiam tuæ justitiæ contra Judæos me persequentes ; *expugna impugnantes me,* id est, vince, dejice, et potestate, regno ac patria priva Judæos, me verbis atque verberibus invadentes. Hoc impletum est in Judæis per principes Romanorum, qui eos gravissime vastaverunt, expugnaverunt, expulerunt, aut occiderunt. (2) *Ap-* 2
prehende arma et scutum, id est, armis et
scutis muni ac robora principes Romanorum, videlicet Vespasianum ac Titum cum populo suo, adversus Judæos ; *et exsurge in adjutorium mihi,* id est, per manum
illorum debella adversarios meos. (3) *Ef-* 3

funde frameam, id est, extrahe gladium, multiplica ultionem, emitte vindictam : *et conclude adversus eos qui persequuntur me,* id est, omnia mala ista pœnalia induc super Judæos, et trade eos in manum inimicorum suorum, propter peccata quæ commiserunt in me.

Vel sic, et spiritualius : *Apprehende arma et scutum,* id est, accipe virtutem tuam divinam ac omnipotentem, per quam in te ipso fortis es et quasi armatus, aliosque potens defendere. Hæc virtus Dei est ipsemet Deus omnipotens ; sed dum Deus hac potestate non utitur, utpote sinens homines justos tribulari a malis, tunc videtur quasi deponere arma sua et scutum, id est virtutem suam, secundum quod Propheta alius inquit : Quare non respicis
Habac. I, 13. contemptores, Domine, et taces, conculcante impio justiorem se ? Dum autem Deus potestatem suam exercet, bonos eripiens, impiosque affligens, tunc accipere dicitur virtutem suam, id est arma et scutum. Juxta hunc sensum scriptum est :
Apoc. XI, 17. Gratias agimus tibi, Domine Deus omnipotens, qui es, et qui eras, qui accepisti virtutem tuam magnam, et regnasti. Quamdiu enim permisit idololatriam ita invalescere, et dæmones hominibus prævalere, quasi deposuit suam virtutem ; sed quum
Ps. XVIII, 6. incarnatus venit in mundum, exsultans ut gigas ad currendam viam, aeriasque potestates expugnans ac homines redimens, tunc accepit suam virtutem, et regnavit in his, in quibus ante regnavit diabolus. — Sic ergo ait Christus homo ad Deum Patrem : Apprehende arma et scutum, et exsurge in adjutorium mihi, id est, a mortalitate redime me per resurrectionem beatam ; *dic animæ meæ,* id est vitæ meæ corporali : *Salus tua ego sum,* id est, tertio die reparabo te, et immortalem te faciam, uniendo animam corpori immortali. In his itaque precibus Christus orat pro resurrectione corporis sui.

4 (4) *Confundantur,* id est, confusione digni appareant, et pœnam suæ perversitatis incurrant, *et revereantur,* id est, pœnam sibi infligendam formident, *quærentes animam meam,* id est, exstinguere cupientes vitam meam. Hoc modo confusi atque reveriti sunt Judæi in præsenti vita, et post eam. Nam modo ab omnibus contemnuntur et opprimuntur, et post hanc vitam cadunt in pœnam æternam. (5) *Avertantur retrorsum,* id est, mentis cæcitate obtenebrentur, et non convertantur ad te, sed per obstinationem recedant a te, *et confundantur,* id est, per experientiam tormentorum erubescant de suis malitiis in hoc sæculo, vel in inferno, *cogitantes mihi mala,* id est, qui mala concipiunt contra me, cogitantes quomodo possint me capere *Luc.* XI, 20; *Joann.* XI, 53.
in sermone, et accusare atque occidere.

(6) *Fiant tanquam pulvis ante faciem* 5
venti : id est, Judæi prædicti tam facile superentur ab hostibus suis, et per totum mundum dispergantur, privati proprio solo, quam facile pulvis a vento impellitur, et per aera dispergitur; *et angelus Domini coarctans eos,* id est, Michael qui erat ali- *Dan.* XII, 1.
quando princeps atque protector Synagogæ, jam deserat eos vastari et coarctari per populum Romanum in obsidione Jerusalem a Tito. Potest quoque per angelum intelligi angelus malus, cujus cooperatione tam atrociter coarctabantur, et interficiebantur Judæi in ultionem sanguinis Christi. (7) *Fiat via,* id est vita seu 6
operatio, *illorum,* scilicet Judæorum, *tenebræ,* id est excæcata ac privata lumine fidei, agnitionisque Christi, *et lubricum,* id est vaga atque inconstans : ita ut in propriæ habitationis terra stare non possint, nec alicui stabili fundamento innitantur, eo quod Christum negaverint : qui est solum et verum fundamentum omnium electorum, quemadmodum ait Apostolus : Fundamentum aliud nemo ponere *1 Cor.* III, 11.
potest, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus; *et angelus Domini persequens eos,* id est, angelus sanctus sinat eos persecutionibus fatigari. Vel, angelus malus persequatur eos, detinendo corda eorum in obstinatione perfidiæ, suisque tentationibus eos fallendo.

Digitized by Google

7 Et ista eis contingant, (8) *Quoniam gra-* A
tis absconderunt mihi interitum laquei
sui : id est, sine culpa mea tetenderunt
Matth. xvi, 4; xxvii, 1. insidias, et fecerunt consilia contra me,
quomodo mortem mihi inferrent.. Mors
namque hoc loco vocatur interitus laquei,
id est laqueus interimens. Judæi enim do-
losissime et quidem occulte tractabant in-
ter se, quomodo Christum occiderent. *Su-*
pervacue exprobraverunt animam meam,
id est, superflue et inutiliter imposuerunt
mihi crimina multa, atque contumeliis af-
Ibid. xi, 19; *Luc.* xxiii, 5; *Joann.* vii, 12; x, 20. fecerunt me, dicentes : Homo vorax, se- B
ducit populum, insanit, atque similia.

(9) *Veniat illi,* id est populo me per-
8 sequenti, *laqueus quem ignorat,* id est
tribulatio improvisa morsque incerta; *et*
captio quam abscondit, id est comprehen-
sio, tentio seu ligatio, quam inter se pro-
ponebant mihi inferre, ac intulerunt in
Joann. xviii, 12. nocte passionis meæ, dum cohors et tri-
bunus ac ministri Judæorum injecerunt
manus in me, *apprehendat eum,* id est,
fiat eis causa, meritum et occasio, qua ab
adversariis suis capiantur, ligentur ac de- C
tineantur; *et in laqueum cadat in ipsum,*
id est, captio ista quam absconderunt, fiat
eis nociva et laqueus mortis, mihi vero
non noceat, sed causa honoris et gloriæ
fiat mihi. Hoc totum in Judæis et Christo
impletum videmus.

Porro hæc omnia dicit Christus, non im-
precando seu optando adversariis suis ma-
la, imo (ut infra habetur) ipse oravit pro
eis; sed conformando se divinæ justitiæ et
futura prædicendo, ac insinuando quid cul-
pa illorum promeruit. Verumtamen quod D
dictum est, Confundantur et revereantur
quærentes animam meam, etc., exponi
posset in bono, et per modum orationis, ita
ut Christus intelligatur desiderasse con-
versionem Judæorum, et castigationem eo-
rum in præsenti, ne æternaliter punirentur,
quemadmodum patebit in sequenti
expositione.

9 (10) *Anima autem mea exsultabit in Do-*
mino : anima enim Christi semper erat in
actuali gaudio beatificæ fruitionis; *et de-*
lectabitur interiori lætitia, *super salutari*
suo, id est de omni beatitudine quam Do-
minus præstitit ei. (11) *Omnia ossa mea,* id 10
est tota fortitudo mea et omnes virtutes
animæ meæ, *dicent : Domine, quis similis*
tui ? quasi dicat : Nullus, quoniam tu om-
nia in infinitum excedis in omni nobili-
tate et gloria. Vel sic : Omnia ossa mea
dicent, id est, ossa corporis mei signis et
gestibus devotis declarabunt interiorem
lætitiam, quam habeo in te ex conside-
ratione tui ac beneficiorum tuorum. Ma-
gna namque hilaritas cordis redundat in
corpus, et facit in eo gestus jucundos, in-
ternam lætitiam demonstrantes. Domine,
quis similis tui? (12) *Eripiens inopem,* id
est me Christum adeo pauperem, ut non
haberem ubi caput reclinarem, *de manu* *Luc.* ix, 58.
fortiorum ejus, id est de potestate et ra-
bie Judæorum, qui quantum ad hoc visi
sunt fortiores me fuisse, quod permissi
sunt prævalere in me, mortem corpori in-
ferendo; et eripiens in die resurrectionis
meæ, *egenum* in temporalibus bonis, qui
de aliorum facultatibus vixi, *et pauperem,*
id est abjectum et humilem, *a diripienti-*
bus, id est crucifigentibus *eum.*

(13) *Surgentes testes iniqui,* in nocte 11
passionis meæ in domo Caiphæ, *quæ igno-*
rabam per approbationem, id est, quæ non
commisi, *interrogabant me,* id est, per
modum inquirentium objiciebant mihi,
exigentes responsionem a me. Unde Mat-
thæus dicit : Principes autem sacerdotum *Matth.*
et seniores et omne concilium, quærebant xxvi, 59, 60.
falsum testimonium contra Jesum, ut eum
morti traderent; et non invenerunt, quum
multi falsi testes accessissent. (14) *Retri-* 12
buebant mihi mala pro bonis : quia pro
prædicatione, oratione atque miraculis, qui-
bus eos ad fidem convertere volui, per-
secuti sunt me usque ad mortem. Unde
Christus dixit Judæis : Multa bona opera *Joann.* x, 32.
ostendi vobis ex Patre meo : propter quod
horum vultis me lapidare? Et alibi : At- *Jer.* xviii, 19, 20.
tende, Domine, et audi voces adversario-
rum meorum. Numquid redditur pro bo-
no malum, quia foderunt foveam animæ

Digitized by Google

meæ ? Itaque, Retribuebant mihi mala pro A
bonis, scilicet *sterilitatem animæ meæ,* id
est, bonorum infecunditatem, seu vitia,
quæ sunt sterilitates animæ, imposuerunt
mihi.

13 (15) *Ego autem, quum mihi molesti essent,* id est, dum me persequerentur Judæi, præsertim tempore passionis, *induebar cilicio.* Ad litteram non legimus, Christum usum fuisse cilicio, sed jejunasse. Quid ergo per cilicium, nisi carnis infirmitas, et similitudo carnis peccati significatur ? Itaque Christus in persecutione et passio- B
ne sua cilicio induit se, id est, sub mortalis
carnis tegumento divinitatem abscondit,
Ps. xxi, 7. ita ut potius videretur vermis quam Deus.
Matth. xi, 6. Propter quod ipse in Evangelio ait : Beatus
est qui non fuerit scandalizatus in me, id
est, qui propter humilia et abjecta, quæ
corporaliter ago aut patior, non abnegat
in me confiteri Divinitatis naturam. Et
Is. liii, 3. Isaias de Christo inquit : Quasi absconditus vultus ejus et despectus. (16) *Humiliabam in jejunio animam meam,* id est,
corporali jejunio me afflixi, maxime in C
Matth. iv, 2. deserto, ubi quadraginta diebus ac noctibus sine omni cibo vixi. *Et oratio mea,*
quam fudi pro his qui noluerunt conver-
Luc. xxiii, 34. ti, dicendo in cruce, Pater, ignosce illis ;
et alias sæpe pro Judæis orando ; *in sinu meo,* id est ad me ipsum, *convertetur,* id
est, effectus et meritum orationis redundabit in me. Sed videtur huic sententiæ
repugnare quod jam sæpe inductum est,
puta Christum semper exauditum a Patre,
Joann. xi, 41, 42. quemadmodum ipse testatur : Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me ; ego D
autem sciebam quoniam semper me audis. Sed hujus dilutionem satis arbitror
posse patere ex his, quæ dicta sunt in
expositione psalmi vicesimi primi, ubi dictum est atque expositum ex persona Chri-
Ps. xxi, 3. sti, Deus meus, clamabo per diem, et non
exaudies.

14 (17) *Quasi proximum, et quasi fratrem nostrum sic complacebam.* Hoc dupliciter exponi potest. Primo sic : Quasi proximum, et quasi fratrem nostrum, subaudi, arbitrans populum Judæorum et unumquemque eorum ; sic complacebam, id est, sic de eorum profectu et prosperitate gaudebam. Vel sic : Quasi proximum, etc., id est, tanquam de proximo et fratre sic complacebam, id est, sic mihi in eis complacui, et de eorum affinitate gaudebam,
atque pro eis tanquam pro carissimis pro- Joann. x, 15.
priam animam posui, qui mihi (sicut prædictum est) retribuebant mala pro bonis, et me tandem crucifixerunt. *Quasi lugens* oculis corporis, *et contristatus,* compassione pii affectus, *sic humiliabar,* id est, sic me ipsum pro eorum salute humiliavi
atque afflixi. Unde scriptum est : Videns Luc. xix, 41.
Jesus civitatem, flevit super eam, id est
super populum ejus. Et rursus : Contri- Marc. iii, 5.
status est Jesus super cæcitate cordis eorum. Et utique quanto populus ille sibi propinquior fuit, tanto de eorum ingratitudine atque duritia amplius doluit.

Denique ingratitudinem Judæorum Chri-
stus consequenter insinuat, dicens : (18) *Et* 15
adversum me lætati sunt, id est, de adversitatibus meis ex odio gavisi sunt :
quemadmodum in Luca habetur : Abiit Luc. xxii, 4, 5.
Judas et locutus est cum principibus sacerdotum, quomodo illum traderet eis ; et gavisi sunt, et pacti sunt pecuniam illi dare. *Et convenerunt,* id est, consilium contra me ad invicem habuerunt, sicut
Joannes testatur : Collegerunt pontifices Joann. xi, 47.
et Pharisæi concilium, et dicebant : Quid facimus, quia hic homo multa signa fa-
cit ? Et Matthæus : Congregati sunt prin- Matth. xxvi, 3, 4.
cipes sacerdotum et seniores populi, etc., et consilium fecerunt, ut Jesum dolo tenerent et occiderent. *Congregata sunt super me flagella,* id est persecutiones et pœnæ,
præsertim in die Parasceves, quando sa- Job xvi, 11.
tiati sunt pœnis meis, *et ignoravi,* id est, per modum ignorantis me habui, quia non fugi. Vel, Ignoravi, id est, de causa tantarum pœnarum, videlicet de culpa, mihi conscius non fui. Vel, Ignoravi, secundum æstimationem eorum et etiam Judæ. Se-
cundum hunc sensum scriptum est : Ego Jer. xi, 19.
quasi agnus mansuetus qui portatur ad

Digitized by Google

victimam, et non cognovi quia super me A cogitaverunt consilia.

16 (19) *Dissipati sunt,* id est cordibus dissoluti, ex pavore mirabilium quæ tempore passionis fiebant, quando videlicet Matth. xxvii, 45, 51. adspiciebant terram moveri, solem obscurari, et velum templi esse conscissum; *nec compuncti,* id est, de peccato suo nequaquam pœnituerunt, sed in incredulitate manserunt. Vel sic: Dissipati sunt, id est ab invicem dispertiti, et per totum mundum dispersi; nec compuncti, id est, ex tanta sua pœna non advertunt se pro- B pter peccatum in me commissum, a Deo Ibid. xxii, 16. relinqui. *Tentaverunt me,* dicendo, Magister, scimus quia verax es, ac aliis modis, ut aliquid reprehensionis invenirent in me; *subsannaverunt me subsannatione,* quando in cruce pendenti illudendo di- Ibid. xxvii, 42; Luc. xxiii, 35. xerunt, Si rex Israel est; vel, Si hic est Christus Dei electus, descendat nunc de cruce; *frenduerunt super me dentibus suis,* id est, furibundo rancore stridebant in me, sicut dum caput meum spinis punxerunt, arundine percusserunt, et coram C Joann. xix, 12. præside clamabant Judæi: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Unde sanctus Job xvi, 11. Job: Aperuerunt, inquit, super me ora sua, exprobrantes percusserunt maxillam meam; et satiati sunt pœnis meis.

17 (20) *Domine,* Pater cœlestis, *quando respicies?* id est, quando oculo paternæ subventionis te ista videre ostendes? *Restitue animam meam* suo corpori per resurrectionem, *a malignitate eorum,* id est, de persecutione Judæorum eam salvando; *a leonibus,* id est a Judæis superbis ac fe- D ris, restitue seu libera *unicam meam,* id est animam meam tibi summe ac unice prædilectam; vel, Unicam, id est unam solam in corpore meo exsistentem. Nam in uno corpore animato non est nisi una anima.

18 (21) *Confitebor tibi* Deo Patri *in ecclesia magna,* id est in plebe catholica per me ipsum et meos ministros, quando restitueris animam meam a malignitate eorum; tunc quoque *in populo gravi,* id est in populo christiano, probitate morum honesto atque maturo, *laudabo te.* Hoc est quod superius dictum elucidatumque est: Narrabo nomen tuum fratribus meis; in medio ecclesiæ laudabo te. Ps. xxi, 23. Est autem et aliud genus populi gravis, in quo Christus Patrem non laudat. De quo dicitur: Væ populo gravi iniquitate; dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt Sanctum Israel. Is. i, 4. De quo in Apocalypsi ait Joannes: Dicunt se Judæos esse, et non sunt, sed sunt synagoga Satanæ. Apoc. ii, 9. Verumtamen in hoc quoque populo Christus aliquo modo laudat Patrem, in quantum per se ipsum suosque discipulos verbum salutis prædicavit, atque misericordiam Dei ac beneficia ejus ipsis patefecit.

19 (22) *Non supergaudeant mihi:* id est, o Domine Pater, etsi permittis Judæos gaudere de pœnis meis usque ad crucis patibulum, tamen non supergaudeant mihi, id est, post passionem non diu, neque superflue gaudeant de meo interitu, quasi omnino exstinctus sim, nec resurrecturus; *qui adversantur mihi inique,* id est Judæi, qui sine culpa mea quærunt opprimere et prorsus delere nomen ac memoriam meam: quemadmodum scriptum est ex persona eorum: Mittamus lignum in panem ejus, Jer. xi, 19. id est, morte crucis cibemus eum, et eradamus eum de terra viventium. *Qui* Judæi *oderunt me gratis,* id est sine demerito meo, quia nil nocui eis, *et annuunt oculis,* id est, inter se gestus irrisionis fingunt, quibus se mutuo cohortantur ad deridendum me. Hanc autem scripturam allegat Christus, dicens: Si Joann. xv, 24, 25. opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem et viderunt, et oderunt et me et Patrem meum: sed ut impleatur sermo qui in lege eorum scriptus est, Quia odio habuerunt me gratis. Ex quo apparet, quod psalmus iste ad litteram sit de Christo exponendus: quoniam allegatio seu probatio non valet nisi ex sensu litterali, secundum Augustinum. Propterea expositio exponentium psalmum istum ad litteram de

Digitized by Google

David, non placet, quamvis littera possit applicari ad David, sicut ad ceteros justos, quemadmodum in sequenti expositione introducam.

Quidam vero nimis litteraliter exponit hunc librum Psalmorum. Nam non solum psalmum præsentem, sed et alios plurimos psalmos, qui manifeste loquuntur de Christo et ejus passione atque mysteriis, exponit ad litteram de David, nullam de Christo mentionem inducens : quos tamen psalmos sancti atque catholici doctores, videlicet Hieronymus, Augustinus, Cassiodorus et Hugo, de Christo exponunt. Præterea psalmum præhabitum, scilicet tricesimum, cujus exordium est, In te, Domine, speravi, qui evidenter de Christo pertractat, non exponit nisi de David : cujus defectus ex suo argumento ostenditur. Psalmum enim vicesimum primum, cujus principium est, Deus, Deus meus, respice in me, probat ad litteram exponendum esse de Christo, per hoc quod Christus pen-
Matth. XXVII, 46. dens in cruce, protulit principium hujus psalmi, tanquam dictum ex sua persona. Si ergo ob hanc rationem psalmus ille explanatur de Christo, pari ratione et psalmus tricesimus ad litteram exponendus erit de Christo : quoniam Christus pendens in cruce, protulit prosecutionem illius
Luc. XXIII, 46. psalmi, utpote versum illum, In manus tuas commendo spiritum meum, tanquam dictum ex sua persona. Pariformiter et de psalmo præsenti argui potest, in quo ait Propheta, Oderunt me gratis : quod Chri-
Joann. XV, 25. stus apud Joannem clare fatetur de se prophetatum. Alias non dixisset, Ut impleatur sermo, etc., quia si de ipso David hoc ad litteram dictum fuisset, tunc utique sermo ille diu fuisset impletus ante Christi adventum.

20 Deinde Christus ait : (23) *Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur* Judæi increduli, id est verba quæ videbantur esse amorosa atque pacifica : sicut ex Evangeli-
Matth. XXII, 36. orum patet decursu, ut est illud : Magister, quod est mandatum magnum in lege? Et
Joann. VIII, 4. de muliere in adulterio deprehensa : Magister, inquiunt, quid tibi videtur? Et : Magister, volumus a te signum videre. *Et* *Matth.* XII, 38.
in iracundia terræ, id est ex ira orta ex vitioso amore rei terrenæ, *loquentes* inter se et etiam mecum, *dolos cogitabant,* videlicet ut possent me reprehendere, tanquam transgressorem legis. Judæi enim terrena inordinate amabant, videlicet divitias, honorem et gloriam temporalem : et quoniam Christus reprehendit eos de hoc, invidiam conceperunt contra eum, atque ex ira cordis locuti sunt secum verba dolosa. Et ideo ait Salvator in Evangelio : Me odit *Joann.* VII, 7.
mundus, quia ego testimonium perhibeo de illo, quia opera ejus mala sunt. (24) *Et* 21
dilataverunt super me os suum, id est, lato ore deriserunt, vituperaverunt, et blas- *Luc.* XXIII, 35-39.
phemaverunt me, maxime tempore passionis, tuncque *dixerunt : Euge, euge,* id est, valde bene jam accidit, quoniam captus es. *Viderunt oculi nostri,* id est, nos ipsi vidimus mala quæ tibi imponimus, scilicet quod seduxisti populum, et legem *Joann.* VII, 12.
transgressus es, dicendo te Christum esse. Hoc est quod Judæi coram Pilato dicebant : Nos legem habemus, et secundum *Ibid.* XIX, 7.
legem debet mori, quia Filium Dei se fecit. Sæpe autem in Scripturis accipitur visus pro quolibet sensu communiter.

(25) *Vidisti, Domine* Pater, omnia mala 22
mihi injuste illata ; *ne sileas,* id est, profer sententiam, approbando meam justitiam, et reprobando illorum malitiam. *Domine, ne discedas a me,* id est a natura humana quam assumpsi, sed da mihi tertio die resurgere, et quadragesimo die ascendere. (26) *Exsurge,* id est, per modum 23
surgentis te habe, mihi adsistendo et succurrendo, quantum ad corporis glorificationem ; *et intende judicio meo,* id est, considera judicium, quo tam injuste et ignominiose adjudicatus sum morti, et pro illo judicio da mihi judiciariam potestatem, quoad manifestationem, ut sim judex *Act.* X, 42.
vivorum et mortuorum per exsecutionem. Hanc enim potestatem, hocque activum judicium meruit Christus, eo quod judicium iniquum passus sit. Itaque, Intende

Digitized by Google

judicio meo, et judica me judicio prædi- A
ctæ remunerationis, *Deus meus ; et* tu qui
es *Dominus meus*, secundum quod formam
servi accepi, intende *in causam meam*, id
est, respice ob quam rationem ista susti-
neo, videlicet propter tuum honorem ac
mundi salutem, et non propter aliquam
Matth. xxvii, 38. culpam meam, quemadmodum latrones,
inter quos ad mortem ducor atque in cru-
ce suspendor. Hoc est quod in libro Job
Job xxxvi, 17. scriptum est : Causa tua quasi impii ju-
dicata est ; causam judiciumque recipies.
24 (27) *Judica me* judicio remunerationis, quan- B
tum ad præmium accidentale, *secundum
justitiam tuam*, id est secundum dictamen
tuæ divinæ justitiæ ; vel secundum justi-
tiam meam, mihi a te collatam, *Domine
Deus meus*. Hoc Christus secure rogavit,
quoniam sine omni malitia fuit, et se esse
Matth. iii, 17 ; xvii, 5. Filium Dei, in quo Patri summe compla-
cuit, novit. *Et non supergaudeant mihi.*
vers. 19. Hoc jam semel in psalmo præsenti expo-
situm est.
25 (28) *Non dicant in cordibus suis*, id est,
non cogitent amplius : *Euge, euge, animæ* C
nostræ : id est, quam delectabiliter conti-
Sap. ii, 20, 15. git nobis, quod ita potuimus turpissima
morte occidere istum, qui erat nobis gra-
vis ad videndum ! *Nec dicant : Devorabi-
mus eum*, id est, nomen atque memoriam
ejus, et omnes ejus sectatores exstingue-
mus ; sed per miracula demonstra me re-
suscitatum a mortuis. Unde Petrus, quum
sanasset claudum ex utero, dixit Judæis :
Act. iii, 12, 13. Viri Israelitæ, Deus patrum nostrorum glo-
rificavit Filium suum, id est, vivum et
gloriosum ostendit, per istud miraculum. D
Propter cujus miraculi evidentiam non au-
debant Judæi in Apostolos mittere ma-
num, cessabantque aliquo modo Jesum
reputare inter iniquos : nam et volebant
quasi immunes videri a morte ipsius, di-
Ibid. v, 28. centes Apostolis : Ecce replestis Jerusalem
doctrina vestra, et vultis super nos indu-
cere sanguinem hominis hujus. Hinc quo-
26 que Christus subjungit : (29) *Erubescant*
Judæi increduli de peccatis commissis in
me, et morte mihi ab ipsis inflicta, *et re-
vereantur simul*, id est, pariter timeant
divinæ justitiæ ultionem, *qui gratulantur
malis meis*, id est, qui de pœnis meis læ-
tati sunt ex mera invidia. Eamdem autem
sententiam sequens versus sub aliis ver-
bis includit. (30) *Induantur confusione et
reverentia*, id est, mente et corpore con-
fundantur et expavescant, atque totaliter
operiantur erubescentia et timore, quem-
admodum homo tegitur vestimento, *qui
maligna loquuntur super me*, id est, qui
crimina gravia mihi imponunt.
(31) *Exsultent* exteriori lætitia, *et læten-* 27
tur mentali delectatione, *qui volunt justi-
tiam meam*, id est, qui amant, approbant,
et sequuntur doctrinam, vitam et passio-
nem meam ; *et dicant semper, Magnificetur
Dominus*, id est, incessabiliter laudent
Deum, *qui volunt pacem servi ejus*, id
est, qui adipisci desiderant, vel adeptam
affectuose custodiunt pacem Christi : qui
est servus Dei, quemadmodum per Zacha-
riam Dominus ait, Ecce ego adducam ser- *Zach. iii, 8.*
vum meum Orientem. Orat itaque Christus,
ut filii pacis, qui pacem veram affectant,
Deum collaudent, quoniam digni sunt Deum
laudare tanquam filii ejus, ut Christus ip-
se testatur, dicens : Beati pacifici, quoniam *Matth. v, 9.*
filii Dei vocabuntur. Pax Christi alia est
a pace mundi, ut idem ipse affirmat : Pa- *Joann. xiv, 27.*
cem relinquo vobis, pacem meam do vo-
bis ; non quomodo mundus dat, ego do
vobis. De pace autem mundi iterum ait :
Non veni pacem mittere, sed gladium. Ita- *Matth. x, 34.*
que pax Christi in interiori homine sita
est. Est enim tranquillitas mentis seu qui-
es a perturbatione peccati, consistens in
hoc, quod caro perfecte obedit spiritui,
sensualitas rationi, et ratio legi divinæ, ut
sit homo fixus in Deo, et mente tranquil-
lus, nil habens amaritudinis contra ali-
quem. Porro pax mundi, est quieta fruitio
temporalium bonorum, exclusis his quæ
carnalem delectationem transitoriasque
delicias auferunt sive diminuunt. Hæc pax
non est vera pax, sed pessima quies, quia
non est pax impiis, dicit Dominus. Hanc *Is. lvii, 21.*
ergo Christi pacem quæramus, diligamus

Digitized by Google

et conservemus, si volumus esse idonei laudatores Altissimi.

28 (32) *Et lingua mea meditabitur,* id est, ex interiori meditatione loquetur, *justitiam tuam,* o Pater cœlestis, docendo evangelicam legem, quæ est lex perfectæ justitiæ, *tota die laudem tuam,* id est, indesinenter atque quotidie laudabit te.

ARTICULUS LXXIII

EXPOSITIO MORALIS EJUSDEM PSALMI TRICESIMI QUARTI, DE QUOCUMQUE JUSTO ATQUE ECCLESIA.

Modo videndum est, quomodo quilibet nostrum possit ac debeat psalmum istum in propria persona cantare, ipsumque intelligere de Christi Ecclesia, quæ capiti suo ac sponso semper conformari desiderat. Fidelis ergo christiformiter vivens, et variis tribulationibus circumseptus, atque considerans se propriis viribus prævalere non posse, clamet ad Deum : *Judica, Domine, nocentes me,* etc.

Totus hic locus, quo petitur auxilium contra hostes, uno modo exponi potest de
1 invisibilibus hostibus, ut sit sensus : *Ju-
dica, Domine,* id est, juste condemna, *nocentes me,* id est dæmones me tentantes, meque a profectu frequenter impedientes, immittendo mihi phantasmata inutilia tempore divinorum. Sed quum dæmones jam judicati sint, et irreparabiliter condemnati, quid necesse est orare ut judicentur ? Sciendum ergo, quod dæmones nondum habent omnem pœnam quam habituri sunt : imo frequenter de novo augetur pœna eorum. Quamvis enim sint in termino, tamen sicut angeli sancti merentur præmium accidentale, homines custodiendo ; sic dæmones promerentur augmentum miseriæ accidentalis, videlicet pœnam sensus, homines pios tentando. Sed quantum ad essentialem miseriam, quæ est aversio a summo bono, seu divinæ visionis carentia, sunt omnino in termino : et quantum ad eam, nec merentur, nec demerentur, sicut nec animæ in inferno jam exsistentes. Dum ergo ait, Judica, Domine, nocentes me, scilicet dæmones, sensus est : Argue et afflige eos. Et juxta hunc sensum in Zacharia scriptum est :
Increpet Dominus in te, Satan, et increpet Zach. III, 2.
Dominus in te. *Expugna impugnantes me,* id est, aerias potestates me tentationibus variis molestantes, aliosque ad me persequendum incitantes debella, præstando gratiam mihi, per quam eorum suggestioni efficaciter resistam, et adversa quæ mihi ex eorum machinatione contingunt, patienter sustineam. Unde Apostolus ait :
Deus pacis conteret Satanam sub pedibus Rom. XVI,
vestris velociter. 20.

Apprehende arma et scutum, id est, po- 2
testatem tuam exercendo assume, meque per eam conforta et protege ; *et exsurge in adjutorium mihi,* ne tentationi succumbam, ne concupiscentiam sequar, ne
infirmitate dejiciar. *Effunde frameam,* id 3
est increpationem et pœnam super tentatores prædictos, *et conclude adversus eos qui persequuntur me,* id est, fac bonam ac triumphalem conclusionem pro me et contra illos, ita ut eorum malitia revertatur in caput ipsorum, et mihi non noceat. *Dic animæ meæ,* per Spiritus Sancti instinctum, seu revelationem internam, atque per experientiam misericordiarum tuarum: *Salus tua ego sum,* id est causa salutis tuæ, et salvabo te de periculis istis. Hoc
est quod ait Apostolus : Ipse Spiritus testi- Ibid. VIII, 16.
monium reddit spiritui nostro, quod filii

Digitized by Google

Dei sumus. Itaque oro, o Domine, dic ani- A
mæ meæ, Salus tua ego sum : id est, dic
mihi per inspirationem secretam, verba
illa bona, verba consolatoria, quæ apud
Mich. iv, 9, 10. Michæam scripta sunt : Nunc quare mœro-
re contraheris ? Numquid rex non est tibi,
aut consiliarius tuus periit, quia compre-
hendit te dolor sicut parturientem ? Salva-
bo te, et liberaberis ; noli timere.
4 *Confundantur,* id est, confusibiliter a
me repellantur ac superentur, et se victos
erubescant, atque a te æternaliter confun-
dantur in die novissimo, *et revereantur,* id B
est, me timeant impugnare de cetero. Dum
enim dæmones a sanctis vincuntur, tunc
metuunt eos, nec sine formidine eos inva-
dunt. Itaque, Revereantur, id est, tantam
virtutem ac gratiam mihi concede, o Do-
mine, quatenus dæmones a conspectu meo
Gen. xxxii, 2. quasi perterriti fugiant, dicentes : Castra
Exod. xiv, 25. Dei sunt hæc ; fugiamus Israelem, quoniam
Dominus pugnat pro eo. *Quærentes ani-
mam meam,* id est diaboli, qui quærunt
eam a Deo avertere, et suo infelici col-
legio sociare. *Avertantur retrorsum,* id C
est, victi cadant ac fugiant, *et confundan-
tur,* sicut jam dictum est, *cogitantes mihi
mala,* id est dæmones, intra se consilian-
tes quomodo animam meam decipiant, et
pœnam æternam ei procurent.
5 *Fiant tanquam pulvis ante faciem ven-
ti,* id est, tam cito, tamque facile commo-
veantur ac repellantur a me, sicut move-
tur atque impellitur pulvis a vento, ita ut
nequaquam eis aperiam januam cordis mei
seu portam consensus : quemadmodum do-
Ephes. iv, 27. cet Apostolus, Nolite locum dare diabolo ; D
et angelus Domini coarctans eos, id est,
sanctus angelus Dei, qui custos est animæ
meæ, reprimat malignitatem eorum, et a
6 me rejiciat eos. *Fiat via illorum,* id est
machinatio tentatoria, *tenebræ et lubricum,*
id est obscura et vacillans, sic ut non per-
tingat ad consensum meum sub specie bo-
ni, sed agnoscatur falsitas dæmonum a
me : ad quod necessarium est donum dis-
II Cor. xi, 14. cretionis spirituum. Nam Satanas transfi-
gurat se in angelum lucis, apparetque via
ejus luminosa ; sed dum per illuminatio-
nem divinam advertimus ejus fallacias,
tunc via ejus fit tenebræ et lubricum. *Et
angelus Domini persequens eos,* id est, an-
gelus bonus prælietur pro nobis, et eos
affligat. Vehementer enim diaboli affli-
guntur, dum per adjutorium angelorum
sanctorum vincuntur a nobis.
Quoniam gratis, id est sine justa et ra- 7
tionabili causa, *absconderunt mihi,* id est,
in occulto præparaverunt diaboli, *interi-
tum laquei sui,* id est mortem tentationum
suarum, seu tentationes mortiferas ani-
mam occidentes ; *supervacue exprobrave-
runt animam meam,* id est, infructuose
insultaverunt mihi. Interdum enim tentat
nos dæmon, improperando nobis peccata
præterita, quatenus in desperationem nos
pertrahat, vel rursus ad sæcularem vitam
reducat. Unde quibusdam peccatoribus ma-
gnis, efficacissime pœnitentibus, dæmones
visibiliter apparuerunt, dicentes : Ecce,
postquam tanto tempore in omni spurcitia
et iniquitate vixisti, et nobis in omnibus
paruisti, nostrisque voluptatibus satiatus
es, jam ad Christum converti vis, nosque
relinquere ! prout S. Hieronymus refert.
Veniat illi, id est dæmoni seu dæmonum 8
congregationi, *laqueus quem ignorat,* id
est, improvise ac subito coarctetur ab an-
gelo sancto ; *et captio quam abscondit,* id
est captivitas seu nocumentum quod mihi
occulte paravit, *apprehendat eum,* id est,
noceat ei, eumque in inferno liget capti-
vum, *et in laqueum cadat in ipsum,* id
est, captio ista quam mihi abscondit, fiat
ei laqueus damnationis et causa tormenti.

Præterea, totus hic locus de visibilibus
quoque hostibus, scilicet hominibus im-
piis, exponi potest, ut sit sensus : *Judica,* 1
Domine, nocentes me : id est, homines me
injuste persequentes, et a tuo obsequio
impedire conantes, discerne, distingue, et
separa a me : nunc quidem affectu et me-
rito, quod pertinet ad judicium discretio-
nis ; et in futuro, loco et præmio, quod
pertinet ad judicium remunerationis. Hæc

Digitized by Google

autem atque similia orat Ecclesia seu fi- A
delis quicumque, non appetitu vindictæ,
sed zelo justitiæ, præsertim nisi pœnite-
ant : et est potius prænuntiatio futuri,
quam imprecatio mali. Propter quod Cas-
siodorus affirmat hunc locum et similes
passus Scripturæ, in quibus videtur oratio
fieri pro damnatione seu pœna inimico-
rum, non debere exponi de visibilibus ho-
stibus, sed de dæmonibus, maxime quum
Matth. v, 44; *Rom.* xii, 20. jubeamur inimicos diligere atque adversa-
riis benefacere. Sed quidquid sit, omnino
videtur, quod loca hujusmodi possint expo- B
ni etiam de hostibus visibilibus, quantum
ad pœnas temporales, videlicet ut in præ-
senti emendentur, ne æternaliter pereant.

Sic quod dictum est, Judica, Domine,
nocentes me, intelligi potest de judicio re-
munerationis, quo Deus plerumque in præ-
senti vindicat et castigat perversos, ut vel
sic cessent a malis. Possumus quoque eo-
rum dejectionem et afflictionem, quantum
ad mala temporalia, scilicet damna et pœ-
nas vitæ præsentis, appetere, qui adversan-
tur bono communi et fidei christianæ ac C
unitati Ecclesiæ, in quantum per hæc coer-
centur a malis. Propter quod subditur : *ex-
pugna impugnantes me,* id est, pugna pro
me et vince adversarios meos. Hoc maxime
orat Ecclesia contra infideles et tyrannos,
hæreticos et schismaticos, quorum inter-
dum corporalem mortem licite optat, quia
eorum saluti aliter providere non valet.
2 *Apprehende arma et scutum.* Hoc jam satis
expositum est. *Et exsurge in adjutorium
mihi,* id est, paratus et facilis esto ut mi-
hi succurras, ne hominum impiorum mala D
exempla, fallacia blandimenta, minæ ho-
stiles, infectivæ doctrinæ seu persecutio-
nes tyrannicæ, me a tua voluntate ac lege
3 abducant, scandalizent aut superent. *Ef-
funde frameam,* id est, emitte castigationes
et adhibe flagella paternæ correctionis,
*et conclude adversus eos qui persequuntur
me,* id est, induc ea super homines malos
me tribulantes, ac per hoc restringe et
cohibe malignitatem eorum, ne sint de ce-
tero potentes ut faciant mala, sed infirmi-
tatibus corporis atque doloribus animæ
castigati, discant bene agere.

Confundantur, de irrationabili studio 4
suo et vita injusta, *et revereantur,* id est,
pœnas sibi imminentes expavescant, *quæ-
rentes animam meam* subvertere, vel vi-
tam meam perimere. *Avertantur retror-
sum,* id est, a proposito malo cessent, et
ab opere inchoato recedant, *et confundan-
tur,* quod tam inhoneste egerunt, *cogitan-
tes mihi mala. Fiant tanquam pulvis ante* 5
faciem venti, id est, faciliter moveantur ad
pœnitentiam, nec obdurentur ut lapis; sed
sicut pulvis sequitur impetum venti, sic
isti sequantur internam directionem ange-
li sancti. Ideo sequitur : *et angelus Domi-
ni* sit *coarctans eos,* id est, a malo retra-
hat eos, et si opus est, per tribulationem
compellat. *Fiat via illorum tenebræ et lu-* 6
bricum, id est, operatio eorum similis fiat
tenebrosæ ac lubricæ semitæ : ut sicut
homo in tali semita sæpe offendit, cadit,
lassatur, nec ad finem faciliter pertingere
potest, sed redit ; sic in operatione sua
injusta impediantur, fatigentur, nec ad ef-
fectum pervenire sinantur, sed convertan-
tur et vivant ; *et angelus Domini perse-
quens eos,* id est, angelus sanctus puniat
vel puniri permittat peccata eorum in sæ-
culo isto, nec desinat eos exsequi desideria
sua mala. Hoc enim multum desiderabile
est, quemadmodum in secundo libro Ma-
chabæorum habetur : Etenim multo tem- II *Mach.* vi, 13.
pore non sinere peccatoribus ex sententia
agere, sed statim ultiones adhibere, magni
beneficii est indicium.

Hæc autem mala eveniant eis in vi-
ta præsenti : *Quoniam gratis,* id est sine 7
causa, *absconderunt mihi interitum la-
quei sui,* id est, deceptiones atque insidias
præparaverunt adversum me ; *supervacue
exprobraverunt animam meam,* id est,
inutiliter contumeliis, maledictis et insul-
tationibus affecerunt me. Hunc versum,
sicut et præcedentes, præsertim dicit Eccle-
sia de hæreticis, schismaticis, infidelibus
et tyrannis. *Veniat illi,* id est unicuique 8
eorum, *laqueus quem ignorat,* id est tribu-

Digitized by Google

latio improvisa qua corrigatur; *et captio quam abscondit,* id est malum quod mihi inferre occulte tentavit, *apprehendat eum,* id est, revertatur in ipsum, sic quod ipse se ipsum pro peccato suo castiget; *et in laqueum cadat in ipsum,* id est, in jugum Christi portandum super se convertatur eidem, videlicet ut ex consideratione peccati sui ardentior fiat, et jugum Christi
Rom. v, 20. perfectius tollat, quatenus ubi abundavit delictum, superabundet et gratia.

Porro, si ea quæ dicta sunt ab illo versu, Effunde frameam, exponantur quantum ad damnationem perpetuam, seu quantum ad justam ultionem divinæ æquitatis in peccatores (quæ expositio litteræ magis concordat, sicut et in præcedenti expositione declarata sunt), tunc intelligenda sunt hæc non optando, sed prænuntiando, quemadmodum sæpe ostensum est.

9 *Anima autem mea exsultabit in Domino,* id est, in misericordia ejus respirabit, et ex consideratione passionis Christi consolationem recipiet: imo et libenter omnia sustinebit, quatenus conformetur Domino suo; *et delectabitur,* delectatione mentali ac intellectuali, *super salutari suo,* id est de salvatione qua me redemit, et de beatitudine quam promisit: sicut ait Apostolus, Gloriamur in spe adoptionis * filiorum Dei. Et Isaias: Ecce Deus noster, exsultabimus et lætabimur in salutari ejus. Et
Ibid. 2. — * gloriæ — Is. xxv, 9.
10 tu, Domine, es *eripiens inopem,* id est me pauperem et afflictum, *de manu fortiorum ejus,* id est de potestate et persecutione inimicorum visibilium ac invisibilium: quibus propria potestate resistere non valerem. Quis enim sua industria subtilitati dæmonum resistere posset? Et tu es eripiens *egenum et pauperem,* id est quemlibet temporalia contemnentem et spiritu pauperem, *a diripientibus,* id est infestantibus, deprædantibus, seu occidentibus *eum:* quemadmodum in Isaia habe-
Ibid. 1, 4. tur: Domine Deus meus, exaltabo te, quia factus es fortitudo pauperi et egeno in tribulatione sua.

11 *Surgentes testes iniqui, quæ ignorabam* A *interrogabant me,* id est, quæ non feci objecerunt mihi. Hoc quilibet Christianus, falsorum testium accusatione seu contestatione gravatus, dicere potest, qualis erat Naboth Jezraelita, quem Ambrosius in libro de Officiis, sanctum ac martyrem vocat. III Reg. xxi, 13.
Retribuebant mihi mala pro bonis. 12
Hoc convenit Ecclesiæ atque universis fidelibus et bonis corde, qui pro adversariis orant, et ab ingratis odium pro dilectione, ac maleficia pro beneficiis recipiunt. *Sterilitatem animæ meæ,* subaudi, retribue- B bant pro fecunditate, tanquam dicat: Ego, quantum ad eos, eram in benefaciendo fecundus; ipsi autem, quantum ad me, steriles erant, nil boni reddentes, nec in spiritualibus nec in temporalibus me ditare optantes.

Ego autem, quum mihi molesti essent 13
homines impii et ingrati, *induebar cilicio,* id est veste pœnitentiali. *Humiliabam in jejunio animam meam,* id est, abstinentia me afflixi, quatenus impetrarem illis veniam, et mihi subsidium. Istud frequenter C agit Ecclesia, dum hæreses aut schismata oriuntur, aut bella gravissima imminent: sicut Josaphat rex Juda et omnis populus ejus fecisse leguntur. Similiter sanctissima illa Esther et venerabilis Judith fecisse scribuntur. Et nos ergo horum exemplo ita agamus: dum nobis perversi fiunt molesti atque ingrati, patientiam servemus, gloriantes in hoc, quod Domino Salvatori conformari meremur. Talia enim pati, est donum Dei, quemadmodum ait Apostolus: Vobis datum est a Christo, non D solum ut credatis in eum, sed etiam ut patiamini pro illo. II Par. xx, 3. — Esther iv, 16. — Judith viii, 6. — Philipp. i, 29.
Et oratio mea in sinu meo convertetur, id est, oratio quam pro adversariis et reprobis aut damnatis seu indignis fundo, mihi ipsi meritoria erit et satisfactoria pro propriis culpis. Quamvis enim illis non prosit propter indignitatem vel incapacitatem eorum, non tamen ob hoc infructuosa manebit: imo omnis actus ex caritate procedens, est meritorius vitæ æternæ.

Quasi proximum, et quasi fratrem nostrum reputans unumquemque fidelem, 14

etiam inimicum, *sic complacebam,* id est, A
sic de ejus profectu ac prosperitate gau-
debam ; *quasi lugens et contristatus sic
humiliabar,* id est, sic de ejus adversitate
afflictus sum. Hoc est quod ait Aposto-
Rom. XII, 15. lus : Gaudete cum gaudentibus, et flete
cum flentibus. Hoc modo sanctus evange-
lista Joannes sibi in filiis suis complacuit,
III Joann. 4. qui ait : Majorem horum gratiam non ha-
beo, quam ut audiam filios meos in veri-
tate ambulantes. Non ergo de adversitate
inimici lætemur, sed ejus profectui con-
gratulemur, quatenus cum sancto Job di- B
Job XXXI, 29. cere mereamur : Si gavisus sum ad ruinam
ejus qui me oderat, et exsultavi quod in-
Ibid. XXX, 25. venisset eum malum. Et iterum : Flebam,
inquit, quondam super eo qui afflictus
erat, et compatiebatur anima mea pau-
peri. Ista perfectio ad prælatos maxime
pertinet.

Ego igitur tanta bona feci illis ; sed
15 quid illi ? Sequitur : *Et adversum me læ-
tati sunt,* id est, de meis infortuniis et
pœnis ac malis gavisi sunt, *et convene-
runt,* quatenus me multitudine vincerent, C
quem per rationem superare non pos-
sunt; *congregata sunt super me flagella, et
ignoravi,* id est, improvise acciderunt mi-
hi persecutiones hominum, tentationesque
16 dæmonum. *Dissipati sunt,* id est, adversa-
rii mei prædicti a vera constantia fracti
sunt, et a caritate divisi, *nec compuncti,*
id est, de malo suo non pœnituerunt ; *ten-
taverunt me,* terrendo, blandiendo, tor-
quendo, cogendo, *subsannaverunt me sub-
sannatione.* Hebraici idiomatis consuetudo
est, talem facere replicationem seu repeti- D
tionem ejusdem, quemadmodum Zacharias
Zach. I, 2. dicit : Iratus est Dominus patribus vestris
iracundia. Ait ergo Ecclesia seu unusquis-
que vir justus : Subsannaverunt me sub-
sannatione, id est, inimici mei quibus non
nocui, sed benefeci, insultaverunt illuse-
runtque mihi. Hoc est quod dicit Apostolus :
I Cor. IV, 12, 13. Maledicimur, et benedicimus ; blasphe-
mamur, et obsecramus. *Frenduerunt super
me dentibus suis,* quasi ex fervore rancoris
et impetu passionis devorare me vellent.

Domine, quando respicies ? id est, quam- 17
diu dissimulasti et dereliquisti me tribu-
lari ? Sed nunc respice, *restitue animam
meam* in pristina pace et gratia tua, *a ma-
lignitate eorum* ereptam ; *a leonibus uni-
cam meam,* id est, a dæmonibus, qui tan-
quam leones rugientes circumeunt, atque I Petr. V, 8.
superbis hominibus, qui opprimunt inno-
centes, quemadmodum ovem leones, re-
stitue unicam meam, id est animam meam,
quam tam unice custodiri indigeo, ut non
prosit mihi, si universum mundum lucra- Matth. XVI, 26.
tus fuero, et eam perdidero.

Consequenter ait fidelis : *Confitebor ti-* 18
bi, id est ad gloriam tuam, confessione
tuæ laudis, et item confessione meæ ini-
quitatis, *in Ecclesia magna,* christiana,
apostolica, atque catholica. *Non super-* 19
gaudeant mihi, id est, de ruina animæ
meæ et seductione ipsius non superflue
gaudeant, *qui adversantur mihi inique,*
id est dæmones et homines perfidi ac pe-
stilentes, qui mihi spirituale damnum in-
ferre nituntur : de quibus superius di-
ctum est, Qui tribulant me, exsultabunt Ps. XII, 5.
si motus fuero ; *qui oderunt me gratis,* id
est sine demerito meo, *et annuunt ocu-
lis,* id est, sibi mutuo me ostendunt ad
persequendum ac illudendum. *Quoniam* 20
mihi quidem pacifice loquebantur : id est,
dæmones sub specie boni suggesserunt
mala mihi, et homines fraudulenti verba
concordiæ locuti sunt mecum in dolo, sic-
ut Joab cum Abner et Amasa ; *et in ira-* II Reg. III, 27 ; XX, 9.
cundia terræ loquentes, dolos cogitabant.
Dæmones loquuntur nobis interius in ira-
cundia terræ, id est ex ira quam habent
contra nos, eo quod possessuri sumus
terram viventium, quam ipsi per super-
biam perdiderunt ; et cogitant dolos, vi-
delicet ut inducant nos ad amorem sen-
sibilium atque carnalium rerum, sicque
amittamus regnum cœlorum. Homines ve-
ro mali loquuntur justo in iracundia ter-
ræ, id est ex ira concepta contra eum pro-
pter amorem terrenorum bonorum : sicut
dum homines sæculares invident et ira-
scuntur religiosis, eo quod temporalia bo-

Digitized by Google

21 na possideant. *Et dilataverunt super me* A
os suum, id est, lato ore locuti sunt con-
tra me id quod sequitur. *Dixerunt : Euge,*
euge, id est, bene, bene, *viderunt oculi*
nostri malum quod accidit tibi, et ergo
gaudemus.
22 *Vidisti, Domine,* ista, qui omnia nosti;
ne sileas a prolatione sententiæ, sed judi-
ca pro me, et loquere mihi per inspira-
tionem occultam. *Domine, ne discedas a*
me, consolationem et gratiam subtrahen-
23 do. *Exsurge et intende judicio meo, Deus*
meus, id est, diligenter considera quale B
judicium merear, qui tanta mala sustineo
propter justitiam. Hoc secure oro, quo-
Matth. v, 10. niam scriptum scio : Beati qui persecutio-
nem patiuntur propter justitiam, quoniam
ipsorum est regnum cœlorum. *Et* tu qui
es *Dominus meus,* intende *in causam*
meam, id est, vide justitiam meam pro
qua ab impiis judicor velut injustus : nam
24 propter bona quæ facio, odiunt me. *Judi-*
ca me secundum justitiam tuam, Domine
Deus meus, id est, secundum justitiam
quam per gratiam tuam operatus sum, C
redde mihi. Semper tamen admisce mise-
ricordiam tuam judicio meo. *Et non su-*
pergaudeant mihi : sicut nunc dictum est.
25 *Non dicant* de cetero *in cordibus suis :*
Euge, euge, animæ nostræ : id est, quam
jucunde accidit nobis, quod seduximus is-
tum, et pœnis eum affliximus ! *Nec di-*
cant : Devorabimus eum, occidendo in eo
caritatem Dei ac proximi et cetera dona
26 Spiritus Sancti. *Erubescant et revereantur*
simul, etc. Hoc est quod in principio psal-
mi dictum est : Confundantur et revere-
antur quærentes animam meam.
Exsultent et lætentur in te, Domine 27
Deus, et tibi gratias agant, *qui volunt ju-*
stitiam meam, id est, quibus placet pro-
fectus meus in spiritualibus rebus, et qui
cooperantur mihi in bono ; *et dicant sem-*
per, Magnificetur Dominus, qui volunt
pacem servi ejus, id est, qui desiderant
me famulum Christi veram ac stabilem
pacem habere. *Et lingua mea meditabitur* 28
justitiam tuam, id est, legem tuam lo-
quetur, et alios informabit, *tota die lau-*
dem tuam, id est, omne bonum tibi semper
adscribet. Cetera ex præcedenti expositio-
ne patent.

Ecce quam sententiosus, quamque di-
versimode exponibilis est psalmus iste,
quam late describit mysteria Christi, quam
evidenter instruit caritatem, docet patien-
tiam, atque ad omnem perfectionem in-
format fideles. Cum omni itaque atten-
tione eum legamus, taliterque vivamus, ut
quæ in eo scripta sunt, nobis vere con-
veniant.

PRECATIO.

Deus potens et fortis, apprehende arma et scutum, et contra nos impugnantes exsurge nobis in adjutorium, et ab eorum malignitate fragilitatem nostram ubique defende : ut in te exsultantes et lætantes, te semper tuti magnificemus, et tota die perennitatis laudes tibi decantemus.

ARTICULUS LXXIV

EXPOSITIO PSALMI TRICESIMI QUINTI : DIXIT INJUSTUS UT DELINQUAT.

ADSCRIPTUS est denique psalmo huic ta- D
1 lis titulus : *In finem, servo Domini psal-*
mus David : id est, psalmus iste in finem,
id est in Deum, nos dirigens, ad quem per
humilitatem ascenditur, est psalmus sancti David, servo Domini, id est ad instructionem cujuslibet famuli Dei. Vel, est psalmus David servo Domini, id est con-

Digitized by Google

veniens ipsi David servo Domini, intelligendo per David quemcumque vere fidelem. Docet enim hic psalmus superbiam abhorrere, humilitatem amplecti, totamque spem in Domino figere, ac omne bonum ei adscribere.

2 AIT itaque : (1) *Dixit injustus,* id est, apud se statuit, et fixe proposuit, *ut delinquat in semetipso,* id est, quod ex deliberata ratione et ex pleno consensu faciat malum. Ut enim Philosophus dicit, dupliciter peccat homo, videlicet ex passione, et ex habitu malo : quod theologi ita dicunt, quia uno modo peccat homo ex infirmitate, alio modo ex certa malitia. Idem autem est dicere, ex habitu malo, ex certa malitia, ex deliberata ratione, et ex pleno consensu peccare. Qui vero ex passione seu infirmitate peccat, cito pœnitet et emendat : nam passione cessante, quæ non est nisi actualis motio appetitus sensitivi, ex apprehensione boni vel mali sensibilis, cessat peccatum, ut patet de incontinente ; sed qui ex habitu malo peccat, difficulter corrigitur, nec cessat faciliter : imo secundum Philosophum, quasi incorrigibilis est, eo quod ratio peccandi, videlicet habitus vitiosus, sit radicata in ipso, ut patet de intemperato. Verumtamen per gratiam Dei subito tales frequenter convertuntur, et virtuosissimi fiunt : gratia enim dominatur naturæ. Hoc itaque modo proponit peccare injustus, id est, qui habituatus est in malis, et ex consuetudine legem transgreditur divinam. Boni vero ita non peccant, sed ex infirmitate et passione. Virtuosi quoque non cito deveniunt ad tantum lapsum, ut ex electione et habitu peccent. Unde Origenes in Periarchon dicit : Nemo eorum qui in perfecto summoque gradu exstiterint, subito evacuatur ; sed paulatim atque per partes necesse est eum deficere.

Consequenter tangitur causa, cur injustus ita delinquit : quoniam *non est timor Dei ante oculos ejus,* id est, timorem Domini non habet, nec oculis cordis considerat ea quæ ad timorem Dei inducunt, utpote Deum judicem omnia cernere, nil mali inultum relinquere, et pœnas æternas non timenti infligere. Timor autem Domini (ut ait Scriptura) expellit peccatum. [Eccli. I, 27.] Et iterum scriptum est : Qui timet Deum, nihil negligit. [Eccle. VII, 19.] Quod vero timor Dei non sit in con-
spectu injusti, hince constat, (2) *Quoniam* 3
dolose egit in conspectu ejus, id est, Deo præsente, vidente ac prohibente, ausus est fallaciter agere, ac dolum in proximum suum committere, *ut inveniatur iniquitas ejus ad odium.* Id dicitur non causaliter, sed consecutive. Non enim ideo agit dolose, ut inveniatur iniquitas ejus ad odium, id est, ut malitia sua sit Deo ac omnibus sanctis odibilis ; sed hoc consequitur ad id, quod est, non habere timorem Dei, sed dolose agere coram eo.

(3) *Verba oris ejus iniquitas et dolus,* id 4
est iniqua et fraudulenta ; *noluit intelligere ut bene ageret,* id est, non acquievit sanctæ doctrinæ, nec voluit scire testimonia Scripturarum, quæ docent quanta tormenta immineant malis. Multi enim sunt, qui ut securius et delectabilius peccent, nolunt advertere, scire aut discere veritatem Scripturæ. De quibus sanctus Job ait : Dixerunt Deo, Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. [Job XXI, 14] Isti ex habitu vitioso peccant, et ut dictum est, difficillime emendantur : sicut de talibus in Jeremia legitur, Si mutare potest Æthiops pellem suam, et pardus varietates suas, et vos poteritis benefacere, quum didiceritis malum. [Jer. XIII, 23] Si ergo vis declinare a malo et facere bonum, disce Scripturas, audi verbum salutis, veritatem ama atque intellige. Hinc enim hortatur nos sermo divinus : Erudire, ait Dominus, ne forte recedat anima mea a te. [Ibid. VI, 8.] Et rursus : Interrogate quæ sit via bona, et ambulate in ea, et invenietis requiem animabus vestris. [Ibid. 16] Et Apostolus : Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ. [I Tim. IV, 13.] Omnis namque Scriptura divinitus inspirata, (teste eodem divino Apostolo) utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut [II Tim. III, 16, 17.]

Digitized by Google

perfectus sit homo Dei, ad omne opus bo-
num instructus. Verumtamen multi sunt
qui volunt intelligere, non ut bene agant,
sed ut sapientes appareant : volunt scire
non propter virtutem, sed propter vanita-
Is. XLVII, 10. tem. De quibus Isaias ait : Sapientia tua
et scientia tua deceperunt te; et denuo :
Ibid. V, 21. Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et
coram vobismetipsis prudentes. Hi infeli-
ces sunt, et omni damnatione dignissimi :
II Petr. II, 21. quia ut Petrus ait, Melius erat illis non
cognoscere viam justitiæ, quam post agni-
tionem retrorsum reverti.

5 (4) *Iniquitatem meditatus est* injustus
in cubili suo, id est in corde suo, et hanc
meditationem ad effectum perduxit, quo-
niam *adstitit omni viæ non bonæ,* id est,
omni operationi iniquæ adhæsit ; *mali-
tiam autem,* id est peccatum, *non odivit,*
sed dilexit. Non tamen diligitur malitia
sub ratione malitiæ, sed sub ratione boni
apparentis, in quantum est delectabilis
peccatori. Unde secundum Dionysium, nul-
lus respiciens ad malum (ut malum) ope-
ratur.

6 (5) *Domine, in cœlo misericordia tua :*
id est, in electis, videlicet in angelis san-
ctis ac bonis hominibus, qui sunt cives
cœli, maxime apparet ac splendet mi-
sericordia tua, sicut in reprobis justitia.
Rom. IX, 22, 23. Electi enim sunt vasa misericordiæ in
honorem, et reprobi sunt vasa iræ in inte-
ritum. *Et veritas tua usque ad nubes :* id
est, illuminatio tuæ veritatis ad prædica-
tores sanctos pertingit, et eos illustrat. De
Is. LX, 8. quibus Isaias admirando dicit : Qui sunt
isti qui ut nubes volant? Dionysius autem
De Cœlesti hierarchia, cap. XV. ait, per nubes in sacra Scriptura intelligi
angelos sanctos, quoniam sicut nubes ma-
teriales prius ac copiosius illuminantur a
sole quam terra, sic angeli prius ac ple-
nius illustrantur a Deo quam homines. Po-
test ergo de eis exponi quod dicitur, Et
usque ad nubes veritas tua, ut sit sensus :
I Cor. I, 24. Veritas tua, id est Christus, qui est Sapien-
tia, Verbum ac Filius tuus, usque ad nu-
bes, id est, usque ad angelicas mentes
radios suæ illuminationis expandit ac in-

A fluit. Nam Christus (etiam ut homo talis)
omnes angelos illustrat multo excellentius,
quam aliquis angelus superior inferiorem.

(6) *Justitia tua sicut montes Dei, judicia* 7
tua abyssus multa. Quemadmodum judicia
Dei comparantur abysso multæ, id est pe-
lago quantum ad nos infinito, ita divina
justitia comparatur montibus Dei. Sicut
enim montes altissimi, quantum ad no-
strum intuitum, infinitæ altitudinis sunt,
ita ut visus noster adspicere nequeat ca-
cumen eorum, nec mensurare quam alti
B sint; sic divina justitia nostri interioris
oculi adspectum excedit, nec comprehen-
di potest a nobis. Simili modo sicut abys-
sus, id est mare magnum, propter suam
latitudinem ac profunditatem a nobis ta-
liter videri non potest, nec mensurari; sic
divina judicia propter suam profundita-
tem incomprehensibilia sunt, prout clamat
Apostolus : O altitudo divitiarum sapien- Rom. XI, 33.
tiæ et scientiæ Dei! quam incomprehen-
sibilia sunt judicia ejus, et investigabiles
viæ ejus! Judicium autem est actus justi-
C tiæ. Unde per judicia intelligi possunt
electio bonorum et reprobatio malorum,
active videlicet, prout in Deo sunt, juxta
illud quod Dominus dicit : Jacob dilexi; Malach. I, 2, 3.
Esau autem odio habui. Vel per judicia
intelliguntur occulti effectus divinæ justi-
tiæ, scilicet prædestinatio, vocatio, obsti-
natio, passive acceptæ. Quum ergo judicia
Dei sunt abyssus multa, non præsumamus
discutere ea, quia ut Salomon dicit : Sicut Prov. XXV, 27.
qui multum comedit mel, non est ei bo-
num; sic qui perscrutator est majestatis,
D opprimetur a gloria. Propter quod ait et
Apostolus : O homo, tu quis es qui respon- Rom. IX, 20.
deas Deo?

(7) *Homines et jumenta,* id est Judæos et
gentiles, vel spirituales et animales, *sal-
vabis, Domine.* Nam pro omnibus mortuus II Cor. V, 15.
est Christus, et omnes sua morte salvavit,
et per gratiam suam peccatores convertit,
ac de animalibus spirituales facit. *Quemad-* 8
modum multiplicasti misericordiam tuam,
Deus, id est, sicut copiose ac mirabiliter
effudisti super genus humanum benignita-

Digitized by Google

tem ac gratiam tuam, omnes tibi reconci-
Luc. XIV, 23. lians, et quasi intrare compellens. Potest
quoque quod dicitur, Et jumenta, exponi
de brutis, quæ Deus salvat, quantum ad vi-
tam corporalem, dans eis necessaria vitæ,
Ps. CXLVI, 9. sicut inferius : Qui dat, inquit, jumentis
Job XXXVIII, 41. escam ipsorum. Et in libro Job : Quis præ-
parat corvo escam, quando pulli ejus cla-
mant ad Deum, vagientes eo quod non
habeant cibos? Et in Evangelio ait Salva-
Matth. VI, 26. tor : Respicite volatilia cœli, quoniam non
serunt, neque metunt, neque congregant in
horrea, et Pater vester cœlestis pascit ea.

(8) *Filii autem hominum,* id est, poste-
ritas primorum parentum, seu Ecclesia
militans, et maxime homines non bestiali-
ter, sed humane et pie rationabiliterque
viventes, *in tegmine alarum tuarum,* id
est in defensione misericordiæ tuæ atque
potentiæ, *sperabunt,* non in propriis me-
9 ritis aut viribus. Propterea, (9) *Inebriabun-
tur ab ubertate domus tuæ.* Domus Dei,
intelligi potest Ecclesia militans vel tri-
umphans. Ubertas militantis Ecclesiæ, est
affluentia gratiarum Spiritus Sancti, qui-
bus Deus implet electos in vita præsenti,
Galat. IV, 6. quemadmodum ait Apostolus : Misit Deus
Spiritum Filii sui in corda nostra. Ubertas
autem triumphantis Ecclesiæ, est beatitu-
do Sanctorum. Itaque, Filii hominum in
tegmine alarum Dei sperantes, inebria-
buntur, id est, tam copiose implebuntur
affluentia gratiarum Spiritus Sancti, ut a
se ipsis abstrahantur ac alienentur, et in
Deum absorbeantur per caritatis fervorem
in via. In patria vero beatitudine imple-
buntur tanta, ut sine interruptione et fine,
perfectissime transformentur in Deum per
assimilationem deiformem, juxta illud :
I Joann. III, 2. Similes ei erimus, quia videbimus eum
sicuti est.

Et torrente voluptatis tuæ, id est te
ipso, qui es fontalis torrens et prima ori-
go totius puræ et internæ voluptatis, *po-
tabis eos,* id est, irrigabis ac fecundabis
corda hominum prædictorum, ostendendo
eis te ipsum : in qua ostensione consistit
felicitas mentis creatæ : quæ utique felici-

A tas est rivus tuæ increatæ voluptatis, et
potus quo potas et inebrias omnes Beatos.
Hoc est quod Dominus per Isaiam ait :
Ecce ego declino in eos ut flumen pacis, Is. LXVI, 12.
et ut torrens inundans gloriæ. Unde et
Apostolus ait : Oculus non vidit, nec auris I Cor. II, 9.
audivit, nec in cor hominis ascenderunt,
quæ præparavit Deus diligentibus se. Quid
enim liberalissimus ac superdulcissimus
Deus præparavit amatoribus suis, nisi se
ipsum? Ipse namque est immediatum ob-
jectum et proxima causa universæ gloriæ
B electorum, quemadmodum Moyses asserit :
Ipse Dominus est vita tua et longitudo die- Deut. XXX, 20.
rum tuorum. Ipse quoque est cibus et po-
tus, ad quorum spiritualem gustum ac
sobriam ebrietatem ipsemet electos invi-
tat, dicens : Comedite, amici, et bibite; et Cant. V, 1.
inebriamini, carissimi. Ecce quanta est
electorum felicitas. Sed quam immacula-
tam ac sanctam esse oportet intellectua-
lem creaturam, quæ immensæ pulchritu-
dinis fonti atque infinitæ sanctitatis ac
sincerissimæ voluptatis torrenti, Deo ex-
C celso et benedicto, tam unice et intime co-
pulatur! Certe oportet eam tam immunem
et puram exsistere ab omni reatu et vitio,
ut audire mereatur a Domino : Tota pul- Ibid. IV, 7.
chra es, amica mea, et macula non est in
te. Si ergo cupis Deum videre, stude cor
mundum habere : quoniam tanto clarius
eum conspicies, quanto affectum tuum
magis purgaveris. Propter quod ipsemet
per Prophetam ait : Lava a malitia cor Jer. IV, 14.
tuum, ut salva fias.

Sic autem, o Domine, potabis inebria-
D bisque homines in via inchoative, et in
patria consummative : (10) *Quoniam apud* 10
te est fons vitæ, id est, in te ipso est fon-
tana indeficiensque origo omnis vitæ, vi-
delicet vitæ naturæ, vitæ gratiæ, et vitæ
gloriæ : imo tu ipse es prima, superessen-
tialis, atque incommutabilis vita et beati-
tudo creata, quæ est quædam participatio
tuæ beatissimæ vitæ. Quoniam ergo tu,
Domine, es vita per essentiam, et fons vi-
tæ per communionem, idcirco potes ine-
briare electos : sicut ostensum est. *Et in*

Digitized by Google

lumine tuo videbimus lumen. Hoc triplici- A
ter potest exponi. — Primo sic : O Deus
Pater, *in lumine tuo,* id est in Verbo in-
Joann. i, 9. carnato, quod est lux vera, illuminans om-
nem hominem, *videbimus* in patria *lu-*
men, id est totam supergloriosissimam
Trinitatem, quæ est unum infinitum ac
simplicissimum lumen, in cujus visione
consistit felicitas. Dicuntur enim Beati om-
nia videre in Verbo, quoniam Verbo ap-
propriatur sapientia. — Secundo sic : *In*
lumine tuo, id est per divinam essentiam
per modum intelligibilis formæ unitam, B
videbimus, o Deus trine et simplex, *lumen,*
id est te ipsum qui es purum perfectum-
que lumen. Non enim potest intellectus
I Joann. iii, 2. I Cor. xiii, 12. creatus Deum videre per speciem et sic-
uti est, seu ut ait Apostolus, facie ad fa-
ciem, per aliquam formam creatam : quo-
niam omnis forma creata, in infinitum
distat a perfectione divina. Propterea eam
repræsentare non potest sicuti est. Neces-
se est ergo, ut ipsa divina essentia unia-
tur mentibus Beatorum per modum in-
telligibilis speciei seu formæ : non quod C
sit forma inhærens, sed illustrans. Quum
autem hoc modo viderimus Deum, eri-
Ibidem. mus ei veraciter similes, et cognoscemus
sicut et cogniti sumus, ut ait Apostolus.
Nam sicut in Deo sunt idem, quod videt,
et quo videt (Deus enim videt se per se) ;
sic in nobis tunc idem erunt, quod vide-
mus, et quo videmus, quia videbimus Deum
per se ipsum. Sed quoniam unio ista men-
tis creatæ cum divina essentia, est omni-
no supernaturalis ; ideo indiget mens cre-
ata aliqua dispositione supernaturali, per D
quam elevetur et apta fiat ad hanc unio-
nem deificam : et ista dispositio appella-
tur lumen gloriæ, cujus luminis est gratia
viæ inchoatio quædam. — Unde de lumi-
ne gloriæ tertio modo exponitur : *In lu-*
mine tuo, id est mediante lumine gloriæ
menti infuso, *videbimus lumen* divinum,
quod est totius felicitatis objectum.
11 (11) *Prætende,* o Domine, *misericordiam*
tuam scientibus te, id est his qui te jam
per fidem toto corde perquirunt, in te so-
lo sperantes : de quibus superius dictum
est, Et sperent in te qui noverunt nomen Ps. ix, 11.
tuum ; *et justitiam tuam his qui recto*
sunt corde, id est, justis auge justitiam,
dando eis pro bonis operibus gratiarum
augmenta in via, et vitam æternam in pa-
tria. (12) *Non veniat mihi pes superbiæ,* id 12
est, affectus elationis non oriatur in cor-
de meo : qui affectus vocatur pes, quia
per eum incedit homo ad infernum. Vel
sic : Non veniat mihi pes superbiæ, id est,
homo superbus et persecutor tyrannicus
non superveniat mihi, nec opprimat me.
Et manus peccatoris, id est potestas dæ-
monis seu operatio hominis mali, *non mo-*
veat me ab observatione legis divinæ ; sed
maneam fixus et rectus in te, Domine
Deus meus. (13) *Ibi,* id est in affectu su- 13
perbiæ, *ceciderunt* a statu salutis ac gra-
tiæ, in statum damnationis ac mortis æter-
næ, omnes *qui operantur iniquitatem,* id
est, qui de peccato suo non pœnitent. In
omni enim peccato includitur superbia,
quia in omni peccato contemnitur Deus,
dum violantur et parvi penduntur ejus
præcepta. *Expulsi sunt,* prædicti iniqui a
Deo, a caritate, a societate humilium. Nam
per superbiam a Deo aversi sunt ; et cari-
tate amissa, ad societatem bonorum non
pertinent. *Nec potuerunt stare* in via sa-
lutis : non quod penitus non potuerunt,
sed quoniam voluntatem suam subjece-
runt peccato, et facti sunt servi peccati. Joann. viii, 34.

Ecce psalmus iste brevis in verbis, quam
mirabiliter virtuosus est, sententiosus, et
inflammativus. Primo enim describit vi-
rum iniquum, ut ejus malitia evitetur. Se-
cundo, commendat Deum ratione suæ mi-
sericordiæ apparentis in cœlo, ratione suæ
veritatis pertingentis ad nubes, ratione
suæ justitiæ assimilatæ montibus, ratione
suorum inscrutabilium judiciorum abysso
similium. Tertio, commemorat beneficia
Dei et bona promissa fidelibus, quatenus
corda nostra accendat divino amore. Po-
stremo, devotissime ac compendiosissime
orat, ne a tantorum bonorum adeptione
impediatur. Semper ergo cum reveren-

Digitized by Google

tia, affectu, ac stabili mente decantemus hunc psalmum.

PRECATIO.

Confugientibus ad te, Domine, misericordiam nobis prætende : ut spiritu humilitatis uncti et sanctificati, pedem superbiæ a nobis removeamus ; et eodem spiritu ducti, humili pede gressus nostros rectos faciamus.

ARTICULUS LXXV

EXPOSITIO PSALMI TRICESIMI SEXTI : NOLI ÆMULARI IN MALIGNANTIBUS.

Brevis autem et planus est titulus psal-
1 mi istius, videlicet : *Psalmus ipsi David :*
id est, psalmus iste convenit sancto David, tanquam auctori. Qui hic loquens in persona Christi sive Ecclesiæ, pulcherrime disputat contra temporalem prosperitatem malorum, ostendens felicitatem sæcularium hominum vanam esse ac falsam, nec appetendam ; neque debere aliquem scandalizari aut infirmari ex consideratione prosperitatis impiorum, vel ex consideratione adversitatis bonorum. Solent
Rom. x, 2. namque pusilli ac debiles, qui zelum Dei habent, sed non secundum scientiam, mirari, affligi, tristari et scandalizari, dum vident impios prosperari, atque innocentes opprimi. Ex quorum persona in Jere-
Jer. xii, 1. mia scriptum est : Justus quidem tu es, Domine, si disputem tecum. Verumtamen justa loquar ad te : Quare via impiorum prosperatur, et bene est omnibus qui prævaricantur ? Perfectos autem istud non movet, quoniam intelligunt quod ait Apo-
II *Tim.* iii, 12. stolus : Omnes qui volunt pie vivere in Christo, persecutionem patientur. Et ipse
Apoc. iii, 19. Deus : Ego, inquit, quos amo, arguo et castigo.

INSTRUENS ergo Propheta pusillos, ne scandalizentur in tali eventu, ait : (1) *Noli æmulari in malignantibus.* Æmulari interdum significat amare, sicut dum ait
II *Cor.* xi, 2. Apostolus : Æmulor vos Dei æmulatione. Interdum significat imitari, ut quum idem
ait Apostolus : Æmulamini charismata me- I *Cor.* xii, 31.
liora. Quandoque vero significat invidere, et vicissim inflari. Hic vero accipi potest pro invidere et imitari, ut sit sensus : Noli torqueri invidia propter malignantium prosperitatem, nec imiteris eos. *Neque zelaveris facientes iniquitatem,* id est, non afficiaris amorose iniqua agentibus. Zelus ex amore causatur. Et sicut amor est duplex, scilicet divinus, et privatus, sic zelus
est duplex : scilicet bonus et * spiritualis : * ac
de quo ait Elias, Zelo zelatus sum pro III *Reg.* xix, 10.
Domino exercituum ; et inferius Christus
dicit, Zelus domus tuæ comedit me. Alius *Ps.* lxviii, 10.
est zelus inordinatus, privatus, carnalis, secundum quem viri zelantur suas uxores, et superbi superbos, ne unus impediat excellentiam quam alius amat : et de isto zelo nunc loquitur psalmus.

Deinde subjungit causam suæ doctrinæ.
(2) *Quoniam tanquam fœnum velociter arescent :* 2
id est, maligni qui prosperantur ad tempus, subito a prosperitate sua defi-
cient, quemadmodum fœnum quod hodie *Matth.* vi, 30.
est, et cras in clibanum mittitur. Unde
Isaias ait : Vere fœnum est populus. *Et* *Is.* xl, 7.
*tanquam * olera herbarum cito decident :* * quemadmodum
id est, sicut herbæ virentes, quæ nunc florent in terra, et statim eradicantur atque marcescunt ; sic impii dum florere et prosperari videntur, cito labuntur ac pereunt. Sed apparet oppositum, quoniam impii
sæpe longo tempore regnant, et prævalent I *Reg.* xviii-xxvii.
bonis, sicut et Saul diu persequebatur Da-

Digitized by Google

vid. Et respondendum, quod licet tempo-
ralis prosperitas impiorum interdum ap-
paret diuturna, tamen in comparatione
miseriæ quæ eam consequetur, est velut
momentanea. Et hoc modo Apostolus dicit
tribulationem justorum in hoc sæculo,
momentaneam fore, quæ tamen frequen-
II Cor. IV, 17. ter durat usque ad mortem. Unde dicit : Id
quod in præsenti est momentaneum et
leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ
pondus operatur in nobis. Secundo dicen-
dum est, quod impiorum prosperitas cito
decidit, quoniam incessabiliter breviatur,
donec penitus terminetur. Hinc enim Ma-
I Mach. II, 62, 63. thathias ait : A verbis peccatoris ne timu-
eritis, quia gloria ejus stercus et vermis.
Hodie extollitur, et cras non invenietur :
quoniam conversus est in terram suam, et
cogitatio ejus periit.

3 (3) *Spera in Domino :* secundum quod
Prov. III, 5. alibi legitur, Habe fiduciam in Domino ex
toto corde tuo ; *et fac bonitatem,* id est,
laudabiliter vive. Quasi dicat : Non sic
speres in Deo, ut negligas facere quod in
te est, quemadmodum homines vani, qui
sic de misericordia Dei præsumunt, ac si
justitia in eo non esset. Spera ergo in Do-
mino, non spe informi, sed formata, id
est, sperando fac opera bona : secundum
Eccle. IX, 10. quod Salomon dicit, Quidquid potest ma-
nus tua, instanter operare. Non enim igna-
vis, sed fervidis ; non dormientibus, sed
vigilantibus provenit regnum cœlorum.
Josue XXIV, 14. Propter quod Josue inquit : Timete Do-
minum, et servite ei corde perfecto atque
verissimo. *Et inhabita terram :* id est, per
obedientiam et fidei puritatem permane
in unitate Ecclesiæ. Vel, Inhabita terram,
id est, posside et subjectum habe pro-
prium corpus, ne caro dominetur animæ,
et sensualitas rationi. Vel, Inhabita ter-
ram, id est, per desiderium et spem de-
morare in regno cœlorum, quod est terra
viventium. Et hoc utroque modo intelli-
Matth. V, 4. gi potest quod ait Salvator : Beati mites,
quoniam ipsi possidebunt terram. *Et pa-
sceris in divitiis ejus :* id est, anima tua
aletur et impinguabitur gratiis Christi,
A consolationibus Spiritus Sancti, sacramen-
tis Ecclesiæ, et præsertim pretiosissimo
corpore et sacratissimo sanguine Filii Dei.
Hæ sunt divitiæ sanctæ matris Ecclesiæ,
de quibus scriptum est : Quid bonum Zach. IX, 17.
Domini, et quid pulchrum ejus, nisi fru-
mentum electorum et vinum germinans
virgines ?

(4) *Delectare in Domino :* id est, prompto 4
et hilari animo famulare ei, atque in con-
sideratione ac delectatione bonitatis divi-
næ beneficiorumque ejus exsulta : quem-
B admodum apud Tobiam legitur, Ego autem Tob. XIII, 9.
et anima mea in Deo lætabimur. Non ergo
lætemur in rebus sensibilibus et caducis,
neque in aliqua creatura, nisi in quantum
per ea manuducimur et adjuvamur in via
perveniendi ad Deum. Si hoc egeris, ex-
perieris quod sequitur : *et dabit tibi pe-
titiones cordis tui,* id est, orationes tuas
exaudiet. Oratio autem est non quarumli-
bet rerum, sed decentium a Deo petitio,
secundum Damascenum, scilicet ut spiri- De Fide orth., lib. III, 24.
tualia bona propter se ipsa petantur, et
C corporalia in ordine ad spiritualia, nec
magis quam ad spiritualia sunt necessa-
ria, sicut ait Apostolus : Habentes victum I Tim. VI, 8, 9.
et quibus tegamur, his contenti simus.
Nam qui volunt divites fieri, incidunt in
tentationes et laqueum diaboli. (5) *Revela* 5
Domino, qui omnia novit, *viam tuam :* id
est, cor tuum fiducialiter coram eo effun-
de, peccata tua accusa, indigentias tuas
expone, de imperfectionibus tuis conque-
rere, et totam vitam tuam coram Deo,
sicut coram fidelissimo amico, recole et
D pertracta ; *et spera in eo :* id est, sic fa-
ciendo, confide certissime quod quidquid
desideras, impetrabis, dummodo constan-
ter quæsieris. Ideo subdit : *et ipse faciet*
quod tu cupis, videlicet vitia indulgendo,
gratiam conferendo, consolationem præ-
stando.

(6) *Et educet quasi lumen justitiam tu-* 6
am : id est, vitam tuam aliis manifestabit
ad ædificationem ipsorum, ita ut imple-
atur in te quod scriptum est : Luceat lux Matth. V, 16.
vestra coram hominibus ; et iterum : Non Ibid. 14.

potest civitas abscondi supra montem po-
sita; *et judicium tuum tanquam meri-
diem :* id est, Dominus prædicto modo
educet judicium tuæ discretionis, quo te
ipsum judicas et Christo obsequi eligis,
tanquam meridiem, id est, sicut clarum
lumen. Dum enim divina ordinatione con-
tingit, ut homo justus et humilis, qui sem-
per latere ac sperni desiderat ab omni-
bus, justus esse cognoscatur, honoretur
et aliorum rector efficiatur, tunc utique
Dominus educit judicium ejus tanquam
meridiem. Educit enim illud de occulto
ad publicum, secundum quod Christus in
Matth. v, 15. Evangelio mystice loquitur : Neque accen-
dunt lucernam, et ponunt eam sub mo-
dio; sed super candelabrum, ut luceat
omnibus qui in domo sunt. Lucerna est
homo justus, quemadmodum de Joanne
Joann. v, 35. Christus testatur : Ille erat lucerna ardens
et lucens. Hanc lucernam Christus divino
amore accendit, et lumine gratiæ suæ il-
luminat, non ut sub modio occultetur, sed
ut aliis luceat vita, fama, seu documento;
et dum homo talis in veritate et judicio
constans permanserit, tunc Dominus edu-
cit judicium ejus tanquam meridiem, po-
nens eum super candelabrum, id est in
sede prælationis, vel in alta opinione ali-
orum : sic ut impleatur in eo quod per
Is. LXI, 9. Isaiam dictum est, Omnes qui viderint
eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen
cui benedixit Dominus.
7 *Subditus esto Domino,* id est, serva
mandata, *et ora eum :* quoniam illorum
oratio placet Deo, quorum vita consonat
preci, quemadmodum in Ecclesiastico as-
Eccli. XXXV, 21. seritur : Oratio humiliantis se, penetrat
nubes.
(7) *Noli æmulari,* id est invidia torque-
ri, vel imitari quod vides, *in eo qui pro-
speratur in via sua,* non in via Dei, vide-
licet cui temporaliter bene succedit, utpote
in homine faciente injustitias, qui sequi-
tur et implet propriam voluntatem, non
8 legem divinam. (8) *Desine ab ira* per vi-
tium, non ab ira per zelum, quæ coopera-
tur justitiæ : de qua superius dictum est,
A Irascimini, et nolite peccare. Itaque, Desine *Ps.* IV, 5.
ab ira, id est, cessa ab appetitu vindictæ,
et ignosce proximo tuo, et errantibus fra-
terne condole; *et derelinque furorem,* id
est inflammatam iracundiam, rationis ju-
dicium penitus perturbantem. *Noli æmu-
lari,* id est imitari seu affici, *ut maligne-
ris,* id est, ut malus efficiaris, et nequiter
agas in te et in proximum tuum. (9) *Quo-* 9
niam qui malignantur, id est, qui mali-
gna operantur et aliis nocent, *extermina-
buntur* a grege ovium Christi, et a regno
B cœlorum : quemadmodum scriptum est,
Tollatur impius ne videat gloriam Dei. *Is.* XXVI, 10, juxta LXX.
Sustinentes autem Dominum, id est, qui
in adversis eum longanimiter fiduciali-
terque exspectant, *ipsi hereditabunt ter-
ram,* id est, hereditate possidebunt regnum
cœlorum, et etiam corpus proprium in re-
surrectione sanctorum, quando implebi-
tur illud Apostoli : Christus reformabit *Philipp.* III, 21.
corpus humilitatis nostræ, configuratum
corpori claritatis suæ. Tunc namque ani-
ma habebit corpus sibi unitum unione
C perpetua, gloriosa atque beata : ideo tunc
veraciter hereditabit terram, id est pro-
prium corpus.
(10) *Et adhuc pusillum,* id est, modicum 10
præstolare, et parum patienter exspecta, *et
non erit peccator,* id est, non subsistet in
vita præsenti. Jam enim dictum est, quod
malignantes tanquam fœnum velociter are-
scent. *Et quæres locum ejus, et non inve-
nies.* Locus enim proprius, de quo hic lo-
quitur, et locatum, sunt simul, secundum
Philosophum : quoniam locus est ultima
D superficies corporis continentis. Subtracto
ergo locato, locus ejus non manet. Itaque,
Quæres locum ejus, et non invenies, id est,
si quæres, non reperies. Vel, Quæres lo-
cum ejus, id est, usum quem habet in re-
rum natura : qui usus est, ut innocentem
exercitet. Sic ergo peccator et locus ejus
ac opus cito deficiunt. Propter quod scri-
ptum est : Laus impiorum brevis est, et *Job* XX, 5, 8.
gaudium hypocritæ ad instar puncti. Velut
somnium avolans non invenietur; trans-
iet quasi visio nocturna. Unde et impii

Digitized by Google

Sap. v, 8, 9, 13. deprehensi in pœnis, dicunt : Quid nobis A
profuit superbia ? aut divitiarum jactantia
quid contulit nobis ? Transierunt omnia
illa tanquam umbra, et tanquam nuntius
præcurrens ; sic et nos nati, continuo de-
sivimus esse, et in malignitate nostra con-
sumpti sumus.

11 (11) *Mansueti autem,* id est homines qui
iræ impetum vincere didicerunt, *heredita-
bunt terram :* sicut jam dictum atque ex-
positum est de sustinentibus Dominum ;
et delectabuntur in multitudine pacis, id
Philipp. iv, 7. est, pace Christi, quæ omnem sensum ex- B
superat, copiose fruentur, nunc quidem
interdum per gratiam, in futuro autem in-
desinenter per gloriam. Maxime enim man-
sueti cordis pacem jam habent, et in se ip-
sis suaves sunt, quoniam dictum est, quod
pax est tranquillitas ordinis. Hanc vero
tranquillitatem nil impedit, nisi turbatio.
Ira autem et vitia quæ ex ea nascuntur,
maxime generant turbationem in animo,
et faciunt hominem irrationalibus simi-
Eccle. vii, 10. lem, sicut Ecclesiastes dicit : Ira in sinu
stulti requiescit. Propterea mansueti seu C
mites, quoniam iram superaverunt, am-
pliorem, dulciorem ac stabiliorem pacem
sortiuntur. Et est mansuetudo, magna at-
que amabilis virtus, redditque hominem
non solum Deo, sed cunctis quoque homi-
nibus diligibilem, quemadmodum ait Scri-
Eccli. iii, 19. ptura : Fili, in mansuetudine opera tua
perfice, et super hominum gloriam dilige-
ris. Dionysius quoque in epistola ad De-
mophilum monachum, mansuetudinem ve-
hementer commendat, affirmans Moysen
et Joseph ac David, aliosque nonnullos, id- D
circo maximam gratiam apud Dominum
invenisse, quoniam mansueti erant. Si er-
go desideramus perfrui pace Christi, au-
diamus et impleamus exhortationem, imo
Matth. xi, 29. præceptum ejus quo ait : Discite a me,
quia mitis sum et humilis corde. Unde in
Vitis Patrum scriptum est, quod iracundus
quamvis mortuos suscitet, Deo tamen non
placet. Et iterum : Sicut fumus expellit
hospitem, sic ira expellit a corde Spiritum
Sanctum.

(12) *Observabit peccator justum,* id est, 12
opera ejus explorabit intentione nocendi,
et stridebit super eum dentibus suis, ex
crudelitate animi et furore. (13) *Dominus* 13
autem irridebit eum, id est, confusione
dignum ostendet : sicut in psalmo secun-
do habetur, Qui habitat in cœlis, irridebit *Ps.* ii, 4.
eos : quod illic plenius pertractatum est.
Quoniam prospicit quod veniet dies ejus :
id est, ipse Dominus novit diem futuræ
ultionis atque judicii, in quo peccatori
reddet quod meruit : in quo die implebi-
tur quod ipse apud Isaiam testatur, Heu ! *Is.* i, 24.
ego consolabor super hostibus meis, et
vindicabor de inimicis meis.

(14) *Gladium evaginaverunt peccatores.* 14
Est quidam gladius linguæ, de quo inferi-
us dicitur : Lingua eorum gladius acutus. *Ps.* lvi, 5.
Hunc gladium evaginare, est verba commi-
natoria, pungitiva, fallacia, contumeliosa
proferre. Alius quoque est gladius, de quo
Christus Petro dixit : Converte gladium *Matth.*
tuum in vaginam. Hunc gladium evagina- xxvi, 52; *Joann.* xviii,
re, est armis alium impetere. Et utrumque 11.
gladium evaginaverunt peccatores. *Inten-
derunt arcum suum,* id est insidias vel
arcum materialem, *ut decipiant pauperem,*
id est humilem et in temporalibus indi-
gentem, *et inopem,* id est aliorum auxi-
lium non habentem, *ut trucident rectos
corde,* id est, ut justos corporaliter vel spi-
ritualiter occidant. Gladio oris atque insi-
diis volunt decipere, gladio manus et arcu
corporali volunt occidere. (15) *Gladius eo-* 15
rum intret, id est intrabit, *in corda ipso-
rum :* omnis enim qui acceperit gladium, *Matth.*
gladio peribit. Non quod gladius materia- xxvi, 52.
lis ingredi possit mentem seu animam, vel
quod omnes qui gladium accipiunt, gladio
pereant, sicut nec latro cum Christo sus-
pensus, nec Petrus ; sed ideo dicitur in cor-
da evaginantium intrare, eosque interime-
re, quoniam malitia eorum primo nocet
eis, et animas eorum spiritualiter occidit,
quam noceat aliis. Unde quod ait Salvator,
Qui acceperit gladium, gladio peribit, aliud *Ibidem.*
nihil est, nisi quod uniuscujusque mali-
gnitas in proprium caput redundat, et am-

Digitized by Google

plius nocet agenti quam patienti. Hoc mo-
do gladius introivit in corda tyrannorum,
et æternaliter eos occidit. Intravit autem
in corpora martyrum, et eos in cœlestibus
coronavit. *Et arcus eorum confringatur,*
id est, insidiæ eorum frustrentur effectu
optato.
16 (16) *Melius,* id est utilius, jucundius, et
magis sufficiens, *est modicum,* id est tan-
tum quantum necessarium est victui, *ju-
sto,* qui temporalia ad spiritualia ordinat,
super divitias peccatorum multas, id est,
quam multa bona temporalia mobilia et
immobilia, avaris et impiis. Justus enim
dum necessaria habet, Domino gratias agit,
quiescit, contentus est, et spiritualiter pro-
ficit ; peccatores vero avari non satiantur
divitiis, nec omnium largitori Deo grati
sunt, atque ab ipsis suis divitiis demer-
guntur in profundum inferni. Propterea
Eccli. x, 9. scriptum est : Avaro nihil scelestius. Et
Ibid. 10. rursus : Nihil est iniquius, quam amare
pecuniam ; hic enim animam suam habet
Is. v, 8. venalem. Et iterum : Væ qui conjungitis
domum ad domum, et agrum agro copula-
tis. Numquid habitabitis vos soli in medio
17 terræ ? (17) *Quoniam brachia peccatorum
conterentur :* id est, fortitudo et robur at-
que divitiæ impiorum ad nihilum deducen-
tur, ita ut ad salutem nihil eis proficiant,
nec a morte æterna eruant eos ; *confirmat
autem justos Dominus* per gratiam Spiritus
Hebr. xiii, 9. Sancti : sicut ait Apostolus, Optimum est
gratia stabiliri cor.
18 (18) *Novit Dominus dies immaculatorum :*
id est, conversationem eorum qui sine
mortali peccato sibi deserviunt, approbat,
II Tim. ii, 19. sicut ait Apostolus : Firmum fundamentum
Dei stat, habens signaculum hoc : Novit
Dominus qui sunt ejus. *Et hereditas eorum
in æternum erit :* id est, merces Sancto-
rum seu beatitudo quam a Deo percipi-
ent tanquam hereditarium bonum, nun-
quam finietur. Quum enim justi sint filii
Rom. viii, 17. Dei, sequitur quod sint et heredes : here-
des quidem Dei, coheredes autem Christi.
19 (19) *Non confundentur in tempore malo,*
id est in sæculo isto : de quo ait Aposto-
A lus, Redimentes tempus, quoniam dies Ephes. v, 16.
mali sunt. Vel, In tempore malo, id est in
diebus adversitatis et tribulationis ; sed
tunc sperabunt in Domino, et ipse prote-
get eos, ita ut in adversis lætentur, quem-
admodum monet Jacobus in sua Canoni-
ca : Omne gaudium existimate, fratres mei, Jacob. i, 2.
quum in tentationes varias incideritis. *Et
in diebus famis saturabuntur.* Duplex est
fames. Una est corporis, quo cibus et po-
tus appetuntur : et in hac fame, seu tem-
pore caristiæ, saturabuntur justi, quoniam
B Dominus eis de necessariis providebit,
quemadmodum Christus in Evangelio re- Matth. vi, 31-33.
promittit. Alia est fames mentis, de qua
Dominus dicit per Amos prophetam : Ecce Amos viii, 11.
ego mittam famem in terra, non famem pa-
nis, neque sitim aquæ, sed audiendi ver-
bum Dei. Et in hujus famis diebus satura-
buntur justi a Deo spirituali pinguedine,
atque multiplici gratia Spiritus Sancti, sicut
prædictum est : Inquirentes autem Domi- Ps. xxxiii, 11.
num, non minuentur omni bono. Et in
Evangelio Christus : Beati, inquit, qui esu- Matth. v, 6.
C riunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi
saturabuntur. *Quia peccatores peribunt :* 20
id est, signum ejus quod dictum est, scili-
cet quod justi non confundentur in tem-
pore malo, etc., est, quod peccatores per-
ibunt, id est, propter suam ingratitudinem
confundentur, præsertim dum audient :
Ite, maledicti, in ignem æternum. Ibid. xxv, 41.
(20) *Inimici vero Domini mox ut hono-
rificati fuerint et exaltati :* id est, dum
rebelles et impii in præsenti vita honorem,
famam et dignitatem, aut dominationem
D adepti fuerint ; *deficientes quemadmodum
fumus deficient,* id est, tam repente mar-
cescere incipient, et incessanter deficient,
quemadmodum deficit fumus, qui est eva-
poratio velociter transiens. Hoc est quod
ait alia Scriptura : Quæ est vita vestra ? Jacob. iv, 15.
Vapor est ad modicum parens, et deinceps
exterminabitur.
(21) *Mutuabitur peccator,* id est, multa 21
talenta a Domino recipiet, scilicet dona
naturalia atque gratuita : et quidquid est
et habet, a Deo per modum talenti rece-

Digitized by Google

pit, ut tempore debito rationem de omni- A
bus reddat, et interim illis bene utatur ad
gloriam Dei propriamque salutem : quem-
Luc. xix, 13. admodum Christus in Evangelio jubet, Ne-
gotiamini dum venio ; *et non solvet,* id
est, Deo gratus non erit, nec rationem da-
re valebit, quoniam donis Dei abutitur.
Justus autem miseretur et tribuet : id est,
ex animo indigentibus condolet, eisque pro
posse succurrit, prout Salvator noster hor-
Ibid. vi, 30. tatur : Omni petenti te tribue. Viscera ve-
Prov. xii, 10. ro impiorum crudelia. Et tu ergo, o frater,
deiformem proprietatem assume, quatenus B
sicut Deo proprium est misereri, et sicut
Jacob. i, 5. ipse dat omnibus affluenter, ita et tu om-
ni indigenti compatiaris, et pro possibi-
litate tua adjutorium præbeas. Hinc nam-
Tob. iv, 8, 9. que scriptum est : Quomodo potueris, ita
esto misericors. Si multum habueris, abun-
danter tribue ; si vero paucum, modicum
libenter impertire. Hæc autem omnia agit
22 justus ad laudem et gloriam Dei. (22) *Quia
benedicentes ei,* id est, qui ore et opere
Domino gratias agunt et laudes offerunt,
hereditabunt terram : sicut nunc sæpe C
expositum est ; *maledicentes autem ei,*
videlicet infideles, obstinati, blasphemi,
disperibunt : quoniam æternaliter damna-
buntur, quemadmodum in Apocalypsi indu-
Apoc. xxi, 8. citur : Timidis et incredulis et exsecratis
et omnibus mendacibus, pars illorum erit
in stagno ardenti igne et sulfure, quod est
mors secunda.

23 (23) *Apud Dominum,* id est coram Do-
mino, et in conspectu ac beneplacito ejus,
gressus hominis rationabiliter conversan-
tis, id est vita seu actio justi, *dirigentur :* D
quoniam ratio hominis, illuminata fide et
gratia Spiritus Sancti, dirigit opera sua
secundum divinæ legis tenorem, seu juxta
præcepta atque consilia Christi. Hoc modo
gressus suos direxerunt Elias et Eliseus, qui
III Reg. xvii, 1 ; IV Reg. v, 16. loquuntur : Vivit Dominus, in cujus con-
spectu sto hodie. Unde et Abrahæ Domi-
Gen. xvii, 1. nus dixit : Ambula coram me, et esto per-
fectus. *Et viam ejus,* id est operationem
justi, *volet,* id est, approbabit præmiabit-
que Dominus, quemadmodum ait Abrahæ
Deus : Ego protector tuus sum, et merces Gen. xv, 1.
tua magna nimis. (24) *Quum ceciderit, non* 24
collidetur : id est, quum justus ex humana
fragilitate peccaverit, et gratiam Dei ami-
serit, non collidetur, id est, non penitus
peribit in anima, nec perseverabit in ma-
lo ; *quia Dominus supponit manum suam,*
id est, per misericordiam suam sustentat
et erigit eum, præbens ei aliquam occasi-
onem per quam se aptat ad gratiam : quo
facto, Dominus gratiam ei infundit, quem-
admodum patet in Petro et David.

(25) *Junior fui,* quam nunc sum, *etenim* 25
senui, sicut jam patet in me ; *et non vidi
justum derelictum* a Deo finaliter : quod
de justo prædestinato intelligendum est ;
nec semen ejus quærens panem. Hoc lit-
teraliter de filiis carnis et pane ventris
exponi non potest : quoniam, sicut in Ge-
nesi legitur, filii Jacob bis descenderunt Ibid. xlii, 2, 3 ; xliii, 2, 15.
in Ægyptum ut emerent escas, ne more-
rentur. Et Apostolus inter alia sua incom-
moda annumerat famem et sitim. Quid ergo II Cor. xi, 27.
per semen, nisi imitatores justi intelli-
guntur ? qui spiritualiter generantur ab
ipso, sequendo doctrinam, vitam et mores
ipsius, prout dicit Apostolus : Filioli mei, Galat. iv, 19.
quos iterum parturio, donec formetur Chri-
stus in vobis. Hoc ergo semen non quærit
panem, id est gratiam atque justitiam Dei,
tanquam aliud extra se, et tanquam care-
ant pane isto, quum dictum sit, Nihil deest Ps. xxxiii, 10.
timentibus eum ; quærunt tamen ut magis
abundent. Vel sic : Nec semen ejus quæ-
rens panem, id est, non vidi opera justi
privari mercede. (26) *Tota die,* id est omni 26
hora convenienti ac debita, justus *misere-
tur et commodat,* id est, compatitur et suc-
currit proximis suis ; *et semen illius in
benedictione erit,* id est, opera ejus bene-
dicta erunt a Deo. Imitatores quoque ip-
sius benedicentur a Deo, in præsenti per
gratiam et profectum, in futuro autem per
gloriam et quietem, secundum quod scri-
ptum est : Benedictio Domini super caput Prov. x, 6 ; Eccli. xliv, 26.
justi ; ideo dedit illi hereditatem.

(27) *Declina a malo,* id est, a peccatis re- 27
cede per pœnitentiam, *et fac bonum,* id

Digitized by Google

est, operare virtutes. Non enim sufficit a A
malo recedere, sed oportet etiam facere
Matth. III, 10; VII, 19. bona : quoniam omnis arbor, quæ non fa-
cit fructum bonum, excidetur et in ignem
mittetur. *Et inhabita in sæculum sæculi,*
id est, usque in finem persevera in fide
et unitate ac obedientia sanctæ matris Ec-
28 clesiæ. (28) *Quia Dominus amat judicium*
discretionis, quo quilibet discernit et ju-
dicat semetipsum, *et non derelinquet san-
ctos suos,* id est electos; *in æternum con-
servabuntur* in amore et gratia Dei. Nam
hic temporaliter conservantur, donec vitam B
in bono finiant, ac per hoc confirmentur
in bono : quoniam qui in gratia moritur,
statim in bono confirmatur ; et in tali
statu anima æternaliter manet, in quali a
corpore suo discessit, quemadmodum Sa-
Eccle. XI, 3. lomon ait : Ubicumque ceciderit lignum,
ibi erit. (29) *Injusti punientur,* in præ-
senti, remorsu conscientiæ et privatione
caritatis ac gratiæ ; in futuro autem, igne
æterno; *et semen impiorum peribit,* id est,
opera eorum ac sectatores vitæ ipsorum
29 æternaliter damnabuntur. (30) *Justi autem,* C
qui perseverant in bono, *hereditabunt ter-
ram* viventium, sicut in Apocalypsi Domi-
Apoc. II, 10. nus ait : Esto fidelis usque ad mortem, et
dabo tibi coronam vitæ ; *et inhabitabunt
in sæculum sæculi super eam,* id est, sine
fine manebunt in regno cœlorum, secun-
Ibid. III, 21. dum quod Salvator iterum promittit : Qui
vicerit, dabo ei sedere mecum in throno
meo, sicut et ego vici, et sedi cum Patre
meo in throno ejus.

30 (31) *Os justi,* id est intellectus ejus, quo
interius verbum profertur, *meditabitur sa-* D
pientiam, id est, divinorum contempla-
tionem cum saporosa affectus dulcedine
ruminabit, speculando cœlestia, sicut ait
II *Cor.* III, 18. Apostolus : Nos autem revelata facie glo-
riam Domini speculantes. Vel sic : Os cor-
porale justi meditabitur, id est, ex interiori
meditatione loquetur. Vel, Meditabitur, non
cogitando, sed agendo : sicut de quibus-
Tit. I, 16. dam ab Apostolo scriptum est, Dicunt se
nosse Deum, factis autem negant. *Et lin-
gua ejus loquetur judicium,* id est discre-
tionem seu distinctionem inter verum et
falsum, bonum et malum : docens et af-
firmans bona esse, quæ Deo placent ; ma-
la autem, quæ displicent ei. Hoc est quod
Salomon ait : Veritatem meditabitur gut- *Prov.* VIII, 7.
tur meum, et labia mea detestabuntur ini-
quum. (32) *Lex Dei ejus in corde ipsius,* id 31
est, lex divina est in memoria justi ut im-
pleat eam, sicut prædictum est : Et in le- *Ps.* I, 2.
ge ipsius meditabitur die ac nocte ; *et non
supplantabuntur gressus ejus,* id est, ope-
rationes justi non subvertentur, nec præ-
mio privabuntur : imo si forte ad tempus
erraverit justus electus, et opera ejus bo-
na mortificata fuerint per peccatum, Do-
minus cito convertet eum ad se, et gratiam
reddet ; sicque opera dudum mortificata
viva fient, et non supplantabuntur nec
conculcabuntur, neque finaliter exstin-
guentur per aliquem.

(33) *Considerat peccator justum,* non ut 32
imitetur, sed ut adversetur. Ideo subdit,
et quærit mortificare eum, vel corpus oc-
cidendo, vel animam ad peccandum alli-
ciendo, vel variis tribulationibus ipsum
justum afficiendo, ita ut nonnunquam tæ-
deat eum vitæ suæ, quemadmodum ait
Apostolus : Supra modum gravati sumus, II *Cor.* I, 8.
ita ut tæderet nos vivere. (34) *Dominus au-* 33
tem non derelinquet eum in manibus ejus,
id est, non permittet justum finaliter op-
primi violenta potestate iniqui, quamvis
ad tempus sinat eum affligi. Nam post
hanc vitam temporalem, æternaliter eum
eripiet ab omni angustia. Nec in præsenti
vita derelinquit eum penitus in manibus
impii : quoniam licet impius possit corpus
ejus violenter vexare, non tamen potest
animam ejus ad vitia cogere, vel a via ju-
stitiæ flectere, sicut ait de Sanctis Grego-
rius : Occidi possunt, et flecti nequeunt ;
idcirco sunt judicante robustiores, et occi-
dente fortiores. *Nec damnabit eum quum
judicabitur illi :* id est, in die quo Domi-
nus proferet judicium remunerationis, illi,
scilicet justo ad gloriam ejus ; vel, illi, id
est peccatori ad pœnam : tunc non dam-
nabit justum, sed salvabit eum. Justis enim

Digitized by Google

Matth. xxv, 34. in die judicii dicturus est Christus : Veni- A
te, benedicti Patris mei, percipite regnum
quod vobis paratum est ab origine mundi.
Gen. xviii, 23, 25. Unde et Abraham ait ad Dominum : Num-
quid perdes justum cum impio? Non est
hoc tuum, qui judicas omnem terram.
34 Quoniam ergo ita est, (35) *Exspecta Dominum, et custodi viam ejus.* Hoc est quod
circa principium psalmi istius dictum atque expositum est, Spera in Domino, et
fac bonitatem. Nil enim aliud est Deum
exspectare, quam in ipso sperare, quoniam
spes est exspectatio futuræ felicitatis. *Et* B
Luc. xviii, 14. *exaltabit te* Deus, qui humiles exaltat, *ut*
hereditate capias terram, id est, in æternum possideas regnum cœlorum ; *quum*
perierint peccatores, videbis : quoniam in
præsenti vita videbis eos arescere, et in
extremo judicio adspicies eos in infernum
humo opertos descendere.
35 (36) *Vidi impium superexaltatum,* id est
ultra mensuram sublimatum dignitate, honore, potestate, gloria atque divitiis, *et*
elevatum in istis *sicut cedros Libani,* id
est, tam eminenter alios excellere in tem- C
poralibus, prosperitatis candore et sublimitate, quantum cedri Libani, id est arbores crescentes in monte qui Libanus
appellatur, alias arbores excellunt in decore ac situ. Libanus enim candidatio interpretatur. Propterea impii qui temporaliter prosperantur ac florent, cedris Libani
comparantur ; quoniam sicut cedri tales a
vento impelluntur ac dejiciuntur, sic impii omni flatu vanitatis et impetu passio-
36 num circumferuntur atque labuntur. (37) *Et*
transivi, id est, vitam protraxi, animo D
omnia perlustravi, a terrenis ad cœlestia
mentem erexi, *et ecce non erat,* id est,
impius jam defecit : quia non diu durat
gloria ejus, quemadmodum Sapiens in per-
Sap. ii, 5. sona impiorum dicit : Umbræ transitus
est tempus nostrum. *Et quæsivi eum,* id
est, inquisivi ubinam esset ; vel, Quæsivi
eum, id est, conditionem et proprietatem
ejus scrutatus sum, apud me considerando
quanta esset vanitas ejus ; *et non est inventus locus ejus.* Hoc est quod paulo ante

asseruit, Quæres locum ejus, et non inve- vers. 10.
nies : quod illic expositum est. Et hoc est
quod Sapiens commemorat : Spes impii Sap. v, 15.
est tanquam lanugo, quæ a vento tollitur,
et tanquam spuma gracilis, et tanquam
memoria hospitis unius diei.
(38) *Custodi innocentiam,* id est, ab om- 37
ni malo declina, *et vide æquitatem,* id est,
considera, et considerando operare justitiam. Hoc est quod in Actibus Apostolorum scriptum est, quia docebat eos Paulus Act. xxiv, 25.
de continentia et justitia. *Quoniam sunt*
reliquiæ homini pacifico : id est, magna
bona restant, et in cœlis parata sunt amantibus seu facientibus pacem vel in proprio corde, vel inter alios, quemadmodum
Christus testatur : Beati pacifici, quoniam Matth. v, 9.
filii Dei vocabuntur. Vel sic : Quoniam
sunt reliquiæ homini pacifico, id est, innocentia et æquitas appropriantur, debentur, ac conservantur pacificis, qui omnia
transitoria spernunt, quatenus in vera pace Deo adhæreant. Dum enim omnia exteriora atque caduca amittunt, tunc innocentia et æquitas remanent eis. Quum enim
pacem integro corde desiderent, nulli nocumentum inferunt, nec alicujus bona
apud se retinent ; sed paci servandæ totaliter vacant. Innocentia quippe disponit
ad pacem ; justitia vero eam custodit, quoniam tollit obstacula pacis. Propterea in
Isaia scriptum est : Erit opus justitiæ pax, Is. xxxii, 17, 18.
et cultus justitiæ silentium et securitas
usque in sempiternum ; et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta.
Verumtamen directe ac proprie pax est
caritatis effectus, quoniam caritas parit
concordiam : propter quod infra habetur,
Pax multa diligentibus legem tuam. Dici- Ps. cxviii, 165.
tur tamen pax opus justitiæ, in quantum
justitia aufert impedimenta pacis.
(39) *Injusti autem disperibunt :* quoniam 38
æternaliter miseri erunt. Hinc enim in libro Job scribitur : Recordare, obsecro te, Job iv, 7-9.
quis unquam innocens periit? Quin potius vidi iniquos Domino flante perisse.
Simul reliquiæ impiorum interibunt : id

Digitized by Google

est, semen eorum, opera eorum, imitatores eorum, gloria atque memoria ipsorum, a Domino reprobabuntur, a sanctis derelinquentur, et ab omni beato esse deficient,
Job vii, 9. sicut scriptum est : Sicut consumitur nubes et pertransit ; sic qui descendit ad inferos, non ascendet. Et hoc est quod in
Ps. xlviii, 18. sequentibus dicitur, Quoniam quum interierit, non sumet omnia.

39 (40) *Salus autem justorum a Domino:* id est, quidquid perfectionis et gratiæ habent in mente et corpore, a Deo profluxit
I Cor. iv, 7. et datum est. Quid enim habes quod non accepisti? *Et protector eorum,* id est justorum, est Dominus *in tempore tribulationis,* tentationis, infirmitatis ac mortis.
40 (41) *Et adjuvabit eos Dominus,* confortando naturalem virtutem auxilio gratiæ, *et liberabit eos* a vinculis vitiorum ; *et eruet eos a peccatoribus,* id est a tentationibus atque molestiis hominum impiorum ac dæmonum, *et salvabit eos* in regno cœlorum, post hujus sæculi cursum atque exsilium. Sed quibus meritis? subdit : *quia speraverunt in eo,* id est, omne bonum ab ejus misericordia exspectaverunt, nil propriis viribus adscripserunt, sed tota mente in Deo confisi sunt, facientes nihilo minus quod in se fuit : quia spes vera, salubris et perfecta, est certa exspectatio futuræ beatitudinis, ex misericordia Dei et propriis meritis nascens : idcirco actus spei formatæ, ex caritate procedit. Hæc quoque definitio potius datur de actu, quam de habitu spei : quoniam spes secundum se, est habitus infusus, non adeptus, neque causatus propriis meritis. Sed quoniam nullus scit sine speciali revelatione, an sit dignus amore, quomodo potest homo habere certam exspectationem felicitatis futuræ? Sciendum ergo, quod spes principalius innititur misericordiæ Dei, quam propriis meritis. Certitudo igitur convenit spei, quantum ad hoc quod divinæ misericordiæ innititur. Certum est enim, quod defectus salutis non erit ex parte misericordiæ Dei. Non autem convenit certitudo spei ex parte propriorum meritorum, nisi forte quis sciret se confirmatum in gratia, sicut erant Apostoli post adventum Paracleti. Itaque, Dominus salvabit justos, quia speraverunt in eo, quemadmodum ipsemet apud Jeremiam testatur : Eruens liberabo te, et erit tibi anima tua in salutem, quia in me habuisti fiduciam, ait Dominus.

Eccle. ix, 1. — Jer. xxxix, 18.

Ecce quam moralis et consolatorius est psalmus iste : quem decet nos diligenter advertere, ut discamus cuncta transitoria parvi pendere, et sola cœlestia semper mansura ferventer optare.

PRECATIO.

Concede, quæsumus, misericors Deus, ut in te sperantes, bonitatem jugiter faciamus : in qua consummati, habitationem terræ viventium obtineamus ; in qua, tua gratia largiente, æternis divitiis pascamur.

ARTICULUS LXXVI

EXPOSITIO PSALMI TRICESIMI SEPTIMI : DOMINE, NE IN FURORE.

1 Porro titulus psalmi istius est : *Psalmus David, in rememoratione sabbati.* Sabbatum requiem æternitatis significat : quam peccando amittimus, atque peccata commissa pœnitentialiter recolendo recuperamus. Est igitur tituli sensus : Psalmus David, id est, psalmus iste adscribitur David tanquam auctori, et hic in persona pœnitentis loquenti ; in rememoratione sabbati, id est pro commemoratione et

Digitized by Google

indulgentia peccatorum : quæ commemoratio assumitur desiderio veniendi ad requiem Beatorum, et ad eam finaliter ordinatur.

LOQUENS ergo propheta David in persona cujuslibet magni peccatoris cor-
2 dialiter pœnitentis, ait : (1) *Domine, ne in furore tuo arguas me*, etc. Versus iste in exordio sexti psalmi diligenter expositus est:
3 ideo lectorem illuc remitto. (2) *Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi :* id est, idcirco precor non argui in furore tuo, quoniam sagittæ tuæ, id est vindictæ seu pœnæ quas pro peccatis infers, infixæ sunt mihi, id est, profunde penetrant me. Quemadmodum enim originalis justitia, erat quoddam retinaculum animæ, quo caro spiritui, sensitiva pars rationi, et ratio Deo in omnibus subdita fuit: sic pœnæ pro hujus justitiæ amissione inflictæ, totum occupant hominem : quoniam corpus infirmitatibus necessitatique mortis subjacet; sensitiva pars animæ, inordinatissimis passionibus et concupiscentiis vitiosis impletur; intellectiva quoque portio animæ, ignorantia, instabilitate et malitia vulneratur. Nam ignorantia est in ratione, instabilitas in memoria, malitia vero in voluntate. Omnia autem hæc mala, sunt sagittæ humano generi inflictæ propter originale peccatum : et istud est grave ju-
Eccli. xl, 1. gum, quod (teste Scriptura) inductum est super omnes filios Adæ, a die nativitatis eorum, usque in diem mortis ipsorum. Sunt autem et aliæ sagittæ, quæ pro actualibus peccatis singulis infliguntur, sicut comminatio Dei, timor judicii, remorsus conscientiæ, dolor de culpis præteritis, adversitates, diffortunia, suspensio consolationis et gratiæ Dei, ac alia multa præsentis vitæ flagella. De quibus sanctus Job
Job vi, 4. ait : Sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum, et terrores Domini militant contra me. Et Ec-
Eccle. ii, 23. clesiastes : Cuncti dies hominis doloribus et ærumnis pleni sunt, nec per noctem
Ibid. 26. mente quiescit. Et denuo : Peccatori, inquit,

A dedit Deus afflictionem et curam superfluam. *Et confirmasti*, o Domine, *super me manum tuam*, id est, prædictas sagittas ac pœnas fortiter imprimis mihi, et continuas eas in me usque ad mortem : ut patet de pœnalitatibus corporis, sicut sunt fames, sitis, et cetera inevitabilia mala.

(3) *Non est sanitas in carne mea a facie* 4
iræ tuæ : id est, non est in corpore meo sanitas stabilis, integra et perfecta, propter animadversionem seu adspectum tuæ justitiæ, quæ peccata mea considerat, atque B prædictis sagittis ea ulciscitur, implens carnem morbis ac aliis pœnis diversis. Hæc autem tormenta debemus patienter sufferre, quatenus vitia nostra purgentur, quemadmodum in Michæa habetur : Iram Mich. vii, 9.
Domini portabo, quia peccavi ei, donec judicet causam meam. Et Jeremias ait : Dixi, Plane hæc infirmitas mea est, et Jer. x, 19.
portabo illam. *Non est pax ossibus meis :* id est, prædictæ vindictæ divinæ justitiæ, usque ad interiora carnis meæ pertingunt, et ejus ossa perturbant atque affli- C gunt : nam carnes et ossa morbis et pœnis torquentur, sicque totum corpus pœnis afficitur; *a facie peccatorum meorum*, id est propter peccata quæ me conterunt, et de quibus mihi conscius sum. — Vel sic : *Non est sanitas in carne mea :* id est, ego carnem meam in pœnitentiali labore ita afflixi *a facie iræ tuæ*, id est propter considerationem tuæ justitiæ, quam pensavi mihi terribiliter imminere, quod non est in ea sanitas derelicta; sed asbtinentiis, orationibus, disciplinis, seu ictibus atque D vigiliis attenuata, exhaustaque est. *Non est pax ossibus meis :* id est, ossa quoque corporis mei pelle et carne quasi nudata sunt, propter laborem quem assumpsi *a facie peccatorum meorum*, id est ex consideratione offensionum mearum in te. Et merito tam dure afflixi me :

(4) *Quoniam iniquitates meæ supergres-* 5
sæ sunt caput meum : id est, vitia et concupiscentiæ meæ excæcaverunt, vicerunt et oppresserunt lumen rationis meæ, et captivus ductus sum in legem peccati :

Digitized by Google

Dan. XIII, 56. sicut et Daniel dicit, Species decepit te, et A concupiscentia subvertit cor tuum. Quocontra
Rom. XII, 21. Paulus ait : Noli vinci a malo ; et
Ibid. VI, 12, 13. iterum : Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus ; neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato. *Et sicut onus grave gravatæ sunt super me :* id est, per consuetudinem malam et negligentiam seu obstinationem, multæ et magnæ factæ sunt iniquitates meæ, et tam graviter trahunt affectum meum ad inferiora ac vilia appetenda, sicut pondus trahit corpus leve, B ne ascendat. Peccata ergo nostra a cœlestium nos contemplatione impediunt, rationis judicium opprimunt, ad alia quoque vitia suo pondere nos inclinant, et tandem in inferis animam non pœnitentem de-
Jer. V, 25. mergunt. Propter quod Jeremias ait : Peccata vestra prohibuerunt bonum a vobis.

6 (5) *Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ :* id est, reliquiæ seu sanationes culparum mearum redactæ sunt ad pristinum languorem peccati, quoniam vitia per pœnitentiam mihi indulta reiteravi, et pri- C orem animæ morbum incurri. Putrefactio autem ad corruptionem disponit ; et cogitatio seu consensus, ad opus. Dum ergo in peccata præterita iterum consentimus, cicatrices animæ nostræ putrefiunt ; dum vero ad opus procedimus, tunc penitus corrumpuntur. *A facie insipientiæ meæ :* id est, recidivatio ista peccati contigit mihi ex insipientia mea, videlicet quoniam non pensavi quam periculosum, mortiferum atque ingratum est, addere malum malo, et iterum vinculis pristinis irretiri : quem- D admodum scriptum est in Ecclesiastico,
Eccli. III, 29. Peccator adjiciet ad peccandum. Quocon-
Ibid. V, 5-7. tra in eodem libro scriptum est : Fili, ne adjicias peccatum super peccatum, et ne dicas, Miseratio Domini magna est. Nam secundum multitudinem misericordiæ ejus, sic et multitudo iræ illius.

7 (6) *Miser factus sum,* id est, peccando gratiam perdidi, et omnibus spiritualibus bonis privatus sum, atque evangelicas octo beatitudines amisi, *et curvatus sum,* id est, a rectitudine justitiæ obliquatus sum, et viam veritatis reliqui, *usque in finem,* id est usque ad consensum mortalis peccati, quod est mors animæ et finis spiritualis vitæ præhabitæ. Vel sic : Miser factus sum, id est, me ipsum miserum esse cognovi, et humiliavi spiritum meum, qui se in malis putavit beatum ; et curvatus sum usque in finem, id est, jugo Dei supposui humerum meum, et cœpi portare onus Christi et crucem ipsius usque in finem, id est perseveranter, vel ad hoc, quod Deum, qui est omnium ultimus finis, acquiram. Ista curvitas bona est. Nam de ea scriptum est : Anima quæ incedit *Baruch* II, 18.
curva, dat tibi gloriam Domino. *Tota die contristatus ingrediebar,* id est, propter peccata mea indesinenter tristabar bona tristitia. De qua ait Apostolus : Quæ se- *II Cor.* VII, 10.
cundum Deum est tristitia, pœnitentiam stabilem operatur in salutem. Et Ecclesiastes : Cor sapientium ubi tristitia, et cor *Eccle.* VII, 5.
stultorum ubi lætitia. Dolor autem de peccatis, in principio debet esse magis frequens et quasi continuus ; sed in processu, dum pœnitens ad altiora profecerit, non oportet ut sit tam frequens atque continuus : imo tunc debet se talis in actibus divinæ caritatis et sublimioribus exercitiis occupare, contemplando bonitatem divinam et beneficia ac promissa ipsius. Vicissim vero, et maxime in principio sui actus, debet se ipsum humiliare, et peccata sua recolere, ac per hoc humillime ad Deum accedere. Ideo ait Scriptura : Ju- *Prov.* XVIII, 17.
stus in principio accusator est sui.

(7) *Quoniam lumbi mei impleti sunt il-* 8
lusionibus : id est, ego in cujus lumbis viget motus luxuriæ, carnali voluptate pollutus sum, et delectationibus luxuriosis seductus. Dicuntur autem delectationes et actus luxuriæ, illusiones, quoniam intellectum maxime obruunt, hominemque omnino decipiunt. Istud autem, de gratia Dei, non convenit omnibus. Non enim competit eis, qui corde et corpore virgines sunt : sed David, qui cum uxore Uriæ tan- *II Reg.* XI, 4 ; *III Reg.* XI, 4-8.
tum peccavit ; Salomoni quoque, de quo

Eccli. XLVII, 21, 22. legitur, Inclinasti femora tua mulieribus, A
et dedisti maculam in gloriam tuam. Cui
ergo istud non convenit, non vane glorie-
tur nec intumescat, sed gratias Domino
agat, et tanto ardentius, quanto donum
hoc majus est. *Et non est sanitas in carne*
I Cor. VI, 18. *mea :* nam, ut ait Apostolus, Qui forni-
catur, peccat in corpus suum.
9 (8) *Afflictus sum* pro peccatis meis casti-
gatione divina et pœnitentia salutari ; *et*
humiliatus sum nimis : id est, afflictiones
has pro peccatis meis illatas, humillime
toleravi, imo irrationalibus creaturis vili- B
orem me reputavi. *Rugiebam a gemitu*
cordis mei : id est, ex magnitudine inte-
rioris tristitiæ de peccatis, in exteriorem
singultum et gemitum magnum proru-
Job III, 24. pi : quemadmodum Job dicit : Antequam
comedam, suspiro ; et quasi inundantis
aquæ, sic rugitus meus. Ex his autem
docemur, qualis esse debeat pœnitentia
vera, videlicet ut cordialissime compun-
gamur, atque totaliter ingemiscamus, fla-
10 gellemur, et humiliemur. (9) *Domine, ante*
te omne desiderium meum : id est, o Do- C
mine, tu vides cor famuli tui, et omnem
ejus affectum cognoscis, et cernis quia nil
aliud quæro, nisi te ; *et gemitus meus a*
te non est absconditus : id est, tu conspi-
cis quod non sæculariter tristor, nec pro-
pter temporalia gemo, sed quia offendi te.
11 (10) *Cor meum conturbatum est :* id est,
ratio mea vitiis deordinata est, et veram
tranquillitatem amisit. Vel, Cor meum con-
turbatum est, conturbatione salubri et bo-
na, videlicet ad pœnitentiam, ad fletum,
ad timorem futuri judicii, et ad quamdam D
admirationem ingratitudinis meæ, ita quod
considerando me ipsum displicui mihi, et
propter magnitudinem perversitatis meæ
obstupui. *Dereliquit me virtus mea :* id
est, naturalis potestas mea fuit mihi in-
sufficiens ad salutem. Vel, Dereliquit me
virtus mea, id est, spiritualem profectum,
quem fui adeptus, peccando amisi. Dereli-
quit me etiam *et lumen oculorum meo-*
rum, id est, gratia habitualis et actualis
illuminatio Spiritus Sancti, recessit a me
quando peccavi ; *et ipsum non est mecum,*
id est, lumen gratiæ non est in me, quam-
diu in peccatis permaneo. — Vel sic : *De-*
reliquit me virtus mea, id est, pro pecca-
tis meis condignam pœnitentiam facere
non potui ; *et lumen oculorum meorum,*
id est, gravitatem peccatorum meorum
plene comprehendere non valui propter
enormitatem eorum. Quanto enim homo
copiosius illuminatur a Spiritu Sancto,
tanto amplius ponderat, aggravat, et ab-
horret scelera propria, ita ut quæ aliis
parva et pene nulla apparent, ipse gravis-
sima reputet. Et tali homini sapit hic psal-
mus, nec alicui alteri. *Et ipsum non est*
mecum, id est, adhuc deficio in conside-
ratione malitiæ meæ, nec capere possum
quam miser ac miserabilis factus sum, eo
præsertim quod præterita mala reiteravi.
Hinc enim scriptum est : Quam vilis facta Jer. II, 36.
es nimis, iterans vias tuas !

Præterea quæ sequuntur, ad perfectio-
nem pertinent pœnitentis, et post conver-
sionem atque inchoatam pœnitentiam sibi
conveniunt. (11) *Amici mei et proximi mei,* 12
id est, qui aliquando erant fautores mei,
quando videlicet consensi voluntati eo-
rum, sæculariter conversando, et mundi
delicias atque honores amando, *adversum*
me appropinquaverunt et steterunt, id est,
post conversionem meam adversati sunt
mihi, et in malitia perseveraverunt con-
tra me, eo quod vita mea dissimilis sit
vitæ eorum, et ea relinquam ac repro-
bem quæ ipsi quærunt et approbant. Et
hoc est quod Christus talibus in Evan-
gelio ait : Trademini a parentibus et pro- Luc. XXI, 16.
pinquis et amicis, et morte afficient ex
vobis. (12) *Et qui juxta me erant,* tempo-
re prosperitatis meæ, *de longe steterunt,*
id est, mente aversi sunt a me, quando
flagellis pœnitentiæ conteror, variisque
adversitatibus patienter affligor. Istud in
sancto Job evidentissime patet. Unde in
Ecclesiastico habetur : Si possides ami- Eccli. VI, 7, 8.
cum, in tentatione posside eum, et ne fa-
cile credas ei te ipsum. Est enim amicus
secundum tempus suum, et non permanet

Digitized by Google

13 in die tribulationis. *Et vim faciebant,* id est, violentiam mihi intulerunt, *qui quærebant animam meam,* id est, qui conabantur me a Deo avertere, et rursus ad mundanam conversationem allicere; vel, qui conati sunt vitam meam exstinguere, eo quod noluerim eis acquiescere. (13) *Et qui inquirebant mala,* id est, qui mundum et ea quæ in mundo sunt, diligunt; vel, qui consilia deceptoria excogitaverunt; *mihi locuti sunt vanitates,* id est, rationes inanes et persuasiones inutiles mihi proposuerunt, quatenus ab arrepta pœnitentiæ semita me revocarent, et pristinis me vanitatibus implicarent; *et dolos tota die meditabantur,* id est, adulationibus, comminationibus et variis fraudibus nisi sunt fallere animam meam, videlicet ut temporalem prosperitatem atque mundanam felicitatem appeteret.

Istud autem potest pœnitens et conversus contra dæmones dicere, ab illo loco, Et vim faciebant, etc. Nam et ipsi frequenter cum violento quodam impetu tentant nos, et gaudia mundi sub magna apparentia nobis ostendunt, ut ad eorum amorem inclinent nos.

Sed jam audiamus, quid in tanta persecutione atque molestia pœnitens fecit.
14 (14) *Ego autem tanquam surdus non audiebam:* id est, consensum non præbui, vel me audire dissimulavi, vel omnino non audivi, quia averti aurem meam, et abii; *et sicut mutus non aperiens os suum,* id est, nihil respondi, verbis contendere nolui, contumelias patienter et cum silentio toleravi, vana consilia et tentationes diaboli in tantum contempsi atque abhorrui, ut nec responsione digna ea putarem. Hanc autem sententiam sequens versus clarius
15 pandit. (15) *Et factus sum sicut homo non audiens:* id est, tam æquanimiter verba malignantium passus sum, ac si mihi dicta non essent, quemadmodum surdus verbis irritari non potest quæ non audit; *et non habens in ore suo redargutiones:* id est, factus sum sicut homo qui arguentem redarguere nescit, qui maledicentem non remaledicit, et stulto secundum suam stultitiam non respondet. Unde et Scriptura hortatur: Sepi aures tuas spinis, et noli audire linguam nequam, et ori tuo facito ostia, et seras auribus tuis. *Prov. xxvi, 5.* *Eccli. xxviii, 28.*

Porro in his duobus versibus tangitur optimum remedium ad vincendum tentationes spiritus blasphemiæ. Dæmon enim blasphemiæ melius vinci non potest, nisi per hoc, quod homo omnino avertit se a consideratione suggestionis quam patitur, non disputans neque confabulans cum tentatione pestifera, neque contristans se ipsum propter impugnationem hujusmodi; sed ad alia fructuosa exercitium suum convertens, et spiritualibus viris tentationem suam manifeste aperiens. Hoc enim præsertim debilitat potestatem diaboli. Quidam vero propter verecundiam malam et inexperientiam talis tentationis, revelare non audent quod sustinent: quod valde periculosum consistit. Verumtamen non expedit cuicumque indifferenter tentationem talem revelare, sed erudito atque experto, qui novit consolationem protinus adhibere. Si ergo tentationem hanc sentis, dic ex corde prædictos versus, et relevamen mox senties. Dæmon namque quum sit superbus, ferre non potest, quod ita contemnitur, et ergo recedit. Nihilo minus (ut Cassianus docet) est quædam taciturnitas mala, qua aliqui interdum plus turbant et concitant fratrem et proximum suum, quam si ei aperte resisterent: talis enim taciturnitas non ex humilitate, sed ex elatione et alterius parvipensione oritur, et per duritiam cordis nutritur. Dum ergo potes proximum tuum dulci verbo sanare aut pie instruere, noli tacere; si vero respondendo magis eum inflammes quam mitiges, tace. Hinc enim scriptum est: Est tacens, non habens sensum loquendi; et est tacens, sciens tempus aptum. *Ibid. xx, 6.*

† (16) *Quoniam* inter tot mala *in te* solo, *Domine,* qui mutas tristia in læta, *speravi,* propter te prædicta sustinendo, et remedium a te exspectando. Salutaris enim medicina est, in malis sperare, et non de- 16

Duabus crucibus inclusa, archetypi non sunt.

Digitized by Google

ficere. Ideo merito spei, *tu exaudies me, Domine Deus meus.* † Si ergo exaudiri desideras, spera in Deo ; et quantum speras, tantum impetrabis : si tamen instanter et digne petieris, et in nomine Jesu, id est, ea quæ ad veram beatitudinem pertinent. Beatitudo quippe est finis noster : et ergo per se appetenda, speranda, imploranda-que est ; cetera vero in ordine ad eam, et nec magis nec minus quam ad beatitudinem adipiscendam proficiunt. Ecce quam fiduciale verbum est hoc, Tu exaudies me, Domine Deus meus.

Quid autem exaudiri desideret, subdit.
17 (17) *Quia dixi,* in oratione qua allocutus
sum te : *Nequando supergaudeant mihi inimici mei,* id est, nunquam superflue gaudeant de ruina animæ meæ, aut de victoria contra me, homines mali seu dæmones, qui meo spirituali profectui invident. Et hoc est quod Scriptura dicit : Domine
Eccli. xxiii, 1, 3. pater, et dominator vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu et consilio eorum, et incidam in conspectu adversariorum meorum, et gaudeat inimicus meus. *Et dum commoventur pedes mei,* id est, dum desideria mea et opera, quibus vel ad infernum, vel ad cœlum incedo, a rectitudine deflectuntur et deviant, *super me magna locuti sunt,* id est, magnifice jactaverunt se, quia vicerunt me, et ea præsumptione gavisi sunt. Hoc est quod superius dixit :
Ps. xii, 5. Qui tribulant me, exsultabunt si motus fuero.
18 Ideo, o Domine, exaudies me, (18) *Quoniam ego in flagella paratus sum,* id est, virgam correptionis tuæ et pœnam pro culpa libenter sustineo ; imo quidquid adversitatis mihi contigerit, pro culpis meis vel pro gratia impetranda mihi accidere puto : propterea omnia libentissime fero. *Et dolor meus in conspectu meo semper :* id est, tristitia quam merito pro peccatis assumere debeo, omni tempore convenienti est in consideratione animæ meæ, ita quod penso quantum mihi tristandum est, quod Deum meum tam dire offendi. Et quod ita
19 sit, patet ex eo, (19) *Quoniam iniquitatem meam annuntiabo,* accusando me coram te, et confessionem faciendo vicario tuo presbytero ; *et cogitabo pro peccato meo,* id est, diligenter considerabo ut omnia peccata mea recorder, confitear, veniamque de eis obtineam. Unde in libro Job legitur : Vias meas in conspectu ejus ar- Job xiii, 15, 16.
guam, et ipse erit salvator meus. Et alibi : Qui abscondit scelera sua, non dirigetur ; Prov. xxviii, 13.
qui autem confessus fuerit et reliquerit ea, misericordiam consequetur.

(20) *Inimici autem mei vivunt,* non vita 20
gratiæ, sed naturæ, et temporaliter florent ; *et confirmati sunt super me,* id est, fortiores facti sunt me, nec possum eis naturali potentia prævalere, omnes eorum molestias, tentationes et suggestiones vincendo, sed gratiæ tuæ ope indigeo : sicut Job inducit, Ecce non est auxilium mihi Job vi, 13.
in me. *Et multiplicati sunt, qui oderunt me inique,* id est, hostes mei visibiles atque invisibiles multi sunt, qui ex odio pessimo quærunt pervertere animam meam.
(21) *Qui retribuunt mala pro bonis,* id est 21
ingrati, *detrahebant mihi,* male interpretando opera mea, et crimina quæ non commisi, mihi imponendo, ne alii ædificarentur per pœnitentiam meam, et sequerentur vestigia mea. Unde subjungitur, *quoniam sequebar bonitatem :* id est, ex eo quod recessi a malo, et secutus sum opera virtuosa, moti sunt invidia, et detrahebant mihi.
(22) *Ne derelinquas me, Domine Deus* 22
meus, id est, ne omnino deseras me, gratiam subtrahendo ; *ne discesseris a me,* id est, ne elonges te a me, quasi incipiendo me derelinquere, gratiam minorando ; sed
(23) *Intende in adjutorium meum,* id est, 23
considera quibus indigeo, et illa pie infunde, conserva, et perfice, *Domine, Deus salutis meæ,* id est Deus in cujus potestate tota est felicitas mea, et qui es objectum causaque totius beatitudinis meæ.

Denique locus iste, qui ad laudem pœnitentis pertinet, de Christo convenienter
exponitur, ut sit sensus : *Amici mei et* 12
proximi mei, id est Judæi, qui videban-

Digitized by Google

tur esse amici mei, dicentes se dilige-
re Deum et exspectare Filium ejus Chri-
stum : qui erant proximi mei, quoniam ex
semine Abrahæ nati erant, sicut et ego ;
adversum me appropinquaverunt et stete-
Joann. xi, 47. *runt,* quando videlicet collegerunt conci-
lium quomodo occiderent me, et quando
Ibid. xix, 15. coram Pilato clamabant : Tolle, tolle, cru-
cifige eum. *Et qui juxta me erant,* id est,
qui aliquando erant discipuli mei, sed ab-
Ibid. vi, 61. ierunt retrorsum, dicentes, Durus est hic
sermo, *de longe steterunt,* id est, omnino
alienaverunt se a me : imo Apostoli quo-
que qui ante passionem juxta me erant,
Matth. xxvi, 35, 56. quasi parati mori mecum, fugerunt a me.
13 *Et vim faciebant qui quærebant animam*
meam : id est, Judæi atque ministri Pila-
ti, qui desiderabant occidere me, manus
violentas injecerunt in me, comprehen-
dendo, ligando, colaphizando, perforando
et crucifigendo. *Et qui inquirebant mala,*
id est, Judæi quærentes contra me aliquam
occasionem, *mihi locuti sunt vanitates,* id
Ibid. xxii, 16. est verba adulatoria, dicendo : Magister,
scimus quia verax es, et viam Dei in veri-
tate doces, et non est tibi cura de aliquo.
Et dolos tota die meditabantur, cogitando
Ibid. 15. et inquirendo quomodo possent me cape-
re in sermone, et blandiendo ad hoc in-
ducere, ut magis dicerem ipsis placentia,
quam justitiæ consona.

14 *Ego autem tanquam surdus non audie-*
bam. Christus ut homo, aure corporis non
omnia audivit quæ dicebantur adversus
eum : multa tamen præsens audivit, sed
non audisse se asserit vana et mala quæ
sibi dicebant Judæi, quoniam omnia pati-
entissime pertulit, et tanquam surdus ad
omnia dissimulavit. *Et sicut mutus non*
aperiens os suum. Christus enim in pas-
sione, nec Pilato, nec Herodi respondit,
ita ut miraretur Pilatus vehementer et di-
Joann. xix, 10. ceret : Mihi non loqueris ? *Et factus sum*
15 *sicut homo non audiens.* Nam ut Lucas at-
Luc. xxiii, 9. testatur, Herodes interrogavit Jesum mul-
tis sermonibus ; Jesus vero non respondit
ei ad ullum verbum. *Et non habens in ore*
suo redargutiones : id est, in passione ita

A me habui, sicut qui se non excusant, nec
alios accusant, sed penitus tacent. Propter
quod Pilatus dixit : Non audis quanta ad- Matth. xxvii, 13.
versus te dicant testimonia, nec respondes
quidquam ? Hoc est quod de Christo per
Isaiam dictum est : Tanquam ovis ad oc- Is. liii, 7.
cisionem ducetur, et sicut agnus coram
tondente se, sic obmutescet. Et Petrus de
Christo loquens : Quum pateretur, inquit, I Petr. ii, 23.
non comminabatur ; quum malediceretur,
non maledicebat.

Quoniam in te, Domine Pater, *speravi,* 16
B secundum quod homo et aliquo modo vi-
ator, *tu exaudies,* quidquid ex deliberata
ratione absolute petiero. *Quia dixi* in ora- 17
tione : *Nequando supergaudeant mihi ini-*
mici mei, id est, ne Judæi, qui usque ad
diem Pentecostes gaudent de occisione
mea, quasi omnino exstinctus sim et in in-
ferno detentus, ultra hoc tempus non gau-
deant ita de me ; sed tunc per missionem
Paracleti, per prædicationem Apostolorum,
per signa et prodigia magna, clarifica no-
men meum in conspectu eorum, et de-
C monstra me resuscitatum, glorificatum, et
super cœlorum altitudinem elevatum, qua-
tenus confundantur et contristentur qui
supergaudebant mihi. *Et dum commoven-*
tur pedes mei, id est, dum clavis perfo-
rantur et cruci affiguntur, *super me ma-*
gna locuti sunt, improperando, deridendo
ac blasphemando, atque dicendo : Euge,
euge, quomodo rex Israel coronatur ! *Quo-* 18
niam ego in flagella paratus sum. Christus
enim paratissimus fuit ad patiendum om-
nia, quæ de ipso prophetata fuerunt. Pro-
D pter quod Patri dixit : Fiat voluntas tua. Et Matth. xxvi, 42.
ipse per Isaiam prophetam testatur : Cor- Is. l, 6.
pus meum dedi percutientibus, et genas
meas vellentibus ; faciem meam non aver-
ti ab increpantibus et conspuentibus in
me. *Et dolor meus in conspectu meo sem-*
per, id est, passio quam pro mundo sus-
tinui, incessanter inest memoriæ meæ, ut
eam Patri offeram, atque merito ejus ho-
minibus semper succurram. Unde Aposto-
lus : Debuit, inquit, per omnia fratribus Hebr. ii, 17.
similari, ut misericors fieret. Versum au-

Digitized by Google

tem sequentem Christus non dicit in pro- A
pria persona, sed in persona membrorum
19 suorum seu corporis mystici, scilicet, *Quo-
niam iniquitatem meam annuntiabo,* etc.
20 *Inimici autem mei vivunt,* id est, Ju-
dæi tunc temporaliter viguerunt, *et confir-
mati sunt super me,* quantum ad hoc quod
me occidere potuerunt ; *et multiplicati
sunt,* numero atque malitia, non virtute et
gratia, *qui oderunt me inique,* videlicet
Joann. xv, 25. Judæi, qui oderunt et me et Patrem meum
Matth. xxi, 38. gratis, dicentes : Hic est heres, venite, oc-
21 cidamus eum. *Qui retribuunt mala pro* B
bonis, id est ingrati Judæi, quibus multa
beneficia præstiti docendo, miracula fa-
ciendo, *detrahebant mihi,* dicendo inter
Luc. xxiii, 2; Joann. vii, 12; x, 20; Matth. xi, 19. se : Seducit turbam, Insanit, Homo vo-
rax ; *quoniam sequebar bonitatem,* id est,
quoniam juste in omnibus vixi, et vitia
eorum non tacui. Unde Christus dixit in-
gratis Judæis per prophetam Michæam :
Mich. vi, 3. Popule meus, quid feci tibi ? aut quid
22 molestus fui tibi ? Responde mihi. *Ne de-
relinquas me, Domine Deus meus,* id est,
corpus meum non deseras in sepulcro, sed C
tertio die vivifica illud ; *ne discesseris a
me,* id est, animam meam in inferno non
23 derelinquas ultra tertium diem. *Intende
in adjutorium meum,* id est, adsiste et
cooperare mihi, ut Sanctos omnes de limbo inferni educam, atque cum eis in cœlos conscendam, *Domine, Deus salutis meæ,* id est, o Deus trine et simplex, qui es causa totius salutis meæ creatæ.

Ecce quam affectuosus est psalmus iste, et quam præclare instruit qualem esse oporteat veraciter pœnitentem, videlicet, ut peccata sua vehementer exaggeret, humiliter reseret, omnemque pœnam pati paratus sit. Quoniam vero psalmus iste est unus psalmorum pœnitentialium, debemus specialiter laborare ut eum clare intelligamus (aliqualiter enim obscurus est), et devote legamus. Quidam enim exponunt eum ad litteram de David : quæ expositio minus fructuosa videtur, quoniam non declarat qualiter unusquisque in propria persona eum legere possit. Cassiodorus vero exponit eum in persona Job.

PRECATIO.

Aurem pietatis tuæ quærentes, supplices deprecamur, ne nos, Domine Deus noster, derelinquas, nec a nobis discedas : præsta, ut quod in natura fragilitatis nostræ possibile non habemus, per tuam gratiam nobis subministrari sentiamus.

ARTICULUS LXXVII

EXPOSITIO PSALMI TRICESIMI OCTAVI : DIXI, CUSTODIAM VIAS MEAS.

Prænotatur interea psalmus iste hoc D
1 titulo : *In finem, canticum David, pro
Idithun.* Quemadmodum in primo libro
I Par. xvi, xxv. Paralipomenon scribitur, sanctus David
instituit cantores ducentos octoginta octo,
ut canerent in domo Domini laudes divinas in vicibus suis. Præfecitque eis tres principales cantores, videlicet Asaph, Heman et Idithun. Fecit quoque David psalmos, qui ab his cantoribus canerentur. Hic ergo psalmus erat ab Idithun et sibi subjectis cantandus. Idithun vero interpretatur, transiliens eos : per quem designantur fideles et veri Israelitæ, non littera, sed spiritu, non carnis propagine, sed fidei firmitate, qui derelictis terrenis, ad cœlestia per contemplationem volant. Sensus igitur tituli est : *In finem, canticum David,* id est, psalmus iste qui dicitur canticum, quoniam spiritualem lætitiam

Digitized by Google

continet, et de æterna beatitudine agit, (A) adscribitur David tanquam auctori : canticum, inquam, dirigens nos in Christum, (Apoc. I, 8; XXII, 13.) qui est Alpha et Omega, principium et finis ; et factum *pro Idithun,* id est conveniens viro perfecto temporalia transilienti, qui cum Apostolo dicere potest : (Rom. VII, 24.) Infelix ego homo ! quis me liberabit de (Philipp. III, 20.) corpore mortis hujus ? et iterum : Nostra conversatio in cœlis est.

IN persona ergo Ecclesiæ, seu hominis virtuosi, ardenti desiderio proficere cu-
2 pientis, loquens Propheta ait : (1) *Dixi,* id est, constanter proposui, et corde ac ore asserui : *Custodiam vias meas,* id est, ab inordinatione et culpa præservabo cogitationes meas, affectiones, et opera mea : quæ dicuntur viæ, quia per eas tendo ad terminum quemdam, videlicet ad felicitatem cœlestem, vel ad miseriam infernalem. *Ut non delinquam in lingua mea :* id est, ad hunc finem statui custodire vias meas, ut non offendam in verbo, sed in omnibus temperem labia mea. Ecce quam (C) notabilis, sententiosus, et instructivus est versus iste. Tria enim utilissima tanguntur in eo. Primo tangit propositum bene agendi, dum ait, Dixi. Secundo tangit, ad quid bonum propositum tendere debeat, dum subjungit, Custodiam vias meas. Tertio tangit, in quo perfectionem suam, quantum ad exteriora, constituat, quum subdit, Ut non delinquam in lingua mea.

Tu ergo si ad linguæ moderationem et ad veram perfectionem pertingere cupis : Primo, firmum fac tibi propositum in cor- (D) de tuo ferventer proficiendi, et nunquam a lege divina recedendi : quale erat pro- (Job XXVII, 5.) positum sancti Job, dicentis, Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea ; et (Matth. XXVI, 35.) Petri, qui dixit ad Christum, Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Sed vide ne in proponendo innitaris propriis viribus, sed gratiæ misericordissimi Creatoris humiliter innitaris, considerans (Jer. X, 23.) illud Jeremiæ, Scio, Domine, quia non est hominis via ejus, nec viri est ut ambulet et dirigat gressus suos ; illud quoque Apostoli, Non volentis, neque currentis, sed (Rom. IX, 16) miserentis est Dei. Secundo, satage custodire in omnibus vias tuas, sagaciter considerando, testimonio Scripturarum et exemplo Sanctorum, quid placeat Deo, quid bonum, quid melius, quid optimum. Hinc enim Apostolus monet : Videte quomodo (Ephes. V, 15.) caute ambuletis ; et iterum, Cum timore, (Philipp. II, 12.) inquit, et tremore vestram salutem operamini. Unde Salomon asserit : Beatus homo qui semper est pavidus. (Prov. XXVIII, 14.) Hoc modo (B) custodivit vias suas Job, qui testatur : Verebar omnia opera mea, sciens quod non (Job IX, 28.) parceres delinquenti. Tertio denique, imple quod perfectum est, scilicet ut non delinquas in lingua tua. In hoc beatitudo modo quodam consistit, juxta illud Ecclesiastici : Beatus homo qui non est lapsus (Eccli. XIV, 1.) in verbo ex ore suo. Et Jacobus ait : Si (Jacob. III, 2.) quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Ad hoc autem quod non delinquat homo in lingua sua, multa sunt observanda. Primo, ne loquatur illicita, quoniam teste Apostolo, Corrumpunt mores bonos (I Cor. XV, 33.) colloquia mala. Et ad Timotheum : Sermo, (II Tim. II, 17.) inquit, vaniloquorum ut cancer serpit. Secundo, observare oportet ut loquamur de bonis ac licitis, sicut ait Apostolus : Tu (Tit. II, 1.) loquere quæ decent sanam doctrinam. Primo enim in regimine linguæ oportet a malo recedere, deinde ad bonum accedere.

Sed quia bonum opus bene fieri debet, videlicet cum circumstantiis debitis, quæ ad actum virtutis requiruntur, idcirco in loquendo de bonis, — Primo videndum cui loquamur, quatenus et proportionemus sermonem nostrum secundum exigentiam, conditionem et qualitatem ejus cum quo loquimur, ne forte præsumamus sapientiorem docere, seniorem increpare, vanum laudare, inexpertum consulere, obstinatum corripere, contemptorem instruere, simplicioribus alta proponere, vel inter insipientes verba effundere. Hinc enim optime dicitur : Adolescens, loquere in (Eccli. XXXII, 10, 11.) causa tua vix quum necesse fuerit. Si bis interrogatus fueris, habeat caput respon-

Digitized by Google

Eccli. xxxii, 13. sum tuum. Et iterum : Loqui in medio A
magnatorum non præsumas, et ubi sunt
Ibid. 6. senes, non multum loquaris; et, Ubi non
est auditus, non effundas sermonem. Sa-
Prov. xxiii, 9. lomon quoque : In auribus insipientium
ne loquaris, ne forte despiciant doctrinam
eloquii tui. — Secundo pensandum est,
quando sit debitum tempus loquendi : quo-
Eccle. iii, 7. niam tempus est tacendi, et tempus loquen-
di. Dum enim nulla ex sermone nascitur
aut speratur utilitas, tempus est tacendi ;
dum autem fructus salubris verisimiliter
sperari potest, tempus loquendi est. Unde B
Eccli. xx, 7. alibi scriptum est : Homo sapiens tacebit
usque ad tempus ; lascivus autem et im-
prudens non servabit tempus. — Tertio
pensare debemus, ubi loquendum sit, sci-
licet non in ecclesia, nec in locis prohibi-
tis. — Quarto, quantum, videlicet non plus
quam oportet aut expedit. Propter quod
Prov. x, 19. Salomon dicit : In multiloquio non deerit
peccatum; qui autem moderatur labia sua,
Ibid. xxix, 11. prudentissimus est. Et iterum : Totum spi-
ritum suum profert stultus ; sapiens vero
differt et reservat in posterum. Unde alibi C
Eccli. xxi, 28. habetur : Verba prudentium statera pon-
derabuntur. Sit ergo sermo noster sale
discretionis ornatus, quemadmodum ait
Coloss. iv, 6. Apostolus : Sermo vester in gratia semper
sale sit conditus, ut sciatis quomodo opor-
teat vos unicuique respondere. — Quinto
pensare debemus, qualiter sit loquendum,
videlicet modeste, mansuete, suaviter. Un-
Prov. xv, 1. de Salomon ait : Responsio mollis frangit
iram ; sermo durus suscitat furorem. Et
Eccli. vi, 5. Ecclesiasticus : Verbum dulce multiplicat
amicos, et mitigat inimicos, et lingua eu- D
charis in bono homine abundabit. Et ideo
II Tim. ii, 14. Apostolus monet : Noli verbis contendere ;
ad nihil enim utile est, nisi ad subversio-
nem audientium. — Sexto autem et ulti-
mo atque præcipue considerare debemus,
cur, id est qua intentione, loquamur : et
generalis quidem, finalis ac summa in-
tentio, esse debet honor Dei. Aliæ autem
intentiones secundariæ et proximæ, multæ
et variæ esse possunt, videlicet ut alium
instruamus, vel ab alio instruamur, vel

propter recreationem vel similem cau-
sam ; et secundum modum finis intenti
considerare debemus, an is cum quo loqui
volumus sit talis, quod ex collocutione se-
cum habenda, adipisci possumus finem
intentum.

Si itaque ista pensemus et observemus,
tunc non delinquemus in lingua nostra :
quod nemo naturali virtute valet implere,
secundum quod a Jacobo dictum est : Lin- Jacob. iii, 8.
guam nullus homo domare potest. Sed
per gratiam fieri potest, quemadmodum
legitur : Hominis est animum præparare, Prov. xvi, 1.
et Domini gubernare linguam. Invocemus
igitur gratiam Christi, et dicamus quod in-
fra habetur : Pone, Domine, custodiam ori Ps. cxl, 3.
meo, et ostium circumstantiæ labiis meis.
Porro quod nunc dixit, Custodiam vias
meas, postea clarius dicetur, ubi ait Psal-
mista : Juravi et statui custodire judicia Ps. cxviii, 106.
justitiæ tuæ.

(2) *Posui ori meo custodiam,* ne incaute
aut malitiose aliquid loquerer, *dum con-
sisteret peccator adversum me,* intendens
me verbis provocare aut fallere. Non er-
go reddamus verbum malum pro verbo
malo, quemadmodum Salomon jubet : Ne Prov. xx, 22.
dicas, Reddam malum ; exspecta Domi-
num, et liberabit te. (3) *Obmutui* non ex 3
indignatione, sed ex patientia atque pru-
dentia, videns me loquendo nihil profi-
cere ; *et humiliatus sum,* id est, in corde
meo cogitavi me dignum esse contumeliis
et verbis malis mihi illatis ; *et silui a bo-
nis* sermonibus : quoniam qui mihi male
loquebantur, excusationem, satisfactionem,
seu rationabilem responsionem recipere
noluerunt. Propterea melius reputavi om-
nino tacere, quam contemptoribus verita-
tis sermonem bonum proferre.

Et dolor meus renovatus est : quoniam
dum pœnas atque injurias ab aliis patior,
de novo recolo peccata mea, quibus iram
merui, et ita quasi recenter doleo quod
peccavi. Pœnæ enim et adversitates pec-
catori inflictæ, reducunt ei ad memoriam
mala quæ fecit, juxta illud : Castigabo te Jer. xxx, 11.
in judicio, ut non tibi videaris innoxius.

Digitized by Google

Vel : Dolor meus renovatus est, id est, sic- A
ut ante tristabar de propriis culpis, sic
modo contristor de proximorum peccatis
ac variis mundi erroribus. Talis autem tri-
stitia ex caritate procedit, et est multum
meritoria ac placita Deo. Quam Jeremias
Jer. IX, 1. se habuisse insinuat, quum ait : Quis dabit
capiti meo aquam, et oculis meis fontem
lacrimarum, et plorabo die ac nocte inter-
fectos populi mei ? Et si pium est plorare
interfectos corpore, quanto benignius est
plorare interfectos in anima ? Denique
hunc etiam se habuisse dolorem fatetur B
Rom. IX, 2, 3. Apostolus, dum ait : Tristitia mihi magna
est, et continuus dolor cordi meo. Optabam
ego ipse anathema esse a Christo pro fra-
tribus meis Judæis. Unde et sanctus Dei
propheta Michæas in tantum Israeli, cui
futuras pœnas prædixit, condoluit, ut di-
Mich. II, 11. ceret : Utinam non essem vir habens spiri-
tum, et mendacium potius loquerer. Vides
ergo quam ineffabiliter vigeat fraterna
Sanctorum dilectio, etiam pro ingratis et
impiis. Hinc namque Moyses ait ad Domi-
Exod. XXXII, 31, 32. num : Aut dimitte populo hanc noxam ; C
aut si non facis, dele me de libro tuo quem
scripsisti. Verumtamen ad prælatos præ-
cipue pertinet ista compassio.
4 (4) *Concaluit cor meum intra me :* id
est, dum ita obmutui, atque recenti dolore
afflictus sum, anima mea ardenti affectu
accensa est, quatenus sibi ipsi perfectio-
nem gratiæ acquireret in præsenti, et ad
lumen gloriæ citius perduceretur, ac pro-
ximorum errori succurreret, atque indi-
gentibus subveniret. Ecce quam sancta
calefactio cordis. Nonne hoc modo conca- D
Philipp. IV, 1. luit cor Pauli intra se, qui ait, Fratres
mei dilectissimi, gaudium meum et coro-
na mea, sic state in Domino ? *Et in me-
ditatione mea exardescet ignis :* id est,
ex consideratione bonitatis beneficiorum-
que Dei, et ex consideratione periculorum
et vitiorum quibus homines implicantur,
inflammabitur in me amor Dei et pro-
ximi, quatenus injurias Dei impediam,
fratrumque saluti succurram, increpan-
do, instruendo, exhortando. Necesse est
enim, prædicatorem et doctorem verbi Dei,
ex caritatis fervore impleri omni con-
stantia et fortitudine mentis, quemadmo-
dum Michæas de se ipso testatur : Ego, *Mich.* III, 8.
inquiens, repletus sum fortitudine spiritus
Domini, judicio et virtute, ut annuntiem
Israel peccatum suum. Propter quod dicit
et Apostolus : Prædica verbum, insta op- II *Tim.* IV, 2.
portune, importune ; argue, obsecra, in-
crepa in omni patientia. Quod utique ad
omnem animarum curam habentem, cer-
tum est pertinere.
(5) *Locutus sum in lingua mea,* id est in 5
ore meo, videlicet secrete orando : quem-
admodum de matre Samuelis inducitur :
Porro Anna loquebatur in corde suo, tan- I *Reg.* I, 13.
tumque labia illius movebantur, et vox
penitus non audiebatur. Quid autem in
oratione locutus sit, subjungit : *Notum fac
mihi, Domine, finem meum.* Finis noster
consumens, est mors ; finis vero consum-
mans, est Deus seu vita æterna. Nam Deus
est finis objectalis extrinsecus ; beatitudo
autem seu vita æterna, est finis noster in-
trinsecus. De unoquoque igitur finium ho-
rum exponi potest, quod ait, Notum fac
mihi, Domine, finem meum. Ut sit sensus,
quantum ad finem consumentem : Notum
fac mihi, Domine, finem meum, id est,
da mihi considerare mortem mihi quoti-
die appropinquantem, ut meditatio mortis
assidua, fiat mihi a peccatis abstractio for-
tis et vigilatio diligens : quemadmodum
Ecclesiasticus dicit, In omnibus operibus *Eccli.* VII, 40.
tuis memorare novissima tua, et in æter-
num non peccabis. Et in Evangelio Chri-
stus : Vigilate, inquit, quia nescitis diem *Matth.* XXV, 13.
neque horam. Secundo sic : Notum fac
mihi, Domine, finem meum, id est te ip-
sum, ut considerem me creatum propter
te ; et ita inquietum sit cor meum donec
perveniat ad te, nec alteri quam tibi in-
hæreat. Tertio sic : Notum fac mihi, Do-
mine, finem meum, id est, da mihi attende-
re cœlestem illam beatitudinem, ad quam
creasti animam meam, ne in aliquo bono
caduco creato, sed in te solo semper finem
sibi constituat anima mea. Ideo namque ait

Digitized by Google

Ephes. I, 17, 18. Apostolus : Pater gloriæ det vobis spiritum A
sapientiæ, ut sciatis quæ sit spes vocationis ejus, id est, ut sciatis quæ sit res speranda, ad quam vocavit vos. Res autem speranda, est beatitudo æterna, quæ est finis noster. Hanc ergo petimus nobis revelari, dum dicimus : Notum fac mihi, Domine, finem meum.

Notum quoque fac mihi *et numerum dierum meorum, quis est*. Hoc dupliciter intelligi potest. Primo, de diebus vitæ præsentis, ut sit sensus : Da mihi actualiter advertere et diligenter pensare, quam breves et mali ac miseri sunt dies, quibus in hoc mundo victurus sum, quatenus sic præsenti vita contempta, ad futuram toto
I Cor. VII, 31. corde adspirem : sicut ait Apostolus, Qui utuntur hoc mundo, sint tanquam non
Hebr. XIII, 14. utentes ; et iterum, Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. Secundo intelligitur de diebus futuri sæculi, qui appellantur dies æternitatis. Et est sensus : Da mihi per fidem contemplari durationem illam, innumerabilium dierum longitudinem complectentem, videli- C
cet ævum illud, quo Beati in patria sine fine regnabunt, ut hanc semper desiderem. Hæc duratio Beatorum, vocatur numerus dierum nostrorum, qui est, id est, qui non habet successionem, corruptionem et terminum, sed vere est, quia stabiliter manet. Numerus vero dierum hujus vitæ quasi non est, quoniam dies isti non stant, et nihil habemus de tempore nisi Nunc : quod tamen non est tempus, nec pars temporis, sed suo fluxu causat tempus. Unde ista ævi duratio dici potest, dies D
multi seu numerus dierum, quoniam omne tempus includit, et una dies, quia realiter non multiplicatur. Idcirco de ea scriptum
Zach. XIV, 7-9. est : Erit dies una, quæ nota est Domino, non dies neque nox ; et in die illa erit Dominus rex super omnem terram. Et ad designandum interminabilem permanentiam hujus durationis atque diei, Isaias
Is. LXVI, 23. ait de ea : Erit mensis ex mense, et sabbatum ex sabbato.

Itaque, Domine, notum fac mihi numerum dierum meorum, *ut sciam quid desit mihi*, id est, quatenus diligenter agnoscam, quantum mihi desit perfectionis et gratiæ ad ingrediendum dies illos æternos ; vel, ut ex consideratione brevitatis dierum, quibus in hoc sæculo vivam, sollicite pensem, quid mihi desit de spirituali processu ac interiori profectu, ac per hoc tanquam modico tempore hic mansurus, festinanter tendam ad patriam, omnique torpore excluso, ferventer tibi deserviam. Ideo enim dicit Apostolus : Festinemus in- Hebr. IV, 11.
B gredi in illam requiem.

(6) *Ecce mensurabiles*, id est breves ac 6
facile numerabiles, *posuisti dies meos :* quibus secundum tuam ordinationem in hoc mundo victurus sum. Unde inferius scriptum est clarius : Dies annorum no- Ps. LXXXIX, 10.
strorum, in ipsis septuaginta anni. Et Job : Breves dies hominis sunt, numerus men- Job XIV, 5.
sium ejus apud te est ; constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt. *Et substantia mea tanquam nihilum ante te :* id est, ego ipse subsistens, qui aliquid esse videor, comparatione tuæ immensæ majestatis, magis sum nihil, quam aliquid : quoniam finiti ad infinitum nulla exsistit proportio. Propter quod apud Isaiam legitur : Ecce gentes quasi stilla situlæ et Is. XL, 15, 17.
quasi momentum stateræ reputatæ sunt ei. Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatæ sunt ei. Hinc quoque Nabuchodonosor majestatem Dei expertus, humiliter dixit : Ego Nabuchodonosor oculos meos ad Dan. IV, 31, 32.
cœlum levavi, et Altissimo benedixi, et viventem in sæcula sæculorum glorificavi, quia potestas ejus potestas sempiterna, et omnes habitatores terræ apud ipsum in nihilum reputantur.

(7) *Verumtamen universa vanitas :* id est, non solum substantia mea est tanquam nihilum apud Deum, sed et omnia, maxime inferiora et corruptibilia, vanitas sunt, id est modica, instabilia, infelicia et caduca : quemadmodum Ecclesiastes dicit, Vanitas vanitatum, et omnia vanitas ; Eccle. I, 2.
et Apostolus, Vanitati, inquit, creatura sub- Rom. VIII, 20.

Digitized by Google

jecta est. *Omnis homo vivens :* id est, non A
solum irrationalia, sed etiam omnis homo
viator et peccator, est vanitas, id est muta-
bilitati subjectus multisque miseriis. Vel
sic : Verumtamen universa vanitas omnis
homo vivens, id est, tanta est miseria et
defectibilitas hominum propter mala cul-
pæ, mala pœnæ et mala naturæ, quæ in
ipsis sunt, quod omnis homo secundum
communem legem dici potest universa va-
nitas, id est totaliter vanus ac vanitatibus
plenus. Propter quod Paulus de Apostolis
Rom. VIII, 23. loquens : Nos, inquit, intra nos gemimus, B
qui primitias spiritus accepimus, revela-
tionem gloriæ filiorum Dei exspectantes.
7 (8) *Verumtamen in imagine pertransit
homo :* id est, quamvis homo sit adeo va-
nus, ut dici possit universa vanitas, tamen
in imagine pertransit, id est, imagine san-
ctæ Trinitatis in anima insignitus, tempo-
raliter vivit et ad finem currit. Vel sic : In
imagine pertransit homo, id est, tam cito
vita ejus fluit et deficit, sicut imago ap-
parens in speculo, et umbra quæ apparet
Job VIII, 9. in terra : quemadmodum dicitur in Job, C
Sicut umbra, dies nostri super terram ; et
II Reg. XIV, 14. alibi, Omnes morimur, et quasi aquæ dila-
bimur in terram. *Sed et frustra conturba-
tur :* id est, ultra hoc quod tam brevis est
vita præsens, ipse homo turbatur et anxi-
atur ubi non deberet anxiari aut turbari,
videlicet pro temporalibus congregandis
seu perditis : et ita sollicitudinibus sæculi
implicatur, quasi nunquam relicturus es-
set hoc sæculum. Ideo sequitur : (9) *The-
saurizat,* id est, temporales divitias con-
gregat, *et ignorat cui congregabit ea.* Nam D
quum mors incerta sit, non potest scire
an ipse diu utetur divitiis suis. Et simili
modo ignorat an filii sui seu alii, quibus
proponit bona sua relinquere, diu ea pos-
sidebunt. Hæc ergo thesaurizatio vana est.
Unde hoc modo thesaurizanti, et in divitiis
suis deliciari proponenti, atque dicenti il-
Luc. XII, 19, 20. lud : Anima, habes multa bona reposita in
annos plurimos, requiesce, comede, bibe,
epulare ; dixit Deus : Stulte, hac nocte re-
petunt animam tuam a te ; quæ autem pa-
rasti, cujus erunt ? Hinc quoque ait alia
Scriptura : Ubi sunt principes gentium, et Baruch III, 16-19.
qui dominantur super bestias terræ, qui in
avibus cœli ludunt, qui argentum thesau-
rizant et aurum, in quo confidunt homi-
nes, et non est finis acquisitionis eorum ?
Exterminati sunt, et ad inferos descende-
runt, et alii in loco eorum surrexerunt. Est
tamen alia thesaurizatio bona, de qua ait
Salvator : Facite vobis sacculos qui non ve- Luc. XII, 33.
terascunt, thesaurum non deficientem in
cœlo. De cujus thesaurizationis possessio-
ne ac fructu apud Isaiam scriptum est :
Divitiæ salutis, sapientia et scientia ; timor Is. XXXIII, 6.
Domini ipse est thesaurus ejus.
(10) *Et nunc quæ est exspectatio mea ?* 8
Nonne Dominus ? Ecce hic ostendit exau-
ditam esse precem, quam superius fudit
ad Dominum, dicens : Notum fac mihi,
Domine, finem meum, id est finale bonum
quod ultimate ac summe appetere debeo.
Ait ergo : *Et nunc,* id est, dum alii sibi
thesaurizant in terra, ubi ærugo et tinea Matth. VI, 19.
demolitur, et fures effodiunt et furantur,
quæ est exspectatio mea ? id est, quæ est
res a me finaliter exspectata et summe op-
tata ? Et respondet : *Nonne Dominus ?* quasi
dicat : Utique ipsemet Deus gloriosus et
sanctus, est quem finaliter exspecto, atque
ad quem omnia ordino. Deus enim est om-
ne bonum nostrum, et ipse est omnia no-
stra, et unum (quod est ipse) est necessa- Luc. X, 42.
rium. Propterea ab Isaia dicitur : Dominus Is. XXXIII, 22.
judex noster, Dominus legifer noster, Do-
minus rex noster, ipse salvabit nos.
Et substantia mea apud te est. Substan-
tia interdum pro divitiis seu possessione
accipitur, quemadmodum de patre filii
prodigi scribitur : Divisit illis substanti- Luc. XV, 12.
am. Sanctorum autem divitiæ sunt opera
virtuosa, caritasque et gratia, et alia Spi-
ritus Sancti dona. Hæ vero divitiæ sunt
apud Deum, quoniam placent ei, et remu-
nerationem ab eo recipiunt, juxta illud Je-
remiæ : Quiescat vox tua a ploratu, quia Jer. XXXI, 16.
est merces operi tuo. De his ergo divitiis
ait : Substantia mea, id est interiores meæ
divitiæ, scilicet merita et præmia, apud te

Digitized by Google

est, id est in beneplacito tuæ memoriæ. A
Superius vero dum dixit, Substantia mea
tanquam nihilum ante te, sumpsit sub-
stantiam pro essentia vel pro exterioribus
bonis. Posset autem et nunc pro essentia
accipi. Dicuntur namque esse apud Deum,
quæ in Deo sunt : sicut de Filio dicitur,
Joann. I, 1. Verbum erat apud Deum, id est in Deo,
secundum quod Filius loquens ad Patrem
Ibid. XVII, 21. testatur : Tu, Pater, in me, et ego in te.
Et hoc modo substantia nostra, imo cun-
cta creata sunt apud Deum, quoniam om-
Ibid. I, 3, 4. nia in ipso sunt. Quod factum est, id est, B
omne quod non est Deus, videlicet omnis
creatura, in ipso vita erat. Omnia namque
vivunt Deo, et omnia sunt in eo vitaliter.
Rom. XI, 36. Propter quod dicit Apostolus : Ex ipso, et
per ipsum, et in ipso sunt omnia.

9 (11) *Ab omnibus iniquitatibus meis erue
me,* indulgentiam dando, et gratiam in-
fundendo. *Opprobrium insipienti dedisti
me :* id est, ab indoctis, divina et æterna
non contemplantibus, me derideri permi-
sisti propter justitiam, qua tibi soli adhæ-
Job XII, 4. si. Deridetur enim justi simplicitas. Et C
Prov. XIV, 2. Salomon dicit : Ambulans recto itinere, et
timens Deum, despicitur ab eo qui infami
graditur via. Unde alio loco scriptum est:
Ezech. XXIV, 24. Ezechiel erit portentum vestrum. (12) *Ob-*
10 *mutui, et,* pro id est, *non aperui os meum,*
quum sustinerem adversa, *quoniam tu
fecisti,* id est, adversa mihi inferri per-
misisti, vel præcepisti, ulciscendo culpam
meam per pœnas temporales. Sic et nos
facere debemus dum improperia tolera-
mus, adscribentes hæc nostris excessibus,
et submittentes nos divino judicio. Quam D
enim salubre sit hoc, ostenditur in Eccle-
Eccli. XXII, 33. siastico, ubi sic legitur : Quis dabit ori
meo custodiam, et super labia mea signa-
culum certum, ut non cadam ab ipsis, et
lingua mea me perdat?

11 *Amove a me plagas tuas,* id est, rigo-
rem vindictæ tuæ, qua me castigas, mi-
tiga, aufer, ignosce, et non secundum exi-
gentiam vitiorum meorum facias mihi, nec
potestati inimicorum meorum me tradas.
II Cor. XII, 8. Unde et Paulus ter rogavit Dominum ut
auferret a se stimulum carnis, qui utique
habuit in eo rationem plagæ seu pœnæ,
non culpæ. Et Daniel oravit : Exaudi, Do- *Dan.* IX, 19, 16.
mine ; placare, Domine ; avertatur, obse-
cro, ira tua. Et sanctus Job ait : Manum *Job* XIII, 21.
tuam longe fac a me, et formido tua non
me terreat. Itaque, Domine, amove a me
plagas tuas : quod ideo oro, nam (13) *A* 12
*fortitudine manus tuæ ego defeci in in-
crepationibus,* id est, a potentia ultionis
tuæ, qua me flagellasti, succubui, non
potens sufferre increpationes tam duras,
quoniam tentor et crucior supra vires. Non
tamen, o Domine, arguo te, quoniam juste
hæc patior propter peccata mea. Ideo sub-
ditur : *Propter iniquitatem corripuisti ho-
minem* peccatorem. Sed videtur obviare
quod ait Apostolus : Fidelis Deus, qui non *I Cor.* X, 13.
patietur vos tentari supra id quod pote-
stis. Et respondendum, quod Deus non si-
nit nos tentari supra id quod possumus
pati per gratiam. Et ergo qui ad gratiam
ejus non confugiunt, divinum invocando
auxilium, superantur ; qui vero ad ipsum
confugiunt, dicentes, Et ne nos inducas *Matth.* VI, 13.
in tentationem, non vincuntur.

Dum ergo afflicto atque tentato appa-
ret, quod ultra vires tentetur, ac succum-
bere debeat, si tunc clamat ad Dominum,
dicens, Amove a me plagas tuas, tunc Do-
minus adjuvat eum, nec sinit eum ultra
vires affligi, quia inspirat ei affectum
orandi. Quid enim oremus sicut oportet, *Rom.* VIII, 26.
nescimus ; sed ipse Spiritus postulat pro
nobis, id est, postulantes nos facit. Hæc
vero inspiratio Spiritus Sancti, est pri-
mum adjutorium Dei : ad quod sequitur
aliud adjutorium, quod est effectus seu
meritum orationis. Denique constat ex his,
quod interdum orare potest homo devotus
pro mitigatione vel ablatione adversita-
tum et afflictionum quas patitur, sive sint
naturales, sive ex dispositione divina : et
in hoc quilibet agat secundum quod se
posse ferre cognoscit. Imperfecti enim tan-
tum ferre non valent quantum perfecti :
quibus cum Paulo dicitur, Virtus in in- *II Cor.* XII, 9.
firmitate perficitur.

Digitized by Google

(14) *Et tabescere fecisti sicut araneam* A
animam ejus. Aranea est animal rapax et
nocens ; de facili tamen lædi occidique
potest. Est igitur sensus : Sicut aranea
facile infirmatur et læditur, sic per fla-
gella tuæ justitiæ tabescere fecisti, id est,
humiliasti et afflixisti ac dejecisti, ani-
mam hominis seu hominem ipsum. Unde
et sanctus Job flagella expertus, atque eo-
Job xvi, 13. rum rigore oppressus, ait : Ego quondam
ille opulentus, repente contritus sum. Et
Jer. xlv, 3. Jeremias taliter tabefactus, clamat : Væ
mihi misero, quia Dominus addidit dolo- B
rem dolori meo ; laboravi in gemitu meo,
et requiem non inveni. Ideoque iterum
Ibid. xlvii, 6. clamavit : O mucro Domini, usquequo non
quiescis ? *Verumtamen vane conturbatur*
omnis homo : id est, quamvis tanta sit
instabilitas ac miseria vitæ præsentis, ut
dictum est, adhuc tamen omnis homo, id
est pene omnes (vel, omnis, id est aliqui
de omni conditione seu genere hominum),
conturbatur sollicitudine temporalium et
curis sæculi, vane, id est superflue. Se-
cundum hunc sensum apud Isaiam habe- C
Is. i, 23. tur : Omnes diligunt munera, sequuntur
Jer. vi, 13. retributiones. Et alibi : A minori usque ad
majorem omnes avaritiæ student.

13 Sed ne ego tam vane conturber, (15) *Ex-*
audi orationem meam, Domine, qua ve-
niam quæro, *et deprecationem meam,* qua
gratiam peto ; *auribus percipe lacrimas*
meas : id est, clementer ac diligenter ad-
verte affectum animæ meæ, ex quo lacri-
mæ profluunt ; sed et ipsas lacrimas re-
spice, propter fontem ex quo manant :
quoniam lacrimæ sunt signa affectus, et D
vim orationis participant, etiam si nec
desiderium cordis, nec oratio oris, dire-
cte et immediate ad Dominum dirigantur,
sed loquatur homo cum se ipso, et intra
se lugeat ex remorsu conscientiæ, vel ex
Job vii, 11. desiderio patriæ, sicut scriptum est : Lo-
quar in tribulatione spiritus mei, confa-
bulabor cum amaritudine animæ meæ.

(16) *Ne sileas,* id est, ne ab effectu ora-
tionis quiescas, ne a pia inspiratione ac
Ps. xxxiv, 3. interna responsione taceas ; sed dic ani-
mæ meæ, Salus tua ego sum ; *quoniam*
advena ego sum apud te, id est viator et
de exsilio ad patriam veniens. Alia littera
habet : Quoniam incola ego sum, id est,
de potestate inimici translatus in regnum
Christi, et de statu damnationis, positus
in statu salutis ; sicque factus sum Eccle-
siæ incola, qui aliquando eram diaboli
verna, et servus peccati. Unde et Aposto-
lus ait : Gratias agimus Deo et Patri, qui *Coloss.* i, 3, 13.
nos transtulit in regnum Filii dilectionis
suæ. *Et peregrinus sicut omnes patres mei:*
id est, sicut omnes Sancti defuncti erant
in hoc mundo peregrini, non habentes hic *Hebr.* xiii, 14.
locum manentem, aut patriam finaliter
concupitam ; sic et ego peregrinus sum
coram te, quoniam aliam vitam et patriam
credo, spero, imo et quæro. Propterea ait
Apostolus : Exspectabat Abraham funda- *Ibid.* xi, 10.
menta habentem civitatem, cujus artifex
et conditor Deus. Et de omnibus antiquis
Sanctis loquens idem Apostolus : Juxta *Ibid.* 13, 14.
fidem, inquit, defuncti sunt hi omnes, non
acceptis repromissionibus, sed a longe eas
adspicientes et salutantes, et confitentes
quia peregrini et hospites sunt super ter-
ram. Qui enim hæc dicunt, significant se
patriam inquirere. Hinc quoque sanctissi-
mus patriarcha Jacob interrogatus a Pha-
raone, Quot sunt dies vitæ tuæ ? respon- *Gen.* xlvii, 8, 9.
dit : Dies peregrinationis vitæ meæ super
terram, centum triginta annorum sunt,
parvi et mali ; et non pervenerunt usque
ad dies patrum meorum, quibus peregri-
nati sunt super terram. Ecce quomodo om-
nes sancti antiqui se peregrinos agnove-
runt. Et nos ergo hunc mundum, et omnia
quæ ad eum pertinent, contemnamus, et
ad patriam illam cœlestem, sicut pruden-
tes peregrini properemus, omni ornatu
mundi et gaudio abjecto.

Verumtamen obviare videtur prædictis,
quod ait Apostolus : Jam non estis hospi- *Ephes.* ii, 19.
tes et advenæ, sed estis cives Sanctorum.
Et respondendum, quod Apostolus dicit
hoc, ad distinguendum fideles ab infide-
libus, qui omnino extranei sunt a Deo. Di-
citur ergo aliquis, advena et peregrinus

Digitized by Google

seu hospes, dupliciter : Primo, quia inha- A
bitat per spem et fidem, nondum per rem
et speciem : et hoc modo omnes viatores
sunt peregrini et advenæ, secundum illud
II Cor. v, 6, 7. Apostoli, Dum sumus in hoc corpore, pe-
regrinamur a Domino. Per fidem enim
ambulamus, et non per speciem. Secundo
dicitur aliquis peregrinus et advena, qua-
si non pertinens ad locum in quo est, et
ad quem merito tenderet. Sicque infideles
et mali, quorum conversatio non est in
cœlis, sunt peregrini.

14 (17) *Remitte mihi,* o Domine, omne pec- B
catum et debitam pœnam, *ut refrigerer,*
id est, quatenus in misericordia tua re-
spirem, et anxietatem conscientiæ tempe-
rem, ac dolorem in me renovatum, per
consolationem Spiritus Sancti depellam ;
priusquam abeam, id est, antequam mo-
riar, *et amplius non ero,* id est, post mor-
tem in statu promerendi non remanebo,
nec ad statum hujus mundi redibo. Si
habes ergo, o homo, aliquem singularem
amicum periculose conversantem, ante
mortem ora pro eo : imo omnibus quibus
speciali jure adstringeris, subveni quan-
tum vales, priusquam abeant. Potes enim
ante mortem gratiam eis impetrare, non
autem post mortem. Idcirco, quanto ma-
jus est animam eripere de pœnis inferni,
quam de pœnis purgatorii ; tanto quodam-
modo majus est, peccatori in hac vita
gratiam conversionis acquirere, quam de-
functo in purgatorio exsistenti veniam re-
missionis procurare.

Ecce quam admiranda atque præclara
est virtus psalmi istius. Studeamus igitur
documenta ejus implere, transitoria tran-
silire, cœlestia ardenter appetere, et psal-
mum ipsum cum omni devotione decan-
tare.

PRECATIO.

Exspectatio te diligentium, Domine, ab
omnibus iniquitatibus nos erue, et conti-
nua quiete in te fac exsultare : ut tua mu-
niti protectione, immobiles tibi semper
valeamus adhærere.

ARTICULUS LXXVIII

EXPOSITIO DE CHRISTO PSALMI TRICESIMI NONI : EXSPECTANS EXSPECTAVI, ETC.

Hujus denique psalmi iste est titulus : C
1 *In finem, psalmus David :* id est, psalmus
iste qui est psalmus David sicut auctoris,
dirigit nos in finem, id est in Christum :
de quo psalmus iste ad litteram loqui-
Hebr. x, 5-9. tur, quia Apostolus ad Hebræos magnam
partem hujus psalmi allegat de Christo
prædictam, et in Christo impletam, sicut
patebit. Doctores ergo catholici exponunt
hunc psalmum de toto Christo, scilicet de
capite et membris : ita ut quædam conve-
niant Christo, quædam Ecclesiæ. Verum-
tamen satagendum est, ut quantum fieri D
potest, totus hic psalmus exponatur de
Christo, et totus de Ecclesia.

Christus ergo ut homo, ad ædifica-
tionem Ecclesiæ ait : (1) *Exspectans* 2
exspectavi Dominum, id est, sperans spe-
ravi in Domino Deo vero et vivo. Quum
enim spes definiatur, quod sit certa ex-
spectatio futuræ beatitudinis, constat quod
idem sit, Dominum exspectare, et in ipso
sperare. Quomodo vero conveniat Christo
spes, sæpe ostensum est. Christus itaque
exspectavit Dominum dum pateretur, dum
pendebat in ligno, dum oravit, quatenus a
mortuis suscitaretur, et in corpore glori-
ficaretur. Propter quod ait : Nunc anima Joann. xii, 27.
mea turbata est. Et quid dicam ? Pater,
salvifica me ex hac hora. *Et intendit mi-*

Digitized by Google

hi, id est, respexit et diligenter advertit desiderium spei meæ, et exspectationem
3 meam longanimem. (2) *Et exaudivit preces meas.* Nam quidquid Christus absolute et deliberata ratione oravit, obtinuit. *Et eduxit me de lacu miseriæ,* id est, de limbo inferni eduxit animam meam. Vel, De lacu miseriæ, id est de valle lacrimarum seu mundo hoc miseriis pleno, eduxit me in die resurrectionis et ascensionis. *Et de luto fæcis,* id est, de sepulcro eduxit corpus meum, et a putrefactione illud eripuit, ne corruptionem videret.

(3) *Et statuit supra petram pedes meos,* id est, supra omnipotentem ac divinam suam virtutem collocavit me, ab omni adversitate me defendendo, et impassibilitatem corpori meo in resurrectione præstando, meque immobiliter in se ipso firmando ; *et direxit gressus meos,* id est, omnes operationes meas ordinavit, et animam meam de corpore exeuntem, de limbo redeuntem, ad cœlos ascendentem, di-
4 rexit recto itinere. (4) *Et immisit in os meum canticum novum.* Christus enim evangelicam legem edocuit, novum Testamentum fundavit, post resurrectionem suam inaudita atque recentia gaudia intra se habuit, et aliis intimavit : sicut quum
Joann. xx, 17. dixit, Ascendo ad Patrem meum et Patrem
Ibid. 23. vestrum ; et, Quorum remiseritis peccata,
Luc. xxiv, 49. remittuntur eis ; et, Ego mittam promissum Patris mei in vos. *Carmen Deo nostro :* id est, canticum novum quod Dominus misit in os meum, est carmen, id est laus Deo nostro, id est ad honorem ac
Joann. viii, 54. gloriam Dei. Unde Christus dixit : Si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est. Christus enim ut homo, omnia sua ad Dei honorem finaliter retulit.

(5) *Videbunt multi :* id est, omnes ad fidem conversi, oculo fidei cernent mysterium meæ incarnationis, passionis et resurrectionis ; *et timebunt* me, ne mihi ingrati sint, et condemnentur a me. Timebunt non hominem, quoniam scriptum
Prov. xxix, 25. est, Qui timet hominem, cito corruet ; sed eum, qui potestatem habet et corpus et animam perdere in gehennam ignis. *Et* Matth. x, 28.
sperabunt in Domino, Deo Patre æterno, qui proprio Filio non pepercit, sed pro Rom. viii, 32.
omnibus tradidit illum. Hoc credendo fideles sperant in Domino. Si enim consideremus, quæ, qualia, et quanta Deus Pater Filium suum dilectum pro nobis assumere, operari ac pati voluit, desperare non possumus ; sed certissime confidimus, quoniam ipsi cura est de nobis, nec I Petr. v, 7.
vult perire peccatorem, sed magis ut convertatur et vivat, quemadmodum Scriptu- Ezech. xviii, 23.
ra testatur : Non vult Deus perire animam, II Reg. xiv, 14.
sed retractat, cogitans ne penitus pereat qui abjectus est. Sperabunt ergo in Domino : et hoc valde salubre est, quoniam
(6) *Beatus vir cujus est nomen Domini* 5
spes ejus : id est, felix est homo cui ipse Dominus est objectum et causa spei, ita ut in Domino, non in rebus vanis, confidit, nec aliud finaliter sperat, nisi Dominum ; *et non respexit in vanitates,* id est, rebus caducis, transitoriis atque carnalibus non intendit, neque inhæsit, *et insanias falsas,* id est, fallaces doctrinas, irrationabiles motus, falsos deos non est secutus neque intuitus, sed totum suum affectum in Deo finaliter fixit, et in ipso omnia bona invenit, habet ac possidet : sciens verum esse quod Veritas asserit, Unum est Luc. x, 42.
necessarium ; perpendens quoque quod per Jeremiam Dominus ait perversis Judæis : Quid iniquitatis invenerunt in me Jer. ii, 5.
patres vestri, quia dereliquerunt me, et abierunt post vanitates, et vani facti sunt?

Deinde Christus ut homo, ait : (7) *Multa* 6
fecisti tu, Domine Deus meus, mirabilia tua, in me et per me. Deus enim per Christum hominem omnia miracula fecit, et in ipso mirabilia maxima egit, conjungendo naturam humanam personæ Verbi, ipsamque animam Christi beatifica fruitione felicitans a primo suæ creationis instanti ; et alia multa supernaturalia in ipso egit. Natura autem Christi humana, erat divinitatis sibi unitæ instrumentum conjunctum, animatum, ac proprium. Actio vero instrumenti, magis est adscribenda prin-

Digitized by Google

cipali agenti, quam instrumento : idcirco A Christus ut homo, Deo attribuit mirabilia quæ ipse divina virtute effecit. Unde Dionysius operationem Christi appellat theandricam, id est deivirilem. Propter quod Joann. xiv, 10. Christus ait : Pater in me manens, ipse Ibid. v, 19, 20. facit opera. Et item : Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Pater enim diligit Filium, et omnia demonstrat ei quæ ipse facit. *Et cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi :* id est, nulla mens creata comparari potest in profunditate cogitationum, in B præscientia futurorum, in immensitate sapientiæ, aut in plenitudine misericordiæ, menti divinæ. Quæ autem sunt cogitationes Dei, quibus assimilari nullus potest, nisi imperscrutabilis altitudo divini consilii, quo Deus in se ipso invenit modum salvandi genus humanum, ita ut nec derogaretur justitiæ, satisque fieret misericordiæ? De his enim cogitationibus per Jer. xxix, 11. Jeremiam Dominus dicit : Ego cogito cogitationes pacis, et non afflictionis. Et alio Is. LV, 8, 9. in loco : Non enim cogitationes meæ, co- C gitationes vestræ, dicit Dominus : quia sicut exaltantur cœli a terra, sic exaltatæ sunt cogitationes meæ a cogitationibus ve- Sap. IX, 13. stris. Et Sapiens : Quis hominum poterit scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus?

Porro quæ sequuntur, de Christo ab omnibus exponuntur. (8) *Annuntiavi et locutus sum.* Christus enim primo per Patriarchas et Prophetas, deinde per se ipsum docuit homines mirabilia Dei, et per se ipsum atque Apostolos universo mundo D proposuit evangelicam legem. Unde post resurrectionem Christus dixit Apostolis : Act. I, 8. Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa et Samaria, et usque ad ultimum terræ. Quod ergo nunc Christus ait, Annuntiavi et locutus sum, hoc de ipso Isaias Is. II, 3. prædixit : Docebit, inquiens, nos de viis suis, et ambulabimus in semitis ejus. *Multiplicati sunt super numerum,* qui per annuntiationem seu prædicationem mei ac ministrorum meorum, ad fidem conversi sunt. Quamvis enim non sit omnium II Thess. III, 2. fides, et pauci dicantur electi compara- Matth. XX, 16. tione vocatorum, absolute tamen loquendo, valde multi sunt electi, sicut inferius legitur : Dinumerabo eos, et super are- Ps. CXXXVIII, 18. nam multiplicabuntur. Et legitur in Apocalypsi de electis : Vidi turbam magnam, Apoc. VII, 9. quam dinumerare nemo poterat.

(9) *Sacrificium et oblationem noluisti.* Hic 7
Christus ostendit veteris legis et sacrificiorum ejus cessationem, et novæ legis ac sacrificii ejus institutionem, promulgationem ac perpetuationem. Sacrificia enim veteris legis, ad tempus bona et licita erant; sed quoniam figurativa erant Christi et immolationis ejus in cruce, quemadmodum de agno paschali præcipue patet, idcirco veritate exhibita, id est Christo per Apostolos hominibus nuntiato, cessare debebant. Volens itaque Christus significare insufficientiam sacrificiorum legalium, et necessitatem immolationis suæ, ait : Sacrificium et oblationem veteris Testamenti noluisti, quia in se gratiam non continebant, nec peccata auferre valebant, neque per se accepta et meritoria erant, sed ex offerentium devotione dumtaxat. Quamvis ergo Deus sacrificia legalia ad tempus placita habuit, finaliter tamen et perpetuo sibi non placuerunt, quoniam Christo veniente et agnito, cessare cœperunt. Hanc autem scripturam allegat Apostolus de Christo ad Hebræos, dicens : Impossibile est, sanguine hircorum et vi- Hebr. x, 4, 5. tulorum auferri peccata. Ideo ingrediens mundum, Unigenitus scilicet Dei, per carnem assumptam, dicit : Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi. Et magnam verborum sequentium partem inducit Apostolus in Christo impletam, quamvis in verbis sit quædam diversitas : quoniam Christus atque Apostoli interdum magis allegant sensum Prophetarum, quam verba. Porro secundum hunc sensum intelligenda sunt verba Prophetarum quæ videntur passim reprobare sacrificia veteris legis, sicut est illud : Ho- Is. I, 11. locausta arietum et adipem pinguium no-

Digitized by Google

Is. LXVI, 3. lui. Et rursus : Qui immolat bovem, quasi A
qui interficiat virum ; qui mactat pecus,
quasi qui excerebret canem. Et alibi :
Mich. VI, 6, 7. Numquid offeram Domino holocautomata?
Numquid placari potest Deus in millibus
arietum, aut in multis millibus hircorum
pinguium ? Propter quod apud Jeremiam
Jer. XI, 15. legimus : Quid est quod dilectus meus in
domo mea fecit scelera multa ? Numquid
carnes sanctæ auferent a te malitias tuas ?

Ait itaque Christus ut homo, ad Deum
Patrem, vel ad totam superbeatissimam
Trinitatem : *Sacrificium,* quod fiebat de B
brutis et avibus, *et oblationem,* quæ fie-
bat de rebus inanimatis, *noluisti,* id est,
per se accepta non habuisti, nec auferre
peccata poterant mundi ; *aures autem per-
fecisti mihi,* id est, aures obedientes de-
Philipp. II, 8. disti mihi, quoniam factus sum obediens
usque ad mortem. Et in idem redit quod
Hebr. X, 5. ait Apostolus : Corpus autem aptasti mi-
hi, id est, corpus aptum passioni, et his
quæ necessaria erant redemptioni generis
humani, mihi donasti.

(10) *Holocaustum,* id est sacrificium quod C
totum comburebatur, quasi omnino incen-
sum, quia offerebatur Deo ad reverentiam
suæ majestatis ac bonitatis, *et pro pecca-
to,* id est hostiam pro delicti culpa obla-
tam, quæ media comburebatur, et media
a sacerdotibus comedebatur, *non postula-
sti,* tanquam sufficientia ac perpetuo du-
ratura : ad tempus tamen Deus præcepit
sibi talia immolari. Quocirca sciendum,
quod una ratio sacrificiorum legalium fuit,
quatenus Judæi per sacrificia talia Deo
exhibita, retraherentur a sacrificiis idolo- D
rum : et ideo Deus non dedit præcepta sa-
crificiorum, nisi postquam ad idololatriam
declinaverunt. Unde apud Jeremiam Do-
Jer. VII, 22. minus ait : Non sum locutus patribus ve-
stris, nec præcepi eis de verbo holocau-
tomatum in die qua eduxi eos de terra
Amos V, 25. Ægypti. Et alibi : Numquid hostias et sa-
crificium obtulistis mihi in deserto annis
8 quadraginta, domus Israel ? *Tunc dixi, Ec-
ce venio :* id est, postquam cognovi sacri-
ficia legis non esse accepta, nec posse
delere mundi peccata, tunc ego Filius Dei
incarnatus dixi Deo Patri : Ecce venio ad
passionem et immolationem mei ipsius in
cruce : quemadmodum ait Apostolus, Am- *Ephes.* V, 2.
bulate in dilectione, sicut et Christus di-
lexit nos, et tradidit semetipsum pro no-
bis oblationem et hostiam Deo in odorem
suavitatis.

(11) *In capite libri scriptum est de me,*
etc. Hoc tripliciter exponitur. Primo sic :
In capite libri, id est in primo psalmo,
qui est caput hujus libri, *scriptum est
de me, ut facerem voluntatem tuam,* id 9
est, ut tibi obediam. Illic enim scriptum
est : In lege Domini voluntas ejus. Et *Ps.* I, 2.
secundum hoc, primus psalmus ad litte-
ram exponendus esset de Christo. Quum
autem David hunc psalmum conscripsit,
primus psalmus nondum editus fuit, quo-
niam Esdras creditur eum fecisse : opor-
tet ergo secundum hanc expositionem as-
serere, quod David in spiritu prævidit
hunc psalmum ab alio componendum, et
huic libro per modum prologi præponen-
dum. Secundo exponitur sic : *In capi-
te libri,* id est in exordio Genesis, *scri-
ptum est de me.* Ibi enim habetur : In *Gen.* I, 1.
principio, id est in Verbo, creavit Deus
cœlum et terram. Omnia namque per ip-
sum creata sunt ; et ut Apostolus ait, In *Coloss.* I, 16.
ipso condita sunt universa in cœlo et in
terra. Tertio sic : *In capite libri,* id est
in supremo libri divinæ prædestinationis,
scriptum est de me. In divina enim præde-
stinatione continetur, quidquid ad salu-
tem pertinet electorum : et quanto aliquid
magis pertinet ad hanc salutem, tanto
principalius scriptum dicitur in prædesti-
natione divina. Quoniam ergo mysterium
incarnationis passionisque Christi præci-
pue pertinet ad liberationem humanam,
idcirco scriptum dicitur in capite libri, id
est in principali apice ejus. *Ut facerem
voluntatem tuam,* id est præceptum tuum,
quod est signum tuæ increatæ voluntatis,
quam nemo facere potest. Hinc enim Chri-
stus ait : Sicut mandatum dedit mihi Pa- *Joann.* XIV, 31 ; VI, 38.
ter, sic facio. Et alibi : Descendi, inquit, de

Digitized by Google

cœlo, non ut faciam voluntatem meam, A
sed voluntatem ejus qui misit me. *Deus
meus, volui,* sicut tu vis; *et legem tuam
in medio cordis mei,* id est, evangelicam
legem in intimo cordis mei secreto reti-
Ps. I, 2. nui : sicut superius dictum est, In lege
ejus meditabitur die ac nocte.
10 (12) *Annuntiavi justitiam tuam,* id est,
præcepta atque consilia novæ legis, in qui-
bus consistit plenitudo justitiæ, *in eccle-
sia magna,* id est in templo quod erat in
Jerusalem, in quo frequenter prædicavit,
Malach. III, 1. quemadmodum Malachias testatur : Statim B
veniet ad templum suum dominator, quem
vos quæritis. Vel, In ecclesia magna, id
est in populo christiano, quem per me ip-
sum et meos discipulos erudivi. *Ecce labia
mea non prohibebo,* nec prohiberi permit-
tam, quin veritatem annuntiem. Hoc est
Joann. XVIII, 37. quod Christus asseruit : Ego in hoc natus
sum, et ad hoc veni in mundum, ut testi-
monium perhibeam veritati. *Domine* Pa-
ter, *tu scisti,* id est, ab æterno me sic fa-
11 cturum præcognovisti. (13) *Justitiam tuam
non abscondi in corde meo,* sed (sicut præ- C
dictum est) annuntiavi eam in ecclesia ma-
gna. *Veritatem tuam,* id est adimpletionem
seu verificationem Scripturarum veteris
Testamenti in me, *et salutare tuum,* id est
salutem et gratiam quam confers per me
credentibus in me, *dixi* cunctis audire vo-
Ibid. I, 17. lentibus. Unde in Evangelio legitur : Gra-
tia et veritas per Jesum Christum facta
Zach. IX, 10. est. Et Zacharias ait : Loquetur pacem gen-
tibus.
(14) *Non abscondi misericordiam tuam,*
quam per me conferre dignatus es toti D
mundo, *et veritatem tuam,* id est judi-
ciorum tuorum æquitatem, qua noluisti
peccata mundi inulta manere, *a concilio
multo,* id est ab ecclesia magna ; sed om-
nibus publice annuntiavi misericordiam
Patris, qua per me mundum voluit redi-
mere, et justitiam ejus, qua in tantum
abhorret peccatum, ut mihi Filio suo di-
Rom. VIII, 32. lecto non parceret, sed pro omnibus morti
me traderet. Vel sic : Non abscondi mise-
ricordiam tuam et veritatem tuam a con-

cilio multo, id est ab Anna, Caipha, cete-
risque Scribis et Pharisæis, magistratibus
ac sacerdotibus, qui summo mane in die
Parasceves interrogaverunt me, dicentes :
Si tu es Christus, dic nobis. Illis enim con- Matth. XXVI, 63; Luc. XXII, 66.
fessus sum me esse Christum et judicem
sæculi, eisque cernentibus venturum in
nubibus cœli, ut judicem mundum. Unde
apud Joannem legitur Christus respondis-
se Annæ : Ego semper docui in templo et Joann. XVIII, 20.
synagoga, quo omnes Judæi conveniunt,
et in occulto locutus sum nihil. Verumta-
men his quæ nunc de Christo dicta sunt,
repugnare videtur quod apud Isaiam de
ipso inducitur : Non clamabit, nec audie- Is. XLII, 2.
tur foris vox ejus. Quomodo ergo publice
annuntiavit justitiam Dei ? Et responden-
dum, quod Propheta non intendit mani-
festam prædicationem a Christo aufer-
re : nam paulo ante præmisit, Judicium Ibid. 1.
gentibus proferet ; sed inordinatum cla-
morem, et ideo subdit, Non erit tristis nec Ibid. 4.
turbulentus.
(15) *Tu autem, Domine, ne longe facias* 12
miserationes tuas, id est misericordiæ tuæ
effectus, *a me;* sed statim tertia die resu-
scita atque glorifica me. *Misericordia tua
et veritas tua,* id est tu ipse qui es miseri-
cors et verus, imo misericordia sempiter-
na et veritas increata, *semper susceperunt
me,* id est, preces meas semper exaudie-
runt. In omni enim opere Dei conveniunt
et miscentur misericordia et veritas ejus,
sicut superius dictum est : Universæ viæ Ps. XXIV, 10.
Domini misericordia et veritas. Ideo au-
tem oro, ne longe facias miserationes tuas
a me :
(16) *Quoniam circumdederunt me mala,* 13
quorum non est numerus, id est innume-
rabiles pœnæ animæ et corporis, maxime
tempore passionis, quando a planta pedis Is. I, 6.
usque ad verticem capitis non remansit in
me sanitas, et singulæ vires animæ pro-
priis cruciabantur doloribus. *Comprehen-
derunt me iniquitates meæ :* id est, peccata
corporis mei mystici, puta Ecclesiæ, quæ
ego accepi super me, me comprehendi fe-
cerunt, et vinculis tormentorum ligari,

Digitized by Google

quemadmodum per Isaiam Dominus ait de A
Is. LIII, 8. me : Propter scelus populi mei percussi
eum ; *et non potui ut viderem* pœnas mihi
instantes, id est, per modum non prævi-
dentis seu nescientis me habui, quia non
fugi : sicut in expositione psalmi tricesi-
mi quarti ubi scriptum est, Congregata
sunt super me flagella et ignoravi, plenius
explanatum est. (17) *Multiplicati sunt su-
per capillos capitis mei,* Judæi et gentiles
in die Parasceves contra me insurgentes.
Modus loquendi est hyperbolicus, ad de-
signandum multitudinem adversariorum B
Christi. *Et cor meum dereliquit me,* id est,
cor ipsum corporale, quod est primum
vivens et ultimum moriens, in passione
amisit naturalem vigorem, et ab anima
mea est separatum.
14 (18) *Complaceat tibi, Domine, ut eruas
me* de manibus Judæorum, et de limbo in-
ferni educas animam meam, ac de sepul-
cro corpus meum, sicque anima corpori
reunita, ab omni passibilitate eripias me.
Domine, ad adjuvandum me respice, id est,
humanitati meæ assumptæ per divinam C
tuam virtutem et gratiam in omnibus co-
operare, quatenus opera diaboli destruam,
Sanctosque de limbo educam, et cum illis
15 in cœlos ascendam. (19) *Confundantur et
revereantur simul,* etc. Hic versus cum
duobus sequentibus, in psalmo tricesimo
Ps. XXXIV, 4. quarto quasi sub eadem forma verborum
habetur; et ibi prolixe ac diligenter osten-
sum est, quomodo tales locutiones tripli-
citer exponi possunt : idcirco propter tæ-
dium vitandum, ad expositionem psalmi
17 illius lectorem remitto. (22) *Exsultent et* D
lætentur super te omnes quærentes te : id
est, corde et corpore gaudeant in te, non
in rebus illicitis, omnes qui te per fidem
requirunt, et tibi per caritatem adhærent,
et in te sincere confidunt ; *et dicant sem-
per : Magnificetur Dominus,* id est, sem-
per magnificent, et ab aliis magnificari
desiderent Dominum, *qui diligunt saluta-
re tuum,* id est vitam æternam, quæ est
beatitudo et salus mentis creatæ, vel me
Luc. II, 30. Christum Filium tuum, qui sum salutare
tuum, id est Salvator, per quem et in quo
salvare dignatus es genus humanum.
(23) *Ego autem mendicus sum.* Nam Evan- 18
gelista testante, Susanna et aliæ quædam *Luc. VIII, 2, 3.*
mulieres a Christo sanatæ, et ipsum se-
quentes, de facultatibus suis ministrabant
ei. *Et pauper.* Christus enim adeo pauper
fuit, ut diceret : Filius hominis non habet *Matth. VIII, 20; Luc. IX, 58.*
ubi caput suum reclinet. Unde Jeremias
vehementer admirans Christum in tanta
paupertate venturum, sic eum alloquitur :
Quare quasi colonus futurus es in terra, et *Jer. XIV, 8, 9.*
quasi viator declinans ad manendum? Qua-
re futurus es velut vir vagus? *Dominus
sollicitus est mei.* Deus singularissimam
providentiam habuit de Christo secundum
quod homo est. Unde ipse in Evangelio ait :
Et non sum solus; sed ego et qui misit me *Joann. VIII, 16.*
Pater. (24) *Adjutor meus,* id est cooperator
humanitatis meæ, *et protector meus,* id est
defensor ejusdem a malis, *tu es,* Domine
Deus. In bonis enim semper cooperaba-
tur virtus divina Christo homini : pro-
pter quod ipsemet testatur, Non possum *Ibid. V, 30.*
ego a me ipso facere quidquam. Sed et
ab omni malo culpæ Deus præservavit
animam Christi, sicque protexit eum : imo
interdum a malis pœnæ defendit eum, sic-
ut dum Judæi voluerunt eum præcipitare *Luc. IV, 29; Joann. VIII, 59; X, 31.*
et lapidare. *Deus meus, ne tardaveris ex-
audire* has preces.

Diligentissime autem considerari opto
ab omnibus quod dicam. Ecce psalmus iste,
in quo aliqua continentur quæ Christo se-
cundum se non conveniunt, scilicet, Com-
prehenderunt me iniquitates meæ, aposto-
lica auctoritate probatur de Christo ad
litteram exponendus, saltem pro magna
parte : ergo multo amplius psalmi illi, in
quibus nil continetur quod Christo pro-
prie non conveniat, de ipso exponendi
sunt, quamvis nullus Apostolorum et Evan-
gelistarum eos de Christo alleget ; ideo-
que nonnulli satis superficiales sunt in
expositione psalmorum, multos psalmos de
David vel aliis quibusdam ad litteram ex-
ponentes, qui tamen propriissime atque
verissime Christo conveniunt.

Digitized by Google

ARTICULUS LXXIX

EXPOSITIO EJUSDEM PSALMI TRICESIMI NONI DE ECCLESIA SEU UNOQUOQUE FIDELI.

QUILIBET ergo fidelis, Christi adven- A
tum spiritualem desiderans, quo quo-
tidie venit per gratiam in mentes fide-
2 lium, dicere potest : *Exspectans exspectavi*
Dominum, id est, cum interiori et cordiali
affectu Dei præsentiam præstolatus sum,
quatenus mansionem in corde meo con-
strueret ; *et intendit mihi,* id est, ocu-
lum suæ pietatis convertit ad me taliter
3 exspectantem. *Et exaudivit preces meas,*
veniendo ad me, quemadmodum amorose
exspectanti promisit, in Evangelio dicens :
Joann. XIV, 23. Pater meus diliget eum, et ad eum venie- B
mus, et mansionem apud eum faciemus.
Et eduxit me de lacu miseriæ, id est, de
corpore isto in quo habito, quod est ple-
num miseriis, eduxit me per contempla-
tionem et spem futurorum bonorum : ita
Philipp. III, 20. ut conversatio mea incipiat esse in cœlis,
et in carne vivens, non secundum carnem
ambulem, sed secundum spiritum, mere-
Rom. VIII, 9, 8. arque audire illud Apostoli, Vos autem in
carne non estis, sed in spiritu. Qui enim
in carne sunt, inquit, Deo placere non pos-
sunt. Vel, De lacu miseriæ, id est, de con- C
suetudine mala (quæ est fovea profunda
Prov. XVIII, 3. et misera, de qua Salomon dicit, Impius
quum in profundum peccatorum venerit,
contemnit) eduxit me per gratiam conver-
sionis, et pœnitentiam salutarem. Vel, De
lacu miseriæ, id est de inferno, in quem
incidissem, et adhuc tandem inciderem,
nisi misericordia Dei succurreret. Vel, De
lacu miseriæ, id est de mundo isto, de
quo eduxit me, avertens affectum meum
ab amore sæculi : quemadmodum Joannes
I Joann. II, 15. in sua Canonica monet, Nolite diligere D
mundum, neque ea quæ in mundo sunt.
Jacob. IV, 4. Unde et alibi scriptum est : Nescitis quia
amicitia hujus mundi inimica est Deo ?

Quicumque voluerit amicus hujus sæculi
fieri, inimicus Dei constituetur. *Et de luto
fæcis,* id est, de carnali concupiscentia seu
fœtore luxuriæ animam turpissime defor-
mantis, eduxit me, et gratiam contulit
adimplendi illud Apostoli : Sobrie et juste Tit. II, 12.
et pie vivamus in hoc sæculo.

Specialiter autem exponi potest hic lo-
cus de synagoga antiquorum patrum, a
Christo de limbo inferni liberatorum. Ho-
rum igitur unusquisque Deo gratias agens
de adventu regis Messiæ et propria libe-
ratione, ait : *Exspectans exspectavi Domi-
num.* Affectuosissime enim antiqui Sancti
præstolabantur Christi adventum. Unde ait
Jacob : Salutare tuum exspectabo, Domi- Gen. XLIX, 18.
ne. Et Michæas : Ego, inquit, ad Dominum Mich. VII, 7.
adspiciam, et exspectabo Deum salvatorem
meum ; audiet me Deus meus. Hinc quo-
que apud Isaiam scriptum est : Utinam di- Is. LXIV, 1.
rumperes cœlos, et descenderes. Propter
quod Moyses dixit : Obsecro, Domine, mit- Exod. IV, 13.
te quem missurus es. *Et intendit mihi,* id
est, Christus Filius Dei descendit per in-
carnationem in mundum, sicut optavi. *Et
exaudivit preces meas,* omnia faciendo et
patiendo quæ de ipso scripta erant et hu-
manæ redemptioni necessaria ; *et eduxit
me de lacu miseriæ, et de luto fæcis,* id est,
de limbo inferni : quemadmodum Zacha-
rias alloquens Christum, prophetavit : Tu Zach. IX, 11.
quoque in sanguine testamenti tui emisi-
sti vinctos tuos de lacu, in quo non est
aqua.

Et statuit supra petram pedes meos : id
est, in Christi amore stabilivit et confir-
mavit Dominus desideria mea, ita ut dice-
re possim illud Apostoli : Quis nos separa- Rom. VIII, 35.
bit a caritate Christi ? *Et direxit gressus
meos,* id est, opera mea in sua lege dispo-

suit : secundum quod Salomon attestatur,
Prov. xvi, 9. Cor hominis disponit viam suam, sed Dei
4 est dirigere gressus ejus. *Et immisit in os*
meum canticum novum, id est novam lau-
dem et gratiarum actionem de prædictis
beneficiis suis mihi collatis : quemadmo-
II Cor. vii, 4. dum dicit Apostolus, Repletus sum conso-
latione, superabundo gaudio in omni tribu-
Ibid. v, 17. latione ; et alibi, Vetera transierunt. Quod
enim antiqui in veteri Testamento, cum
anxio desiderio et afflictione animi pro-
pter dilationem, cantabant futurum, hoc
in evangelica lege seu novo Testamen-
to, cantant Christiani cum hilari grataque
mente jam factum. Et ideo in Apocalypsi
Apoc. xxi, 5. de Christo ait Joannes : Dixit qui sedebat
in throno, Ecce nova facio omnia. *Carmen*
Deo nostro, id est, canticum istud est car-
men ad honorem et gloriam Dei cantan-
dum. *Videbunt multi,* id est, fide et gratia
Christi illuminabuntur, et mirabilia ejus
considerabunt, sicut ab Isaia prædictum
Is. ix, 2. est : Populus qui ambulabat in tenebris,
vidit lucem magnam ; *et timebunt* Deum, ex
consideratione eorum quæ per fidem agno-
scunt ; timebunt quoque pœnas inferni, *et*
sperabunt in Domino, quod per gratiam
ejus evadent tormenta inferni, et adepturi
sint gaudia cœli.

Deinde Ecclesia seu quilibet Christianus
ait ad Christum, seu totam Trinitatem :
6 *Multa fecisti tu, Domine Deus meus, mi-*
rabilia tua. Multa enim et magna fuerunt
Christi miracula. Unde in Evangelio scri-
Luc. vi, 19. ptum est : Virtus exibat de illo, et sana-
Marc. vi, 56. bat omnes ; et iterum, Quotquot tangebant
fimbriam vestimenti ejus, sanabantur. Et
Matth. xi, 4, 5. Christus dixit discipulis Joannis : Euntes
renuntiate Joanni quæ audistis et vidistis.
Cæci vident, surdi audiunt, leprosi mun-
dantur, claudi ambulant, mortui resur-
gunt. Et hæc mirabilia in adventu Christi
fuisse perpetranda, Isaias de Christi ad-
Is. xxxv, 5, 6; xxxii, 4. ventu loquens ita prædixit : Tunc aperien-
tur oculi cæcorum, et aures surdorum pa-
tebunt ; tunc saliet quasi cervus claudus,
et lingua balborum velociter loquetur. Hæc
mirabilia Christi narrat Ecclesia, quemad-
A modum in Ecclesiastico habetur : Nonne Eccli. xlii, 17, 23, 26.
Dominus fecit Sanctos enarrare omnia mi-
rabilia sua, quæ confirmavit Dominus om-
nipotens stabilis in gloria sua ? Quam de-
siderabilia sunt omnia opera ejus ! et quis
satiabitur videns gloriam ejus ?

Præterea Ecclesia ex persona Apostolo-
rum et prædicatorum atque doctorum, ait :
Annuntiavi primo Judæis, deinde gentili-
bus, et quotidie prædico cunctis fidelibus,
o Domine Jesu Christe, vitam et mirabilia
tua ; *et locutus sum,* proponendo eis do-
B ctrinam evangelicam ; *multiplicati sunt*
super numerum, qui per prædicationem
meam ad fidem conversi sunt : quoniam
numerari a nobis non possunt, quamvis
non sint simpliciter infiniti. Unde per Ma-
lachiam Dominus ait : Ab ortu solis usque Malach. i, 11, 14.
ad occasum, magnum est nomen meum,
quia rex magnus ego sum, dicit Dominus,
et nomen meum horribile in gentibus.
Hanc autem Apostolorum annuntiationem,
et fidelium multiplicationem Deus Pater
loquens ad Christum Filium suum, per
C Isaiam evidenter prædixit : Parum est, in- Is. xlix, 6.
quiens, ut sis mihi servus ad suscitandas
tribus Jacob, et fæces Israel converten-
das ; dedi te in lucem gentium, ut sis sa-
lus mea usque ad extremum terræ.

Sacrificium et oblationem, id est legalia 7
sacrificia, *noluisti,* tempore novæ legis.
Aures autem cordis : de quibus in Evan-
gelio dicitur, Qui habet aures audiendi, Luc. viii, 8.
audiat ; *perfecisti mihi,* id est, perfectas
dedisti mihi, ita ut prompte obedirem tibi
in omnibus, sicut superius de me testatus
D es : Populus quem non cognovi, servivit Ps. xvii, 45.
mihi, in auditu auris obedivit mihi. Has
aures populus Judæorum non habuit. De
quibus per Prophetam Dominus ait : Quis Is. xlii, 19.
cæcus nisi servus meus ? Et quis surdus,
nisi ad quem nuntios meos misi, id est
Prophetas ? *Holocaustum* legale, *et pro*
peccato, id est hostiam pro peccato immo-
latam, *non postulasti,* tempore evangelicæ
legis.

Considerandum est namque, quod tripli-
cia erant præcepta veteris Testamenti, sci-

Digitized by Google

licet moralia, judicialia, et cærimonialia. A
Præcepta autem moralia manent tempore
novæ legis, quum sint de lege naturali, et
perficiuntur per consilia a Christo in Evan-
gelio tradita : et ad ista præcepta perti-
nent mandata Decalogi. Præcepta vero ju-
dicialia sine periculo observari possunt in
nova lege, si ab aliquo, cujus est legem
condere, instituantur. Præcepta autem cæ-
rimonialia, ad quæ pertinent præcepta sa-
crificiorum, tempore novæ legis mortifera
sunt, quum sint solum figuralia : et id-
eo ea servare, esset realiter dicere quod B
Christus nondum venisset. De his præce-
ptis intelligendum est quod per Ezechie-
Ezech. xx, 25. lem Dominus asserit, Dedi eis præcepta
non bona, et judicia in quibus non vivent;
et quod Apostolus ad Hebræos introducit,
Hebr. x, 1. Umbram habens lex futurorum bonorum,
non ipsam imaginem rerum, nunquam
potest accedentes perfectos facere ; et
Ibid. vii, 19. alibi, Nihil, inquit, ad perfectum adduxit
lex. Hanc autem legalium sacrificiorum
cessationem atque unius veri sacrificii in-
stitutionem ac perpetuam durationem, per C
Malachiam Spiritus Sanctus prædixit, ad
Malach. i, 10, 11. Judæos sic loquens : Non est mihi voluntas
in vobis, et munus non suscipiam de ma-
nu vestra. In omni enim loco sacrificatur
et offertur nomini meo oblatio munda : vi-
delicet corpus et sanguis Christi, quod est
sacrificium finale per se intentum, om-
nibusque sacrificiis legis succedens. De
his autem triplicibus præceptis veteris le-
gis, in prima secundæ elegantissime atque
pulcherrime loquitur gloriosus et sanctus
doctor B. Thomas. D
8 *Tunc,* id est jam tempore gratiæ quan-
do cessant sacrificia legis, *dixi,* ego Christi
vestigia sequens, seu ego Ecclesia Christi
sponsa : *Ecce,* Domine Jesu, *venio* ad fi-
dem et gratiam tuam, et in te sperando
spero salvari, nec in lege salutem consti-
tuo. Venio quoque ut offeram tibi me
ipsum, divinis obsequiis me totaliter man-
cipando, et propter te me quotidie mor-
tificando. Quod ideo facio, quoniam *In
capite libri,* id est in secundo versu primi
psalmi, *scriptum est de me, ut facerem* 9
voluntatem tuam, Deus. Ibi enim dictum
est : In lege Domini voluntas ejus. *Deus* *Ps.* i, 2.
meus, volui tibi in omnibus obedire; *et le-
gem tuam,* scilicet evangelicam legem, *in
medio cordis mei* infixi, abscondi, ac me-
moriter tenui. Et istud est sacrificium tibi
placens, teque summe honorans, quem-
admodum ab Isaia pulchre inducitur :
Requiem dabit tibi Dominus semper, et *Is.* lviii,
implebit splendoribus animam tuam. Si 11, 13, 14.
glorificaveris Dominum, dum non facis
vias tuas, et non invenitur voluntas tua,
ut loquaris sermonem ; tunc delectaberis
super Domino, et sustollam te super alti-
tudinem terræ, dicit Dominus. Et hoc est
quod in Evangelio Christus ait volentibus
se cruciformiter imitari, atque se ipsos
quotidie immolare : Qui vult, inquiens, ve- *Luc.* ix, 23.
nire post me, abneget semetipsum, et tol-
lat crucem suam, et sequatur me.
Annuntiavi justitiam tuam in ecclesia 10
magna, id est in toto populo christiano,
quia in omnem terram exivit sonus Apo- *Ps.* xviii, 5.
stolorum, et in fines orbis terræ verba eo-
rum. *Justitiam tuam non abscondi in corde* 11
meo, sed publice eam prædicavi, quoniam
audivi te, Domine, in Evangelio terribili-
ter comminantem : Qui me erubuerit et *Luc.* ix, 26.
meos sermones, hunc Filius hominis eru-
bescet quum venerit in regno suo. Et ideo
Petrus principibus sacerdotum dixit : Si *Act.* iv, 19,
justum est in conspectu Dei, vos potius 20.
audire quam Deum, judicate. Non enim
possumus, quæ vidimus et audivimus, non
loqui. Non ergo abscondenda est justitia
Dei, id est doctrina Christi, sed instruendus
est proximus. Nam sapientia abscondita et *Eccli.* xx,
thesaurus occultus, quæ utilitas in utro- 32.
que? Unde de ignavis et abscondentibus ju-
stitiam Dei, apud Isaiam scriptum est : Spe- *Is.* lvi, 10.
culatores ejus cæci omnes, canes muti non
valentes latrare, videntes vana et dormien-
tes : quod contra negligentes et indoctos
prælatos præcipue dicitur. *Veritatem tuam*
in sacra Scriptura contentam, *et salutare
tuum,* id est felicitatem fidelibus in cœ-
lo paratam, *dixi* proximis. Sed quomodo

Digitized by Google

nunc ait, Justitiam tuam non abscondi in
Ps. cxviii, 11. corde meo, quum inferius dicat, In corde
meo abscondi eloquia tua ut non peccem
tibi ? Et respondendum est, quod sacra
doctrina est in corde abscondenda, et non
abscondenda. Est enim abscondenda, ne
oblivioni tradatur, aut per præsumptio-
nem seu jactantiam aperiatur et amitta-
tur ; sed non est abscondenda, ne proximis
communicetur, et infructuosa permaneat :
Matth. xxv, 24-30. sic enim servus piger et nequam increpa-
tur a Domino, quia abscondit talentum si-
bi commissum in terra.

Non abscondi misericordiam tuam, id
est beneficia tua nobis clementer exhibita,
seu pietatem ac liberalitatem tuæ bonita-
tis, *et veritatem tuam a concilio multo,*
id est, a populo christiano consilium re-
quirenti qualiter possit veram beatitudi-
12 nem adipisci. *Tu autem, Domine, ne longe
facias miserationes tuas a me,* sed tolle
peccata, gratiam tribue, virtutes conserva,
et consummationem felicem concede. *Mi-
sericordia tua et veritas tua semper sus-
ceperunt me,* quando perseveranter ora-
vi. Sicut enim veritas tua in Evangelio
Ibid. vii, 7. promittit, dicens, Petite, et dabitur vobis;
sic misericordia tua exaudit, et præstat
quidquid salubriter atque constanter ro-
gatur. Maxime tamen exaudit Deus preces
totius communitatis seu multitudinis. Et
ideo fiducialiter confidendum est, genera-
lia concilia dirigi a Spiritu Sancto, propter
Ibid. xviii, 19, 20. id quod ait Salvator : Si duo ex vobis con-
senserint de omni re quamcumque petie-
rint, fiet illis a Patre meo. Ubi enim sunt
duo vel tres congregati in nomine meo,
ibi sum in medio eorum. Quanto magis
si omnes consentiunt atque conveniunt,
exaudientur, et Christum in medio sui
habebunt ? Propterea quoque rationabile
est, majorem esse auctoritatem concilii ge-
neralis, quam alicujus quatuor Doctorum.

13 *Quoniam circumdederunt me mala* pœ-
næ et culpæ, *quorum non est numerus*
Ps. xxxiii, 20. mihi certus. Multæ enim sunt tribulationes
Prov. xxiv, 16. justorum, et in medio laqueorum positi
sumus, et justus septies in die cadit ; et

A venialia nostra peccata, quæ cogitando, lo-
quendo et operando committimus, vel per
omissionem incurrimus, adeo multa sunt,
ut numerum excedere videantur. *Compre-
henderunt me iniquitates meæ,* id est, in
legem peccati me captivum duxerunt, et
jugo peccati ac servituti diaboli subjece-
runt, vinculisque malitiæ ligaverunt. Un-
de ait Salvator : Omnis qui facit pecca- *Joann.* viii, 34.
tum, servus est peccati. *Et non potui ut
viderem,* id est, omnia mala prædicta qui-
bus circumdatus sum, determinate et si-
B gillatim cognoscere non potui. Ecce quanta
est miseria nostra, et quantum nos timere
oportet divinum judicium. Quot enim in
die judicii nostri consurgent contra nos vi-
tia jam ignorata, quæ quasi de insidiis eri-
gent se contra nos ? Humiliemur igitur sub *I Petr.* v, 6.
potenti manu Dei, dicentes sicut prædi-
ctum est : Ab occultis meis munda me, *Ps.* xviii, 13.
Domine. Et defleamus et emendemus sal-
tem in generali, quæ in speciali deflere
nequimus ; studeamusque ultra debita no-
stra, aliqua (imo et multa) bona agere
C contra peccata ista ignota, ne dæmon ea
contra nos inducat in die judicii nostri.

*Multiplicati sunt super capillos capitis
mei* iniquitatum mearum excessus, præ-
sertim quantum ad venialia mala ; *et cor
meum dereliquit me,* id est, intellectus
meus defecit in consideratione multitudi-
nis peccatorum meorum. Quoniam enim
numerum et capillos capitis mei transcen-
dunt, certum est quod singula a corde
meo pensari non possunt. Dicamus ergo
ex totis præcordiis cum magna humilitate,
D quod Manasses ille rex Juda ait : Peccavi *Oratio Manass.*
super numerum arenæ maris ; multiplica-
tæ sunt iniquitates meæ, et incurvatus
sum multo vinculo ferri, et non est respi-
ratio mihi : quia excitavi iram tuam, sta-
tuens abominationes et multiplicans of-
fensiones. Et nunc flecto genua cordis
mei, rogans te, Domine, remitte mihi, ne
simul perdas me cum iniquitatibus meis,
neque in æternum reserves mihi mala.
Hinc quoque Esdras ait : Deus meus, con- *I Esdr.* ix, 6.
fundor et erubesco levare faciem meam

Digitized by Google

ad te, quoniam iniquitates nostræ multi- A
plicatæ sunt super caput nostrum, et peccata nostra creverunt usque ad cœlum. Denique tunc cor nostrum derelinquit nos, quum aufertur a nobis. Tunc vero aufertur a nobis, quum usus rationis vitiorum caligine impeditur, obtenebratur aut fallitur.
Osee IV, 11. Propter quod Osee dicit : Fornicatio et ebrietas et vinum auferunt cor. Quotiescumque ergo per impetum passionis a medio rationis abducimur, quoties peccato consensum præbemus, quoties a summo bono aversi, ad infructuosa et vana con- B
Luc. X, 42. vertimur, et relicto uno illo quod solum necessarium est, per diversa vagamur, toties cor nostrum relinquit nos. Et istæ sunt fornicationes cordis humani, quibus fornicatur a Deo, et propter quas a Deo contemnitur, sicut Dominus per Ezechie-
Ezech. VI, 9. lem ait : Contrivi cor eorum fornicans et recedens a me. Homini quoque cor tale
Osee IX, 1. habenti, ait alibi sermo divinus : Noli lætari, Israel, quia fornicatus es a Deo tuo. Om-
Prov. IV, 23. ni ergo custodia custodiamus cor nostrum, maxime in divinis, quia ex ipso vita pro- C
cedit, si bene custodiatur ; sin autem, tunc utique mors ex eo procedit, sicut in Evan-
Matth. XV, 19. gelio Christus ait, De corde exeunt cogitationes malæ, furta, ac cetera mala.
14 *Complaceat tibi, Domine, ut eruas me* a malis omnibus. Ecce quam blanda, dulcis, affectuosa, ac reverentialis oratio. Complaceat, inquit, tibi, Domine : quasi dicat,
Ibid. XXVI, 39. Non quod ego volo, sed quod tu. Et hoc est quod in Oratione dominica quotidie di-
Ibid. VI, 10. cimus : Fiat voluntas tua. *Domine, ad adjuvandum me respice,* id est, ad hoc in- D
tende in me, ut pie succurras mihi propter tuam clementiam, non ut me juste abji-
18 cias propter meam malitiam. *Ego autem*
mendicus sum : nam quotidie et indesinen-
Ibid. 11. ter in Oratione dominica clamo, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Quamvis corporalem panem ostiatim non quæro, spiritualem tamen panem, videlicet panem lacrimarum, panem salutis et gratiæ (de
Joann. IV, 34. quo Christus affirmat, Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei), panem quoque Eucharistiæ incessanter mendico : idcirco sum *et pauper,* id est in spiritualibus imperfectus, et in omnibus defectuosus. Propter quod David ait : Ego sum vir pau- I Reg. XVIII, 23.
per et tenuis. *Dominus sollicitus est mei.* Ipsi enim cura est de omnibus : quanto I Petr. V, 7.
magis de rationalibus creaturis? Propterea scriptum est : Tu, Domine, pater noster, Is. LXIII, 16; LXIV, 8.
redemptor noster, nos vero lutum ; et fictor noster tu, et opera manuum tuarum omnes nos.

Contemplandum autem, quam industriosa sit ista oratio. Vocat enim se mendicum et pauperem, quatenus misericordiam provocet ; non, justum, sicut Pharisæus qui dixit, Non sum sicut ceteri hominum. Luc. XVIII, 11.
Et tu igitur si misericordiam Dei provocare desideras, si copiosam a Deo eleemosynam, et pinguem panem recipere cupis, si spiritualiter ditari ac satiari peroptas, fac coram Deo sicut agunt mendici hujus sæculi coram divitibus a quibus eleemosynam petunt. Si corpore læsi sunt, ulcerosi, hydropici, paralytici, aut simili ægritudine languidi, vestem a loco infirmitatis deponunt, indigentiam suam proclamant, se pauperes profitentur. Nos ergo vulnera animæ nostræ Deo ostendamus, paupertatem nostram humiliter reseremus, et opem misericordiæ Dei affectuosissime invocemus : et quanto miseriam nostram cum præcordialiori ac profundiori humilitate professi fuerimus, tanto pleniorem a Deo gratiam acquiremus.

Postremo pensandum, quantæ excellentiæ et speciositatis sit psalmus iste præclarus ac nobilis. In quo primum exhibetur Deo gratiarum actio pro beneficiis suis, præsertim pro incarnatione Filii sui. Secundo Christus alloquitur Patrem, et declaratur legalium sacrificiorum evacuatio, et veri sacrificii, quod est Christi passio, necessitas. Docetque Christus hoc Deo summe placere, ut obediatur voluntati ipsius, quemadmodum Samuel protestatur : Numquid vult Dominus holocausta ac vi- I Reg. XV, 22, 23.
ctimas, et non potius ut obediatur voci ejus? Melior est enim obedientia, quam

Digitized by Google

victimæ; et auscultare, magis quam offerre adipem arietum : quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare; et quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Declaratur quoque in psalmo isto institutio Ecclesiæ per prædicationem Christi. Deinde ponitur efficacissima ad Deum oratio atque humillima peccati confessio. Studeamus itaque semper cum condecenti ac debita devotione hunc psalmum deprome- A re. Quæ autem jam exposita non sunt, ex dictis in præcedenti articulo liquent.

PRECATIO.

Deus infinitæ misericordiæ, manum tuam porrige lapsis, et educ nos de lacu miseriæ et de luto fæcis : ut per te directis gressibus nostris, hymnum tibi laudis et placationis incessabili voce persolvamus.

ARTICULUS LXXX

EXPOSITIO LITTERALIS PSALMI QUADRAGESIMI : BEATUS QUI INTELLIGIT.

Præponitur denique psalmo jam decla-
1 rando titulus talis : *In finem, intellectus*
filiis Core. Core, qui propter suam ambi-
Num. xvi. tionem in libro Numerorum perisse legi-
Matth. xxvii, 33. tur, interpretatur Calvaria, quod est nomen loci in quo crucifixus est Christus. Filii vero Core, spiritualiter dicuntur filii crucis, seu imitatores Christi crucifixi. Et propter hanc interpretationem fit sæpe in psalmorum titulis mentio de filiis Core. Ipsi enim patris sui peccatum secuti non
I Par. xv, 5. sunt : propter quod a David in ministerium templi assumi meruerunt. Est igitur C sensus tituli : *Intellectus* hujus psalmi tendens *in finem,* id est, in Christum nos dirigens, attribuitur *filiis Core,* id est, imitatoribus passionis Christi competit, quatenus ex prophetia et sensu hujus psalmi perfectius convertantur ad Christum, et ejus passionibus conformentur. Porro, quod psalmus iste ad litteram de Christo loquatur, patet ex hoc quod Christus allegat scripturam hujus psalmi de se prædi-
Joann. xiii, 18. ctam, in Cœna novissima dicens : Sed ut impleatur Scriptura, Qui manducat me- D cum panem, levabit contra me calcaneum suum. Quod secundum omnes expositores catholicos in hoc psalmo scriptum est his verbis : Etenim homo pacis meæ in B quo speravi, qui edebat panes meos. Christus enim interdum magis allegat sensum, quam verba Prophetarum. Doctores ergo communiter exponunt hunc psalmum partim de Christo, et partim de Ecclesia, sicut patebit; sed satagendum est, ut quantum fieri potest, totus de Christo exponatur. Decet enim Christianum libenter audire et loqui de Christo, nec unquam fatigari in hoc ipso.

Ait ergo Propheta : (1) *Beatus qui intelli-* 2
git super egenum et pauperem : id est, ipse Christus, qui pio intellectu respexit, et misericorditer consideravit genus humanum damnationi obnoxium propter originale peccatum, est beatus. Nam in quantum est Deus, est essentialiter beatus; sed in quantum homo, fuit beatus in anima a primo instanti conceptionis suæ in Virgine Matre. Pie enim intellexit Christus super egenum et pauperem hominem, quando per Jeremiam prædixit, Ego cogito Jer. xxix, 11.
cogitationes pacis, et non afflictionis; et per Zachariam, Ecce ego venio et habitabo Zach. ii, 10.
in medio tui; et per † Michæam, Prope est salus tua, salvabo te, noli timere; et per Isaiam, Ego ipse qui loquebar, ecce adsum. Is. lii, 6.
Quæ omnia in Christo jam incarnato sci-

Digitized by Google

mus impleta, sicut et ab alio scriptum est: A
Baruch III, Qui fecit stellas, hic est Deus noster; et
35, 36, 38. post hæc super terram visus est, et cum
hominibus conversatus est. Denique pie
intellexit Christus super genus humanum
egenum et pauper, quando ipsemet in
Joann. III, Evangelio ait: Non misit Deus Filium suum
17. in mundum, ut judicet mundum, sed ut
salvetur mundus per ipsum. Et rursus :
Luc. XIX, Venit Filius hominis quærere et salvum
10. Joann. X, 15. facere quod perierat. Et iterum : Animam
meam pono pro ovibus meis. Piissime vero
intellexit Dominus Jesus super egenum et B
pauperem, quando passione instante, dixit:
Matth. Pater, si non potest hic calix transire, nisi
XXVI, 42. bibam illum, fiat voluntas tua; et quan-
Joann. XIX, do in cruce suspensus, clamavit : Sitio :
28. quid utique, nisi mundi salutem? Super-
piissime autem intellexit super egenum et
pauperem, quando pro transgressoribus,
Luc. XXIII, suisque crucifixoribus rogans : Pater, in-
34. quit, ignosce illis. Et ut oratio sua exau-
dibilior fieret, adjunxit excusationem pro
Ibidem. impiis, dicens: Quia nesciunt quid faciunt.

In die mala, id est in omni tempore quo C
persecutionem passus est Christus, et ma-
xime in die crucifixionis suæ, *liberabit,* et
jam liberavit, *eum Dominus* Deus omni-
potens. Liberavit enim eum, quando Ju-
Luc. IV, 29; dæi volebant eum præcipitare et lapidare:
Joann. VIII, 59; X, 31. et quamvis interdum permisit eum con-
tumelias pati, et tandem occidi, semper
tamen liberavit eum, quoniam Christus
semper per patientiam vicit, et sibi coro-
nam accidentalis præmii, totique mundo
coronam essentialis præmii meruit. In pas-
sione quoque liberavit eum, quantum ad D
hoc, quod passio illa fuit finis totius pas-
sibilitatis persecutionisque suæ.

Quæ autem sequuntur, magis prophe-
tando et congaudendo, quam orando, di-
3 cuntur. (2) *Dominus conservet eum.* Deus
enim Pater præservavit Christum homi-
Ps. XX, 4. nem ab omni malo culpæ, quia prævenit
eum in benedictionibus dulcedinis, et con-
firmavit animam ejus in bono a principio
suæ creationis; sed et a malis pœnæ præ-
servavit eum, quoad hoc, quod pœnæ illæ

non ei nocuerunt spiritualiter, sed profu-
erunt. *Et vivificet eum,* id est, a mortuis
tertia die eum resuscitet, *et beatum faciat
eum in terra,* id est, beatitudinem ejus ma-
nifestet hominibus per prædicationem at-
que miracula Apostolorum et aliorum San-
ctorum : quemadmodum Deus per Isaiam
de Christo loquens, testatus est : Ecce in- Is. LII, 13,
telliget servus meus, et exaltabitur, et 15.
elevabitur, et sublimis erit valde. Super
ipsum continebunt reges os suum. Unde
et alibi de Christo inducitur: Potestas ejus Zach. IX,
a mari usque ad mare, et a fluminibus 10.
usque ad fines terræ. Et Daniel ait : Ad- Dan. VII,
spiciebam, et ecce Filius hominis venie- 13, 14.
bat, et usque ad Antiquum dierum perve-
nit, et dedit ei potestatem et honorem et
regnum; et omnes populi, tribus et lin-
guæ servient ei. Hoc modo sciens beatissi-
ma Virgo et Mater beatificandum in terra
Christum, seque a credituris in Filium
suum beatificandam, prophetice cecinit :
Beatam, inquiens, me dicent omnes gene- Luc. I, 48.
rationes. Vel sic : Beatum faciat eum in
terra, id est, gloriosum faciat Christum
in corpore, et super cœlos elevet ipsum;
sicque in terra viventium beatificet eum
beatitudine accidentali, quæ consistit in
rebus creatis ad Deum relatis, videlicet in
bono usu earum, secundum quod una cre-
atura alteri dominatur, vel in ea lætatur,
aut ea perutitur.

*Et non tradat eum in animam inimi-
corum ejus :* id est, Deus Pater non de-
relinquat Christum finaliter in potestate
Judæorum, nec eorum voluntati subjiciat
eum. Hoc Christus in se impletum osten-
dit, dum ait : Potestatem habeo ponendi Joann. X,
animam meam, et potestatem habeo ite- 18.
rum sumendi eam. Et denuo : Nemo, in-
quit, tollit animam meam a me; sed ego
pono eam, et iterum sumo eam. Propter
quod Isaias de eo inquit: Oblatus est quia Is. LIII, 7.
ipse voluit. Et hoc clarissime patet ex eo
quod apud Joannem dicitur : Jesus sciens Joann. XVIII,
omnia quæ ventura erant super se, pro- 4-6.
cessit, et dixit eis : Quem quæritis? Re-
sponderunt : Jesum Nazarenum. Dixit eis

Digitized by Google

Jesus : Ego sum. Ut ergo dixit eis, Ego A sum, abierunt retrorsum, et ceciderunt in *Rom.* VIII, 32. terram. Quomodo ergo ait Apostolus, Proprio Filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum ? Et respondendum, quod Deus Pater tradidit illum, ita ut permisit eum a malignis occidi : non autem quod ipsi maligni aliquid possent inferre tormenti Christo invito ; sed Christus sponte tradidit se in mortem, *Is.* LIII, 12. quemadmodum Isaias ait : Tradidit in mortem animam suam. Et ad Galatas Apo- *Galat.* II, 20. stolus asserit : In fide vivo Filii Dei, qui B dilexit me, et tradidit semetipsum pro me. Aliter ergo tradidit Christum Judas, et aliter Pater.

4 (3) *Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus.* Lectus doloris Christi, fuit patibulum crucis : in quo tamen non ha- *Luc.* IX, 58. buit pulvinar, super quod caput lassum et spinis confixum paululum repausaret. Super hunc lectulum contulit Deus opem Christo homini, quoniam conservavit eum in bono, et cooperabatur ei in redemptione generis humani, et in debellatione mortis C atque diaboli. Tota namque efficacia meriti Christi erat ex divinitate unita. Quam- *Matth.* XXVII, 46; *Marc.* XV, 34. vis enim Christus dixerit : Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me ? videlicet, subtrahendo inferioribus viribus ac patienti naturæ solitam redundantiam beatitudinis, quam in anima habuit ; non *II Cor.* V, 19. tamen penitus erat relictus, sed Deus erat in eo, mundum reconcilians sibi, secundum Apostolum. *Universum stratum ejus,* id est totum patibulum crucis Christi, vel potius totum Christum in cruce suspen- D sum, ut ponatur continens pro contento, *versasti,* id est, frequenter seu multipliciter convertisti, *in infirmitate ejus,* id est in passione ipsius Christi. Versatus est enim Christus in cruce non loco, sed voto, videlicet diversis affectibus : nunc pro- *Matth.* XXVII, 46. pter amaritudinem passionis clamando, Ut quid dereliquisti me ? quasi invitus pateretur (non tamen patiebatur invitus, sed libentissime, tanquam ardentissimus hominum amator, atque paterni honoris zelator); nunc propter desiderium humanæ salutis dicendo, Sitio, quasi libenter pateretur ; *Joann.* XIX, 28. nunc quasi oblitus proprii doloris, de matre sollicitus fuit, dicendo Joanni, Ecce *Ibid.* 27. mater tua.

(4) *Ego dixi : Domine, miserere mei,* etc. 5
Hæc oratio non competit Christo, nisi pro corpore suo mystico ; et in sequenti expositione versus iste tractabitur.

(5) *Inimici mei,* videlicet Judæi perse- 6
quentes me, *dixerunt mala mihi,* id est ad ignominiam et contumeliam meam. Quid autem dixerunt, continuo pandit : *Quando morietur ?* id est, quando occidetur iste a nobis ? *et peribit nomen ejus ?* id est, quando fama atque memoria ejus penitus exstinguetur ? Hoc est quod Joannes inducit dixisse sacerdotes et Pharisæos, dicens : Videtis quia nihil proficimus? *Ibid.* XII, 19. Ecce totus mundus abiit post eum. Et rursus apud Matthæum ait Scriptura : Con- *Matth.* XXVI, 3, 4. gregati sunt principes sacerdotum et seniores populi in atrium principis sacerdotum, et consilium fecerunt, ut Jesum dolo tenerent et occiderent.

(6) *Et si ingrediebatur.* Frequenter in 7
psalmo isto, sicut et alibi, mutat Propheta personam et numerum : nunc singulariter, nunc pluraliter, nunc in tertia persona, nunc in secunda loquens. Nunc ergo singulariter loquens, ait : Et si ingrediebatur inimicus meus, scilicet Judas proditor, cum aliis Apostolis, mecum in domum cœnaculi et in domum Marthæ, *ut videret,* id est, ut observaret et exploraret quid essem acturus ; *vana loquebatur cor ejus :* quoniam dixit intra se, quod ego nescirem propositum suum. Vana quoque et falsa ac simulata verba dixit corde et ore, quando indignabatur Mariæ Magdalenæ, eo quod fudit super caput meum alabastrum un- *Matth.* XXVI, 7; *Joann.* XII, 3-6. guenti pretiosi, et dixit : Ad quid perditio hæc? Poterat enim hoc unguentum venundari plus quam trecentis denariis, et dari pauperibus. Hoc autem dicebat, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, et loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat : sicut Joannes enarrat. *Con-*

Digitized by Google

gregavit iniquitatem sibi, id est, Judas ac- A
cumulavit sibi peccata diversa. Nam ex
avaritia invidebat et indignabatur Mariæ
Magdalene, proposuitque Christum vende-
re et in mortem hostibus suis exhibere.
(7) *Egrediebatur foras* ipse Judas a me,
quarta feria ante passionem meam, intrans
domum in qua scivit congregatum esse
concilium Judæorum adversum me; *et lo-*
8 *quebatur in id ipsum,* id est, in toto illo
Matth. concilio dixit : Quid vultis mihi dare, et
xxvi, 15. ego vobis eum tradam? Hoc ipsum Evan-
gelistæ clare testantur. Vel, Egrediebatur B
foras in hora Cœnæ, quemadmodum Joan-
Joann. xiii, nes testatur, dicens : Dixit Jesus Judæ,
27, 30. Quod facis, fac citius. Quum ergo ille ac-
cepisset buccellam, exivit continuo.

(8) *Adversum me susurrabant omnes ini-*
mici mei, videlicet principes sacerdotum
et magistratus templi cum universo con-
cilio, qui latenter et detractorie consule-
bant inter se quomodo crucifigerent me;
adversum me cogitabant mala mihi, id
est, tormenta multa et magna proposue-
runt mihi inferre : sicut in libro Sapientiæ C
Sap. ii, 20. habetur, Morte turpissima condemnemus
eum. Hæc autem Jeremias, qui vaticiniis
et passionibus apertissime præfiguravit
Christi passionem, frequenter prænuntia-
Jer. xi, 18, vit. Ait enim in Christi persona : Tu, Do-
19. mine, demonstrasti mihi studia eorum, et
cognovi; et cogitaverunt super me consi-
lia, dicentes : Venite, mittamus lignum in
Ibid. xviii, panem ejus. Et alibi : Foderunt, inquit,
20. 9 foveam animæ meæ. (9) *Verbum iniquum*
constituerunt adversum me, id est, Judæi
sermonem malignum firmiter conceperunt D
contra me. Quis autem sit sermo iste, sub-
jungit : *Numquid qui dormit, non ad-*
jiciet ut resurgat? id est, numquid iste
qui se dicit resurrecturum a mortuis, ve-
raciter resurgere poterit, quum in morte
dormierit, et in sepulcro clausus jacue-
rit? quasi dicant, Non. Et hoc est quod a
Matth. Matthæo dicitur : Dixerunt principes sacer-
xxvii, 62-64. dotum ad Pilatum : Domine, recordati su-
mus quia seductor ille dixit adhuc vivens,
Post tres dies resurgam. Jube ergo custo-
diri sepulcrum, etc. Putabant nempe Ju-
dæi Christum ita occidere, quod nec ipse
resurgeret, neque memoria ejus perma-
neret : quemadmodum Jeremias prænun-
tiavit, dicens, Eradamus eum de terra vi- *Jer.* xi, 19.
ventium, et nomen ejus non memoretur
ultra.

Et quid mirum est, si Judæi hæc agant?
(10) *Etenim homo pacis meæ, in quo spe-* 10
ravi, id est, Judas discipulus meus, cui
ego pacificus fui, et cui signa pacis osten-
di, et ad quem tam caritative me habui
ac si de ejus adjutorio multum speras-
sem : nam et procuratorem meum ipsum
constitui, et loculos tulit; *qui edebat panes*
meos, quoniam sæpe mecum comedit, et
de eleemosynis mihi datis pariter vixit,
atque in Cœna duplicem panem de manu
mea suscepit, videlicet panem intinctum, *Joann.* xiii,
per quem ostendi Joanni quod ipse tradi- 26.
tor esset; et buccellam sub qua erat cor-
pus meum : de qua a Joanne dicitur, Et *Ibid.* 27.
post buccellam introivit in eum Satanas;
magnificavit super me supplantationem,
id est, magnifice induxit super me adver-
sarios meos, qui me supplantaverunt et
occiderunt. Unde et sanctus Job in figura
Christi ait : Quem maxime diligebam, ad- *Job* xix, 19.
versatus est mihi.

(11) *Tu autem, Domine, miserere mei,* 11
liberando me a pœnalitatibus corporis, *et*
resuscita me tertio die; *et retribuam eis,*
id est, justam ultionem super Judæos in-
ducam, excæcando corda eorum, et in ma-
nus Romanorum eos tradendo, atque in-
credulos æternaliter condemnando. Unde
per Isaiam Christus ait : Calcavi eos in *Is.* lxiii, 3, 4.
furore meo, et conculcavi eos in ira mea.
Dies enim ultionis in corde meo, annus
retributionis meæ venit. Et simile quid-
dam Jeremias scribit, dicens : Tu, Domine *Jer.* xi, 20.
Sabaoth, qui judicas juste, et probas re-
nes et corda, videam ultionem tuam ex
eis. Tibi enim revelavi causam meam.

(12) *In hoc cognovi,* o Domine Pater, id 12
est, experimentaliter didici, *quoniam vo-*
luisti me, id est, quod dilexisti me, et tibi
complacui, *quoniam non gaudebit inimi-*

Digitized by Google

cus meus super me, id est, quia populus Ju- A
dæorum adversans mihi et membris meis,
non diu neque finaliter exsultabit de me,
utpote quasi omnino exstinxerit nomen
meum, et quasi non resurrexerim de se-
pulcro; sed confundentur atque dolebunt,
quum viderint miracula fieri in nomine
meo, et per Apostolorum prædicationem
multa millia ad fidem converti : sicut jam
13 videmus impletum. (13) *Me autem* Chri-
stum Filium tuum dilectum, *propter inno-
centiam suscepisti,* id est, propter imma-
culatam ac justam vitam meam exaudisti
in precibus quas tibi jam obtuli, et in die
resurrectionis suscepisti me ad impassibi-
lem statum ; in die quoque ascensionis
suscepisti me ad dexteram tuam, *et con-
firmasti me in conspectu tuo in æternum,*
id est, in throno gloriæ et in cœlo empy-
reo firmiter et sine fine collocasti me :
Hebr. VII, 24, 25. sicut ad Hebræos dicit Apostolus : Christus
eo quod maneat in æternum, sempiter-
num habet sacerdotium, unde et salvare
potest in perpetuum, accedens per semet-
ipsum ad Deum, semper vivens ad inter-
pellandum pro nobis.

Postremo, de omnibus his laudat Chri-
stus homo Deum trinum ac unum, et ait :
(14) *Benedictus Dominus Deus Israel :* id 14
est, ab omnibus benedicatur, laudetur, et
honoretur Deus Trinitas, qui est Deus Is-
rael, id est Jacob qui dictus est Israel; vel,
Israel, id est populi per fidem cœlestia con-
templantis; *a sæculo et in* sæculum,* id est * usque in
per omne sæculum et a primo sæculo, sci-
licet a mundi principio usque in sæculum
B illud futurum, quod nunquam finem habe-
bit. *Fiat, fiat,* id est, ita sit, ita sit. Repli-
catio verbi, est magni affectus indicium.

Ecce quam evidentissime atque plenis-
sime loquitur psalmus iste de passione
Christi, et quanta mysteria Christi David
cognovit, et quam speciosa ac fulgida est
consonantia hujus propheticæ prænuntia-
tionis cum evangelica historia. Porro se-
cundum eos qui dividunt librum Psalmo-
rum in quinque libros partiales, hoc loco
primus liber finitus est.

ARTICULUS LXXXI

EXPOSITIO EJUSDEM PSALMI QUADRAGESIMI TROPOLOGICA.

TROPOLOGICE autem exponendus est C
psalmus iste de membris Christi, seu
2 unoquoque fidelium. Ait ergo : *Beatus qui
intelligit super egenum et pauperem :* quod
dupliciter exponi potest. Primo sic : *Bea-
tus qui intelligit,* etc., id est, per spem fe-
lix est homo qui Christum in carne mor-
tali quondam passibilem ac indigentem
sapienter cognoscit : ita quod in ipso du-
plicem contemplatur naturam, videlicet
divinam et humanam ; nec propter divini-
tatis insignia negat in eo veram humanita-
tem, nec propter humanitatis humilia et D
abjecta negat in eo veram divinitatem. Et
hoc est quod ait Salvator. Postquam enim
divina sua miracula enarrasset, adjecit :
Et beatus est qui non fuerit scandalizatus Matth. XI, 6.
in me. Tanquam diceret : Beatus est qui
propter humanam infirmitatem et passio-
nem quam videt in me, non denegat mihi
divinitatem inesse. Multi quippe hæretici,
considerantes humilia et indigna quæ de
Christo leguntur, abhorruerunt veram di-
vinitatem in ipso fateri. Alii vero conside-
rantes sublimia quæ de ipso scribuntur,
renuerunt asserere veram in eo humani-
tatem consistere. Nos autem utrumque in
ipso intelligimus, et divina et humana
Christo adscribimus; sed quid propter quid
ei conveniat, prudenter pensandum est.

Digitized by Google

Secundo exponitur sic : *Beatus qui in-*
telligit super egenum et pauperem, id est,
qui membris Christi, videlicet indigenti-
bus, misericordem oculum exhibet, opem
impendit, eleemosynam spiritualem aut
corporalem communicat. Nam ut Christus
Matth. xxv, 40. testatur, quod uni ex suis fit, sibi fit. In
die quoque judicii dicturus est eis qui hoc
Ibid. 35, 36. modo super egenum intelligunt : Esurivi,
et dedistis mihi manducare ; sitivi, et de-
distis mihi potum ; nudus fui, et vestistis
Is. LVIII, 7, 8. me. Unde alibi scriptum est : Frange esu-
rienti panem tuum, et egenos vagosque
induc in domum tuam. Tunc erumpet qua-
Eccle. XI, 1. si lumen justitia tua. Et alibi : Mitte pa-
nem tuum super transeuntes aquas, et
post multa tempora invenies eum. Atque
Luc. XI, 41. in Evangelio Christus : Quod superest, in-
quit, date eleemosynam : et ecce omnia
munda sunt vobis. Hinc quoque Job de se
Job XXIX, 15, 16. ipso testatur, dicens : Oculus fui cæco, et
pes claudo. Pater eram pauperum, et cau-
sam quam ignorabam, diligentissime inve-
Ibid. XXXI, 17, 18, 32. stigabam. Et rursus ait : Si comedi buccel-
lam meam solus, et non comedit pupillus
ex ea, quia ab infantia mea crevit mecum
miseratio, et de utero matris meæ egressa
est mecum. Foris non mansit peregrinus,
ostium meum viatori patuit. Si autem tam
salubre est corporalem eleemosynam at-
que exteriora misericordiæ opera exerce-
re, quanto salubrius atque sublimius est
spiritualem eleemosynam agere, docendo
ignorantem, increpando errantem, consu-
lendo ambiguo, orando pro impio, discipli-
nando peccantem, consolando mœrentem ?
Faciat ergo unusquisque eas eleemosynas
in quibus magis abundat, sicut Tobias
Tob. IV, 7, 8. consuluit filio suo, dicens : Noli avertere
faciem tuam ab ullo paupere. Ita enim
fiet, ut nec a te avertatur facies Domini.
Quomodo potueris, ita esto misericors.

Itaque, Beatus qui intelligit super ege-
num et pauperem : et hoc ideo, quoniam
in die mala, id est in die tentationis et
persecutionis ac adversitatis, *liberabit eum*
Dominus, ne tentatione vincatur, ne in
persecutione per impatientiam superetur,

A ne in adversis frangatur. Liberabit etiam
eum a peccatis præteritis, et a reatu pec-
cati : quoniam sicut aqua exstinguit ignem, Eccli. III, 33.
ita eleemosyna exstinguit peccatum. Pro-
pter quod Daniel regi Nabuchodonosor di-
xit : Peccata tua eleemosynis redime, et Dan. IV, 24.
iniquitates tuas misericordiis pauperum. Si
ergo vis præservari a malis, esto miseri-
cors, condole proximis, succurre egenti.
Ideo enim Christus ait : Beati misericordes, Matth. V, 7.
quoniam ipsi misericordiam consequen-
tur. Et Salomon exhortatur : Misericordia Prov. III, 3, 4.
B et veritas non te deserant, et invenies gra-
tiam coram Deo et hominibus. Sed quate-
nus super spiritualiter egenos et pauperes,
sapienter intelligamus, curemus implere
illud Apostoli : Corripite inquietos, con- I Thess. V, 14.
solamini pusillanimes, suscipite infirmos,
patientes estote ad omnes.

Dominus conservet eum in bono, et 3
stabiliat eum in semetipso ; *et vivificet*
eum in præsenti per gratiam, et in futuro
per gloriam ; *et beatum faciat eum in ter-*
ra, id est, in peregrinatione hujus sæculi,
C in carne mortali, in Ecclesia militanti fa-
ciat eum beatum in spe et in sufficientia
temporalium rerum, atque in cordibus pro-
ximorum suorum, ita ut omnes beatificent
eum tanquam hominem pium Deo placen-
tem. Omnino enim hæc concomitantur mi-
sericordem in vita præsenti, quemadmo-
dum scriptum est : Benefacit animæ suæ Prov. XI, 17.
vir misericors ; et rursus, Qui pronus est Ibid. XXII, 9.
ad misericordiam, benedicetur. In terra
autem viventium et in triumphanti Eccle-
sia, faciat eum Dominus beatum in re, et
D in omnium bonorum plenissima possessio-
ne. *Et non tradat eum in animam inimi-*
corum ejus, id est, ab adversariis suis non
permittat eum spiritualiter lædi, vinci, aut
opprimi, ita ut animæ ejus nil noceant in-
sidiæ inimici. *Dominus opem ferat illi su-* 4
per lectum doloris ejus, id est in loco et
tempore infirmitatis ac indigentiæ suæ, et
maxime in hora mortis, quatenus tunc mi-
sericordiam consequatur, quando amplius
misericordia indiget. *Universum stratum*
ejus versasti in infirmitate ejus : id est,

Digitized by Google

corpus ejus, in quo anima quasi in strato jacet, multipliciter convertisti a gravamine ad relevamen, a dolore ad respirationem, atque interdum ab ægritudine ad sanitatem. Vel, Versasti stratum ejus, id est, eum in strato jacentem consolationibus tuis internis refocillasti. Solet enim Deus homines misericordes tempore infirmitatis frequenter et pie fovere ac roborare.

5 *Ego dixi*, corde et ore, considerando me ipsum : *Domine, miserere mei*, id est, misericordiæ tuæ effectum mihi infunde, et quasi condolendo succurre ; *sana animam meam* a læsione peccati, et a carentia gratiæ. Quod ideo rogo, *quia peccavi tibi*, id est ad injuriam tuam. O quam affectuosa et sententiosa ac efficax est oratio hujus versiculi ! quam utinam dicamus non ore tantum, sed intimo corde et pœnitentia humili.

6 *Inimici mei dixerunt mala mihi*, illa videlicet quæ sequuntur : *Quando morietur, et peribit nomen ejus?* Hoc primitiva Ecclesia maxime dicere potuit, quando
Joann. XVI, 2. omnis qui interficiebat Christianum, arbitrabatur obsequium se præstare Deo. Nam et Diocletianus ac alii quidam tyranni intendebant christianum nomen omnino auferre de terra, et fidem Christi penitus eradicare. Quilibet quoque Christianus persecutionem usque ad mortem propter justitiam passus, dicere potest versiculum istum : sed et de invisibilibus hostibus potest quilibet nostrum hæc dicere. Dæmones enim quotidie inter se dicunt de nobis : *Quando morietur?* id est, quando inducemus eum ad mortale peccatum, quod est mors animæ? *et peribit nomen ejus* de libro vitæ, et de memoria Beatorum ac misericordiæ Dei, videlicet ut nobiscum
7 æternaliter condemnetur? *Et si ingrediebatur* ad me, Christi Ecclesiam seu hominem justum, aliquis insidiator, hæreticus, schismaticus aut perversus, *ut videret* quid crederem, sperarem, amarem et agerem ; *vana loquebatur cor ejus*, id est, dolos cogitavit, proponens adversari fidei orthodoxæ, aut vitæ virtuosæ ac justæ ; *congregavit iniquitatem sibi*, id est, ad propriam suam damnationem multiplicavit sibi peccata, varias vias nocendi excogitando. *Egrediebatur foras*, ad malitiæ suæ fautores ac socios, *et loquebatur in id ipsum*. id 8
est, eis exposuit quid contra me concepit. Istud dicere potest Ecclesia et quilibet justus de falsis fratribus et exploratoribus atque hypocritis aliisque perversis. De quibus Joannes in sua Canonica scribit : Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis ; nam si ex nobis fuissent, permansissent utique nobiscum. I Joann. II, 19.

Deinde Ecclesia ait de his : *Adversum me susurrabant*, id est, occulte et malitiose loquebantur, *omnes inimici mei ; adversum me cogitabant mala mihi*, videlicet quomodo possent affligere me. Unde Joannes ait : Nolite mirari si odit vos mundus. Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quia diligimus fratres. Ibid. III, 13, 14.
Verbum iniquum constituerunt, id est po- 9
suerunt, *adversum me*, dicentes : *Numquid qui dormit, non adjiciet ut resurgat?* id est, numquid est alia vita et beatitudo, sicut Christiani dicunt, in qua post hanc vitam vivent et regnabunt ipsi, quos nos modo occidimus? aut numquid futura est resurrectio mortuorum? Hæc dicebant infideles contra Christianos, præsertim in primitiva Ecclesia.

Etenim homo pacis meæ, in quo spera- 10
vi, qui edebat panes meos, id est, qui videbantur esse domestici fidei et filii Ecclesiæ, atque propinqui et proximi mei, qui sacramentum corporis Christi quandoque cum aliis acceperunt, *magnificavit super me supplantationem*, id est, tales excitaverunt persecutionem et adversitatem magnam adversus me. Hoc dicit Ecclesia maxime contra hæreticos, qui ad tempus erant in Ecclesia ; sed exeuntes, sectas perditionis introduxerunt. Quilibet etiam qui specialem habuit ac familiarem amicum, si amicus ille recedit a se, et opponit se ei verbis et factis, revelando quoque quæ tempore familiaritatis et amicitiæ in fide recepit, talis dicere potest versiculum

Digitized by Google

istum. Talis vero qui ita ab amico recedit, A et ei resistit ac detrahit, gravissime et plusquam mortaliter peccat : quoniam non solum contra caritatem, sed etiam contra magnam caritatem atque justitiam directe agit. Et adhuc gravius erit peccatum, si fuerit inter eos pactum seu fœdus amicitiæ : quod sine mortali peccato solvi non potest, secundum Thomam quarto Sententiarum. Unde scriptum est : Qui dissolvit (Ezech. xvii, 15.) pactum, numquid effugiet ? Gravissime igitur peccant, qui amicis pristinis tam molesti infidelesque fiunt, et in secreto dicta propalant. Propter quod in Ecclesiastico dicitur : Qui denudat arcana amici, fidem (Eccli. xxvii, 17, 24.) perdit. Denudare enim amici mysteria, desperatio est animæ infelicis. Salomon quoque ait : Qui ambulat fraudulenter, revelat (Prov. xi, 13.) arcana ; qui autem fidelis est, celat amici commissum.

11 Deinde Ecclesia orat : *Tu autem, Domine, miserere mei* ita afflictæ, *et resuscita me,* id est, ruinam occisorum fidelium repara per multiplicationem credentium. Vel, Resuscita me a somno peccati : sicut C hortatur Apostolus, Surge qui dormis ; et (Ephes. v, 14.) iterum, Tempus est jam nos de somno (Rom. xiii, 11.) surgere. Vel, Resuscita me resuscitatione beata in die novissimo, quando omnes re- (I Cor. xv, 51.) surgemus, sed non omnes immutabimur. *Et retribuam eis,* id est, hostibus meis justam vindictam retribuam, vel in præsenti eos excommunicando, vel in die judicii tecum eos dijudicando : quemadmodum alio loco scriptum est, Judicabunt (Sap. iii, 8.) Sancti nationes ; et sicut affirmat Apostolus, Nescitis quia Sancti de hoc mundo (I Cor. vi, 2.) D judicabunt ?

12 *In hoc cognovi,* o Domine, *quoniam voluisti me,* id est, quod a te electa sum, et tibi complacui, *quoniam non gaudebit inimicus meus super me,* id est, nec visibiles nec invisibiles hostes mei æternaliter exsultabunt de adversitatibus meis, quamvis ad tempus permittas me ab eis affligi. Nam ad minus post hanc vitam cessabit eorum lætitia, et convertetur in æternam tristitiam, sicut et mea temporalis tristitia convertetur, hac vita finita, in æternam lætitiam. In die quoque judicii, quando stabo in magna constantia adversus eos (Sap. v, 1-3.) qui me jam angustiis premunt, ipsi videntes me, turbabuntur timore horribili, gementes præ angustia spiritus. Hinc enim per Isaiam Dominus ait Ecclesiæ electorum : Ad punctum in modico dereliqui te, (Is. liv, 7, 8.) et in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis meæ abscondi parumper faciem meam a te, et in misericordia sempiterna misertus sum tui.

B *Me autem propter innocentiam suscepisti,* 13
id est, exaudisti et approbasti. Elegit enim Christus sibi Ecclesiam gloriosam, non habentem maculam neque rugam, secundum (Ephes. v, 27.) Apostolum. Hanc tamen innocentiam Ecclesia a Christo sortita est : nec ideo electa, quoniam innocens et immaculata ; sed ideo innocens et immaculata, quia electa. *Et confirmasti me in conspectu tuo in æternum,* id est, in fide roborasti me usque in finem sæculi, sicut repromittis : Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus (Matth. xxviii, 20.) usque ad consummationem sæculi. Et alibi : Sponsabo te mihi in sempiternum, et (Osee ii, 19, 20.) sponsabo te mihi in fide. Non enim deficiet Ecclesia Dei in toto, quamdiu duraverit generatio hominum.

Postremo Ecclesia gratias agit Deo, et
ait : *Benedictus Dominus Deus Israel.* Qui 14
versus in præcedenti expositione expositus est.

Ecce psalmus iste pulcherrimus misericordiæ opera vehementer commendat ; et quantæ sint persecutiones justorum, evidenter demonstrat, asserens impios susurrare contra innoxios. Quocirca considerare utile est, quid sit susurratio, et de gravitate hujus peccati. Sciendum ergo, quod susurrator et detractor conveniunt in materia et forma loquendi : uterque enim malum de alio loquitur, et hoc occulte. Sed differunt in fine, quia detractor intendit famam alterius denigrare ; susurrator vero intendit inter amicos discordiam seminare, mutuamque dilectionem exstinguere. Unde in Scriptura habetur : Susur- (Prov. xxvi, 20.)

Digitized by Google

rone subtracto, jurgia conquiescunt. Idcirco susurro non semper intendit malum de alio dicere, sed quidquid putat posse concordiam amicorum destruere. Loquitur enim utrique seorsum quod æstimat unicuique eorum in alio displicere : et ideo susurro et bilinguis idem sunt. Contumeliosus autem intendit honori alterius derogare. Ex quibus patere potest, quod horum vitiorum sit gravius. Peccatum enim, præsertim quod committitur in proximum, dicitur quoniam nocet : quanto ergo peccatum majus nocumentum infert, tanto est gravius. Amicitia vero est majus bonum quam honor aut fama : juxta illud, (*Eccli.* VI, 15.) Amico fideli nulla est comparatio. Honor quoque majus bonum videtur quam fama : propterea susurratio est majus peccatum quam contumelia vel detractio. Contumelia quoque pejor est detractione, et detractio est gravior furto, quoniam majus bonum aufert quam furtum, videlicet bonam famam, quæ major est et appetibilior exterioribus rebus : juxta illud, (*Ibid.* XLI, 15.) Curam habe de bono nomine. Hoc enim plus proderit tibi, quam mille thesauri magni et pretiosi. Furtum tamen ex genere suo est mortale peccatum, quoniam A contrariatur justitiæ. Si ergo furtum est mortale peccatum, et si detractio est gravior furto, et detractione contumelia, atque susurratio pejor quam contumelia, constat quod mortalis atque pestifera sit susurratio. Propter quod in Ecclesiastico habetur : Susurro et bilinguis maledictus; multos enim turbavit pacem habentes. (*Eccli.* XXVIII, 15.) Et iterum : Susurro coinquinat animam suam, et in omnibus odietur; et denotatio pessima super bilinguem. (*Ibid.* XXI, 31; V, 17.) Frequenter autem susurratio et detractio pro eodem sumun- B tur, sicut et in psalmo præsenti. Fugiamus ergo, carissimi, quasi basiliscum et colubrum vitia ista tam venenosa atque mortifera ; discamusque ex psalmo isto misericordiam veram ac patientiam stabilem.

PRECATIO.

Quæsumus, Deus clementiæ, Pater indulgentiæ, qui solus hominum potens es peccata relaxare, nostri, deprecamur, mi- C serere, et animas tibi peccantium sanare dignare : resuscita nos de tumulis vitiorum, et in die mala libera nos propter nomen tuum.

ARTICULUS LXXXII

EXPOSITIO PSALMI QUADRAGESIMI PRIMI : QUEMADMODUM DESIDERAT CERVUS.

ASSIGNATUR insuper psalmo nunc expla- D
1 nando titulus talis : *In finem, intellectus filiis Core :* id est, intellectus iste, in finem seu vitam æternam nos dirigens, competit filiis Core, id est imitatoribus Christi (*Philipp.* I, 23.) crucifixi, qui terrena despiciunt, cupientes dissolvi et esse cum Christo. Hieronymus autem affirmat hunc psalmum a filiis Core, vel potius ab uno eorum ceteris excellentiore, compositum. Unde ipse in translatione sua, juxta Hebræum, talem ponit titulum : In finem, intellectus doctissimi filiorum Core. Augustinus vero qui omnes psalmos a David editos asserit, dicit hunc psalmum adscribi filiis Core propter spiritualem interpretationem, sicut in præcedentis psalmi tituli expositione ostensum est, vel quia cantabatur ab eis in templo.

LOQUENS ergo auctor psalmi hujus in persona ardentis amatoris, qui dicere potest illud, Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo, ait : (*Cant.* [illegible])

Digitized by Google

2 (1) *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus.* O verbum dulcissimum, o sermo ignitus, o scintilla ex divino igne
Deut. IV, 24. emissa! Etenim Deus noster ignis est. Et
Apoc. III, 16. quid dicam ego infelix et tepidus, ac per hoc evomi dignus? Verbum enim jam recitatum, exhortatione eget, non expositione. O vere beatus homo, qui verbum istud veraciter de se ipso dicere potest, cujus anima caritate vulnerata est, qui universum affectum suum in Divinitatis amore pure et immobiliter fixit, ita quod cum
Galat. II, 20. Apostolo dicere queat : Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus. Talis autem nemo esse aut fieri valet, nisi sui ipsius privatum amorem prorsus evulserit, omnesque animæ affectiones sedatas ac ordinatas habuerit, totumque universum velut nihilum spreverit : quatenus soli dulcissimo Deo sincere et affectuosissime inhærere, immergi, inviscerarique
Philipp. III, 8. possit, omnia arbitrans ut stercora, ut Christum lucrifaciat ac Deum possideat. Tanto enim perfectius inhæret affectus uni alicui bono, quanto minus per diversa dispergitur.

Ait ergo : *Quemadmodum desiderat,* etc., id est, sicut cervus ab insequentibus atque venantibus fatigatus, aquarum fluenta ardentissime cupit, et ad ea velocissime currit ; *ita,* o Creator et Deus ac Dominus meus, *anima mea* hujus vitæ miseriis lassa, tentationibus molestata, variisque impedimentis humanæ fragilitatis a tua contemplatione ac dilectione sæpius impedita, *desiderat ad te,* id est, desiderium suum extendit ad te summum atque incommutabile bonum, summe ac unice finaliterque desiderans ad te venire, desiderans te amplecti, tua dulcedine frui, tuam pulchritudinem intueri, tibi inavertibiliter ac beatifice, intime ac proxime uniri desiderans. Tu enim, o Domine sancte, o Deus benedicte, o gloriose Creator, es thesaurus
Matth. VI, 21. meus : idcirco ubi tu es, ibi est cor meum. Tu es totum bonum meum, et tu solus es
Philipp. I, 23. omnia mea ; cupio dissolvi, cupio ingredi
A gaudium Domini mei, cupio cognoscere sicut et cognitus sum. Et quia in hac vita I Cor. XIII, 12.
mortali non queo te perfecte diligere, incessanter laudare, clare agnoscere, atque totaliter honorare ; propterea sicut desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus : non utique principaliter intuitu proprii præmii ac felicitatis, sed amore divini honoris ac bonitatis, quatenus perfecte te diligam, incessabiliter laudem, facie ad faciem vi- Ibidem.
deam, et integraliter venerer. Tu es enim
B bonum æternum et infinitum, in quo est omnium bonorum et pulchrorum et desiderabilium perfecta possessio.

Denique tria sunt quæ nos ad Dei amorem inducere debent. Primum est ipsamet bonitas et caritas Dei, quæ, sicut omnem bonitatem et caritatem creatam in infinitum excedit, ita præ omnibus bonis creatis in infinitum exstat desiderabilis atque amabilis : ideoque debemus Deum in infinitum plus amare, quam nos ipsos aut aliquid bonum creatum, seu omnia simul.
C Secundum est consideratio beneficiorum Dei, videlicet naturalium gratuitorumque donorum. Et ad hanc utramque causam referri potest quod Joannes ait : Carissi- I Joann. IV, 19.
mi, diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos. Tertium est consideratio promissorum Dei, videlicet beatitudinis quam nobis in cœlis promisit ac præparavit, quemadmodum ipse Salvator ait : Vado Joann. XIV, 2, 3.
parare vobis locum ; et assumam vos ad me ipsum, ut ubi sum ego, et vos sitis.

Porro desiderium ex amore procedit :
D nullus enim desiderat nisi quod amat. Amor vero est tam absentium quam præsentium; nam tam viatores quam comprehensores Deum amare dicuntur. Desiderium autem proprie sumptum, est tantum absentium : ideo versus iste proprie Christo nunquam convenit, quoniam anima ejus a sui principio semper Deo præsentialiter fruebatur ; nec comprehensoribus convenit, nisi sumatur desiderium pro amore fastidium excludente, secundum quem modum Petrus in sua Canonica ait,

Digitized by Google

I Petr. I, 12. quod in Christum desiderant angeli pro- A
spicere. In quantum tamen Christus ali-
quo modo viator erat, et corporis sui glo-
rificationem atque in cœlos ascensionem
optavit, sic ei versus iste cum sequentibus
competere potest. Unde et ipse in Evan-
Marc. IX, 18. gelio dicit : O generatio perversa et incre-
dula, quamdiu apud vos ero? quamdiu
patiar vos? In quo palam declarat se de-
siderasse reverti ad Patrem per corporis
glorificationem. Quod etiam ostendit lo-
Joann. XIV, 28. quens discipulis : Si diligeretis me, gau-
deretis utique, quia vado ad Patrem. Et B
Ibid. XVII, 5. iterum loquens ad Patrem : Clarifica (in-
quit) me tu, Pater, apud temetipsum, cla-
ritate quam habui priusquam mundus fi-
eret. Vehementer denique desideravit ad
Patrem, quando in cruce pendens et mo-
Luc. XXIII, 46. riens, dixit : Pater, in manus tuas com-
mendo spiritum meum.

Amor autem est omnium virtutum finis
et vertex ac domina. Propter quod Moyses
Deut. X, 12. scribit : Et nunc, Israel, quid Dominus
Deus tuus petit a te, nisi ut diligas eum, et
servias ei in toto corde tuo et in tota ani- C
ma tua? Propterea amori correspondet præ-
mium essentiale in patria, scilicet visio
Dei. Tanto enim clarius atque jucundius
Deum videbimus, quanto nunc ejus vi-
sionem ardentius desideramus, quoniam
amor viæ desiderium causat. Desiderium
vero patefacit et aperit affectum amantis
ad recipiendum amatum : imo, quid est
desiderium, nisi apertio appetitus, ad rece-
ptionem dilecti disponens? Quam gloriose
ergo, clare ac intime Deum videbit in pa-
tria, qui nunc ad eum ita desiderat sicut D
cervus ad aquarum irrigua! Amemus igitur
et affectuosissime desideremus Deum su-
blimem et sanctum, Patrem luminum, fon-
tem dulcedinis, principium omnis decoris,
in quo est pulchritudo immensa, felicitas
infinita, pax superdulcissima, voluptuosis-
sima vita, interminabilis sapientia, omni-
umque desiderabilium copia sine mensura :
et omnia ista non sunt in eo nisi simpli-
cissimum esse et unitas pura, atque super-
substantialis et superignota subsistentia.

Deinde Propheta convertit sermonem ad
nos, quatenus sui exemplo ad Deum aman-
dum nos provocet, subdens : (2) *Sitivit,* id 3
est, ardenter et calida affectione concu-
pivit, *anima mea ad Deum fortem* et om-
nipotentem, *vivum* et omnis vitæ fontale
principium, a quo est vita naturæ, vita
gratiæ, et vita gloriæ. Cujus fortitudinem
expertus Darius rex, ait : A me constitu- Dan. VI, 26.
tum est, ut omnes timeant Deum Danielis,
quia ipse est Deus vivens. Appellaturque
Deus vivus, ad differentiam eorum qui
putantur dii et immortales, sed corpora
eorum sunt putrefacta, et animæ damna-
tæ, videlicet Jovis, Saturni, Martis, Mercu-
rii. Melius quoque est ut scribatur, Deum
fortem vivum, quam, fontem vivum. Nam
in Hebræo habetur, Fortem vivum. *Quando
veniam* de corpore mortis hujus ad impas-
sibilem statum, de exsilio isto ad regnum,
et de peregrinatione viæ hujus ad patriam?
et apparebo ante faciem Dei, ita ut ip-
se mihi appareat, et se ipsum mihi per
speciem manifestet? Tunc enim satiabor, Ps. XVI, 15.
quum hoc modo apparuerit gloria ejus.
Per faciem enim Dei intelligendus est ipse-
met Deus, ut præsens et agnitus. Hoc modo
sitivit anima Pauli ad Deum, qui clamat :
Infelix ego homo! quis me liberabit de Rom. VII, 24.
corpore mortis hujus? Moyses quoque, qui
ait ad Dominum : Si inveni gratiam in Exod.
conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, XXXIII, 13.
ut sciam te.

(3) *Fuerunt mihi lacrimæ meæ panes* 4
die ac nocte : id est, hoc solum fuit mihi
consolatio, recreatio, atque refectio men-
tis ad Deum sitientis, quod præ desiderio
Dei interim lacrimari et ingemiscere potui
die ac nocte, id est certis temporibus diei
ac noctis. Spes enim quæ differtur, affli- Prov. XIII,
git animam : similiter desiderium cruciat 12.
ardenter amantem donec uniatur dilecto.
Unde qui Deum et patriam vere ac fervide
diligit, non parum affligitur ex mora dila-
tionis : propter quod pallor et macies sunt
signa amoris. Dolor autem interior per ex-
teriores lacrimas mitigatur, quia per fle-
tum afflictio mentis, quæ ante in se clausa

Digitized by Google

fuit, erumpit : sicque minuitur, præsertim quoniam cordis intentio ad plura diffunditur, et ita interior tristitia minoratur. Et ergo lacrimæ panes sunt animæ gemebundæ et amorosæ, eamque dulciter consolantur, abundanter reficiunt, et in gratia Dei pinguem efficiunt. Unde inferius scri-
Ps. LXXIX, 6. ptum est : Cibabis nos pane lacrimarum. Tunc autem fuerunt mihi lacrimæ meæ panes, *dum dicitur mihi quotidie,* ab infidelibus et perversis : *Ubi est Deus tuus,* in quo speras, et quem ita desideras ? quasi dicant : Inanis est fides tua, et vana facta est spes tua. Hoc primitiva Ecclesia dicere potuit, quando persecutores occiderunt et irriserunt fideles, Christique nomen blasphemaverunt, dicentes : Ubi est Christus vester? Juvet et liberet vos modo, si potest.

5 (4) *Hæc,* videlicet dilationem præsentiæ Dei atque irrisiones malorum, *recordatus sum ; et effudi in me animam meam,* id est, ab exterioribus et sensibilibus me ipsum abstraxi, considerationem meam ad interiora mea convertens, et de rebus salutaribus cogitans : sicut Jeremias dicit,
Thren. III, 26, 28. Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei ; et iterum, Sedebit solitarius et tacebit, quia levabit se super se. Itaque, Effudi in me animam meam, quatenus ab exterioribus et inutilibus absolutus, divinis rebus libera mente vacarem : quod facere nequit, qui rerum tumultibus implicatur. Et hoc est quod Dominus ait per
Is. XXX, 15. Prophetam alium : Si revertamini et quiescatis, salvi eritis ; in silentio enim et spe erit fortitudo vestra.

Ideo autem effudi animam meam in me, *quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei,* id est, quia spem habeo, quod hac peregrinatione completa, ingrediar domum non manufactam, æternam in cœlis, videlicet regnum cœleste, cœlum empyreum, quod est tabernaculum Beatorum, ac triumphantem Ecclesiam, quæ est domus Dei. Un-
II Cor. V, 1. de ait Apostolus : Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis

A dissolvatur, quod ædificationem habemus ex Deo, domum non manufactam, æternam in cœlis. Et ad Hebræos : Haben- Hebr. X, 19, 22. tes, inquit, fiduciam in introitu Sanctorum per sanguinem Christi, accedamus cum corde vero in plenitudine fidei, adspersi corda a conscientia mala. Quod vero nunc dixit in psalmo, Tabernaculi admirabilis, construi potest divisim et conjunctim. Nam et cœlum est locus tabernaculi, quod in se mirabile est ; et hoc ipsum tabernaculum, est Admirabilis, id
B est Dei, qui summe mirabilis est : de quo infra habetur, Mirabilis Deus in Sanctis Ps. LXVII, 36. suis. Interim vero, dum scilicet in hoc corpore manere compellor, transibo quotidie in locum tabernaculi hujus per contemplationem et spem : sicut ait Apostolus, Nos autem revelata facie gloriam Domini II Cor. III, 18. speculantes ; et promissiones cœlestes, seu bona tabernaculi hujus admirabilis, a longe adspiciam et salutabo, confiteborque Hebr. XI, 13. quoniam peregrinus et hospes sum super terram ; atque per hoc adimplebo quod
C hortatur divinus et sanctus Apostolus, Fe- Ibid. IV, 11 et 1. stinemus, inquiens, ingredi in illam requiem, ut non existimetur aliquis ex nobis deesse. Hoc modo ingrediebatur quotidie tabernaculum illud cœleste Sponsa, quæ ait Sponso virgineo : Trahe me post te, Cant. I, 3. curremus simul in odorem unguentorum tuorum.

(5) *In voce exsultationis et confessionis, sonus epulantis.* Hoc explanatur dupliciter. Primo de viatoribus, ut sit sensus : *Sonus epulantis,* id est verbum seu sermo
D ejus qui in præsenti gustat et experitur quam dulcis est Dominus, et panem filiorum in mensa Christi manducat, fit *in voce exsultationis,* id est in commemoratione jucunda bonitatis beneficiorumque Dei, *et confessionis,* id est in commemoratione lugubri propriæ ingratitudinis et iniquitatis. Dum enim, secundum exhortationem Apostoli, epulamur non in fermento veteri, id I Cor. V, 8. est in observantiis cærimonialibus legis, neque in fermento malitiæ et nequitiæ, gloriando in malis, et exsultando in rebus Prov. II, 14.

Digitized by Google

pessimis, sed in azymis sinceritatis et veri-
tatis; tunc simul recordari debemus divi-
næ bonitatis et largitatis, nostræ quoque
pravitatis et perversitatis. Sicque contem-
plando Dei misericordiam, prorumpet so-
nus noster in vocem exsultationis, dicendo
Jer. x, 6, 7. illud Jeremiæ : Non est similis tui, Domi-
ne. Magnus es tu, et magnum nomen tuum
in fortitudine. Quis non timebit te, o Rex
gentium ? Contemplando autem nostram
miseriam, prorumpet sonus noster in vo-
Job xiii, 15, 16. cem confessionis, dicendo illud Job : Vias
meas in conspectu ejus arguam, et ipse
erit salvator meus. — Secundo exponitur
sic : *Sonus epulantis,* id est divinam dul-
cedinem in suo fonte gustantis, et Deo fe-
liciter in patria perfruentis, est *in voce*
exsultationis, id est exuberantissimæ hila-
ritatis ex contemplatione Divinitatis, *et con-*
fessionis, id est divinæ laudationis, quem-
Is. li, 3. admodum apud Isaiam dicitur : Gratiarum
actio invenietur in ea et vox laudis.

Quum ergo tanta sint tibi bona promissa
6 atque parata, (6) *Quare tristis es, anima*
mea, sæculari et mala ac inordinata tristi-
tia propter temporales adversitates atque
malitias? *et quare conturbas me,* contur-
batione actum rationis impediente, et ex
superfluarum cogitationum tumultu na-
scente? Est enim quædam inordinata tri-
stitia, quæ in viro justo locum non habet,
Prov. xii, 21. secundum quod Salomon asserit : Non con-
tristabit justum quidquid ei acciderit. Et
Eccli. xxx, 23-25. Ecclesiasticus : Jucunditas cordis, hæc est
vita hominis. Tristitiam vero longe expel-
le a te, quoniam multos occidit tristitia, et
non est utilitas in ea. Et de ista tristitia
intelligendum est quod de Christo ab Isaia
Is. xlii, 4. inducitur : Non erit tristis neque turbu-
lentus. Contra hanc tristitiam ordinatur
patientia, sicut contra iram mansuetudo :
Hebr. x, 36. de qua ait Apostolus, Patientia vobis ne-
cessaria est, ut voluntatem Dei facientes,
reportetis repromissionem. Hæc ergo tri-
stitia, contemplatione et spe futurorum
bonorum penitus exstirpanda consistit, et
de ea potissime psalmus nunc loquitur.
Est autem alia quædam tristitia bona, quæ

A est actus virtutis, procedens ex conside-
ratione propriæ imperfectionis et culpæ,
vel dilatione gloriæ, seu ex contemplatio-
ne errorum ac vitiorum quibus homines
implicantur. De qua tristitia scriptum est :
Cor sapientium ubi tristitia, et cor stulto- *Eccle.* vii, 5.
rum ubi lætitia. Itemque : Per tristitiam *Ibid.* 4.
vultus corrigitur animus delinquentis. Et
ista tristitia fuit in Christo, quemadmo-
dum dictum est ab Evangelista : Contrista- *Marc.* iii, 5.
tus est Jesus super cæcitate cordis eorum.
Et ipse : Tristis est, inquit, anima mea *Matth.* xxvi, 38.
B usque ad mortem. Hæc autem tristitia mo-
deranda est, ne (ut ait Apostolus) absor- *II Cor.* ii, 7.
beatur quis abundantiori tristitia. Talis
enim tristitia quamvis in se bona sit, ta-
men per accidens nocere potest propter
corporalis læsionem naturæ, secundum
quod Salomon profitetur : Animus gaudens *Prov.* xvii, 22.
ætatem floridam facit; spiritus tristis ex-
siccat ossa. Unde quod jam ait, Quare tri-
stis es, anima mea ? de hac quoque tristi-
tia aliqualiter accipi potest.

Deinde datur consilium optimum con-
C tra tristitiam. (7) *Spera in Deo, quoniam*
adhuc confitebor illi : id est, confide quod
per gratiam Dei evades tandem omnes cau-
sas tristitiæ, et confiteberis Domino con-
fessione laudis perfecta atque perpetua.
Quod enim spes expellit tristitiam, liquet
ex eo quod ait Scriptura : Qui timetis Do- *Eccli.* ii, 9.
minum, sperate in illo, et in oblectatio-
nem vobis veniet misericordia. Confitebor
itaque Domino, qui est *salutare vultus mei,*
id est objectum et causa beatitudinis ani-
mæ meæ, tam in præsenti quam in futuro :
D quemadmodum scriptum est, Salus populi *Cf. Is.* xlv, 11.
ego sum, dicit Dominus; et per Osee, Ex- *Osee* xiii, 4.
tra me non est salvator. Qui etiam est *et* 7
Deus meus, a cujus causalitate dependeo,
et cujus providentiæ subdor.

(8) *Ad me ipsum anima mea turbata est :*
id est, ex inordinata conversione mei ad me
ipsum, et ad inferiora ac sensibilia bona,
perturbationem incurrit anima mea. Nam
peccata veram tranquillitatem et pacem
impediunt, confusionemque et perturbati-
onem inducunt. Dum vero ad Deum con-

vertimur, pacem sortimur. Propter quod A
Osee xiv, 2. ab Osee dicitur : Convertere ad Dominum Deum tuum, quoniam corruisti in iniquitate tua.

Propterea memor ero tui de terra Jordanis et Hermoniim. In Josue historia
Josue iii, 16, 17. scribitur, quemadmodum aquæ Jordanis conversæ sunt retrorsum, ambulaveruntque filii Israel per arentem alveum. Hæc autem ambulatio per Jordanem, figuravit intinctionem fidelium in Baptismo, præ-
Matth. iii, 13, 16; Luc. iii, 21. sertim quum Christus legatur in Jordane baptizatus. Est itaque sensus : Memor ero B tui de terra Jordanis et Hermoniim, id est de mirabilibus, seu propter mirabilia quæ fecisti in terra seu in fundo Jordanis, et in terra Hermoniim, quæ sita est juxta Jordanem, et nomen accepit ab Hermon monte parvo juxta Jordanem locato. Memor, inquam, ero tui, recordando videlicet miraculorum quæ tempore filiorum Israel in hac terra fecisti. Et maxime decet nos memores esse Domini Jesu de terra Jordanis, id est propter opera ejus in Jordane : quatenus recordemur illius ineffabilis C dignationis atque incomprehensibilis humilitatis, qua ipse Rex gloriæ, Sanctus Sanctorum, et Deus incarnatus, inter ceteros
Matth. iii, 13. peccatores venit ad Joannem in Jordanem, ut baptizaretur ab eo; et quomodo illic tactu suæ mundissimæ carnis omnibus aquis vim regenerativam donavit ; qualiter insuper mysterium supersanctæ Trinitatis illic ostensum est, quando Filius apparuit in carne, Spiritus Sanctus in columba, et
Luc. iii, 21. Pater in voce ; et quemadmodum Jesu baptizato, apertum est cœlum, in signum D quod in Baptismo omnia peccata donantur. Vel sic : Memor ero tui de terra Jordanis, id est de fonte Baptismatis, et Hermoniim, id est de abrenuntiatione diaboli seu anathematizatione peccati. Jordanis quippe interpretatur, descensio eorum, Hermoniim autem, anathema. *A monte modico,* id est a cognitione mei ipsius, quam per gratiam mihi dedisti, in qua propriam parvitatem et humilitatem recognosco. Est igitur sensus : Memor ero, o Domine, quantam misericordiam in Baptismo sortitus sum, quomodo ibi Christum indui, virtutes accepi, operibus dæmonis abrenuntiavi, atque altum superbiæ montem deponens, montem modicum me cognovi. Denique de terra Jordanis ita exposita, scilicet de Baptismo, cujus semper reminisci debemus, quatenus innocentiæ vestem illic receptam custodiamus, aut perditam reparemus, scriptum est : In diebus illis erit Zach. xiii, 1.
fons patens domui David et habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris et menstruatæ.

(9) *Abyssus abyssum invocat.* Abyssus di- 8
citur quasi sine fine. Unde et mare propter suam profunditatem, appellatur abyssus. Quid autem in rebus creatis tam sine fine, sicut ignorantia nostra, sicut miseria nostra, sicut malitia nostra ? Quid autem in Deo tam sine fine, sicut sapientia ejus cujus non est numerus, sicut misericordia Ps. cxlvi, 5.
ejus cujus nullus est terminus, sicut bonitas ejus cujus nullus est finis ? Est igitur sensus : Abyssus nostræ cæcitatis et ignorantiæ invocat, Domine Deus, abyssum tuæ sapientiæ, dicens, Illustra faciem Ps. xxx, 17.
tuam super servum tuum. Abyssus quoque nostræ miseriæ et indigentiæ invocat abyssum tuæ misericordiæ et sufficientiæ. Postremo, abyssus nostræ pravitatis invocat seu exorat abyssum tuæ bonitatis. Et hoc, *in voce cataractarum tuarum,* id est in sermone et documentis sacræ Scripturæ, quæ est vox cataractarum tuarum, id est doctrix ac nuntius tuæ bonitatis, misericordiæ et caritatis. In sacra enim Scriptura discimus, quam pius sit Dominus, quam pronus ad indulgendum, quam liberalis et bonus ad dandum, et quam amorosus ad opera manuum suarum, præsertim ad rationalem creaturam. Ex hac autem notitia incitamur ad implorationem misericordiæ Dei ; sicque abyssus orat abyssum, dicens illud Danielis : Propter temetipsum, Deus meus, Dan. ix, 17, 18.
inclina aurem tuam, et audi ; neque enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Porro cataractæ

Digitized by Google

proprie nominantur aquæductus aquarum seu ostia fluviorum, et fenestræ seu nubes, ex quibus pluvia oritur. Unde in Genesi
Gen. vii, 11. legitur, quando inundavit diluvium : Rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, et cataractæ cœli apertæ sunt. Et apud Mala-
Malach. iii, 10. chiam Dominus ait : Inferte omnem decimam in horreum meum, et sit cibus in domo mea ; et probate me super hoc, si non aperuero vobis cataractas cœli, et dedero vobis pluviam. Quum ergo sapientia et misericordia, seu bonitas atque potentia Dei, sint maxime principia omnium emanationum Dei ad extra (nam in scire, posse et velle, est unumquodque perfectum ad operandum, secundum Platonem); idcirco sapientia, bonitas et potentia Dei, dici possunt cataractæ ipsius, quia ex eis causantur et fluunt dona divina, sicut ex aquæductu oritur aqua.

(10) *Omnia excelsa tua,* id est alta et inscrutabilia judicia tua, *et fluctus tui,* id est pœnæ ac tribulationes reprobis præparatæ, vel justos in hoc sæculo expurgantes, *super me transierunt,* id est, in consideratione animæ meæ fuerunt, ejusque aciem reverberaverunt et superaverunt, quia in contemplatione judiciorum tuorum deficio, et pœnas inferni satis formidare non valeo. De pœnis quoque præsentibus, nescio an sint futurarum pœnarum exordia, an potius vitiorum meorum remedia : eo quod
Eccle. ix, 2. scriptum sit, Omnia in futurum reservantur incerta, quoniam universa æque eveniunt justo et impio, mundo et immundo.

9 (11) *In die mandavit Dominus misericordiam suam :* id est, in tempore prosperitatis, gratiæ atque lætitiæ, præcipit Deus omnia bona suæ pietati adscribi : quate-
II Cor. x, 17. nus qui gloriatur, in Domino glorietur ; et qui proficit, Deo profectum suum attri-
Ibid. iii, 5. buat, quoniam omnis sufficientia nostra ex Deo est ; et qui peccatorum indulgentiam recipit, non suo labori, sed Deo gratias referat, secundum quod Dominus per
Is. xliii, 25. Isaiam dicit, Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me. *Et nocte canticum ejus :* id est, tempore adversitatis et affli- A ctionis, suspensionisque gratiæ ac consolationis divinæ, mandat Deus canticum suum, id est humilem gratiarum actionem, et patientiam, ac divini nominis benedictionem : quatenus nec in prosperis, nec in adversis a Deo recedat cor nostrum, sed impleat illud Osee, Misericordiam et judi- *Osee* xii, 6.
cium custodi, et spera in Deo tuo semper. Hoc canticum cantavit Job Domino, in tenebrosissima illa nocte suæ incomparabilis tribulationis, dum dixit : Dominus *Job* i, 21.
dedit, Dominus abstulit ; sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini be- B nedictum. Et alibi : Etiam si occiderit me, *Ibid.* xiii, 15.
in ipso sperabo. Tobias quoque, de quo scriptum est : Non est Tobias contristatus *Tob.* ii, 13, 14.
contra Deum, quod plaga cæcitatis evenerit ei, sed immobilis in Dei timore permansit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ suæ. Propter quod ipsemet ait : Be- *Ibid.* xi, 17.
nedico te, Domine, Deus Israel, quoniam tu castigasti me. Nos ergo studeamus Sanctorum sequi vestigia, et in afflictionibus gloriari, pensantes illud Apostoli : Sicut *II Cor.* i, 5, 7.
C abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra. Scitote enim quoniam sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis.

(12) *Apud me oratio Deo vitæ meæ :* id est, in corde meo, non vago, sed in se ipso collecto, est oratio quam offero Deo, qui est principium totius vitæ meæ tam naturalis quam meritoriæ. Non enim corde a se ipso diviso et vago, sed interna et
stabili mente exorandus est Deus. *Dicam* 10
Deo, cum magna fiducia : *Susceptor meus* D *es,* qui me deficientem sustentas, cadentem erigis, orantem exaudis, stantem conservas, atque ad viscera misericordiæ tuæ confugientem paterna ac dulcissima pietate amplecteris, sicut in Evangelio testaris : Eum qui venit ad me non ejiciam *Joann.* vi, 37.
foras. Et apud Jeremiam : Convertimini ad me, et sanabo aversiones vestras. *Jer.* iii, 22.
Quum ergo sit ita, (13) *Quare,* o Domine, *oblitus es mei ?* id est, cur differs succurrere, et ita te habes circa me, quasi oblitus esses inopiæ meæ ? *et quare tristis*

Digitized by Google

incedo, id est dolens et sine consolatione,
dum affligit me inimicus, id est, dum me
persequitur mundus, stimulat caro, et ten-
11 tat diabolus? (11) *Dum confringuntur ossa
mea,* id est, dum corporaliter conteror,
premor, vel occidor, aut spiritualiter vin-
cor, et gratiam atque virtutes, quæ sunt
ossa animæ, perdo, *exprobraverunt mihi,*
et insultaverunt ac irriserunt, *qui tribu-
lant me inimici mei,* videlicet tyranni, seu
dæmones, hæretici et perversi. Hi enim ex
odio gaudent de adversitate justorum. Hos
versus dicamus ad Dominum, quando gra-
ves tentationes et magnæ tristitiæ irruunt
Jonæ II, 8, 7. super nos, quemadmodum Jonas ait: Quum
angustiaretur in me spiritus meus, Domi-
ni recordatus sum. Sublevabis de corru-
ptione vitam meam, Domine Deus meus.
(15) *Dum dicunt mihi per singulos dies,
Ubi est Deus tuus?* Hoc est quod superius
dictum est atque expositum: Fuerunt mi-
hi lacrimæ meæ panes die ac nocte, dum
dicitur mihi quotidie, Ubi est Deus tuus?
12 *Quare tristis es, anima mea? et quare
conturbas me?* quasi dicat: Propter illo-
rum exprobrationem et persecutionem ac
irrisionem non debes tristari ac conturba-
ri, sed patienter et æquanimiter ferre, at-
que in adversis gaudere, perpendendo illud
Is. LI, 7, 12. Isaiæ: Nolite timere opprobrium homi-
num et blasphemias eorum. Quis es tu, ut
timeas ab homine mortali, et a filio homi-
nis, qui quasi fœnum arescit? Illud quo-
II Cor. IV, 8, 10, 11. que Apostoli: In omnibus tribulationem
patimur, sed non angustiamur; semper
mortificationem Jesu in corpore nostro
circumferentes, ut et vita Jesu manifeste-
tur in carne nostra mortali. (16) *Spera in
Deo,* etc. Versus iste jam satis elucidatus
videtur.

Ecce quam gloriosum et sacratissimum
psalmum audivimus: et nonne utique
ferro et lapide durior est, qui psalmum
istum dulcissimum sine affectu pronun-
tiat? Obsecro te, Domine Deus, amator
æternus et ignis innocue ardens, ut quo-
ties primum versum psalmi istius profe-
ro, toties tuæ dilectionis flamma animam
A meam vehementer accendat, ita ut totum
hunc psalmum affectuosissime cantem.

DENIQUE psalmus iste singulariter appli-
cari potest sacerdotibus celebraturis, imo
et omnibus communicaturis. Debet enim
Christi sacerdos cum magno cordis fervo-
re ad superdignissimum Sacramentum al-
taris consecrandum, tractandum, offeren-
dum, et manducandum anhelare, sitire, ac
festinare. Dicat ergo devotissimus Christi
sacerdos mox celebraturus: *Quemadmo-* 2
B *dum desiderat cervus ad fontes aquarum,
ita desiderat anima mea ad te, Deus:* ad
te, Domine Jesu Christe, qui es verus Deus
et vita æterna, cujus caro vere est cibus, Joann. VI, 56.
et sanguis vere est potus, qui in hostia sa-
cra vere et essentialiter contineris, adora-
ris ac sumeris, Deus et homo. *Sitivit ani-* 3
ma mea ad Deum fortem vivum, id est ad
Christum, qui est virtus et sapientia Pa-
tris. *Quando veniam* ad altare? *et appa-
rebo* ibi *ante faciem Dei,* id est coram Pa-
tre æterno, ut in officio Missæ offeram ei
C Filium suum dilectum, et stem ibi tan-
quam mediator Dei ac populi? *Fuerunt* 4
mihi lacrimæ meæ panes die ac nocte.
Debet enim sacerdos, si Dominus dederit,
lacrimas exuberantes et calidas ante cele-
brationem effundere, ex desiderio Christi,
et ex dolore sui peccati.

Hæc, scilicet quod Christum in altari 5
sumpturus sum, *recordatus sum; et effu-
di in me animam meam,* considerando
tam inæstimabilia beneficia Dei, et indi-
gnitatem ac ingratitudinem atque peccata
D animæ meæ; considerando etiam quid of-
feram, cui offeram, et propter quid offe-
ram. Omnia enim hæc consideranda sunt
sacerdoti, non cursorie, sed cum diligen-
tia magna, summoque studio. *Quoniam
transibo in locum tabernaculi admirabi-
lis,* id est in ecclesiam Christi, quæ est
domus Dei. *In voce exsultationis et con-
fessionis, sonus epulantis:* id est, sermo
et omnis locutio sacerdotis in Missa, Chri-
sti corpus et sanguinem dulciter atque fi-
deliter manducantis, debet esse in voce

Digitized by Google

exsultationis, id est in commemoratione A
lætissima beneficiorum mysteriorumque
Christi ac laudis divinæ; et in voce con-
fessionis, ut oret pro sua ac populi igno-
rantia. Hæc namque duo præcipue in Missæ
officio frequentantur. Quoniam ergo tan-
ta bona in celebratione sumpturus sum,
quorum dignitati totus mundus comparari
6 non potest, *Quare tristis es, anima mea? et quare conturbas me?* Merito enim in
tantum gaudere debes de tantis benefici-
is Christi, quod nulla afflictio tempora-
lis possit te contristare. *Spera in Deo,* et B
non in meritis tuis; nec te putes dignam
ad ministeria tam divina, sed spera in bo-
nitate divina, in merito Christi, et ita
procede. Cetera ex his facile patent.

Novissime quoque pensandum, quod cervus senectute gravatus, renovari desiderans, serpentem narium flatu haurit, et extrahit de caverna: quo occiso ac devorato, veneno accensus, ad aquam ardentissime currit, qua hausta, pilos cornuaque deponit. Sic peccator, et præsertim sacerdos, vitiorum veneno infectus, ad Christum fontem æternum fervido appetitu accedere debet, quatenus hauriat aquas *Is. XII, 3.* gratiæ, fluenta misericordiæ, pluviam sapientiæ de fontibus Salvatoris, ac per hoc interius renovetur, quemadmodum dicit Apostolus: Licet is qui foris est, noster *II Cor. IV, 16.* homo corrumpatur, tamen is qui intus est, renovatur de die in diem.

PRECATIO.

Appareat in nobis, Domine, virtus tua, ne desperando pro offensis anima nostra nimia absorbeatur tristitia; sed tranquillitate indulgentiæ tuæ percepta, desideremus quotidie te Deum, sicut cervus ad fontes aquarum.

ARTICULUS LXXXIII

EXPOSITIO PSALMI QUADRAGESIMI SECUNDI: JUDICA ME, DEUS, ET DISCERNE.

HABET autem hic psalmus titulum bre- C
1 vem ac planum, videlicet: *In finem, psalmus David:* id est, psalmus iste in Chri-
stum nos dirigens, convenit viro fideli, a
malis hominibus separari et inter justos
annumerari optanti.

AIT ergo: (1) *Judica me, Deus,* in præsenti sæculo judicio discretionis, ut gratiam mihi infundas; et in futuro judica me judicio beatæ remunerationis, ut gloriam præstes. Itaque, Judica me, id est, secundum justitiam tuam fac mihi, dando D desiderio meo salubrem effectum, ita ut adspicias affectum et studium cordis mei, quomodo quæro te, et tibi soli placere desidero, agens quod in me est. Tu ergo judica me, id est, fac quod ego non possum: et sicut promisisti quærentibus te, quod statim subvenies eis, dummodo fecerint quod in se est, utpote applicando mentes suas, quemadmodum Samuel monet, Præ- *I Reg. VII, 3.* parate corda vestra Domino, et liberabit vos; sic peto, o Domine, ut facias mihi. Non enim sic peto judicari, ut putem me esse sine peccato, aut cupiam examinari a te vitia mea, eo quod dicat Scriptura: Quid *Job XV, 14. 15.* est homo ut immaculatus sit, et justus appareat natus de muliere? Ecce inter sanctos ejus nemo immutabilis, et cœli non sunt mundi in conspectu ejus. Et Salomon ait: Quis potest dicere, Mundum est cor *Prov. XX, 9.* meum, purus sum a peccato? Unde quod dictum est, Judica me, Deus, consequenter exponitur: *et discerne causam meam de gente non sancta,* id est, vitam meam di-

Digitized by Google

stingue et separa a vita malorum, ne si- A
mul cum illis tibi displiceam et condem-
ner; *ab homine iniquo*, manifeste nocente,
et doloso, occulte nocente, *erue me :* imo
erue me a me ipso, qui iniquus dolosus-
que fui, ne sim de cetero qualis eram, sed
muter in alium virum, et vocer a te no-
Is. XLIII, 1, mine alio, ita ut dicas mihi illud, Meus
4. es tu; et, Ego dilexi te.
2 Ideo autem peto erui a te, (2) *Quia tu
es, Deus, fortitudo mea*, id est causa to-
tius fortitudinis meæ; *quare me repulisti*,
differendo auxilium gratiæ tuæ, et permit- B
tendo me repelli ac separari a te per ten-
tationes diaboli, aut alio modo? Hoc est
Ibid. LXIV, quod in Isaia habetur : Ecce, Domine, tu
5, 6. iratus es, et peccavimus, et facti sumus ut
immundi omnes nos. *Et quare tristis in-
cedo, dum affligit me inimicus?* id est, cur
consolatione tua me privas, dum dæmon
aut mundus me tentat et gravat? Hoc au-
tem dicit vir sanctus, non quod sine ratio-
nabili causa aliquid a Deo fieri aut permit-
ti existimet, sed quatenus per amorosam
ac fiducialem querelam, divinæ bonitatis C
misericordiam provocet.
3 (3) *Emitte lucem tuam*, id est, radium
tuæ æternæ increatæque lucis influe ani-
mæ meæ. Hic autem radius est gratia Dei,
quæ est supernaturalis participatio divi-
næ essentiæ. Emitte quoque *et veritatem
tuam :* id est, testimonia Scripturarum
misericordiam tuam petentibus promitten-
tium imple, et vera ostende in me, qua-
Eccli. tenus Apostoli et Prophetæ, qui dicunt
XXXVI, 18. invocantem te non posse perire, fideles in-
veniantur. Itaque, Emitte lucem tuam, id D
est, gratiam ac sapientiæ claritatem mihi
infunde; et veritatem tuam, id est, fac
me misericordiam tuam experiri, sicque
cognoscere veram esse Scripturam, quæ
te misericordem esse pronuntiat. *Ipsa*, vi-
delicet lux gratiæ tuæ, et veritas Scriptu-
rarum, *me deduxerunt* per vias rectas, *et
adduxerunt in montem sanctum tuum*, id
est in militantem Ecclesiam, quia per fi-
dem et gratiam factus sum verus Ecclesiæ
filius; *et in tabernacula tua*, id est in

mansiones cœlestes : de quibus dicis, In *Joann.* XIV,
domo Patris mei mansiones multæ sunt; 2.
et iterum, Facite vobis amicos de mam- *Luc.* XVI, 9.
mona iniquitatis, ut quum defeceritis, re-
cipiant vos in æterna tabernacula. Hæc
autem tabernacula, sunt distinctæ congre-
gationes Sanctorum, quemadmodum Apo-
stolus profitetur : Vos estis templum Dei II *Cor.* VI,
vivi, sicut dicit Dominus : Quoniam inha- 16.
bitabo in illis et inambulabo; et ero illo- *Lev.* XXVI, 12.
rum Deus. Per gratiam autem et veritatem
ac fidem, jam introducti sumus actualiter
seu per rem in Ecclesiam militantem, id
est in societatem fidelium; sed in futura
atque æterna tabernacula introducti non
sumus per ea, nisi per contemplationem
et spem, nondum per rem. Denique hujus
versiculi sensum ponit auctor libri Sa-
pientiæ sub aliis verbis : Mitte, inquit, *Sap.* IX, 10,
illam de cœlis sanctis tuis, ut mecum sit, 11.
et mecum laboret, ut sciam quid acceptum
sit coram te : scit enim illa omnia, et de-
ducet me sobrie.
(4) *Et introibo ad altare Dei*, id est ad 4
Christum Dei ac hominum mediatorem :
per quem et in quo omnia nostra sacrifi-
cia offerre debemus, quatenus per meri-
tum ejus fiant accepta. Super ipsum etiam
omne quod agimus, fundare et collocare
debemus. Unde Apostolus ad Hebræos hor-
tatur : Adeamus cum fiducia ad thronum *Hebr.* IV,
gratiæ ejus, ut misericordiam consequa- 16.
mur, et gratiam inveniamus in auxilio op-
portuno. Vel, Introibo ad altare Dei, quod
est in ecclesia materiali et manufacta,
quatenus sacramenta Christi recipiam, ob-
lationemve faciam; nec subsistam in ipso
altari, sed introibo mentis affectu et debi-
to cultu *ad Deum qui lætificat juventu-
tem meam*, non corporalem et exteriorem,
sed spiritualem ac interiorem, quæ non
veterascit cum corpore, sed indesinenter
virescit per gratiam, donec ad patriam
anima sancta transferatur. Propter quod
jubet Apostolus : Exspoliate vos veterem *Coloss.* III,
hominem cum actibus suis, et induite no- 9, 10.
vum qui renovatur in agnitionem Dei, se-
cundum imaginem ejus qui creavit illum.

Digitized by Google

Hæc ergo juventus, est spiritualis profectus A in gratia Dei. Hanc Deus lætificat, dum anima corde jucundo et fervido Domino servit, dicens quod infra habetur, Viam mandatorum tuorum cucurri, quum dilatasti cor meum. (Ps. cxviii, 32.)

(5) *Confitebor tibi*, id est, laudabo te, *in cithara*, id est in observatione et obedientia mandatorum cœlestium : quæ observatio, dum tribulationibus admiscetur, per citharam designatur, quemadmodum in expositione psalmi tricesimi secundi plenius dictum est, ubi sic legitur : Confitemini Domino in cithara. (Ps. xxxii, 2.) Sic ergo in adversis laudabo te, *Deus, Deus meus. Quare*
5 *tristis es, anima mea ? et quare conturbas me ?* Istud cum versu sequenti, in præcedenti satis expositum arbitror. (Ps. xli, 6, 12.)

Porro hic psalmus sicut præcedens, ad sacerdotes præcipue pertinet : quorum vita tanto debet esse excellentior vita populi, quanto ipsi ad Deum vicinius accedunt, altiorisque gradus consistunt. Sacerdos ergo celebraturus, singularem a Christo gratiam postulans, dicat : Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta (secundum sensum præinductum), B ne impleatur in me quod per Isaiam et Osee prædictum est : Et erit sicut populus, sic sacerdos. (Is. xxiv, 2; Osee iv, 9.)

ARTICULUS LXXXIV

EXPOSITIO ALLEGORICA EJUSDEM PSALMI QUADRAGESIMI SECUNDI DE CHRISTO.

SOLUS denique Christus, omni macula C carens, et omni gratia plenus, tutissime dicere potuit, passioni jam proximus,
1 et in ea consistens : *Judica me, Deus* Trinitas : id est, secundum tuam justitiam et merita vitæ meæ retribue mihi, non derelinquendo animam meam in inferno, nec corpus in sepulcro ; nec sanctos patres, pro quibus mortem patior, diutius esse permittas in limbo ; *et discerne causam meam*, id est, conversationis meæ justitiam, propter quam Judæorum invidia me occidit, divide et distingue loco et præ- D mio, *de gente non sancta* me crucifigente, dando mihi secundum justitiam meam, et ostendendo quod falsa mihi imponunt. *Ab homine iniquo et doloso*, id est a Judæis qui me interdum occulte, et nunc publice persecuti sunt, *erue me*, per resurrectionem
2 beatam. *Quia tu es, Deus, fortitudo mea*, secundum quod homo sum : sic enim non possum a me ipso facere quidquam. (Joann. v, 19.) Nam in quantum sum homo, ab aliis hominibus sola gratia differo. *Quare me repulisti ?* id est, cur me in cruce ita dereliquisti ut clamarem, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me ? (Matth. xxvii, 46.) Quod quomodo intelligendum sit, in expositione psalmi vicesimi primi patuit. (Ps. xxi, 2.) *Et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus ?* Christus enim in nocte Cœnæ, cum discipulis exiens a Jerusalem trans torrentem Cedron, dixit eisdem : Tristis est anima mea usque ad mortem. (Matth. xxvi, 38.) Tunc namque inimicus, id est Judas, eum afflixit, quia ministros Judæorum secum adduxit.

Emitte lucem tuam : id est, clarifica 3
me, sicut et ego clarificavi te manifestando nomen tuum hominibus ; (Joann. xvii, 4-6.) *et veritatem tuam :* id est, sicut per Prophetas dixisti te resuscitaturum me tertio die, sic age, et omnia de me prophetata adimple, mittendo Apostolis Spiritum Sanctum, sicut Joel prædixit, (Joel ii, 28, 29.) convertendo quoque mundum ad fidem. *Ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum*, id est ad thronum gloriæ, ut sedeam tecum ad dexteram tuam, (Ps. cix, 1.) *et in tabernacula tua*,

Digitized by Google

id est in congregationes cœlestium civium, A
Baruch III, 38. ut sicut in terra visus sum, et cum hominibus conversatus sum, ita a Beatis comprehensoribus in cœlis videar, et inter eos lætus recumbam. Per gratiam enim Dei assumpta est Christi humanitas, seu Christus ut homo, ad thronum gloriæ super omnes cœlos, ut veritas Scripturæ imple-
4 retur. *Et introibo ad altare Dei,* id est, aram crucis, in qua me ipsum offeram Patri, ascendam; deinde introibo *ad Deum qui lætificat juventutem meam,* ascenden-
Luc. XXIV, 26. do ad cœlos. Oportuit enim Christum pati, B et ita intrare in gloriam suam. Vel sic : Et introibo ad altare Dei, etc., id est, in ipsum cœlum ingrediar, quod est altare Dei, in quo angeli sancti offerunt Deo preces et vota viatorum, et in quo ego pro mundo rogaturus sum Patrem : quemadmodum
Hebr. IX, 24. ait Apostolus, Non in manufacta sancta Jesus introiit, sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.

Confitebor tibi in cithara, id est in obedientia et patientia, faciendo semper et patiendo quæ tibi sunt placita, *Deus, Deus* C *meus.* Hoc modo Christus confessus est Patri confessione laudis, non culpæ, dum
Matth. XXVI, 42; Luc. XXIII, 46. dixit : Fiat voluntas tua; et iterum, Pater, in manus tuas commendo spiritum
5 meum. *Quare tristis es, anima mea,* tristitia naturali, non inordinata, propter naturalem horrorem pœnarum ac mortis? *et quare conturbas me,* ita ut in agoniam fierem? Quomodo autem turbatio erat in Christo, sæpe dictum est. *Spera in Deo,* in quantum viatrix es atque passibilis, *quoniam adhuc,* scilicet tertia die post passionem, *confitebor illi,* laudando eum coram illis quibus post resurrectionem apparui. Unde superius dictum est : Narrabo nomen tuum Ps. XXI, 23. fratribus meis; in medio Ecclesiæ laudabo te. Itaque confitebor ei, qui est *salutare vultus mei,* id est beatitudo intellectus mei creati, et causa salutis ipsius, *et Deus meus.* Deus enim qui est omnium Deus, singularissimo modo est Deus Christi hominis, secundum quod eum incomparabiliter præelegit, prædilexit, assumpsit, et glorificavit. De hac expositione velociter transeo, quoniam ex præinductis ubertim, faciliter innotescit.

PRECATIO.

Fortitudo nostra, Deus, emitte lucem et veritatem tuam in cordibus nostris : quibus, contemplata dulcedine majestatis tuæ, ad infinita visionis tuæ gaudia, tota mentis intentione festinemus pervenire.

ARTICULUS LXXXV

EXPOSITIO LITTERALIS PSALMI QUADRAGESIMI TERTII : DEUS, AURIBUS NOSTRIS AUDIVIMUS.

1 Titulus denique psalmi istius est : *In* D *finem, filiis Core, ad intellectum.* Hic autem titulus in verbis et sensu idem ac similis est titulo psalmi quadragesimi primi : idcirco ad locum illum lector recurrat. Communiter vero exponunt commentatores hunc psalmum, partim de populo Synagogæ, et partim de populo Ecclesiæ, scilicet de utroque commixtim. Sed satagendum est, ut de utroque populo seorsum atque totaliter exponatur. Litteraliter enim conscriptus est de populo veteris legis; moraliter autem intelligi potest de populo christiano.

Loquens ergo Propheta in persona Synagogæ seu cujuslibet fidelis sub
2 veteri Testamento, ait : (1) *Deus* patrum
Exod. III, 15. nostrorum, qui per Moysen dicis : Hæc dices filiis Israel : Deus patrum nostrorum,

Digitized by Google

Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob
misit me ad vos. Hoc nomen mihi est in
æternum, et hoc est memoriale meum in
generatione et generationem. Itaque, Deus,
auribus nostris audivimus. Uti tali repli-
catione ejusdem, nomine vel re, modus
est linguæ Hebrææ, sicut per Isaiam dici-
Is. vi, 9. tur : Auditu audietis, et non intelligetis.
Ibid. xxiv, 3, 19. Et iterum : Dissipatione dissipabitur terra,
commotione commovebitur terra. Nec talis
modus loquendi superfluus existimetur,
quoniam per ipsum aliquid seriosius ac
diligentius insinuatur. Est igitur sensus :
Deus, auribus nostris, non solum corpo-
ris sed etiam cordis, diligenter audivimus
atque advertimus. Et merito, quoniam *pa-
tres nostri annuntiaverunt nobis,* videli-
cet Moyses, Josue, aliique Prophetæ. Quæ
enim a patribus referuntur, diligenter ad-
vertere decet. Propter quod in Ecclesia-
Eccli. xxxix, 1. stico habetur : Sapientiam omnium anti-
quorum exquiret sapiens, et in Prophetis
Eccle. xii, 11, 12. vacabit. Et in Ecclesiaste : Quæ per magi-
strorum consilium data sunt a pastore uno,
his amplius, fili mi, ne requiras.

Quid autem auditum atque narratum sit,
subdit : (2) *Opus quod operatus es in die-
bus eorum,* id est mirabilia quæ fecisti in
Exod. vii, et seq. terra Ægypti, in mari Rubro, in deserto,
atque in terra promissionis ; *et in diebus
antiquis,* id est mirabilia quæ fecisti a
principio mundi usque ad tempora Abra-
hæ seu Moysis : quomodo scilicet mundo
Gen. vii, xi, xix. impiorum diluvium induxisti, universæ-
que carnis labium confudisti, atque Pen-
tapolim, utpote Sodomam, Gomorrham,
Adama, Seboim, et Segor, igne et sulfure
subvertisti.

3 (3) *Manus tua gentes disperdidit :* id
est, virtus tua omnipotens habitatores ter-
Josue vi, viii, x et seq. ræ promissionis, videlicet Chananæos, Je-
busæos, etc., diversimode perdidit et oc-
cidit, scilicet per lapides grandinum et
manum filiorum Israel ; *et plantasti eos,*
id est, patres nostros in terra promissionis
firmiter radicasti, et habitare fecisti. *Af-
flixisti populos* Chananæorum timore et
desperatione : quoniam sicut in libro Jo-
sue scriptum est, Non remansit in eis spi- Josue v, 1
ritus præ timore, quum audissent filios
Israel transisse Jordanem * ; *et expulisti* * mare Rubrum
eos de terra sua, per mortem et fugam.
(4) *Nec enim in gladio suo possederunt* 4
terram, id est, patres nostri virtute armo-
rum non sunt terram prædictam adepti, *et
brachium eorum non salvavit eos,* id est,
naturalis eorum potentia non eripuit eos
de manibus inimicorum suorum : quoniam
multo debiliores eis fuerunt, pensando
dumtaxat vires humanas. Unde Moyses di-
xit populo Hebræorum : Ne dicas in corde Deut. viii, 17, 18.
tuo : Fortitudo mea et robur manus meæ
hæc omnia mihi præstiterunt ; sed recor-
dare Domini Dei tui, quod ipse tibi vires
præbuerit. Unde subjungitur : (5) *Sed dex-
tera tua,* o Domine, id est prospera et ju-
cunda subventio tua, *et brachium tuum,*
id est potestas tua, *et illuminatio vultus
tui,* id est directio qua per gratiam in-
fudisti eis bona ac recta consilia : hæc,
inquam, salvaverunt eos, *quoniam com-
placuisti in eis :* id est, propter propriam
bonitatem tuam, qua eos elegisti, et eos
tibi placentes fecisti, præstitisti eis hæc
bona, non propter eorum justitiam. Et hoc
est quod Moyses dicit : Ne dicas in corde Ibid. ix, 4, 6.
tuo, Propter justitiam meam introduxit me
Dominus in terram hanc, quum populus
durissimæ cervicis sis.

(6) *Tu,* Deus patrum nostrorum, *es ipse* 5
rex meus, qui singulari providentia guber-
nasti filios Israel, tanquam populum tibi
peculiarem, *et Deus meus,* qui me specia-
liter colis, vitia exstirpando, et gratias in-
fundendo : quem et ego specialiter colo
credendo, sperando, amando, ac ministran-
do ; *qui mandas salutes Jacob,* id est, qui
per Prophetas bona annuntias, victoriam-
que promittis semini Jacob. Unde Moyses
profitetur : Te elegit Dominus Deus tuus, Ibid. vii, 6-8.
ut sis ei populus peculiaris de cunctis po-
pulis qui sunt super terram : non quia
cunctas gentes numero vincebatis, quum
sitis omnibus populis pauciores ; sed quia
dilexit vos Dominus. (7) *In te* sperando, et 6
in tua potentia confidendo, *inimicos no-*

Digitized by Google

stros ventilabimus, id est, in omnem ven-
tum et terram dispergemus, *cornu,* id est
clamore devotæ orationis ac humilis con-
fessionis; *et in nomine tuo* sperando, *sper-
nemus,* id est, non reputabimus neque ti-
mebimus, *insurgentes in nobis :* quoniam
credimus verum esse quod Moyses ait :
Cf. *Lev.* xxvi, 8. Persequetur unus ex vobis centum, et de-
cem ex vobis mille, et nullus vobis resi-
stere poterit. Propter quod secundo Para-
II *Par.* xiv, 11. lipomenon dicitur : Domine, non est apud
te ulla distantia, utrum in paucis auxilie-
ris aut in pluribus.
7 (8) *Non enim in arcu meo sperabo, et
gladius meus non salvabit me :* id est, in
nullo genere armorum aut humani auxilii
ponam spem meam, nec aliquid horum de
hostibus meis defendet me. Hinc enim
Ibidem. scriptum est : Adjuva nos, Domine Deus
noster; in te enim et in nomine tuo ha-
bentes fiduciam, venimus contra hanc mul-
8 titudinem. (9) *Salvasti enim nos de af-
fligentibus nos :* sicut in libro Judicum
frequentissime scribitur; *et odientes nos
confudisti :* id est, eos qui præsumpserunt
quod vincerent atque occiderent nos, vin-
ci et occidi fecisti a nobis, aut in fugam
eos vertisti, aut alio modo confusione
dignos ostendisti. Propter quod in libro
Judic. ii, 18. Judicum scriptum est : Flectebatur Do-
minus misericordia, et audiebat afflicto-
rum gemitus, et liberabat eos de cæde va-
9 stantium. (10) *In Deo laudabimur tota die :*
id est, victoria, salus, et excellentia nostra
Deo assidue adscribetur, et laudabimur de
bonis a Deo nobis collatis : non in nobis,
quasi non acceperimus, sed in Deo, ne va-
ni, superbi, atque ingrati inveniamur; *et
in nomine tuo,* Domine, *confitebimur in
sæculum,* id est, ad honorem et gloriam
nominis tui confitebimur indesinenter tua
bona tuamque laudem, et nostra mala ac
nostram miseriam, quemadmodum apud
Jer. xiii, 15, 16. Jeremiam dicitur : Nolite elevari, sed date
Domino Deo vestro gloriam, antequam
contenebrescat, et antequam offendant pe-
des vestri ad montes caliginosos.
10 (11) *Nunc autem,* o Domine, scilicet tem-

A pore captivitatis Babylonicæ, et Machabæ-
orum, et sæpe post mortem Judicum, *repu-
listi nos,* id est, tuo auxilio privasti nos, *et
confudisti nos,* tradendo nos in manus ini-
micorum nostrorum. Propter quod Baruch
dicit : Domino Deo nostro justitia, nobis *Baruch* i, 15.
confusio faciei, sicut est hodie. *Et non
egredieris* [*Deus*] *in virtutibus nostris,* id
est, non eris dux nostri exercitus, nec pu-
gnans pro nobis, neque ostendens potesta-
tem tuam in nobis, dejiciendo adversarios
nostros, sicut fuisti dux et egressor ac pro-
B pugnator patrum nostrorum, quemadmo-
dum scribitur : In exercitu nostro Deus II *Par.* xiii, 12.
dux est. Et Moyses ait ad Dominum : Si *Exod.* xxxiii, 15, 16.
non tu ipse præcedes nos, ne educas nos
de loco isto. In quo scire poterimus inve-
nisse nos gratiam in conspectu tuo, nisi
ambulaveris nobiscum? (12) *Avertisti nos* 11
retrorsum, id est, in fugam nos converti
permisisti, *post inimicos nostros :* ita quod
convertimus dorsa nostra hostibus nostris,
quemadmodum Josue ait : Mi Domine, *Josue* vii, 8.
quid dicam, videns Israelem hostibus suis
C terga vertentem? Baruch quoque : Facti, *Baruch* ii, 5.
inquit, sumus subtus, et non supra, quia
peccavimus Domino Deo nostro. *Et qui
oderunt nos, diripiebant sibi,* id est, nos
ipsi et possessiones nostræ factæ sunt præ-
dæ inimicorum nostrorum.
(13) *Dedisti nos tanquam oves escarum :* 12
id est, permisisti nos devorari ac opprimi
ab hostibus nostris, quemadmodum oves,
quæ sunt escæ, devorantur a lupis, et ab
hominibus comeduntur : sicut et Isaias
prædixit, Devorabunt, inquiens, Israel to- *Is.* ix, 12.
D to ore. Hoc sæpe in Judæis impletum est,
maxime tamen tempore obsidionis Jerusa-
lem a rege Babylonis, quando in tantum
angustiati sunt, ut Jeremias testetur : Ma- *Thren.* iv, 10.
nus mulierum misericordium coxerunt fi-
lios suos; facti sunt cibus earum. *Et in
gentibus dispersisti nos,* scilicet permittens
nos expelli a propria terra. (14) *Vendidisti* 13
populum tuum sine pretio, id est, tam bo-
no foro eos vendi permisisti, quod pre-
tium illud quasi pro nihilo reputari pos-
sit; *et non fuit multitudo* pecuniæ seu

Digitized by Google

emptorum *in commutationibus,* id est venditionibus *eorum,* sed pauci erant ementes, et modicum pretium respectu eorum qui vendebantur. Propter quod secundo
II *Mach.* v, 14. libro Machabæorum legitur : Erant autem in Jerusalem toto triduo octoginta millia interfecti, quadraginta millia vincti, non minus autem venundati.

14 (15) *Posuisti nos opprobrium vicinis nostris,* id est contemptibiles et abjectos coram circumjacentibus et circummorantibus populis. Posuisti quoque nos *subsannationem et derisum,* id est, subsannari naso rugato ac irrideri ore lato nos permisisti ab *his qui sunt in circuitu nostro,* videlicet a Samaritanis et Moabitis ac Am-
II *Esdr.* iv, 4. monitis. Unde Nehemias ait : Audi, Deus
15 noster, quia facti sumus despectui. (16) *Posuisti nos in similitudinem gentibus,* id est in exemplum maledictionis : nam tantam induxisti super nos afflictionem, ut dum quis voluerit maledicere alteri, dicat : Sic fiat tibi, quemadmodum contigit populo illi ; *commotionem capitis in populis :* id est, ita nos vastari passus es, ut omnis qui audierit, moveat caput suum, vel ex admiratione, vel ex congratulatione seu compassione, sicut per Jeremiam prædixi-
Jer. xxiii, 39, 40. sti : Derelinquam vos et civitatem quam dedi patribus vestris, et dabo vos in opprobrium et ignominiam.

16 (17) *Tota die verecundia mea contra me est :* id est, rubor seu erubescentia qua erubesco propter peccata quæ feci, et pœnas quas patior, incessanter affligit me ; *et confusio faciei meæ,* qua in me ipso confundor, *cooperuit me,* id est, tam magna lataque fuit, quod per modum vestimenti obtexit me, et ex omni parte implevit me : sicut peccatoribus per Ezechielem dicitur,
Ezech. xxxvi, 32. Confundimini et erubescite super viis ve-
I *Mach.* i, 29. stris. Unde scriptum est, Universa domus Jacob induit confusionem, videlicet tempore Antiochi regis, populum Israel affli-
17 gentis. (18) *A voce exprobrantis et obloquentis, a facie inimici et persequentis :* id est, verecundia atque confusio mea inducta est mihi ab his qui exprobrabant detrahe-

A bantque mihi, et ab his qui me persequebantur, videlicet a gentilibus, legem Moysis atque observantias Judaismi spernentibus ac reprobantibus.

(19) *Hæc omnia* mala jam dicta *venerunt* 18
super nos, nec obliti sumus te, recedendo a fide, *et inique non egimus in testamento tuo,* id est, mandata legis divinæ trans-
gressi non sumus. (20) *Et non recessit retro* 19
cor nostrum, derelinquendo te summum et incommutabile bonum, et bona caduca et vana sectando. Sed quum Deus non
B inferat pœnam nisi pro culpa, et præsertim per Moysen atque Prophetas promiserit se ab omni hostili incursu defensurum filios Israel, mirum apparet cur tantas super eos pœnas induxerit, si ipsi tam innocentes ac justi fuerunt. Et respondendum, quod psalmus iste loquitur in persona diversorum. Nunc enim ponit ea quæ bonis conveniunt, nunc vero quæ malis. Quamvis ergo quidam filiorum Israel peccaverunt, pœnasque illatas meruerunt, aliqui tamen in fide et cultu Crea-
C toris stabiles permanserunt, et in horum persona locutus est jam Propheta. Unde
ait Deus ad Eliam : Derelinquam mihi in III *Reg.* xix, 18; *Rom.* xi, 4.
Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal.

Et declinasti semitas nostras a via tua. Hoc dupliciter exponitur. Primo, ut dicatur in persona bonorum ; eritque sensus : *Et declinasti semitas nostras,* id est, per gratiam tuam fecisti ut nos declinaremus et averteremus cogitationes nostras carnales et malas ac vitia *a via tua,* id est a præ-
D ceptis tuis, per quæ itur ad te : ita quod nos abjecimus atque reliquimus proprias
vias, latas et spatiosas, et ingressi sumus *Matth.* vii, 13, 14.
viam tuam, quæ est arcta et angusta, salutisque janua : et ita implevimus illud Ec-
clesiastici, Post concupiscentias tuas non *Eccli.* xviii, 30.
eas, et a voluntate tua avertere ; illud quo-
que Jonæ, Revertatur vir a via sua mala, *Jonæ* iii, 8.
et ab iniquitate quæ est in manibus eorum. Unde de his viis seu semitis humanæ adinventionis apud Isaiam scriptum
est : Omnes nos quasi oves erravimus ; *Is.* liii, 6.

Digitized by Google

unusquisque in viam suam declinavit. — A
Secundo, et (ut videtur) magis ad litte-
ram, exponitur, ut sit dictum in persona
malorum ; et est sensus : *Declinasti semi-
tas nostras,* id est, opera nostra permisisti
esse erronea ac recedentia *a via tua,* id
est a lege divina, gratiam non apponendo,
sicque corda nostra in suis erroribus di-
mittendo. Secundum hunc sensum scri-
Is. LXIII, 17. ptum est : Quare nos errare fecisti de
viis tuis, indurasti cor nostrum ne time-
remus te ?

20 (21) *Quoniam humiliasti nos in loco af-* B
flictionis : id est, in terra captivitatis seu
persecutionis nostræ, subjecisti nos pote-
stati inimicorum nostrorum, qui nos con-
tempserunt ; *et cooperuit nos umbra mor-
tis :* id est, tanta tribulatio, quæ propter
suam vehementiam dici potest imago mor-
tis, morti propinqua ac similis, undique
venit super nos. Unde David vehemen-
I *Reg.* XX, 3. ter tribulatus, ait : Uno tantummodo gra-
du ego et mors dividimur. Tales autem
fuisse interdum tribulationes Judæorum,
ex libris Judicum et Regum ac Machabæ- C
orum clarissime constat.

21 (22) *Si obliti sumus nomen Dei nostri,*
id est, si neglegimus observare divina præ-
cepta, et contemplationem legis divinæ
abjecimus. Negligit enim, imo et ignorat
nomen Dei, qui ejus præceptis non paret,
quemadmodum in epistola Joannis habe-
I *Joann.* II, 3, 4. tur : In hoc scimus quoniam cognovimus
Deum, si mandata ejus observamus. Qui
dicit se nosse Deum, et mandata ejus non
custodit, mendax est. Et de inobedienti-
Tit. I, 16. bus Deo Paulus testatur : Dicunt se nosse D
Deum, factis autem negant. Ideoque alia
Sap. I, 4. ait scriptura : In malevolam animam non
introibit sapientia. *Et si expandimus ma-
nus nostras ad Deum alienum,* id est, si
adoravimus sive coluimus alium quam ve-
rum Deum, si potius servivimus creaturæ
Philipp. III, 19. quam Creatori, si venter noster Deus no-
Job XXXI, 24. ster est, si in auro speravimus, aut obrizo
diximus, Fiducia nostra : quasi dicat, Non.
Omnis enim qui magis colit ac diligit cre-
aturas quam Creatorem, creaturam sibi in
Deum constituit, et manus suas (id est de-
sideria sua) ad Deum alienum extendit.
(23) *Nonne Deus requiret ista ?* imo uti- 22
que. Nam ipse est judex justus, cuncta
discutiens, universa juste disponens, se-
cundum quod sanctus Job asserit : Nonne *Job* XXXI, 4.
Deus considerat viam meam, et omnes
gressus meos dinumerat ? Et denuo : Ve- *Ibid.* IX, 28.
rebar, inquit, omnia opera mea, sciens
quod non parceres delinquenti. *Ipse enim
novit abscondita cordis.* Nam omnia nuda *Hebr.* IV, 13.
et aperta sunt oculis ejus, secundum Apo-
stolum. Propter quod alibi scriptum est :
Si occultabitur vir in absconditis, et ego *Jer.* XXIII, 24.
non videbo eum ? dicit Dominus.

(24) *Quoniam propter te mortificamur
tota die :* id est, nos propter justitiam per-
secutiones continuas patimur, multisque
flagellis atterimur, eo quod fidem ac le-
gem tuam relinquere nolumus ; *æstimati
sumus sicut oves occisionis :* id est, sicut
oves quæ occiduntur, ad nihil utiles æsti-
mantur nisi ut occidantur et manducen-
tur, sic nos ab infidelibus et malignis re-
putati sumus vita indigni. Istud autem
tempore Machabæorum præsertim imple-
tum videtur, quando Antiochus jussit ut I *Mach.* I, 52.
omnes qui legem Moysis observabant, tru-
cidarentur. Unde scriptum est : Parati su- II *Mach.* VII, 2.
mus magis mori, quam patrias Dei leges
prævaricari. Et iterum : Rex mundi Deus *Ibid.* 9.
defunctos nos pro suis legibus, in æternæ
vitæ resurrectione suscitabit.

Postremo orat Propheta pro liberatione
a malis prædictis. (25) *Exsurge,* id est, per 23
modum a sessione surgentis te habe, et
succurre ; *quare obdormis, Domine ?* id
est, cur ab adjutorio cessas, et preces ser-
vorum tuorum audire dissimulas ? *Exsur-
ge,* protinus suffragando, *et ne repellas in
finem,* id est, noli nos diu seu omnino re-
linquere, quamvis ad tempus succurrere
differs. (26) *Quare faciem tuam,* id est 24
pietatis tuæ adspectum atque auxilii gra-
tiam, *avertis,* non statim subveniendo no-
bis ita afflictis, *oblivisceris inopiæ nostræ
et tribulationis nostræ :* id est, ita te ha-
bes, ac si non attenderes paupertatem

Digitized by Google

quam propter te incurrimus, et tribulationem quam propter te patimur? Hoc dicitur, non simpliciter asserendo, quia superius
Ps. xxxiii, 19. dictum est, Juxta est Dominus his qui tribulato sunt corde; sed dolentis animi affectum explicando, pietatisque aures provocando. Juxta quem modum sanctus Job
Job xxx, 20, 21. ait ad Dominum : Clamo ad te, et non exaudis me; sto, et non respicis me : mutatus es mihi in crudelem, et in duritia manus tuæ adversaris mihi. Unde et Habacuc, quasi impatiens factus propter dilationem exau-
Habac. i, 2. ditionis divinæ, ita exorsus est : Usquequo, Domine, clamabo, et non exaudies? vociferabor ad te vim patiens, et non salvabis?
Is. lxiii, 15. Isaias quoque propheta : Multitudo, inquit, viscerum tuorum et miserationum tuarum super me continuerunt se. In tali ergo casu non debemus deficere, nec ab oratione desistere, sed immobiliter credere possibilius esse cœlum et terram perire, quam in Domino confidentem ac perseveranter pulsantem relinqui. Ideo namque
Matth. x, 22; xxiv, 13. Luc. xviii, 1. ait Salvator : Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit; et, Oportet semper orare, et non deficere. Solet enim nonnunquam Deus tam diu differre, ut probet constantiam nostram, atque ut nostra desideria dilatione crescant, ac per hoc gratiam exuberantiorem obtineant. Propter quod Moyses ait : Recordaberis cuncti iti- Deut. viii, 2.
neris per quod adduxit te Dominus Deus tuus, ut affligeret te atque tentaret, et nota fierent quæ versabantur in corde tuo, utrum custodires mandata ejus, an non.

(27) *Quoniam humiliata est in pulvere* 25
anima nostra : id est, nos ipsi humiliavimus nos coram te, projiciendo pulveres ac cineres super capita nostra; *conglutinatus est in terra venter noster :* id est, proni in terram cecidimus, et totum corpus nostrum ad honorem tuæ majestatis prostravimus, quatenus misericordiam consequamur. Sic enim facere tempore necessitatis erat consuetudo Judæorum. Unde dicitur : Josue cecidit pronus in terram coram Do- Josue vii, 6.
mino usque ad vesperam.

Sequitur oratio vere devota et efficax
atque ignita. (28) *Exsurge, Domine, adju-* 26
va nos, quorum præter te nullus est auxiliator, *et redime nos* a malis pœnæ et culpæ, cunctisque periculis, *propter nomen tuum,* id est, propter te ipsum ac propriam bonitatem, atque ad nominis tui honorem, quemadmodum per Ezechielem dixisti : Non propter vos ego faciam, notum sit vobis, sed propter nomen sanctum Ezech. xxxvi, 22, 32.
meum.

ARTICULUS LXXXVI

ELUCIDATIO MORALIS EJUSDEM PSALMI QUADRAGESIMI TERTII

PORRO moraliter convenit psalmus iste Ecclesiæ Christi multipliciter tribulatæ, seu unicuique Christiano afflictionibus mentis seu corporis pleno, et maxime sanctis martyribus. Horum ergo unusquisque pristina beneficia Dei commemorans, propriamque persecutionem coram Deo proponens, atque ab ea liberari desiderans,
2 ait : *Deus,* Dei Unigenite, *auribus nostris*
audivimus : auribus utique cordis, de quibus in Evangelio dicitur, Qui habet aures Luc. viii, 8.
audiendi, audiat. Quas non habent Judæi, quibus Moyses dixit : Vos vidistis universa Deut. xxix, 2, 4.
magnalia quæ coram vobis Dominus fecit; et non dedit Dominus vobis cor intelligens, et oculos videntes, et aures quæ possent audire, usque in præsentem diem. De quibus et Isaias testatur : Incrassatum Is. vi, 10. Matth. xiii, 15.
est cor populi hujus, et auribus graviter audierunt. *Patres nostri,* videlicet sancti

Digitized by Google

Apostoli et Evangelistæ, *annuntiaverunt* A
nobis, sermonibus et scripturis, *opus quod*
operatus es in diebus eorum, id est mira-
cula quæ coram eis fecisti ante passionem
et post passionem, *et in diebus antiquis,*
id est mirabilia quæ fecisti tempore Moy-
Judæ 5. sis. Unde Judas apostolus ait : Jesus popu-
lum salvans de terra Ægypti, secundo eos
qui non crediderunt, perdidit.

3 *Manus tua,* id est potestas tua, o Domi-
ne Jesu omnipotens, *gentes,* id est tyran-
nos et persecutores Ecclesiæ, populumque
Judæorum, qui primitivam Ecclesiam pe- B
nitus exstinguere proponebant : quemad-
Act. IV, 18. modum narratur in Actis, quod principes
sacerdotum præceperunt Apostolis ne om-
nino loquerentur in nomine Jesu. Has ita-
que gentes manus tua *disperdidit,* quoni-
am multi eorum in præsenti vita pessima
morte consumpti sunt, et omnes æternali-
ter perierunt. Sæpe etiam gladio christia-
norum principum gentiles disperdidisti, vi-
delicet Theodosii, Caroli Magni, et Godefridi
* Bullonio de Bolonia*. Unde per Michæam de Christo
Mich. V, 2, 4. prædictum est : Egressus ejus ab initio, C
a diebus æternitatis, et magnificabitur in
medio universæ terræ. Et apud Isaiam Pa-
Is. LIII, 12. ter æternus ait de Christo : Dispertiam ei
plurimos, et fortium dividet spolia. Et Za-
Zach. XIV, 3, 4. charias loquens de Christo : Egredietur,
inquit, Dominus et præliabitur contra gen-
tes, et stabunt pedes ejus super montem
Olivarum. *Et plantasti eos,* scilicet patres
Ps. XLIV, 17. nostros Apostolos, constituendo eos prin-
cipes super omnem terram : sicut in psal-
mo sequenti dicetur. *Afflixisti populos* in-
fideles, secundum modum prædictum, *et* D
expulisti eos. Nam Judæos de terra promis-
sionis ejecisti, et in ea Christianos habita-
re fecisti; multas etiam regiones olim gen-
tilibus subditas, Christianis dedisti.

4 *Nec enim in gladio suo possederunt,*
patres nostri Christi fideles, *terram,* id est
orbem terrarum, quem fidei subjecerunt
et Christianis impleverunt. Apostoli enim
pauci et idiotæ fuerunt, nec humana elo-
I Cor. II, 4. quentia præditi. Unde ait Apostolus : Præ-
dicatio mea non in persuasibilibus huma-
næ sapientiæ verbis fuit, sed in ostensione
spiritus et virtutis. *Et brachium eorum,* id
est naturalis eorum potentia, *non salvavit*
eos de periculis a quibus frequenter sal-
vati sunt. Nam quum Apostoli in custodia *Act.* V, 18, 19.
positi essent, angelus eos eduxit. Paulum
quoque tertio naufragantem Christus de *Ibid.* XXVII, 44.
pelago liberavit ; Joannem ex ferventis
olei dolio sanum eripuit.

Sed dextera tua, id est pia custodia tua,
et brachium tuum, id est operatio miracu-
lorum, *et illuminatio vultus tui,* id est sa-
pientia quam eis dedisti, præsertim in die
Pentecostes, mittendo eis Spiritum San- *Ibid.* II, 4.
ctum, qui docuit eos omnem veritatem, ac
futurorum præscientiam contulit eis. Per
hæc enim, instituta, aucta et stabilita est
Christi Ecclesia, ita quod Christiani qui
sunt semen et filii Apostolorum, possident
terram, et ab hostibus invisibilibus visibi-
libusque salvantur. Hinc ait Apostolus :
Signa apostolatus mei facta sunt super vos *II Cor.* XII, 12.
in signis et prodigiis et virtutibus. Et ad
Hebræos apertius ait : Quomodo effugie- *Hebr.* II, 3, 4.
mus, si tantam neglexerimus salutem, quæ
in nos confirmata est, contestante Deo si-
gnis et portentis et variis virtutibus et
Spiritus Sancti distributionibus? De illu-
minatione quoque vultus sui super Apo-
stolos Christus prædixit : Ego dabo vobis *Luc.* XXI, 15.
os et sapientiam, cui non poterunt resiste-
re et contradicere omnes adversarii vestri.
Denique de dextera sua, id est gratiosa
sua præsentia ac pia custodia, ait : Ecce *Matth.* XXVIII, 20.
ego vobiscum sum omnibus diebus usque
ad consummationem sæculi.

Per hæc itaque salutem mentis et corpo-
ris Christiani sortiti sunt, *quoniam,* o Chri-
ste, *complacuisti in eis,* sicut in Evange-
lio protestaris : Non vos me elegistis, sed *Joann.* XV, 16.
ego elegi vos. Unde Petrus credentibus
scribit : Vos genus electum, regale sacer- *I Petr.* II, 9.
dotium, gens sancta, populus acquisitio-
nis, ut virtutes annuntietis ejus, qui de
tenebris vos vocavit in admirabile lumen
suum. Ideo Christiani ad fidem Christi ac
interiorem salutem perducti sunt ab exor-
dio prædicationis Apostolorum, quia a Chri-

Digitized by Google

sto electi fuerunt. Hinc namque Paulus A
Act. xvii, 30, 31. Atheniensibus dixit : Tempora prioris ignorantiæ despiciens Deus, nunc annuntiat hominibus ut omnes ubique pœnitentiam agant, eo quod statuit diem in quo judicaturus est orbem in æquitate, in viro
Ephes. iii, 3, 5, 6. quem statuit. Ad Ephesios quoque : Secundum revelationem, inquit, notum mihi factum est sacramentum, quod aliis generationibus non est agnitum sicut nunc revelatum est sanctis Apostolis ejus in spiritu, esse gentes coheredes et concorporales et comparticipes promissionis Dei in Jesu B Christo. Imo in Christo omnes fideles et prædestinati ab æterno electi sunt, quemadmodum Apostolus rursus fassus est :
Ibid. i, 4. Deus elegit nos in Christo ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus. Unde, secundum Augustinum in libro de Prædestinatione Sanctorum, Christus est præclarissimum exemplar et causa prædestinationis omnium electorum.

Quocirca pensandum, quod in prædestinatione duo considerantur, videlicet ipse C actus prædestinantis : sic autem nec Christus, nec aliquid est causa prædestinationis, quoniam prædestinatio sic accepta, est Deus prædestinans, sicut creatio activa est Deus creans. Secundo consideratur in prædestinatione gratia prædestinantis, quæ est prædestinationis effectus. Prædestinatio enim est præparatio gratiæ in præsenti, et gloriæ in futuro : sic vero Christi prædestinatio, est exemplar et causa prædestinationis Sanctorum. Deus enim præordinavit mundum salvare per Christum, et D merito ejus conferre hominibus gratiam.
Ibid. 5, 6 Ideoque Apostolus ait : Deus prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum, secundum propositum voluntatis suæ in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo.
Rom. viii, 29. Et alibi : Quos præscivit, inquit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Denique Christus causam illuminationis humilium assignans, complacentiam voluntatis divinæ pro causa inducit, dicens : Confiteor tibi, Pater, Domine cœli Luc. x. 21 et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Etiam, Pater, quia sic placuit ante te. Unde et Deus ad Moysen apertissime ait : Miserebor cui voluero, et clemens ero in Exod. xxxiii. 19. quem mihi placuerit. Ex quo concludit sacratissimus noster philosophus : Ergo cu- Rom. ix. 18. jus vult miseretur, et quem vult indurat. Hæc autem introducta sunt contra inimicos gratiæ Dei, videlicet contra Pelagianos, et ne aliquis unquam in semetipso gloriari præsumat, sed sciat totum bonum nostrum, id est merita et præmia, esse Dei dona, solaque gratia nos esse salvatos. Ideo enim Apostolus loquitur : Deus qui Ephes. ii. 4, 5, 8, 9. dives est in misericordia, propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos, quum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, cujus gratia estis salvati. Gratia enim salvati estis per fidem : et hoc non ex vobis, Dei enim donum est ; non ex operibus, ne quis glorietur.

Deinde Ecclesia quilibetque fidelis ait :
Tu, Domine Jesu, *es ipse rex meus.* De 5
quo scriptum est : Dominus judex noster, Is. xxxiii. 22. Dominus legifer noster, Dominus rex noster ; ipse veniet et salvabit nos. Et : Sus- Jer. xxiii. 5. citabo David germen justum ; et regnabit rex, et sapiens erit. Et : Ecce rex tuus ve- Zach. ix. 9. niet tibi justus et salvator, ipse pauper et ascendens super asinam. Christus enim Ecclesiam regit, colit, purgat, perficit, atque ad vitam æternam perducit. Unde de Christo alio loco scriptum est : Stabit et pascet Mich. v. 4. in fortitudine Domini ; et convertentur ad eum. Et Dominus per Ezechielem ait : Salvabo gregem meum ; et suscitabo super Ezech. xxxiv, 23-24. eum pastorem unum, qui pascat eum, servum meum David. Ego Dominus ero eis in Deum, et servus meus David princeps eorum. Per David autem, secundum omnes doctores, etiam Hebræorum, intelligitur rex Messias seu Christus. Tu quoque, Domine Jesu Christe, es *et Deus meus.* Tu enim es Unigenitus Dei, Deo Patri consubstantialis, coæqualis et coæternus. Unde Joannes ait :

Digitized by Google

I Joann. v, 20. Simus in Filio Dei Jesu Christo. Hic est A
verus Deus et vita æterna. *Qui mandas*
salutes Jacob, id est, qui gratiam et mise-
ricordiam tuam gratis impendis ac offers
Ecclesiæ, et supplantatoribus vitiorum,
Matth. xi, 28. qui in Evangelio dicis : Venite ad me, om-
nes qui laboratis et onerati estis, et ego
Ibid. vii, 7. reficiam vos. Et iterum : Petite, et accipi-
etis ; quærite, et invenietis ; pulsate, et
aperietur vobis.
6 *In te inimicos nostros,* scilicet dæmo-
nes, *ventilabimus cornu,* superando ten-
tationes eorum per gratiam tuam. Aposto- B
Philipp. iv, 13. lus enim : Omnia, ait, possum in eo qui
me confortat. Christus quoque discipulis
Luc. x, 19. ait : Ecce dedi vobis potestatem super om-
nia dæmonia. Principes etiam Christiano-
rum frequenter Christi virtute visibiles
hostes superaverunt. *Et in nomine tuo*
spernemus insurgentes in nobis, non for-
midando eos qui corpus occidunt, sed im-
Ibid. xii, 4, 5. plendo quod tu ipse dicis : Dico autem
vobis amicis meis, Ne terreamini ab his
qui corpus occidunt, sed eum timete qui
habet potestatem et corpus et animam C
perdere in gehennam ignis. Et rursus :
Ibid. 32. Nolite timere, pusillus grex, quia compla-
cuit Patri vestro dare vobis regnum. Et
Joann. xiv, 27. alibi : Non turbetur cor vestrum neque
formidet. Hoc beatissimi martyres excel-
lentissime impleverunt, qui tyrannos de-
riserunt atque spreverunt. Et de primis
nostris principibus, scilicet de sanctis Apo-
Act. v, 41. stolis, scriptum est : Ibant gaudentes a
conspectu concilii, quoniam digni habiti
sunt pro nomine Domini Jesu Christi con-
Ibid. xxi, 13. tumeliam pati. Et Paulus testatur : Ego D
non solum ligari, sed et mori paratus sum
pro nomine Domini Jesu Christi.
7 *Non enim in arcu meo,* id est in natu-
rali industria aut subtili consilio, aut ad-
8 inventionibus fraudulentis, *sperabo. Sal-*
vasti enim nos de affligentibus nos, id est
de persecutoribus et tyrannis, quia per
mortem corporalem quam nobis intule-
runt, æternam vitam adepti sumus ; *et*
odientes nos confudisti, quia prædictos ad-
versarios fidei atque Ecclesiæ æternaliter
condemnasti. Potest quoque exponi hic
versus de dæmonibus nos tentantibus, et
concupiscentiis malis nos impugnantibus :
contra quos viri sancti continuum bellum
habent, sed in nomine Christi hostibus
omnibus prævalent. *In Deo laudabimur* 9
tota die ; et in nomine tuo confitebimur in
sæculum. Versus iste in præcedenti expo-
sitione satis expositus est. Quod autem Ec-
clesiæ Christi præsertim conveniat, patet
ex eo quod ait Scriptura : Omnes qui cre- Act. ii, 44, 46, 47.
debant, erant pariter, et erant illis omnia
communia ; et sumebant cibum cum ex-
sultatione et simplicitate cordis, et collau-
dabant Deum, habentes gratiam ad omnem
plebem.
Nunc autem : videlicet quando hæreti- 10
ci, schismatici, pagani, tyranni et impii
devastant Ecclesiam orthodoxam, marty-
resque occidunt ; *repulisti,* o Domine Je-
su, id est, populum tuum affligi permisi-
sti ; *et confudisti nos,* permittens nos ab
impiis subsannari ac despici : sicut ait
Apostolus, Spectaculum facti sumus mundo I Cor. iv, 9.
et angelis et hominibus ; *et non egredieris*
in virtutibus nostris, id est, de tribulatio-
nibus pœnaque mortis in præsenti sæculo
non eripies nos. *Avertisti nos retrorsum* 11
post inimicos nostros. Frequenter enim fi-
deles nondum parati ad martyrium, fuge-
runt, et propria loca reliquerunt timore
persecutorum, et captivi ducti sunt, atque
post terga hostium vincti venerunt, ac
trahebantur. *Et qui oderunt nos, diripie-*
bant sibi terras, civitates, et omnia nostra,
quæ reliquimus fugientes seu capti. Tem-
poribus quippe martyrum, diripiebant sibi
tyranni quæcumque martyrum erant. *De-* 12
disti nos tanquam oves escarum : id est,
tam copiose, tamque pro nihilo nos occidi
permisisti, sicut oves mactantur ut man-
ducentur. Implesti enim in nobis, Domine
Jesu, quod in Evangelio prædixisti : Venit Joann. xvi, 2.
hora, ut omnis qui interficit vos, arbitre-
tur obsequium se præstare Deo. Et iterum :
Trademini a parentibus et propinquis et Luc. xxi, 16.
amicis, et morte afficient ex vobis. *Et in*
gentibus dispersisti nos. Usque in hodier-

num diem multi fidelium inter infideles A
morantur sub gravi tributo atque pressura:
quemadmodum inter nos commorantur Ju-
13 dæi. *Vendidisti populum tuum sine pretio.*
Eodem modo et multo amplius contigerunt
frequenter Christianis mala seu pœnæ,
quæ in isto versu ac duobus sequentibus
recitantur, quomodo acciderunt populo
veteris Testamenti : idcirco expositio pa-
tet ex præcedenti expositione.
16 *Tota die verecundia mea contra me est.*
Erubuit enim Ecclesia Christi : vel propter
membra sua infirma, quæ interdum ex B
horrore pœnarum in martyrio defecerunt,
vel fugerunt aut se absconderunt; vel quia
videbat legem Dei sui contemni et concul-
cari. Vel quia Christiani ab omnibus as-
pernabantur velut insensati et magi at-
que phantastici, sicut de eis dicturi sunt
Sap. v, 3-5. infideles in die judicii : Hi sunt quos ali-
quando habuimus in derisum, et in simi-
litudinem improperii; nos insensati, vi-
tam illorum æstimabamus insaniam, et
finem illorum sine honore. Quomodo ergo
computati sunt inter filios Dei, et inter C
Sanctos sors illorum est? Unde et sanctus
Job xii, 4. Job ait : Deridetur justi simplicitas.
18 *Hæc omnia,* tormenta et dura, *venerunt*
super nos, martyres tuos et servos, Domi-
ne Jesu Christe; *nec obliti sumus te,* fi-
dem tuam negando; *et inique non egimus*
in testamento tuo, id est, propter perse-
cutiones nequaquam reliquimus viam ju-
19 stitiæ; *et non recessit retro cor nostrum,*
te derelinquendo, et rebus transitoriis in-
hærendo.

Quoniam propter te, id est amore tuo, et 22
propter spem vitæ æternæ, *mortificamur*
tota die, in labore pœnitentiæ, in jejunio
et fletu et planctu, in vigiliis et castigatio-
nibus mentis et corporis, atque omnimoda
abnegatione propriæ voluntatis, bajulan- *Luc* ix, 23.
do quotidie crucem Christi, et sequendo
vestigia ejus, quemadmodum monet Apo-
stolus : Deponentes omne pondus et cir- *Hebr.* xii,
cumstans nos peccatum, per patientiam 1-3.
curramus ad propositum nobis certamen,
adspicientes in auctorem fidei et consum-
matorem Jesum, ut non fatigemur animis
nostris. *Æstimati sumus sicut oves occisio-*
nis. Hoc et cetera nunc omissa, in præce-
denti expositione satis elucidata videntur.
Hunc autem versiculum allegat Apostolus
tanquam de se ac sibi similibus dictum,
quos nulla adversitas a Dei amore averte-
re potest. Sic nempe inducit : Quis ergo *Rom* viii,
nos separabit a caritate Christi? tribula- 35. 36.
tio? an angustia? an persecutio? an fa-
mes? an gladius? Sicut scriptum est : Quo-
niam propter te mortificamur tota die,
æstimati sumus ut oves occisionis. Et alibi
ait : Quotidie morior propter vestram glo- I *Cor.* xv,
riam, fratres, quam habeo in Christo Jesu 31.
Domino nostro.

PRECATIO.

Quæsumus, omnipotens misericordia, propter delicta nostra ne declines semitas nostras de via tua; sed sic eas juste et pie vivendo teneamus, ut a te mandatas salutes Jacob in æternum obtineamus.

Digitized by Google

INDICES

Digitized by Google

Digitized by Google

LOCA S. SCRIPTURÆ PRÆCIPUA

QUÆ AD ILLUSTRANDUM COMMENTARIUM

AB AUCTORE PASSIM ALLEGANTUR

GENESIS.

I, 1. In principio creavit Deus cœlum et terram, 397D.
— 9. Dixit... Deus : Congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt, in locum unum, et appareat arida, 4C.
VI, 6, 7. Tactus (Deus) dolore cordis intrinsecus, Delebo, inquit, hominem quem creavi, a facie terræ, 79B'.
XV, 1. Ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis, 92A.

EXODI.

XX, 18. Cunctus... populus videbat voces, 104B'.
XXIII, 19. Non coques hœdum in lacte matris suæ, 352D.
XXXIII, 5. Dixit... Dominus ad Moysen : Loquere filiis Israel:... Jam nunc depone ornatum tuum, ut sciam quid faciam tibi, 480D'.
— 13. Si... inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, ut sciam te, 672C'.

LEVITICI.

VI, 13. Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet in altari, 557A'.

NUMERORUM.

XI, 15. Obsecro ut interficias me, et inveniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis, 95A.

DEUTERONOMII.

II, 30. Noluit... Sehon, rex Hesebon, dare nobis (filiis Israel) transitum, quia induraverat Dominus... spiritum ejus, et obfirmaverat cor illius, 50C.
IV, 19. Ne forte elevatis oculis ad cœlum, videas solem et lunam et omnia astra cœli, et errore deceptus adores ea et colas, quæ creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus quæ sub cœlo sunt, 455B'.
XVI, 16, 17. Non apparebit ante Dominum vacuus; sed offeret unusquisque secundum quod habuerit, 576A.
XX, 2-4. Appropinquante... prælio, stabit sacerdos ante aciem, et... loquetur... : Audi, Israel,... nolite metuere..., quia Dominus... in medio vestri est, 361A.
XXX, 20. Ipse (Dominus) est... vita tua et longitudo dierum tuorum, 626B'.
XXXII, 1. Audite, cœli, quæ loquor; audiat terra verba oris mei, 517B.
— 8. Constituit terminos populorum, juxta numerum filiorum Israel, 102C'.

I REGUM.

XVI, 7. Nec juxta intuitum hominis ego judico : homo enim videt... quæ parent, Dominus autem intuetur cor, 37D.

II REGUM.

XII, 11, 12. Ecce ego... tollam uxores tuas... et dabo (eas) proximo tuo, et dormiet cum uxoribus tuis... Tu... fecisti abscondite, ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, et in conspectu solis, 50C.
XIV, 14. Non vult Deus perire animam, sed retractat, cogitans ne penitus pereat qui abjectus est, 652B'.

III REGUM.

VIII, 48, 49. (Si) in terra inimicorum... ad quam captivi ducti fuerint,... oraverint te,

Digitized by Google

contra viam terræ suæ... et templi quod ædificavi, exaudies... orationes eorum, 96 B'.
XVII, 1. Vivit Dominus,... in cujus conspectu sto, 402 C.
XIX, 4. Sufficit mihi, Domine, tolle (quæso) animam meam, 95 A.

I PARALIPOMENON.

XXVIII, 9. Tu..., Salomon, fili mi, scito Deum patris tui, et servito ei corde perfecto et animo voluntario, 330 B, 407 B.

I ESDRÆ.

IX, 6. Deus meus, confundor et erubesco levare faciem meam ad te, quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum, et delicta nostra creverunt usque ad cœlum, 94 C.

II ESDRÆ.

VIII, 10. Ite, comedite pinguia, et bibite mulsum,... quia sanctus dies Domini est, 89 D'.

TOBIÆ.

III, 22. Non... delectaris (Domine) in perditionibus nostris, 29 C.
XII, 13. Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te, 56 B'.

ESTHER.

IX, 17. Quem (diem) constituerunt esse solennem, ut in eo omni tempore deinceps vacarent epulis, gaudio atque conviviis, 89 D'.
XIV, 3. Adjuva me solitariam, et cujus præter te nullus est auxiliator alius, 555 A.

JOB.

III, 3. Pereat dies in qua natus sum, 79 C'.
V, 17, 18. Beatus homo qui corripitur a Deo. Increpationem ergo Domini ne reprobes, quia ipse vulnerat, et medetur; percutit, et manus ejus sanabunt, 57 B'.
VI, 2, 3. Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, et calamitas quam patior, in statera! Quasi arena maris hæc gravior appareret, 18 C.
— 4. Sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum, et terrores Domini militant contra me, 637 D.
XIII, 28. Qui quasi putredo consumendus sum, et quasi vestimentum quod comeditur a tinea, 5 C'.
XXI, 9. Non est virga Dei super illos (impios), 58 D'.
— 12. Tenent tympanum et citharam, et gaudent ad sonitum organi, 600 C'.
— 14. Recede a nobis,... scientiam viarum tuarum nolumus, 624 C'.
XXII, 12, 14. An non cogitas quod Deus excelsior cœlo sit,... nec nostra considerat, et circa cardines cœli perambulat? 455 C'.
XXVII, 2. Vivit Deus qui abstulit judicium meum, 559 B'.
XXXIII, 15, 16. Per somnium in visione nocturna ... aperit aures virorum, 394 C'.
XXXVI, 5. Deus potentes non abjicit, quum et ipse sit potens, 603 B.
— 17. Causa tua quasi impii judicata est, causam judiciumque recipies, 617 A.

PSALMORUM.

II, 7. Ego hodie genui te, 400 C'.
IX, 30. Insidiatur (peccator)... quasi leo in spelunca sua, 11 B.
XII, 1. Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem? 80 B.
XVII, 4. Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero, 93 C.
XVIII, 13. Ab occultis meis munda me (Domine), 97 A'.
XX, 12. Quoniam (perversi) declinaverunt in te mala, 41 A'.
XXI, 7. Ego... sum vermis, 400 C'.
XXIV, 3. Neque irrideant me inimici mei, 24 A.
XXVI, 1. Dominus illuminatio mea ; Dominus protector vitæ meæ, 69 B'.
XXXII, 7. Congregans sicut in utre aquas maris, ponens in thesauris abyssos, 4 C.
— 9. Ipse dixit, et facta sunt, 19 A'.
XXXIII, 19. Juxta est Dominus iis qui tribulato sunt corde, 58 C'.
XL, 2. Beatus qui intelligit super egenum et pauperem; in die mala liberabit eum Dominus, 100 C.
XLIX, 4. Advocabit cœlum desursum et terram discernere populum suum, 276 D.
L, 20. Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion, 94 B'.

Digitized by Google

LII, 6. (Quoniam) Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent; confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos, 54 D'.

LXVIII, 6. Deus, tu scis insipientiam meam, 400 D'.

LXXII, 5-7. In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur. Ideo tenuit eos superbia... Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum; transierunt in affectum cordis, 24 D, 241 C'.

LXXIII, 19. Ne tradas bestiis animas confitentes tibi, 23 D'.

LXXIX, 6. Cibabis nos pane lacrimarum, 673 A.

LXXX, 13. Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis, 57 B.

LXXXIII, 3. Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum, 121 B'.

XCI, 12. Despexit oculus meus inimicos meos, 153 B.

CII, 10. Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates... retribuit nobis, 93 B'.

— 18. Et memores sunt mandatorum ipsius, ad faciendum ea, 88 A.

CIII, 5. Qui fundasti terram super stabilitatem suam; non inclinabitur in sæculum sæculi, 3 B.

— 9. Terminum posuisti quem (aquæ) non transgredientur, 5 A.

— 27. Omnia a te exspectant, ut des illis escam in tempore, 11 A'.

CVIII, 24. Caro mea immutata est propter oleum, 157 C.

CXLIV, 15. Oculi omnium in te sperant, Domine, et tu das escam illorum in tempore opportuno, 11 D.

CXLV, 4. Exibit spiritus ejus, et revertetur in terram suam, 279 A.

CXLVI, 9. Dat (Deus) jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum, 11 C'.

CXLVIII, 5. ... Ipse dixit, et facta sunt, 19 A'.

PROVERBIORUM.

I, 26. Ego... in interitu vestro ridebo, 98 C.

II, 14. Qui lætantur quum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis, 600 C'.

III, 11, 12. Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias, nec deficias quum ab eo corriperis. Quem enim diligit Dominus, corripit; et quasi pater in filio complacet sibi, 57 B', 93 A'.

VIII, 29. (Deus)... appendebat fundamenta terræ, 2 B'.

X, 9. Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter, 467 C'.

XI, 14. Salus. . (est) ubi multa consilia, 405 C'.

XII, 21. Non contristabit justum quidquid ei acciderit, 674 C.

XIII, 3. Qui custodit os suum, custodit animam suam; qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala, 610 B.

XIV, 9. Stultus illudet peccatum, 236 C'.

— 15. Innocens credit omni verbo, 468 C'.

XVI, 1 Hominis est animam præparare, et Domini gubernare linguam, 645 B'.

— 4. Universa propter semetipsum operatus est Dominus, 49 C.

— 7. Quum placuerint Domino viæ hominis, inimicos... ejus convertet ad pacem, 330 C.

XXI, 1. ... Cor regis in manu Domini (est), 88 B.

— 31. Equus paratur ad diem belli, Dominus autem salutem tribuit, 153 A', 281 D', 604 A'.

XXII, 6. Adolescens juxta viam suam, etiam quum senuerit, non recedet ab ea, 87 B'.

— 11. Qui diligit cordis munditiam,... habebit amicum regem, 88 B.

XXV, 2. Gloria Dei est celare verbum, 117 C'.

— 27. Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum; sic qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria, 38 A, 59 C'.

XXVI, 20. Susurrone subtracto, jurgia conquiescent, 669 D'.

XXIX, 2. In multiplicatione justorum lætabitur vulgus; quum impii sumpserint principatum, gemet populus, 191 A.

ECCLESIASTÆ.

III, 14. Non possumus eis quidquam addere nec auferre, quæ fecit Deus ut timeatur, 49 C.

VII, 5. Cor sapientium ubi tristitia est, et cor stultorum ubi lætitia, 674 A'.

— 19. ... Qui timet Deum, nihil negligit, 145 B'.

IX, 2. ... Omnia in futurum servantur incerta, eo quod universa æque eveniant justo et impio.... mundo et immundo, 676 C.

— 3. Hoc est pessimum inter omnia quæ sub sole fiunt, quia eadem cunctis eveniunt; unde et corda filiorum hominum implentur malitia et contemptu in vita sua, 469 C.

— 16. Et dicebam ego meliorem esse sapientiam fortitudine, 279 D.

XI, 1. Mitte panem tuum super transeuntes

Digitized by Google

aquas, quia post tempora multa invenies illum, 577B, 667B.
XI, 3. In quocumque loco ceciderit (lignum), ibi erit, 634B.

CANTICI CANTICORUM.

I, 1, 2. Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis, 474C. 541A.
V, 1. Comedite, amici, et bibite; et inebriamini, carissimi, 591C.
VI, 9. Pulchra ut luna, electa ut sol, 518B'.
VIII, 6. Pone me ut signaculum super cor tuum, 532C'.

SAPIENTIÆ.

I, 11. Os... quod mentitur, occidit animam, 434A'.
— 13. ... Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum, 29C.
III, 8. Judicabunt (justi) nationes, et dominabuntur populis, 421B'.
— 11. Sapientiam... et disciplinam qui abjicit, infelix est, 95C'.
IX, 15. Corpus... quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem, 59C.
XI, 25. Diligis... omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti, 29C'.
XIV, 11. Creaturæ Dei in odium factæ sunt et in tentationem animabus hominum, et in muscipulam pedibus insipientium, 32C'.

ECCLESIASTICI.

I, 27. Timor Domini expellit peccatum, 481C.
II, 11. ... Nullus speravit in Domino, et confusus est, 278B'.
III, 22, 23. Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris; sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, et in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus. Non est enim tibi necessarium, ea quæ abscondita sunt, videre oculis tuis, 38A, 59C'.
— 31. Auris bona audiet cum omni concupiscentia sapientiam, 248D'.
V, 6, 8, 9. Et ne dicas : Miseratio Domini magna est... Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem. Subito... veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te, 441A'.
V, 17. Denotatio pessima super bilinguem, 472A'.
VI, 2. Non te extollas in cogitatione animæ tuæ velut taurus, 533D'.
— 7, 8. Si possides amicum, in tentatione posside eum, et ne facile credas ei. Est enim amicus secundum tempus suum, et non permanebit in die tribulationis, 639D'.
VII, 40. In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis, 646C'.
X, 2. Secundum judicem populi, sic et ministri ejus; et qualis rector est civitatis, tales et inhabitantes in ea, 342A.
XI, 27. In die bonorum ne immemor sis malorum, et in die malorum ne immemor sis bonorum, 595D'.
XV, 3. Aqua sapientiæ salutaris potabit illum, 544D.
XVI, 18, 19. Ecce cœlum et cœli cœlorum, abyssus et universa terra, et quæ in eis sunt, in conspectu illius (Dei) commovebuntur, montes simul et colles, et fundamenta terræ; quum conspexerit illa Deus, tremore concutientur, 5A'.
XVII, 1, 5, 6. Deus creavit de terra hominem... Cor dedit illis excogitandi;... creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum, 10B.
XIX, 26. Ex visu cognoscitur vir, et ab occursu faciei cognoscitur sensatus, 201B'.
XX, 6. Est tacens, non habens sensum loquelæ; et est tacens, sciens tempus aptum, 640D'.
— 7. Homo sapiens tacebit usque ad tempus, lascivus autem et imprudens non servabunt tempus, 645B.
XXI, 28. ... Verba... prudentium statera ponderabuntur, 645C.
XXIII, 1, 3. Domine pater... ne derelinquas me,... et gaudeat super me inimicus meus, 24A.
— 28, 29. ... Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum... Domino enim Deo, antequam crearentur, omnia sunt agnita, 604C.
XXIV, 8. Gyrum cœli circuivi sola, et profundum abyssi penetravi, 602A'.
XXV, 22, 23. Non est caput nequius super caput colubri, et non est ira super iram mulieris, 92B'.
XXVI, 3. Pars bona, mulier bona; in parte timentium Deum dabitur viro pro factis bonis, 109A.

Digitized by Google

XXVII, 6. Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis, 56B'.

XXVIII, 1, 3-5. Qui vindicari vult, a Domino inveniet vindictam... Homo homini reservat iram, et a Deo quærit medelam? In hominem similem sibi non habet misericordiam... : quis exorabit pro delictis illius? 449A'.

— 15. Susurro et bilinguis maledictus; multos enim turbabit pacem habentes, 670A'.

XXX, 11, 12. Non des illi (filio) potestatem in juventute; curva cervicem ejus,... et tunde latera ejus dum infans est, 87B'.

XXXIV, 9. Qui non est tentatus, quid scit? 514B'.

XXXV, 2. Sacrificium salutare est attendere mandatis, 576A.

XLIII, 36. Multa abscondita sunt majora his; pauca enim vidimus operum ejus, 457D.

XLIV, 14. Corpora ipsorum (sanctorum) in pace sepulta sunt, 490D.

XLVIII, 13, 14. (Eliseus)... non pertimuit principem;... et mortuum prophetavit corpus ejus, 393A'.

ISAIÆ.

I, 16. Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, 413A'.

— 24. Heu, (ego Dominus) consolabor super hostibus meis, 98C.

III, 12. Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant, 607C.

VI, 1. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum, 394A.

XII, 3. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, 544A'.

XXIV, 22. Post multos dies visitabuntur (reges terræ), 167B.

XXVI, 8, 9. Nomen tuum et memoriale tuum (Domine), in desiderio animæ. Anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te, 609B.

XXVIII, 9. Quem docebit (Dominus) scientiam?... ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus, 2A.

— 19. Tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui, 56D'.

XXX, 1, 2. Væ, filii desertores, dicit Dominus, ut faceretis consilium, et non ex me; et ordiremini telam, et non per spiritum meum;... et os meum non interrogastis, 38C.

XXX, 15. Si revertamini et quiescatis, salvi eritis; in silentio et in spe erit fortitudo vestra, 673C.

— 18. ... Deus judicii Dominus; beati omnes qui exspectant eum, 460B.

XXXVII, 29. Ponam... circulum in naribus tuis, et frenum in labiis tuis, 26C'.

XL, 7. Vere fœnum est populus, 21B'.

— 26. Levate in excelsum oculos vestros, et videte quis creavit hæc, 49C.

XLII, 4. Non erit tristis neque turbulentus (electus), 674D.

XLIV, 24. Ego sum Dominus faciens omnia, extendens cœlos solus, stabiliens terram, et nullus mecum, 2B'.

XLV, 6, 7. Ego Dominus, et non est alter, formans lucem et creans tenebras, faciens pacem et creans malum, 52D.

— 8. Ego Dominus creavi eum (Christum), 445B.

— 13. Ipse (Cyrus) ædificabit civitatem meam, 219C.

— 24. Ad eum (Christum) venient, et confundentur omnes qui repugnant ei, 509C.

LII, 13. Ecce intelliget servus meus, exaltabitur, et elevabitur, et sublimis erit valde, 445B.

LIII, 4. Nos putavimus eum quasi leprosum et percussum a Deo, 94C.

— 5, 6. ... Disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus,... posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum, 55B, 506B'.

— 8. Propter scelus populi mei percussi eum, 51A.

LIV, 7, 8. Ad punctum in modico dereliqui te, et in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper a te, et in misericordia sempiterna misertus sum tui, 41A.

— 16. Ecce ego creavi fabrum sufflantem in igne prunas, 33A.

LV, 2. Delectabitur in crassitudine anima vestra, 538B'.

— 9. Sicut exaltantur cœli a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ a viis vestris et cogitationes meæ a cogitationibus vestris, 603B.

LVI, 10. Speculatores ejus cæci omnes, nescierunt universi, canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, et amantes somnia, 659D'.

LVII, 20. Impii... quasi mare fervens, quod quiescere non potest, 35A'.

Digitized by Google

LIX, 2. ... Iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum, 405B', 539C.
LXIII, 1. Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? 550C'.
— 2. Quare... rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari? 550D'.
— 15. Ubi est... multitudo viscerum tuorum et miserationum tuarum (Domine)? Super me continuerunt se, 80B.
— 17. Quare errare nos fecisti, Domine, de viis tuis, indurasti cor nostrum, ne timeremus te? 50C.
LXV, 15. Servos suos vocabit (Dominus) nomine alio, 486D.
— 16, 17. ... Oblivioni traditæ sunt angustiæ priores,... et non erunt in memoria priora, 546C'.
LXVI, 3. Qui immolat bovem, quasi qui interficiat virum; qui mactat pecus, quasi qui excerebret canem, 432B, 654A.
— 19. ... Mittam ex eis qui salvati fuerint, ad gentes in mare, in Africam et Lydiam, tendentes sagittam, in Italiam et Græciam, ad insulas longe;... et annuntiabunt gloriam meam gentibus, 518B.
— 23. Erit mensis ex mense, et sabbatum ex sabbato, 647D.

JEREMIÆ.

II, 35. Ecce ego judicio contendam tecum, eo quod dixeris, Non peccavi, 597D'.
III, 3. Frons mulieris meretricis facta est tibi; noluisti erubescere, 552A.
— 16. Non dicent ultra, Arca testamenti Domini; neque ascendet super cor, neque recordabuntur illius,... nec fiet ultra, 337A'.
V, 11, 12. Prævaricatione... prævaricata est in me domus Israel et domus Juda, ait Dominus; negaverunt Dominum, et dixerunt, Non est ipse, 477B.
— 21, 22. Audi, popule stulte, qui non habes cor :... me .. non timebitis... qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum quod non præteribit? 5A, 602C'.
VI, 8. Erudire,... ne forte recedat anima mea a te (Jerusalem), 624D'.
IX, 23, 24. Non glorietur sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis; sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire et nosse me, 19C', 604C'.
X, 19. Dixi, Plane hæc infirmitas mea est, et portabo illam, 637B'.
— 24. Corripe me, Domine, verumtamen in judicio et non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me, 439C, 597A'.
XI, 18, 19. Tu,... Domine, demonstrasti mihi, et cognovi,... ostendisti mihi studia eorum;... et non cognovi quia cogitaverunt super me consilia, dicentes : Mittamus lignum in panem ejus, 665C.
XII, 1, 2. ... Quare via impiorum prosperatur, et bene est omnibus qui prævaricantur?... Plantasti eos (Domine), et... proficiunt, 48B.
XIII, 23. Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, et vos poteritis benefacere, quum didiceritis malum, 624C'.
XIV, 8, 9. ... Quare quasi colonus futurus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum? Quare futurus es velut vir vagus? 656A'.
XV, 15. Tu scis, Domine, recordare mei, et visita me, et tuere me ab his qui persequuntur me, 587B.
XVIII, 6. Numquid sicut figulus... non potero vobis facere, domus Israel?... Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea, 61D.
XX, 9. ... Factus est (sermo Domini) in corde meo, quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis; et defeci, ferre non sustinens, 591D, 609B.
XXVII, 6. ... Insuper et bestias agri dedi ei (Nabuchodonosor), 156C'.
XXX, 9. Servient... David regi suo quem suscitabo eis, 509B'.
— 11. ... Castigabo te (Jacob) in judicio, ut non videaris tibi innoxius, 56D'.
LI, 9. Curavimus Babylonem, et non est sanata, 68A'.

THRENORUM.

IV, 20. Spiritus oris nostri, Christus Dominus, captus est in peccatis nostris, 530D'.

BARUCH.

II, 18. Anima quæ tristis est super magnitudine mali, et incedit curva et infirma,... dat tibi gloriam et justitiam Domino, 610A', 638B'.

Digitized by Google

EZECHIELIS.

III, 26. Linguam tuam adhærere faciam palato tuo, et eris mutus nec quasi vir objurgans, 541 D'.
VI, 9. ... Contrivi cor eorum fornicans et recedens a me, 661 B.
XII, 6, 11. ... Portentum dedi te domui Israel. Dic (filiis Israel) : Ego portentum vestrum, 533 B.
XVI, 42. Auferetur zelus meus a te;... nec irascar amplius, 57 B, 353 C.
XXI, 3. ... Occidam in te justum et impium, 79 A', 85 C'.

DANIELIS.

I, 8. Proposuit... Daniel in corde suo, ne pollueretur de mensa regis, neque de vino potus ejus, 87 D'.
VII, 21. Adspiciebam, et ecce cornu illud faciebat bellum adversus sanctos, et prævalebat eis, 463 B.
— 25. Tradentur (sancti) in manu ejus (Antichristi), usque ad tempus et tempora et dimidium temporis, 464 C.
X, 1. Intelligentia... est opus in visione, 397 A.

OSEE.

II, 6. ... Ecce ego sepiam viam tuam spinis, et sepiam eam maceria, 597 A'.
IV, 14. Non visitabo super filias vestras quum fuerint fornicatæ, 57 B.
V, 1. ... Laqueus facti estis speculationi, et rete expansum super Thabor, 86 B'.
X, 2. Divisum est cor eorum; nunc interibunt, 430 A.
— 10. Juxta desiderium meum corripiam eos, 98 C.
XIII, 9. Perditio tua, Israel; tantummodo in me auxilium tuum, 480 A'.
— 14. Ero mors tua, o mors; morsus tuus ero, inferne, 506 D.
XIV, 3. Omnem aufer iniquitatem;... et reddemus vitulos labiorum nostrorum, 565 A'.

JOEL.

II, 11. ... Multa sunt nimis castra ejus (Domini)... fortia, et facientia verbum ejus, 564 C.

AMOS.

III, 6. Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit? 53 A, 461 D'.
V, 10. Odio habuerunt corripientem,... et loquentem perfecte abominati sunt, 95 B'.
— 25. Numquid hostias et sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis, domus Israel? 654 D.
VIII, 11. Ecce... mittam famem in terram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini, 632 B'.

JONÆ.

III, 10. Misertus est Deus super malitiam quam locutus fuerat ut faceret eis (Ninivitis), et non fecit, 41 A'.

MICHÆÆ.

II, 11. Utinam non essem vir habens spiritum, et mendacium potius loquerer, 646 B.
III, 8. Ego repletus sum fortitudine spiritus Domini, judicio et virtute, ut annuntiem... Israel peccatum suum, 646 A'.
IV, 8. Et tu, turris Gregis nebulosa, 239 D'.
VI, 8. Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te : utique facere judicium, et diligere misericordiam, 601 C'.

NAHUM.

I, 2. Ulciscens Dominus, et habens furorem, 79 B'.
— 9. Non consurget duplex tribulatio, 97 D'.

HABACUC.

I, 13. Mundi sunt oculi tui ne videas malum, et respicere ad iniquitatem non poteris : quare respicis super iniqua agentes, et taces devorante impio justiorem se, 469 D.
— 16. ... Cibus ejus electus, 21 C'.
II, 4. Ecce qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso. Justus autem in fide sua vivet, 601 D.
III, 2. Quum iratus fueris, misericordiæ recordaberis, 96 D.

ZACHARIÆ.

II, 8. Qui... tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei, 356 B'.

Digitized by Google

VII, 11, 12. Noluerunt attendere, et averterunt scapulam recedentem... Cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem, 253 D'.

VIII, 14, 15. Sicut cogitavi ut affligerem vos, quum ad iracundiam provocassent patres vestri me ;... sic conversus cogitavi, in diebus istis, ut benefaciam domui Juda et Jerusalem, 603 A'.

IX, 11. Tu quoque, in sanguine testamenti tui, emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua, 657 C'.

XIII, 1. In die illa erit fons patens domui David et habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris et menstruatæ, 675 A'.

XIV, 7-9. Erit dies una, quæ nota est Domino, non dies neque nox ; et in... die illa... erit Dominus rex super omnem terram, 647 D.

MALACHIÆ.

III, 1, 3. Veniet ad templum suum Dominator quem vos quæritis ;... et sedebit conflans et emundans argentum, et purgabit filios Levi, 558 D'.

IV, 2. Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ, 608 A.

— 5, 6. Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis ; et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum, 479 B'.

I MACHABÆORUM.

XII, 1. Vidit Jonathas quia tempus eum juvat, 517 B'.

II MACHABÆORUM.

VI, 13. ... Multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficii est indicium, 57 A.

XV, 26, 27. Judas..., et qui cum eo erant,... manu quidem pugnantes, sed Dominum cordibus orantes..., 513 D'.

MATTHÆI.

V, 3. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, 505 B.

— 4. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram, 554 B', 629 D.

— 45. Qui (Deus) solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos, 62 C.

VI, 9. ... Sanctificetur nomen tuum, 96 C, 576 C.

XV, 8. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me, 491 C'.

— 16. Adhuc et vos (Apostoli) sine intellectu estis ? 502 A.

XXI, 9. Hosanna filio David ; benedictus qui venit in nomine Domini, 452 C.

XXV, 29. Omni... habenti dabitur et abundabit, 609 D.

MARCI.

XII, 43. Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit, 100 B.

LUCÆ.

I, 43. Unde hoc mihi ut veniat Mater Domini mei ad me ? 397 D.

— 48. ... Beatam me dicent omnes generationes, 663 B'.

— 52. Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles, 577 D'.

VI, 27, 35. Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos ;... et eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos et malos, 62 C.

— 37. Nolite judicare, et non judicabimini, 601 C'.

VIII, 28. Obsecro te (Jesu, Fili Dei), ne me torqueas, 30 B.

IX, 26. ... Qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, quum venerit in majestate sua, 551 D'.

X, 19. Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici, 26 B.

XI, 21. Quum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet, 27 B.

XII, 35. Sint lumbi vestri præcincti et lucernæ ardentes in manibus vestris, 610 A.

XIII, 27. Nescio vos unde sitis, 459 D.

XIV, 15. Beatus qui manducabit panem in regno Dei, 399 C, 547 A.

XVI, 9. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut quum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula, 100 D.

— 25. ... Recepisti bona in vita tua, 54 C', 62 B.

XXI, 19. In patientia vestra possidebitis animas vestras, 449 B'.

Digitized by Google

JOANNIS.

I, 8. Non erat ille lux, 502 B'.
II, 19, 21. Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. Ille... dicebat de templo corporis sui, 471 C.
V, 19, 20. Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem... Pater enim diligit Filium, et omnia demonstrat ei quæ ipse facit, 653 A.
— 22. ... Pater... omne judicium dedit Filio, 419 B'.
— 30. Non possum ego a me ipso facere quidquam, 656 B'.
VIII, 12. Ego sum lux mundi; qui sequitur me, non ambulat in tenebris, 410 A.
— 34. ... Omnis qui facit peccatum, servus est peccati, 36 C'.
IX, 32. A sæculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati, 116 B.
X, 22. Facta sunt... Encænia in Jerosolymis; et hiems erat, 289 C.
— 32. Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo : propter quod eorum opus me lapidatis? 613 D'.
XII, 31, 32. Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum, 26 B.
XIV, 10. Pater... in me manens, ipse facit opera, 653 A.
XVII, 3. Hæc est... vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum, 527 A.
— 5. ... Clarifica me tu, Pater, apud temetipsum, claritate quam habui, priusquam mundus esset, 424 A'.
— 24. Pater, quos dedisti mihi, volo... ut videant claritatem... quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem mundi, 569 B'.

ACTUUM.

II, 23. Hunc (Christum), definito consilio et præscientia Dei traditum... interemistis, 51 B.
III, 18. Deus... quæ prænuntiavit per os omnium Prophetarum pati Christum suum, sic implevit, 51 B.
X, 31. Eleemosynæ tuæ (Corneli) commemoratæ sunt in conspectu Dei, 98 C'.
— 36, 38. Verbum misit Deus filiis Israel, annuntians pacem per Jesum Christum,... qui pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo, 89 A'.

AD ROMANOS.

V, 20. Ubi... abundavit delictum, superabundavit gratia, 408 B.
VII, 23. Video... aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, 490 A.
VIII, 29. ... Quos (bonos) præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, 396 B'.
— 32. ... Proprio Filio suo non pepercit (Deus), sed pro nobis omnibus tradidit illum, 664 A.
— 38, 39. Certus sum..., quia neque mors, neque vita, neque angeli,... neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei, 545 B.
IX, 20, 21. O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, quid me fecisti sic? Annon habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam? 61 C.
XI, 36. ... Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia, 649 B.
XIV, 7. Nemo... nostrum sibi vivit, 575 C'.
XV, 4. Quæcumque... scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus, 313 B.
XVI, 20. Deus... conterat Satanam sub pedibus vestris velociter, 26 A.

I AD CORINTHIOS.

IV, 4. Nihil... mihi conscius sum, 79 C.
IX, 9. ... Numquid de bobus cura est Deo? 11 D'.
XI, 31. Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur, 408 B'.
XII, 7. Unicuique... datur manifestatio Spiritus ad utilitatem, 393 B.
XIV, 20. Nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote, 452 D.
XV, 51. Omnes... resurgemus, sed non omnes immutabimur, 408 C'.

II AD CORINTHIOS.

I, 3, 4. Benedictus Deus,... qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, 355 B.
— 7. ... Sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis, 41 B.

Digitized by Google

I, 8. ... Supra modum gravati sumus, supra virtutem, ita ut tæderet nos... vivere, 79 C', 95 B.
II, 11. Non... ignoramus cogitationes ejus (diaboli), 30 D.
V, 6, 7. ... Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino. Per fidem enim ambulamus, et non per speciem, 651 A.
XI, 14. Ipse... Satanas transfigurat se in angelum lucis, 30 D.

AD GALATAS.

V, 15. ... Si invicem mordetis et comeditis, videte ne ab invicem consumamini, 563 C'.
— 17. Caro... concupiscit adversus spiritum, 59 C.

AD EPHESIOS.

I, 4. ... (Deus) elegit nos in ipso (Christo) ante mundi constitutionem, 688 B.
— 5, 6. Qui (Deus) prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum,... secundum propositum voluntatis suæ in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo, 688 D.
— 17, 18. ... Pater gloriæ det vobis spiritum sapientiæ,... ut sciatis quæ sit spes vocationis ejus, 647 A.
II, 8, 9. Gratia... estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis : Dei enim donum est; non ex operibus, ut ne quis glorietur, 688 B'.
V, 14. Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, 426 B'.
VI, 14. State... succincti lumbos vestros in veritate, 2 A.

AD PHILIPPENSES.

III, 2. Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem, 542 B.

AD COLOSSENSES.

I, 3, 13. Gratias agimus Deo et Patri,... qui... nos... transtulit in regnum Filii dilectionis suæ, 544 C.
— 24. ... Gaudeo in passionibus pro vobis, et adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus quod est Ecclesia. 56 B.

I AD THESSALONICENSES.

IV, 3. Hæc est... voluntas Dei, sanctificatio vestra, 568 C'.
V, 17. Sine intermissione orate, 407 A'.

I AD TIMOTHEUM.

I, 15. ... Jesus venit... peccatores salvos facere, quorum primus ego sum, 79 B.
V, 20. Peccantes coram omnibus argue, ut et ceteri timorem habeant, 244 A.

AD HEBRÆOS.

II, 11, 12. ... Non confunditur fratres eos vocare dicens : Nuntiabo nomen tuum fratribus meis, 537 B.
— 17. ... Debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, 506 C'.
X, 5. Corpus... aptasti mihi, 654 B.
XI, 13, 14. Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed a longe eas adspicientes et salutantes, et confitentes quia peregrini et hospites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere, 92 A.
XII, 8. Quod si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes, ergo adulteri et non filii estis, 57 C', 514 C.

JACOBI.

I, 2. Omne gaudium existimate, fratres mei, quum in tentationes varias incideritis, 57 B'.
III, 8. Linguam... nullus hominum domare potest, 645 A'.
IV, 1. Unde bella et lites in vobis? nonne... ex concupiscentiis vestris? 490 B.

I PETRI.

I, 8, 9. ... Videntes (Jesum)... exsultabitis lætitia inenarrabili et glorificata, reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum (vestrarum), 527 B.
II, 19. Hæc est... gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias patiens injuste, 449 C'.

II PETRI.

II, 19. ... Quum ipsi (iniqui) servi sint corru-

Digitized by Google

ptionis ; a quo enim quis superatus est, hujus et servus est, 36 C'.

I JOANNIS.

I, 5. ... Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ, 501 B.

APOCALYPSIS.

III, 19. Ego, quos amo, arguo et castigo, 98 A.
IV, 8. ... Requiem non habebant, die ac nocte dicentia : Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, 584 B'.
XI, 17. Gratias agimus tibi, Domine Deus omnipotens,... quia accepisti virtutem tuam magnam, et regnasti, 612 C.
XIII, 11. Habebat (Antichristus) cornua duo similia Agni, 464 B.
XVIII, 7. Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum, 592 C'.
XXI, 22. Templum non vidi in ea ; Dominus enim... omnipotens, templum illius est et Agnus, 564 C'.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX ANALYTICUS

A

ABDIAS propheta. Textus quidam ejus explanatur, 52 B.

ABIMELECH, alias Achis, rex Geth, 605 D, quid mystice significet, 606 B.

ABRA, ancilla Judith, cur sic dicta, 154 B.

ABRAHAM, in ignem projectus illæsus evasit, 252 C. — Quare vocatus Abraham, 252 D. — Fide placuit Deo, 277 B'. — *Vide etiam* Judæi auctores.

ABSALON, filius David, quatenus peccaverit uxores patris polluendo, 50 C, A', vel adversus eum rebellando, 422 C. — Spiritualiter, figura fuit Judæ proditoris, 423 D, mundi, 425 D', et Judæorum, 444 D.

ABYSSUS. Sic vocantur mare, 602 A', 675 B', et judicia Dei, quo sensu, 625 A'. — Sic dici possunt miseria hominis et misericordia Dei, 675 B'. — Abyssus, quomodo abyssum invocet, 675 B'.

ACCIPITER, avis, quæ sit, 14 C. — Quotannis de novo plumescit, 16 A', quomodo, 16 B'.

ACHIOR, dux Ammonitarum, quomodo Hebræorum historiam cognoverit, 138 C'. — Verba ejus ad Holophernem, 138 D'. — A Judæis salvatus, 142 A, et adoptatus, 142 A', ad Judaismum transiit, 162 B', quo jure, 162 C'. — Quid mystice, 141 A'.

Achior alius, Tobiæ consobrinus. *Vide* 116 B'.

ACHITOPHEL, consiliarius Absalonis, quid figuret, 444 D.

ADAM et filii Adam, in Scripturis, quid, 428 C.

ADAR mensis, quis, 181 D'. — xivus et xvus dies hujus solennizati sunt, 191 C', et dicti Phurim, quare, 192 B. — *Cf.* Mensis.

ADEPS. Concludere adipem suum, quid sit, 492 D', 496 A'.

ADONAI, nomen Dei, quid significet, 166 D.

ADVENA. Quomodo homo advena sit apud Deum, 650 A', et in terra, 650 D'.

ADVERSA. In adversis probantur amici, 639 D'. — *Cf.* Pœnæ, Tentatio, Tribulatio.

ÆGIDIUS (Romanus) Ord. S. Augustini theologus, perpulchre de Fato tractavit, 67 A'. — *Adde* 299 A'.

ÆGYPTUS. Ibi habitabant plurimi Judæi, 329 A. — Epistola Jerosolymitanorum ad Judæos Ægypti, 329 A, 331 B'. — *Cf.* Ptolemæus.

ÆMULATIO in Scripturis varie sumitur, 628 D.

AER decies subtilior est aqua, centies terra, 2 D'. — In pulmone, calore cordis calefit, 32 D'.

ÆSOPUS fabulator, citatur, 47 D.

AGAR, ancilla Abrahæ, figurat Synagogam, 433 A.

AGATHON (S.) anachoreta, quid de orationis labore senserit, 440 C. (Acta SS. die XXIa Octobris.)

AGGÆUS propheta, in Babylone natus, 220 A, captivorum reditum et civitatis restaurationem promovit, 220 B.

AGNES (Sa) mirabiliter ex igne servata est, 578 C. (Acta SS. die XXIa Januarii.)

ALBERTUS Magnus (de Bollstædt) O. P. theologus celeberrimus, episc. Ratisbonensis, quid de astris doceat, 64 D. — *Adde* 1 C, B', 91 D', etc.

ALCIMUS, de semine Aaron, 374 B, dux Judæorum paganizantium, 373 C, pontifex constituitur, 295 C'. — Crudelis, 296 A, et ambitiosus, 296 B, apud regem non semel accusat Judæos, 296 D, 373 C', 374 C', et Nicanorem, 374 D'. — Ob facinora in templo commissa, 302 D', divinitus percutitur, 303 A.

ALEXANDER (Balas) filius Antiochi Epiphanis, regnum Syriæ invadens, 303 C, multa Jonathæ concedit, 303 D', 307 B'. — Gener Ptolemæi Philometoris factus, 306 A, et a socero dolose expulsus, 307 D, occiditur, 308 C'.

ALEXANDER (Magnus) primus Græcorum monarcha, 268 D, cujus fuerit filius, 267 A'. —

Digitized by Google

In nativitate ejus commota est natura, 194 C'. — Percusso Dario, 267 B', filiam ejus duxit, 268 A, et subactis Indiis, 268 A', ad Orientis fines usque pervenit, 268 C', ubi arbores solis et lunæ vidit, 268 C'. — Quæ ejus potentia, 268 B'. — Superbiam moriens paululum deposuit, 268 D'. Veneno occubuit, 269 A, cum uxore et filio, 269 B. — Quot annis regnaverit et vixerit, 269 B. — Regnum ejus in quatuor partes divisum est, 269 A, C. — Per hircum in Daniele figuratur, 268 D. — Ejus historia seu legenda (anonyma Historia Alexandri Magni, regis Macedoniæ, de præliis) allegatur, 175 B', 269 A.

ALEXANDER de Hales, O. M. theologus, 331 A'.

ALLEGORIA. Quid sit allegoria, 398 B', et sensus allegoricus, 398 C', 409 B. — Psalmis qui ad litteram de Christo tractant, non competit allegorica expositio, 421 A.

ALTARE holocaustorum a Zorobabel ædificatum, 214 B, sed postea Jovis simulacro profanatum, 287 A', a Juda amotum est, 287 D', alio de impolitis lapidibus substituto, 288 B, quod solenniter dedicatum est, 289 A. — In eo jugiter ardebat ignis, 262 C, ligna populo ministrante, quæ Nathinæi parabant, et sacerdotes admovebant, 255 A'.

Altare incensi, seu altare aureum, 271 C, de ligno setim deaurato, 338 D, ubi positum, 288 A'. — A Jeremia, tempore captivitatis absconditum, 337 A, ab Antiocho postea comminutum est, 271 C, B'. — Altare Dei dici potest Christus, 560 D', 679 C', anima fidelis, 561 A, caritas, 557 A'.

AMALECITÆ in viribus confidentes prostrati sunt, 138 A, A'.

AMAN, filius Agag, 181 B, quomodo dicatur Macedo, 204 B. — Superbissimus, 181 C, 185 A', 196 C', callidus, 197 A, et sortilegus, 181 C', ad regnum Persarum videtur adspirasse, 187 A', et cum eunuchis conjurasse, 196 A'. — Numquid reapse divinos honores affectaverit, 181 C, 186 B. — Necem machinatus Judæis, 181 D, et Mardochæo, 185 C', ipse ab Esther accusatus est, 188 C, et proprio patibulo suspensus, 189 A'; insuper, ut reus læsæ majestatis, in sobole punitus est, 190 A. — Ejus superbiam quam sapienter Deus eluserit, 187 D, 189 C'. — Per draconem in somnio Mardochæi figuratur, 194 A, C'.

AMBITIO quanta pariat scelera, 134 D', 296 C. — Nihil veretur, 307 D', nec unquam satiatur, 323 B.

AMBROSIUS (S.), episcopus Mediolanensis, Naboth martyrem vocat, 621 A'. — *Adde* 19 B'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 14-17.)

AMICITIA vera, quæ, 555 B'. Majus est bonum quam honor aut fama, 670 B. — Amici fideles, rari, 574 B; in adversitate probantur, 639 D'. — Amici secreta prodens, quantum peccet, 668 D'.

AMMONITÆ a cœtu Hebræorum in perpetuum arcebantur, 162 C', quare, 260 A. — Holopherni contra Judæos suppetias ferunt, 143 C'; a Juda debellantur, 290 B. — *Adde* Achior *et* Timotheus.

AMOR desiderium parit, 671 D', 672 C. — Quæ ejus signa, 672 D'. — Amor privatus venenum est caritati, 608 B'. — *Plura vide verbo* Caritas.

AMOS propheta, quandonam vixerit, 90 D.

ANAGOGIA. Quid sit anagogia, 398 B', et sensus anagogicus, 399 A.

ANDRONICUS, Antiochi Epiphanis amicus, 347 A, Onia dolose occiso, 347 B, et ipse interficitur, 347 C.

ANGELI, quando creati, 3 A'. — Eorum distinctiones ignorantur, 9 C'. — Quomodo Deo adstare dicantur, 118 D', et quot sic adstent, 118 D'. — Superiores a Deo immediate illuminantur, 550 C', et illuminant inferiores, quomodo, 517 C'. — An incarnationem Christi præcognoverint, 550 B'. — Eorum cognitio diei comparatur, 32 D; verumtamen mysteria Salvatoris penetrare non valent, 551 A. Triplex eorum interrogatio in die Ascensionis, 550 B'. — Ex suis officiis nomina sortiuntur, 118 C'. — Quomodo casu diaboli territi sint, 34 A, et purgati, 34 C. — Eorum cibus, quis, 119 A'. — Materiæ in multis imperant, 119 D', et aliquo modo dici possunt causa fortunæ, 71 B. — Diversimode hominum intellectum illuminant, 68 C', et voluntatem indirecte movent, 67 D'; sed eorum actio sæpe fallitur, 68 D. Quomodo a stellarum influxu differat, 68 B'. — Alii communitatibus, alii privatis hominibus præsunt, 608 D. Preces nostras Deo præsentant, 98 B', 118 A', et pro justis coram eo testificantur, 276 D. Homines regunt virga ferrea, 421 C', dæmonum tentamina refrenantes, 563 D', et multa impedientes peccata, 608 A'. Sæpe etiam eos corporaliter tuentur, 107 D. Sic agendo, præmium merentur, 618 D. — In Scripturis vocantur astra matutina, 3 D', filii Dei, 4 A, castra Dei,

Digitized by Google

165 D, viri, 413 D, animalia, 413 D', cœli, 512 B, 517 C', dies, 517 C', nubes, 501 D', 625 D. — *Cf.* Dæmones, Michael, Raphael.

Quomodo hominibus appareant, 102 C. Terrorem primo incutiunt, 119 B, sed mox expellunt, 119 C. — Corporis assumpti sunt motores tantum, 119 A', et in eo multa figurate agunt, 103 C'. Quomodo tunc manducent, 119 D. — Sic in terra degentes, minime a Deo separantur, 119 C'. — Angeli Heliodorum castigant, 343 A', et exercitum Judæ antecedunt, 365 C', 366 B.

ANIMA materiæ primæ comparatur, 59 A'. — Cur data sit homini, 549 C. — Unica est forma corporis, 357 D, in qua sunt mens et sensitivæ vires. 357 C. — Sigillatim unaquæque producitur, 604 D, et corpori infunditur, quomodo, 357 B. — Quum per seipsam Deum videre nequeat, 627 B, quomodo in cœlo eum visura sit, 627 B. Quomodo cognoscat naturalia, 393 A', et supernaturalia, 429 C'. — Anima vegetabilis astris directe movetur, 64 A', anima vero rationalis, secundum quid, 64 B', et indirecte, 66 D, D'. — Ejus immortalitatem multi gentiles agnoverunt, 197 A. — Quomodo corrumpatur, 480 C, et peccato originali vulnerata sit, 59 C, 450 A. — Ejus desideria a Deo dumtaxat satiari possunt, 497 B', et in visione Dei tota ejus felicitas est, 626 D; verumtamen plena ejus remuneratio absque corpore non fiet, 370 A'. — Quid sint animæ manus, 506 C, pedes, 641 C, ossa, 541 B', 542 C, 594 D, 610 C', 613 A', juventus, 679 D', necessitates, 593 B'. — In Scripturis « unica » vocatur, quare, 542 B', et ventus, 501 D. — Nomine animæ sæpe persona intelligitur, 300 C. — *Cf.* Homo, Intellectus.

Anima fidelis nihil boni absque Deo operari potest, 426 C', et continuo eget ejus consilio, 101 D, 413 A, directione, 101 A', et auxilio, 460 A. Ab eo quibus gradibus dirigatur, 543 D et seq. — Quomodo eum quærere debeat, 607 C', et invenire, 146 A', 528 C', 626 B', ut ab eo illuminetur, 608 A, ei conjungatur, 600 D, in eo exsultet, 600 B', in abscondito faciei ejus abscondatur, 591 B', et ejus dulcedinem gustare queat, 608 B'. Qualiter Deum exaltet, 582 B, ab eo elongetur, vel ad eum appropinquet, 598 A'. — Eam oportet Dei judicia reverenter scrutari, 38 A, secreta prudenter manifestare, 117 B', de ejus perfectionibus lætari, 435 C', et misericordiarum ejus non oblivisci, 582 D'; ut ab omnibus exaltetur, optare, 509 A, cum omni humilitate de eo loqui, 19 C. — Eum in dubiis consulere debet, 38 C, in tribulatione invocare, 431 B, et sustinere, 566 D', ita ut nunquam a spe cadat, 278 B', 567 B, 686 B, ad misericordiam ejus confugere, 120 B', coram eo ambulare, 490 D', præsentiam ejus cogitare semper, 520 B', et sicut ab eo omnia recepit, ita omnia illi referre, 575 C', et semetipsam, 146 C', 576 B. Quomodo eum colere debeat, 330 A, 418 D, 420 D'. — De gratiis Christo collatis gratam se præbeat, 580 B, et delectetur in passionis ejus memoria, 204 C', et contemplatione, 536 A'. Quomodo ab ea passio Christi complenda sit, 56 C. — Pro Ecclesia Dei zelari eam decet, 262 C', illi compati, 280 A, ejusque profectum diligere, 561 C.

Quomodo legem servare possit, 407 A, et in ea jugiter meditari, 407 D; et quæ peccata potissimum vitare debeat, 406 C'. — Ipsi proderit peregrinam in terra se profiteri, 250 A', omnem humanum timorem abjicere, 278 C', a vanis cogitationibus cavere, 413 A', a pravorum consortio, 513 B, et a temeritate, 90 B'; gratiam sibi exhibitam aliis communicare, 599 B, sacram non abscondere doctrinam, 659 C', et laudem non nisi in Deo cupere, 200 C', 607 B. — Ipsi in adversis servanda est patientia, 92 D', 420 C', fiducia, 116 D', 148 C', fervor, 246 C, 426 A, prudentia, 595 D'. Tentationibus quomodo resistere debeat, 513 C'. — Sanctorum munitur exemplis, 280 A', et psalmis eruditur, 412 B'; per contemplationem quotidie ad tabernaculum Dei transire valet, 673 B'. — Noviter conversa, in præsumptionem facile labitur, 583 D, tanto magis sibi placens, quanto minus se cognoscit, 39 A; sed eo plus sibi vilescit quo perfectius Deum norit, 38 C'. Quomodo se electam confidere possit, 489 C', et sine præsumptione Dei judicium invocare, 559 B. — Arbori pulchre comparatur, 407 C', et cervo, 513 D; Jacob et Israel recte dicitur, 481 D', domus Dei, 557 C', et atrium Domini, 576 B'. Ejus sacrificium, quid, 576 C, A'. — Ad eam monita varia, 484 C, 490 D', 516 B', 606 C'.

De anima fideli ad litteram explanantur Psalmi I, 405 B; IV, 427 D; VI, 438 D; VIII, 451 B; IX, 457 C; XI, 471 D'; XXVI, 562 D; XXXII, 600 B; XXXIII, 606 A'; XXXV, 623 D; XXXVI,

Digitized by Google

628B; xxxviii, 644B; xli, 670D'; xlii, 678C. — *Cf.* Justus, Pœnitentia, Purgatorium.

Anima contemplativa. *Vide* Contemplatio.

ANIMALIA magis aguntur quam agunt, 10D. — Aeris dispositiones facile deprehendunt, 10C. — Quomodo dicantur ad Deum clamare, 11C, vel Christo subjecta esse, 454C. — De his curat Deus, 626A. — Licite occidi et manducari possunt, 455C'. — Quid significent « bestiæ agri », 23C', et « pecora campi », 454D, A'. — *Cf.* Asinus, Bos, Canis, etc.

ANNA, uxor Tobiæ, 92C, bona licet et fidelis, 92D, virum objurgat, 92A'. — Quantum filium dilexerit, 113D, 115D.

ANSELMUS (S.) archiepisc. Cantuariensis, de misericordia Dei pulcherrime tractat, 554B. — Ab auctore approbatur, 480A. — *Adde* 54A', 511D. (Migne *Patrol. lat.* tom. 158, 159.)

ANTICHRISTUS a Deo suscitabitur, quomodo, 461D'. — Pessimus erit homo, 461C'; sed, licet a diabolo directus, non erit possessus, 463A. — Tota vita ejus peccatum erit, 463A. — Quanta ejus superbia, 463A, et cæcitas, 463C, 464A'. — Se Dei filium dicet, 462A', et forsan credet, 463A, et verus Christus putabitur, 462B. — Ejus persecutio violenta erit, 462C, et fraudulenta, 464A. Scripturis abutetur, 463D, et homines subtilissime decipiet, 463B'. Christianos comburet igne, 462A', et fidem evellere conabitur, 462C'. — Eo tempore, Ecclesia quasi derelicta videbitur, 465A, et minuta, 465D, et in ea non fient miracula, 462C. — Quot annis regnaturus sit, 464C. — Figuratur per Antiochum Epiphanem, 464B, Nabuchodonosor et Holophernem, 136B'.

ANTICLAUDIANUS (Poema Alani de Insulis) allegatur, 63B'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 210, col. 481.)

ANTIOCHIA, metropolis Syriæ, prius dicta Emath et Reblatha, 282B'. — Antiochenses contra Demetrium rebelles, 310D, magna clade a Judæis afficiuntur, 310A'.

ANTIOCHUS III (Magnus) rex Syriæ, 269A', a Romanis compulsus est filium obsidem dare, 269B'. — Filiam regis Ægypti duxerat, 270D'. — Vasa templo pretiosa dedit, 349D, et sacrificiorum sumptus ministrabat, 342C. — In templo Naneæ dolose occiditur, 333A. — In Daniele vocatur rex aquilonis, 271A.

ANTIOCHUS IV (Epiphanes), filius præcedentis, 269A', primo strenuus et bonus, sed mox pessimus, 269D, quomodo obses Romæ fuerit, 269A'. — Quando regnaverit, 269B', et quomodo, 270B', 295C, et quot annis, 292B'. — Quanta ejus ambitio, 270C', 271A, cupiditas, 271D', crudelitas, 272C, 352D, 354C, et superbia, 349D'. — Jerusalem deprædatur, 272C, 331A, et templum, 271C, 349D, et legem tollere conatur, 273D, 351A. An ipse in Jerusalem venerit, 272D'. — Se vere Deum putabat, 362A'. — Quomodo in se et sua sobole punitus sit, 356D. — Pecunia exhaustus, 282C, in Persidem transit, 282A'; sed a Persis fugatus, 292A, mœrore consumitur, 292A'. Horrendus ejus interitus, 361D. — Frustra pœnitere voluit, 362A', sed non vere resipuit, 362D'. — Novissima ejus ad Judæos epistola, 362C'. — In Daniele vocatur radix peccati, 269D, et figura est Antichristi, 464B.

ANTIOCHUS V (Eupator), filius præcedentis, rex a patre designatus, 363B, a Lysia constituitur, 292D'. — In Judæos accensus, 371B, contra Judam conflictatur, 293D, et Bethsura capta, 293D, 294A', 372C', Jerusalem obsidet, 294C'; sed a Juda devictus, 372B, Judæis reconciliatur, 372D'. — Ejus epistolæ ad Lysiam, 366D', et ad Judæos, 367B. — A suis interficitur, 295D. — Fuit patre nequior, 371D'.

ANTIOCHUS VI (Dionysios), filius Alexandri (Balæ), 310B, a Tryphone rex constitutus, 310C', Jonathæ benefacit, 310C'. — A Tryphone dolose occiditur, 316C'.

ANTIOCHUS VII (Sidetes), filius Demetrii Soteris, primo in Judæos beneficus, 321C, injuste urbes Joppen et Gazam repetit, 321D', et Cendebæum adversus Judæos mittit, 322A'.

APOLLONIUS, dux exercitus Antiochi Epiphanis, 350B, Judæos dolose trucidat, 350B. — A Juda devictus occiditur, 281B. — Gladio ejus postmodum usus est Judas, 281C.

APOLLONIUS, dux exercitus Demetrii Nicatoris, 306D, Jonathan audacter et superbe provocans, 306A', ab eo profligatur, 307A.

APOSTOLI, quam rudes ante Spiritus Sancti missionem, 502A, quam docti postea, 502C. — Ex eorum inscitia probatur fidem christianam esse divinam, 452C', 502B. — Infantes vocantur, 452B', cœli, 453A, 512D, 516D', 517A, nubes, 501C', 502C, grando et carbones, 502C'. — Sæpe Prophetarum sensum magis quam verba allegant, 653D'.

Digitized by Google

AQUA decies subtilior est terra, 2 D'. — In Scriptura quemcumque potum significat, **229** A'. — Mystice, quid aqua, 577 A, et fontes aquarum, 503 C. Aqua tenebrosa scientiam obscuram signat, 501 C'; aqua refectionis, divinam doctrinam, 544 C, vel Baptismum, 544 D', vel visionem beatificam, 546 B. — Quomodo super aquas vox Domini intonuerit, 576 D', 577 B. — *Cf.* Mare.

AQUILA, rex avium, 17 A', cur in sublimibus habitet, 16 D', et quomodo pullos probet, 17 B. — Ad ccccc leucas cadavera videt vel odoratur, 17 B. — Mystice, contemplativos significat, quare, 17 C. Filii ejus, quid, 17 A'. — *Cf.* Joannes.

ARABES inter se pro Sanctorum reliquiis dimicantes, 58 A. — Arabes auctores allegati : Albategni (El-Battani) 64 B; Albumasar (Abu-Ma'schar) 64 B; Algazel (El-Gazzali) 67 A'; Alkindi (El-Kindi) 67 A'; Amakir (Jacob ben Makir) 64 B; Averroes (Ibn-Roschd) 67 A'; Avicenna (Ibn-Sina) 11 A, 21 D', 22 A', B'; Gergis (Georgius Ibn-Bachtischua), 64 B; Mestella vel Mesialat, (Maschaallah) 64 B, 65 A.

ARBITRIUM hominis per prædestinationem non tollitur, 63 A. — Sapientiæ Dei expedit ut maneat liberum, 49 A. — Ipsi imputandum est peccatum, 52 A. — Actus necessarius quantum ad primam causam, contingens esse potest quoad secundas, 53 A'.

ARCA fœderis de lignis setim deauratis erat, 338 D. — A Jeremia, instante captivitate, abscondita est, ubi, 336 B', 337 D', et quomodo, 337 C'; et usque ad præfinitum tempus abscondita manere debet, 337 B.— Quandonam invenienda sit, 337 C, et quomodo in adventu Christi sit apparitura, 338 B. — Allegorice, figurat Ecclesiam, 575 C.

ARCTURUS, quid sit, 9 A. — Principium est frigoris, 9 B.

ARCUS. Mystice, quid sit arcus, 689 D, arcus Dei, 443 C', 447 A', arcus peccatorum, 466 C', 467 D', 468 B', 471 A.

ARIETES et filii arietum, quid, 576 B.

ARISTOBULUS, filius Joannis Hyrcani, primus post captivitatem, sibi diadema imposuit, 339 D'.

Aristobulus alius, de semine Aaron, 332 C', Ptolemæi Philometoris præceptor, 332 B', commenta scripsit in legem Moysis, 332 B'. — Ad eum exstat epistola Judæ Machabæi, 332 B'.

ARISTOTELES. Ipsi commissus est Alexander educandus, 267 B'.— Sæpius allegatur, 10 B', 22 B', 24 A, etc. — Antonomastice dicitur « Philosophus », 8 A', 10 A', 21 A', D', 22 B', etc.

ARIUS, rex Spartiatarum, epistolas scribit ad Oniam, 312 A', et ad Jonathan, 313 D.

ARPHAXAD (Phraortes), rex Medorum, ambitiosus, 131 A, et superbus, 132 A, Mediam invasit, 131 B, et Ecbatanen munivit, 131 B. — A Cambyse devictus est, 132 D. — Spiritualiter diabolum signat, 133 A'.

ARTAXERXES. Sic in Esdra vocatur Cambyses, rex Persarum, 132 C, 217 A'; et perperam a quibusdam pro Cyro habitus est, 218 C, 219 B. — Quibus regnis præfuerit, 132 B'. — Ad Samaritanos scribit, 218 C', et Jerusalem restaurari prohibet, 219 A. — *Cf.* Assuerus I, *et* Cambyses.

ARTAXERXES alius, alias Xerxes, filius Darii I, Esdræ favet, 223 B, et templum reparari jubet, 222 B', quare, 335 D. — Illud non proprie reædificavit, sed ornavit, 335 C', et sacerdotibus multa contulit, 335 D'. — Ejus epistola, 224 B, et munera, 224 C'. — Falso quidam eum Darium fuisse putant, 222 B', 335 B'.

ASAPH, cantor Davidis, 256 C', propheta fuit, 259 B'. — Filii ejus in secundo templo cantus ministerio addicti sunt, 256 C'.

ASARHADDON, rex Assyriorum, alias Asenaphar, 218 B, in Tobiam beneficus, 89 A, Judæis tamen quandoque mala intulit, 90 B.

ASINUS. Primogenitus asini ove redimebatur, 255 C'. — Asinina dicitur simplicitas quæ discretione caret, 276 B.

ASMODÆUS dæmon, quo jure Saræ maritos occiderit, 95 D; et quibus prævalere possit, 106 D. — Quomodo sit piscis jecore pulsus, 106 D', et ab angelo relegatus, 110 A.

ASSIDÆI. Sic vocabantur Judæi divinis assidue vacantes, 295 D', 373 C'.

ASSUERUS, de quo in Esdra, 217 B, qui et Artaxerxes ibi dicitur, 217 A', et in Judith, Nabuchodonosor, 132 C, fuit Cambyses, filius et successor Cyri, 217 D. — *Cf.* Artaxerxes I.

ASSUERUS alius, de quo in Esther, 173 B, qui et ibi Artaxerxes vocatur, 196 B, 203 D, fuit vel filius Xerxis (Artaxerxes Longimanus), juxta quosdam, 173 B', vel filius Darii Nothi (Artaxerxes Mnemon), juxta alios, 173 A'. — Ejus describitur domus, 175 B', et hortus, 175 C', et magnificentia, 175 D', et convivium, 175 A, vel potius convivia, 175 B. — Repudiata Vasthi regina, 176 A', ducit Esther, 180 A. — An peccaverit, uxorem di-

Digitized by Google

mittendo, 180 D'. — Judæos proscribit, 182 D, 196 B, et exaltat, 190 B, 203 D. — An ad Deum conversus sit, 193 A. — Pro pietate erga Judæos ei concessa est magna potentia, 193 A. — Leo vocatur, quare, 199 D'.

ASSYRII, libidinosi, 155 D', 159 B, superbi, 140 A', 163 B, crudeles, 135 B', a Judæis fugantur, 163 D. — *Cf.* Holophernes.

ASTRA ab angelis inferioribus moventur, 3 D'. — Ea esse animata non repugnat, 3 D'. — Astra matutina, quæ, 3 D, et quo sensu Deum laudare dicantur, 3 B'. Sic vocari possunt angeli, 3 D'. — Astrologi, non nisi dæmonis ope, vera quandoque prænuntiant, 63 B. Astrologorum fatum, an sit aliquid, 64 B. — *Cf.* Luna, Sol, Stellæ.

ASTYAGES, rex Persarum, a Cyro devictus, Parthorum regnum ab eo recepit, 131 B.

ATHERSATA nomen, quid significet et cur datum sit Nehemiæ, 213 B'. — *Vide* Nehemias.

ATTENTIO devota in psallendo commendatur, 403 C', 437 C'.

AUGUSTINUS (S.) episc. Hipponensis, omnes Psalmos a David esse compositos asserit, 401 C, 670 D'. — Passim allegatur, 4 C', 21 D, 22 C, etc. (Migne *Patrol. lat.* tom. 32-46.)

AURORA variæ durationis est, quare, 5 B.

AVARITIA, quam detestabilis, 632 B.

AZARIAS, de stirpe sacerdotali, 291 C', dux exercitus Israel, 291 C, ex superbia hostes aggressus, 291 C, profligatur, quare, 291 A'.

B

BABYLON. Quæ in Isaia de rege Babylonis dicuntur, partim de diabolo intelligi debent, 20 B'. — *Cf.* Captivitas.

BACCHIS, dux exercitus Syriæ, 295 C', vir audax et fortis, 302 C', Judæos crudeliter tractat, 302 A. — Contra Judam missus, 300 B, ab eo primo fugatur, 361 C, sed postmodum eum occidit, 301 B'.

BAHEM, seu Bainen, quid sit, 316 D'.

BALAAM vere propheta fuit, 397 A'.

BALNEUM remedium est tristitiæ, 423 B. — Balnea quædam promiscua vituperantur, 176 A'.

BALTHASAR, rex Babylonis, cur a regno dejectus, 211 D.

BAPTISMUS. In Baptismo omnes virtutes infunduntur animæ, 512 D', 541 C. — Pro dono Baptismatis gratias Deo referre debemus, 675 D. — Per Jordanem figuratus, 675 A, quasi venter est Ecclesiæ, 540 D', et aqua refectionis vocatur, 544 D'.

BARTHOLOMÆUS (S.) apostolus, dæmonium relegavit, 110 B. (Acta SS. die XXV Augusti.)

BASILIUS (S.) Cæsariensis episc., quomodo sit orandum docet, 402 B, 403 C. (Migne *Patrol. gr.* tom. 29-32.)

BATUS mensura, quanta, 224 D'.

BEATI. In visione Dei est felicitas eorum, 525 C; verumtamen eum non cognoscunt ut cognoscibilis est, 456 A. Quomodo eum videant, 627 B. — Tribus dotibus in anima, quatuor in corpore gaudent, 528 B, et nihil eis optandum manet, 489 B, saltem quoad essentiale præmium, 497 C', 527 D; sed plena eorum retributio non nisi post corporum resurrectionem fiet, 370 A', 497 D'; ideo eam valde exoptant, 585 B'. — Corona eorum, quid, 527 C', et cur de lapide pretioso dicatur, 527 C'. — In bono sunt confirmati, 585 A', et omnia in Verbo vident, 627 A. Cibus et potus eorum, quid, 119 A'. — Eorum vita et una dies et dies multi recte dicitur, 647 C. — Merito reges vocantur, 527 A, et filii Dei, 421 A'; sed præ Dei magnitudine parvuli reputantur, 456 D. — Quatenus eis competat donum timoris, 546 A'; an præteritorum malorum recordentur, 546 B'; quomodo impiorum animadversionem appetant, 421 B. — Quilibet eorum dicitur similem non habere, quo sensu, 161 A'. — Eorum gloria nobis incitamentum est ad virtutem, 422 A.

De Beatis exponi possunt Psalmi I, 413 D; II, 421 A; VIII, 455 D; XX, 526 D; XXII, 546 A; XXIX, 584 C.

BEATITUDO, quid sit, 547 B, et quotuplex, 405 D'. — Beatitudo animæ consistit in visione Dei, 525 B, 527 A, 626 D, et Christi, 528 A.

BEDA (Ven.), Ord. S. Benedicti, allegatur, 52 B', 107 D', 219 B, etc. (Migne *Patrol. lat.* tom. 90-95.)

BEHEMOTH, quid sit, 20 D'. — Quo sensu dicatur cum homine factus, 21 B, et in lumbis ac umbilico virtutem habere, 21 D'. — Mores ejus describuntur, 21 B', et seq. — Fabula judaica de ejus magnitudine, 20 D'. — Sub eo nomine diaboli potentia exprimitur, 20 A', 21 C, B', 23 B. — *Cf.* Elephas.

BELLUM. In bello licet insidiis uti, 156 C; plus metuenda est fames quam gladius, 134 C; plus valet ars quam fortitudo, 140 D; summe necessaria est prudentia, 279 D, 298 B,

Digitized by Google

et ordo, 293 D'. — Cum pietate agendum est, 378 B', quia a Deo pendet victoria, 136 C', 281 B'. — In prælio haud raro meliores occumbunt, 308 B', sed mors in justo bello suscepta æquipollet martyrio, 284 D'. — Bellatores olim in curribus pugnabant, 132 B. Maxime eis patientia opus est, 298 C; et fortitudo, 279 B. — Apud Judæos, qui a bellandi onere exempti, 284 B'. Ante prælium, sacerdotes exercitum adhortabantur, 286 C, 361 A, et clangebant tubis, 286 D, 290 B', 361 B; post pugnam, milites aqua lustrali mundabant, 167 D, 369 D'. — Belli spiritualis forma a Juda Machabæo optime traditur, 513 C'.

BENEDICTIO. Cui competat benedicere, 96 B. — Benedictio Dei, quid, 524 A'. Corda inquieta non sunt ejus capacia, 578 D'. — Homo, quomodo Deum benedicere possit omni tempore, 606 A'. Deum benedicere nihil aliud est quam eum laudare, 606 B'.

BERNARDUS (S.) Cisterciensis abbas « devotissimus et dulcissimus », 403 B, pulchre malos religiosos arguit, 31 B'. — *Adde* 296 C. (Migne *Patrol. lat.* tom. 182-185.)

BETHSURA, « fortalitium valde forte », 318 B', 372 D, a Juda munita, 289 A', frequenter obsessa est et capta, tum a Syris, 293 C, 294 A', 372 D, tum a Judæis, 311 C. — Ibi occubuit Eleazar Machabæus, 294 A.

BETHULIA, urbs Israel, in montibus, 143 A, ab Holopherne obsessa, 143 A, et angustiata, 143 B', quomodo a Judith liberata sit, 160 A.

BLASPHEMIA, insania maxima, 606 C. — Blasphemiæ tentationes, quomodo vincantur, 640 A'.

BOETIUS (B.) philosophus « fidelis noster », 63 C, frequenter citatur, 46 C, 53 B', 54 B', etc. (Migne *Patrol. lat.* tom. 63, col. 538.)

BONAVENTURA (S.) Ord. Min. theologus, 61 C'.

BONUM. Totum bonum hominis a Deo est, 688 B', et in virtute consistit, 58 C. — Quæ bona publice agenda sint, 543 A'. Non tantum mala commissa, sed et bona omissa plangere debemus, 597 B'. — Bonum commune privato præferendum est, 49 C, et pro eo quisque semet exponere debet, 277 D. Hostibus ejus fas est mala imprecari, 199 C', 242 C, 296 D', imo necem inferre, 152 A'. Oratio ex ejus amore fusa, quantum valeat, 236 B'. — Bona temporalia vanitas vocantur, 428 D, ac mendacium, 428 D, et valde incerta sunt, 648 D. Quatenus liceat in eis lætari vel ea petere, 629 B'. — *Cf.* Prosperitas.

BOS. Universæ boves, quomodo Christo subjectæ dicantur, 454 C, D.

C

CADES desertum, quomodo a Domino commoveatur, 578 D.

CÆCUS natus naturaliter curari nequit, 116 B. — Cæcitas Tobiæ, qua virtute orta, 90 D', et sanata, 116 A, 117 B. — *Cf.* Tobias.

CAIUS CÆSAR (Caligula) divinos honores affectavit, 136 A, 181 D.

CALEB, filius Jephone, fidelitate hereditatem meruit, 278 B.

CALIGO, quomodo sit sub pedibus Dei, 501 B. — Caligo Dei, quid, 501 A'. — *Cf.* Tenebræ.

CALIX in Scripturis varia significat, 486 A', 489 D, 545 B', 547 C.

CALOR, qualitas masculina, 8 C, a luce procedit, 7 D. — Calor solis, quomodo in terram spargatur, 7 C.

CAMBYSES, filius Cyri, rex Assyriorum, 132 C, et Persarum, 218 B, qui in Esdra Assuerus vocatur, 217 D, et Artaxerxes, 217 A', et in Judith, Nabuchodonosor, 132 C, quibus regnis præfuerit, 132 B'. — Ædificari templum prohibuit, 137 A, 218 C', et pessime obiit, 168 C'. — Cambysa dies, quid, 168 C.

CANDELABRUM aureum, seu candelabrum luminis, 271 D, quomodo factum, 288 B', et ubi positum, 288 A'. — Ab Antiocho comminutum, 271 B', a Juda redintegratur, 288 D.

CANIS Tobiæ, cur in Scripturis memoretur, 104 D. — Canis primogenitus interficiebatur, 255 D'. — Sic vocantur persecutores Christi, 534 D', 536 C', vel fidelium, 542 A.

CANTICUM. Quid sit canticum, 400 B, 643 D', vas cantici, 258 D', psalmus cantici, 427 C, 579 B, etc. Quomodo in nocte mandet Deus canticum, 676 D. — Cantica olim justis in gratiarum actionem consueta, 120 B, 164 D'. — Explanantur cantica Tobiæ, 120 B, et Judith, 164 D.

CAPTIVITAS Babylonica ob duplicem causam Hebræis imposita est, 120 C'. — Anni ejus diversimode computantur, 209 A'. — Quo anno finierit, 209 A.

CAPUT movere, modo derisionem, modo admirationem significat, 41 C. — Caput decalvari quondam odiosum fuit, 261 C'. — Caput

Digitized by Google

Christi, quomodo sit exaltatum, 424 C. — In capite libri, quid, 654 A', 659 D.

CARBONES a Deo succensi, quid, 501 A, 502 C', 512 B.

CARITAS primum et maximum est donum, 498 D', omnium virtutum finis et domina, 672 B, in qua consistit summa christianæ religionis, 100 C. — Virtus est nuptialis, 542 D, per quam degustatur dulcedo Dei, 608 B', et cui visio Dei debetur, 672 C. — Caritate nihil suavius agit, 495 B'. — Ea est quæ Sanctorum communionem facit, 565 A, et pœnitentiam reddit acceptabilem, 598 B. — Duobus præceptis regitur, 100 D'. — Quæ sit ejus perfectio, 608 C'. — Altare Dei vocatur, 557 A'. — Quomodo anima caritate inflammetur, 646 D. — Caritas fraterna orationem juvat, 40 C', 236 B'.

CARO intellectum obnubilat, 21 D'. — Quo sensu in Deo exsultare dicatur, 121 B'. — Carnales sunt membra diaboli, 33 D. — *Cf.* Corpus.

CARTILAGO, quid sit ad litteram, 22 D', et mystice, 23 A.

CASIA, filia Job, cur sic vocata, 42 B.

CASSIANUS (S.) « religiosorum sapientissimus doctor », 57 D, citatur, 640 C'. (Acta SS. XXIII° die Julii.— Migne *Patrol. lat.* tom. 49.)

CASSIODORUS (Aurelius), Vivariensis abbas, omnes Psalmos a David compositos putat, 401 C, et plerosque de Christo interpretatur, 616 A. — *Adde* 394 C, 423 D, 643 B'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 69, 70.)

CASTITAS sanitas est corporis, 574 B'. — Sacerdotes maxime decet, 354 B'. — Castitate Joseph principatum meruit, 277 B'. — De ea virgines minime extolli oportet, 638 D'.

CASTRA. Quid in Scripturis significent castra, 564 A, castra Dei, 165 D, 564 C.

CASUS. Æque falsum est, et multa casualiter, et omnia infallibiliter evenire, 67 B; sed casualia sunt rara, 71 B. — Deus nihil fortuito agit, 603 D. — *Cf.* Fortuna.

CATARACTÆ. Quid sint cataractæ, 676 A, cataractæ Dei, 676 B, vox cataractarum, 675 C'.

CATHEDRA. In cathedra pestilentiæ stare, quid sit, 406 A', 409 D', 413 B, 414 B.

CATO (Marcus Porcius) allegatur, 299 B'.

CAUSA. Deus, quomodo sit causa omnium, 602 D'. — Liber de Causis (David Judæi) citatur, 48 B', 50 B', 64 D'.

CEDRUS arbor succum emittit sanguineum, 22 A'. — In Scripturis, nunc in bono nunc in malo sumitur, 577 C'; plerumque superbos figurat, 577 A'. — Cedri Libani, quid significent, 577 C', et quomodo a voce Domini confringantur, 577 D'.

CENDEBÆUS, præfectus maritimus Syriæ, 322 A', Judæis molestus, 322 B', a Joanne Hyrcano fugatur, 322 C.

CERVUS, quomodo juvenescat, 678 B, et voce Domini præparetur, 578 A'. Figura est Christi, 506 A, et animæ fidelis, 513 D. — Partus cervarum describitur, 12 B, A'. Earum hinnuli mox ab eis separantur, 12 B'. Psalmus « pro cerva matutina », quid, 529 A.

CETUS, maximus piscium, 25 B', sub nomine Leviathan describitur, 25 D'. — Cur sit creatus, 29 A. — Pinguissimum est animal, 28 B, ore instructum horribili, 30 A', dentibus terribilibus, 30 D', ad modum elephantis, 30 C'. micantibus oculis, 30 C. 32 C, collo fortissimo, 33 B, squamis durissimis, 31 A. — Quæ ejus moles, 25 D', 27 B', 32 B, et fortitudo, 26 C'. Quam metuenda sternutatio, 32 A. — Aerem respirat sicut delphinus, 32 C'. — Sæpe in mari tempestates excitat, 35 C, et fulgure percutitur, 33 A'. — Plurimos pisces devorat, 33 C, 35 B'. Quomodo eos decipiat, 32 B'. — Non nisi per industriam capi potest, 27 C. Qua arte comprehendatur, 28 B. — Sæpe ad littus impingit, 28 C', ubi sagittis confoditur, 34 B', vel malleo contunditur, 34 D'. — Quamvis magnitudine et fortitudine omnia vincat animalia, 36 A, B, homini longe est inferior, 33 D'. — Multipliciter figura est diaboli, 25 B', 29 B, 33 D', etc.

CHALDÆI, licet a Deo contra Israel suscitati, 52 A', et contra Idumæos, 52 C', crudeliter agendo, puniri meruerunt, 52 A'.

CHANANÆI pessimi, 228 A'. — Eorum connubia vetita erant Judæis, 228 B'.

CHERUBIM, cur circa arcam posita, 283 D', Idololatriam minime juvant, 283 D'. — Super Cherubim quomodo Christus ascenderit, 501 C.

CHRISTIANI ideo sunt Christiani, quia a Christo electi, 687 D', et prædestinati, 688 B. — Eis innotescit misericordia Dei, 509 D'. — Quanta eorum dignitas, 515 C. Recte genus electum vocantur, 353 B, et reges, 516 A, et christi, 419 B, 523 B'. — A superbia cavere debent, 465 D', et a malitia, 466 A. — Paganis et mundanis sunt ludibrio, 690 B.

CHRISTUS. Ejus divinitas probatur, 550 B. — In ipso confitenda est humanitas cum divi-

Digitized by Google

nitate, 666 C, in unione personali, 471 A'. — In eo persona Verbi quasi infirmata fuit, 589 A, etsi ex humanitate naturales tantum defectus assumpserit, 409 C'. — Humanitas in Christo fuit templum Verbi, 471 C, excellentissimus thronus Deitatis, 471 B', instrumentum divinitatis, 517 A, 652 D'; unde omnes ejus actiones theandricæ dicuntur, 653 A, et tota earum efficacia ex divinitate unita venit, 521 D, 664 C. — Ab initio fuit vir, 409 C, B', perfectus et beatus, 409 C, 662 C', comprehensor, 424 C, 432 A', et confirmatus in bono, 533 A', 580 C'; unde nec in virtutibus profecit, quantum ad habitum, 409 C, nec in beatitudine, quantum ad essentiale præmium, 409 D, 491 C. Quomodo in sapientia creverit, 567 D'. — Omni gratia ornatus est, 524 A', 592 A, scientia infusa, 567 C', et multiplici sapientia, 567 D. Omnes incomparabiliter præcellit, 411 D. Solus præceptum caritatis perfecte implevit, 410 C; solus innocens fuit, 446 D', et ab omni peccato immunis, 506 A. Quantum Deum dilexerit, 498 D', et homines, 662 C'. — Nec fidem nec spem habuit, 432 B', saltem ut virtutes theologicas, 445 B, 570 A'; timorem voluntarie suscepit, 568 A, et turbationem, 499 B'; sed nunquam inordinate turbatus, 431 B', nunquam in rationis actibus passionibus impeditus est, 499 A, vel præventus, 556 C. — Nunquam ab actuali Dei contemplatione abreptus est, 410 D, 607 A, nec ab actuali virtutum exercitio cessavit, 506 D'; sed semper actualiter meruit, 411 B, nobis vitam æternam, 491 C, sibi præmium accidentale, 491 B'. Merita ejus in sacramentis continentur, 55 D, et per indulgentias communicantur, 56 C. — Semper exauditus est, 424 B', 485 B', 492 A', 524 C, quoties deliberate oravit, 531 C; et a Deo abundanter unctus est, 567 C, mirificatus, 428 B', 431 C', beatificatus, 663 A', exaltatus, 424 C, D, gloria et honore coronatus, 453 C'. — Quomodo de cœlo descenderit, 518 C', ad inferna se contulerit, 549 C', regressus sit ad superna, 550 C. Quomodo super solium David sessurus prædicatur, 389; diabolum vicerit, 25 C, 26 B, A', et deceperit, 27 D. — Christus, ut homo, inferior est angelis, 453 B', tametsi illos illuminet, 453 D', 625 D; a Deo judicatus est, 556 B, et ipse in extremo judicio ministerialiter judicabit, 416 D; omnia ipsi subjecta sunt, 454 A. Ab Adam in tribus differt, 410 A; sine gratia a ceteris non distulisset, 504 B'. Quomodo dicatur electus, 504 D, et causa sit prædestinationis, 688 B.

Christus patiens, quam aperte prædictus a David, 529 A', 533 C, et a Sapiente, 535 A'. — Quomodo a Patre sit probatus, 556 D, traditus, 664 A, derelictus, 530 B, et quare, 55 B. — Mortem naturaliter exhorruit, 531 B', et passione instante, vere timuit, 425 B. — Passio ejus amarior fuit omni martyrio, 530 D, et crucifixio acerbissima, 535 A, quia in corpore et anima pariter doluit, 556 B', et tota humanitas ejus in dolore fuit, 530 D, 588 B'. — Nudus in cruce pependit, 535 B; exhaustus est sanguine, 534 B; ossa ejus disjuncta sunt, 534 C, 535 B, et cor ejus quasi liquefactum, 534 A'. Sitis ejus in cruce, quid, 499 C'. — Licet in inferioribus potentiis redundantiam felicitatis non sentiret, 530 C, non penitus derelictus erat, 664 B, nec beatificam fruitionem amisit, 530 D, et libentissime patiebatur, 664 D. — Nunquam amorosius oravit quam in cruce, 571 A. Quæ ejus tunc preces, 529 B. Orationes Christi patientis non exauditæ, 531 D, non erant veræ orationes, 531 A'; ideo etiam in his exauditus dici potest, 531 B'. — Quomodo vermi comparetur, 532 D, et descendentibus in lacum, 571 B. — Anima ejus in limbo usque ad tertiam diem mansit, 487 D'. — Christus patiendo, etiam veteres patres salvavit, 26 B', nobis meruit veniam, 55 C, et sibi regnum Ecclesiæ, 417 D', 688 C', præmium accidentale, 55 C, coronam, 663 C, et judiciariam potestatem, 616 D'. Passionis merita Patri jugiter offert, 642 D'. Cur in corpore glorificato vulnerum stigmata servaverit, 546 C'. — Passio ejus, quomodo a nobis complenda, 56 C.

Christus est fons vitæ, 538 B, advocatus noster, 459 B', exemplum nostrum, 409 D'. Ab amore ejus nemo excusatur, 518 D'. — Lignum est fructiferum, 410 A', lignum sapientiæ et vitæ, 410 D', altare Dei, 679 C', sanctum Dei, 531 D', thronus gratiæ, 679 C'; dicitur firmamentum, 517 C', petra, 565 B. Quid caput ejus, 424 C, D, et pedes, 588 C. — Lex ejus dicitur lex gratiæ, 509 C', et virga ferrea, quare, 418 B. — In Scriptura prænuntiantur duplex ejus adventus, 535 D', passio, 529 A', 535 A', prophetalis dignitas, 320 D', et regalis, 389, 417 C, 418 A. Sæpe, sub nomine David ad litteram intelligendus

est, 415 B', 509 A'; sæpe etiam, quod de eo dicitur, membris ejus referendum est, 399 D. — Multipliciter figuratus est : 1° Per Tobiam seniorem : pertransiit benefaciendo, 89 A'; a Pharisæis cæcatus est, 92 C'. — 2° Per Tobiam juniorem : angelis stipatus incedebat, 107 C'. — 3° Per Cyrum : Jerusalem restauravit, 212 B'. — 4° Per Nehemiam : Septem donis S. Spiritus munivit Ecclesiam, 241 A. — Etc.

Quomodo sit materia Psalmorum, 400 B'. Plerique de eo tractant, 616 B, 656 C', et pro posse ad eum referendi sunt, 436 B. — Psalmi qui de Christo principaliter explanantur : II, 415 B'; XV, 485 A; XVI, 491 C; XVII, 498 C'; XVIII, 516 D; XIX, 521 B; XX, 524 A; XXI, 529 A; XXIII, 548 A; XXV, 556 A; XXVII, 570 D; XXIX, 579 C; XXX, 586 D; XXXIV, 611 D; XXXIX, 651 C; XL, 662 C.

CHRYSOSTOMUS (S.), Constantinopolitanus episc. plures fuisse Psalmorum auctores arbitratur, 401 C. (Migne *Patrol. gr.* tom. 47-64.)

CHUSI, amicus David, 442 B, quid significet, 444 D, 448 B.

CILICIUM quomodo portaverit Christus, 614 A'.

CINIS et favilla, pœnitentium arma, 39 B. — Cinere vel pulvere caput conspergere, olim lugentibus consuetum, 183 A, 250 C, 283 B'.

CIRCUITUS modo in bono sumitur, modo in malo, 565 C. — Quomodo impii in circuitu ambulent, 473 B'.

CIRCUMCISIO erat quasi Judaicæ religionis janua, 142 B'.

CITHARA, quid sit ad litteram, 601 A, et mystice, 600 D', 680 A.

CIVITAS Dei. Sic dicitur Ecclesia, 592 A, et anima, 595 B'. — Civitates impiorum quomodo destruat Deus, 459 C.

CLAMOR. Clamare ad Deum, quid in Scriptura, 154 B, 433 A', et quomodo bruta sic clament, 11 C. — Clamor Deo placens, qualis, 284 C, 515 A. — Inter peccata ad cœlum clamantia sunt oppressio innocentium, 359 D, et fraudatio mercedis operariorum, 100 C'.

COELUM, quid sit, 139 B. — Dei thronus est, 117 C, et sedes, 467 A', et templum, 500 A, 604 B, qui ibi specialiter habitare censetur, 96 B', 117 D, et dicitur inde exaudire, 522 A, inde prospicere, 480 B', 604 B. — Quid cœli concentus, 10 A', virtus, 602 C, volucres, 454 A'; quid cœli militia, 251 D', et quomodo Deum adoret, 252 B. — Quomodo cœli Verbo Domini sint firmati, 602 A, C, et enarrent gloriam Dei, 517 D. Ordo eorum incomprehensibilis est, 9 B'. Ex cœlestium pulchritudine probatur vilitas hominis, 453 D. — Regnum cœlorum ante Christum clausum erat, 474 B'; dicitur terra viventium, quare, 566 C'. — In cœlo misericordia Dei, quomodo, 625 C. — Spiritualiter, cœlum multa significat, 9 C', 236 D, 416 B', 453 A, 512 B, 517 A, C', etc. — Cœlum empyreum, vel cœlum cœlorum, 251 C', mansio Beatorum et domus Dei, 547 B', 673 D, unde sit dictum, 251 D'. Ad ipsum quotidie mente transire debemus, 673 B'.

COLLECTA. *Vide* Festivitates.

CONCILIUM generale in arduis rebus convocandum est, 290 D. — Generalia concilia a S. Spiritu dirigi credibile est, 660 C; ideo majoris sunt auctoritatis quam aliquis quatuor Doctorum, 660 D.

CONCUBINA. Sic in Scriptura vocantur uxores secundariæ, 179 A'.

CONFESSIO peccatorum coram Deo veniam meretur, 598 A, sed cum proposito sacramenti, 598 A, et ex quadam saltem caritate, 598 B. — Quanta bona conferat, 599 A, et quomodo peragenda, 597 D'. — Non tantum ad mala commissa, sed ad bona omissa extendi debet, 597 B'.

CONOPÆUM, quid sit, 156 A. — Holophernis conopæum a Judith ablatum, 160 A', Deo oblatum est, 167 B'.

CONSILIUM, quid et quotuplex, 405 B, 411 D', et quatenus Deo competat, 97 B', 603 C. — In Deo non est variatio consilii, 603 A', licet mutet sententiam, 603 C'. Consilium ejus in redemptione hominis inscrutabile, 653 B. — Consilia regibus maxime sunt necessaria, 177 A. Qui ad hæc sint vocandi, 177 B. — Male consulens causa est peccati, 405 D. Quantum sequenda sunt bona consilia, 401 D, ita fugienda mala, 405 C'. — Quid sit ire in consilium impiorum, 405 C, et quomodo impii in consilio justorum resurgere non debeant, 408 C', 411 D'. — Per donum consilii anima in inquisitione consiliativa dirigitur, 523 D, et apte de actibus humanis judicat, 553 C'. Quantum sit homini necessarium, 523 A'.

CONSOLATIO laborem pœnitentiæ comitatur, 584 A, et incipientibus communiter datur, quare, 591 B. — Quibus potissimum congruat, 590 D', 591 A', et quomodo prome-

Digitized by Google

reatur, 591 A, D'. — Justis sæpe denegatur, 476 A. — *Cf.* Delectatio.

CONTEMPLATIO penna est animæ, 501 D ; ad eam per mortificationem pervenitur, 1 C'. — Vita contemplativa hic inchoata in æternum perdurat, 584 B', in cœlo empyreo, ubi est locus ejus, 547 B'. — Commendatur contemplatio cœlestium, 673 B', et Passionis, 536 A'. — *Cf.* Meditatio.

Animæ contemplativæ per aquilam signantur, 17 C, et recte semen Israel dicuntur, 537 D, 540 B.

CONTUMELIA, quid sit, 670 A. — Pejor est detractione et furto, 670 B.

CONVIVIA olim in festis usitata erant, 89 D. Quibusdam in locis super mortuorum monumenta disponebantur, 101 C. — Assueri convivia describuntur, 175 A, C'. — Apud Persas, convivæ ad bibendum cogebantur, 176 D, et mulieres seorsum vescebantur, 176 D. — Quempiam ad bibendum provocare in jure prohibetur, 176 C.

COR pulmoni conjungitur, 32 D' ; primum est vivens, ultimum moriens, 105 B, 534 C, 656 B. Passionibus sensitivis immutatur, 534 A', constringitur timore, 201 A', et tristitia, 427 D'. — Cor Christi, quomodo in Passione liquefactum sit, 534 C. Cor piscis, qua virtute dæmonem fugare potuerit, 105 D. — Cordis nomine sæpe intellectus vel voluntas designatur, 534 C, 560 B', 565 C'. Illud movere Dei proprium est, 287 B ; intima ejus noscere non est hominis, 238 B ; attamen quodammodo in vultu et oculis deprehenduntur, 238 B. — Illud custodire, difficillimum est, 495 A', sed necessarium, 661 B'. — Quomodo derelinquat hominem, 660 C', 661 A'. — Toto corde confiteri Domino, quid sit, 457 C.

CORE et filii Core, an quosdam psalmos conscripserint, 670 D. — Psalmus « intellectus filiis Core », quomodo intelligendus, 662 B.

CORNU, quid in Scripturis significet, 683 A. — Deus, quomodo dicatur cornu salutis, 499 C, 510 A'.

CORNUSTIBII, filia Job, cur sic dicta, 42 B.

CORPUS. Bona corporis complexio magnum est Dei donum, 11 A, et ejus sanitas sanctitati valde prodest, 111 A. — Præ timoris magnitudine corruit, 119 B. — Saccus vocatur, 586 A. — Corporalia a Deo sunt facta, 455 B', et Providentiæ subjacent, 455 C'. — *Cf.* Caro.

CORREPTIO misericordiam parat, 98 A, et maximum est beneficium, 95 C'. — Respuere corripientes, quantum noceat, 95 B'.

CORUS mensura, quanta, 224 D'.

CORVUS, avis gulosa, 11 B'. — Pulli corvorum per septem dies a matre relicti, 11 A', quomodo sustententur, 11 B'. — Ad Dominum clamare dicuntur, quo sensu, 11 C.

CREATURÆ omnes a Deo, saltem mediate, factæ sunt, 334 C, et in ipso sunt vitaliter, 649 A ; coram eo nihilum reputantur, 647 C', et vanitas, 647 D'. — Creaturæ irrationales, quomodo Deum laudare possint, 3 C, aut benedicere, 110 B'. — Eis insunt quædam erga Deum obedientialis potentia, 197 A', et multæ vires secretæ, 106 A. — Creatori creaturas præferre, idololatria est, 685 D.

CRINES vel barbam evellere, olim lugentibus consuetum, 227 C'. — Decalvatio apud antiquos probrosa, 261 C'.

CRUX lectus doloris vocatur, 664 B. — Crucis supplicium acerbissimum, quare, 535 A.

CURRUS in bellis quondam usitati, 132 B. — Quid mystice, 522 C.

CUSA (Nicolaus de), Cardinalis, Brixiensis episc. Ipsi dedicatur tractatulus, 45. — Ejus epistola ad Dionysium explanatur, 45 A et seq.

CYMBALUM, quid sit et significet, 165 A.

CYPRIANUS (S.) Carthaginiensis episc. martyrio errores expiavit, 56 A. (Acta SS. die XIVª Septembris.)

CYRUS, rex Persarum, devictis Medis, 131 B, regnum Cambysi filio tradidit, 132 C. — Fuit monarcha orientis, 210 A, sed non totius, 210 B. Quibus regnis præfuerit, 132 B', et quot annis regnaverit, 211 D'. — A ccx annis in Scriptura prædictus erat, 210 A. — Multum Judæis favit, 210 A', 211 B, illis dando licentiam reædificandi templum et Jerusalem, 210 D, 219 C, 235 B', et vasa templi restituendo, 211 C. — Ejus edictum, 210 A, quo anno datum, 209 A, et qua de causa, 209 B'. — Deum Israel coluisse videtur, 210 C'. — Ejus indoles, 211 D', et mors, 212 A. — Fuit figura Christi, 212 B'.

D

DÆMONES et diabolus. Lucifer, principium viarum Dei et princeps angelorum, 23 C, quo sensu cum homine creatus dicatur, 21 C. — Bellua factus est, 20 A', et in bruto-

Digitized by Google

rum forma frequenter apparet, 20B'. — Ejus naturalia integra sunt, 32D, 36C; sed cognitio ejus, malitia offuscata, diluculo comparatur, 32D. — Homine fortior est, 26A, D, D', 34A', 36A, et callidior, 27D, proindeque timendus, 36D; sed ejus vires a Deo moderantur, 23D, 29A', et a Christo enervatæ sunt, 474B'; quomodo ab eo victus sit, 26B, A', et deceptus, 27D. — Quandoque Deum deprecatur, 30A; sed prorsus induratus est, 30B, et infernum quasi non perpetuum putare videtur, 35D'. — « Insatiabilis homicida », 35C', omnibus fuit occasio peccandi, 23C; causa est persuasiva peccatorum, 62A', et damnationis, 59A', exsecutiva pœnarum, 53D. — Mortem Christi primo optavit, 579C', sed mox per uxorem Pilati impedire conatus est, 579C'. — B. V. Mariæ et Ecclesiæ præcipue infensus est, 168A', sed ab eis est contritus, 168C; Sanctos timet, 27A, ob supernaturalem virtutem, 36B; a prædicatoribus conciditur, 27C', a resistentibus dejicitur, 28D'. — Dicitur rex superbiæ, 36B', et « ultor », quare, 456D. — Caput impiorum est, 31C, et quæ de eo in Scripturis dicuntur, sæpe de reprobis intelligenda sunt, 400A. — Per reges Babylonis et Tyri figuratus est, 20B'; describitur sub nomine Behemoth, 21C', et Leviathan, 25B'. Cur bovi comparatus, 21C', fœnum comedere dicatur, 21B'; quomodo virtutem in lumbis et umbilico habeat, 22B; quid ejus oculi, 32D, A', dentes, 30D', collum, 33B, ossa et cartilago, 23A, squamæ, 31C, sternutatio, 32B, montes, 23B', etc.

Dæmones in malo sunt confirmati, 414B', 469D'. — Materiales passiones non habent, 515C'; divitiis non oblectantur, 35A; incubi vel succubi, animo non corpore delectantur, 22C. An rebus materialibus afficiantur, 105A'. — Invidiosissimi, 584C', omni justo æmulantur, 622D', omni malevolo parati sunt cooperari, 27B'. — Homine sunt fortiores, 512B', et in eum ab initio dominantur, 512B'. — Cur homines tentare permittantur, 29B; quanta astutia eos aggrediantur, 30D, B', D', 619B', 622C', 640B, et decipiant, 32B'. Ad detegendas eorum insidias, opus est dono discretionis, 619D. — Verumtamen non ad libitum tentare possunt, 497A, et ab angelis refrenantur, 563D'. Homines tentando, augmentum pœnæ merentur, 618C. — Per luxuriam maxime prævalent hominibus, 22B; in impiis ludunt, 23D', in otiosis et voluptuosis morantur, 24C; religiosis præcipue insidiantur, 24D'. — Sæpe hominibus secreta revelant, 517D', vel parere videntur, 28C, sed suos sequaces fallunt, 26D', et derident, 552A. — Justos timent, 619B; si contemnantur, recedunt, 640C'. Quibus potissimum expellantur, 514C'. — In Scriptura vocantur testes iniqui, 566B', bestiæ, 23D', leones, 622A', caligo, 501B, nox, 517D', etc. — *Cf.* Asmodæus.

DAMASCENUS (S.) haud semel allegatur, 10D, 55C', 97B', 139B, 398B, etc. (Migne *Patrol. gr.* tom. 94-96.)

DAMASUS (S.) Papa, Psalterium a S. Hieronymo translatum in Ecclesias Galliæ introduxit, 401D'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 13, col. 109.)

DAMNATIO. Causa propria damnationis est voluntas, 59A, causa instigans, diabolus, 59A'. — Damnati sunt in malo confirmati, 469D', et a Deo contempti, 585C.

DANIEL propheta simplicitate de ore leonum eripi meruit, 278A'.

DARIUS Medus, filius Astyagis, a Cyro Medis præficitur, 131B.

DARIUS I, Hystaspis filius, rex Persarum, de quo in Esdra, 219B', cui successerit, 136A, et quando regnaverit, 173C. — Amicus Zorobabel, in Deum verum credebat, 222C, votum fecerat reædificandi Jerusalem, 220C, et templi restaurationem promovit, 222B'. — Ejus epistola, 221C. — Quomodo rex Assur dicatur, 223A'. — Perperam a quibusdam pro filio Assueri et Esther habitus est, 332B, vel pro Dario ab Alexandro devicto, 332D, vel pro Artaxerxe, 222B', 335B'. — *Cf.* Artaxerxes II.

DARIUS III (Codomanus), rex Persarum, non fuit filius Assueri et Esther, 268A. — Ab Alexandro devictus, quomodo obierit, 267B'. — Ejus monita ad Alexandrum, 268A.

DAVID mansuetudine maxime placuit Deo, 153B', 631C, et regnum meruit, 278B. — Ter unctus est, 562D. — An juste Semei occidi mandaverit, 51C'. — Sub nomine David sæpe in Scripturis ad litteram intelligendus est Christus, 415B', 509A', 570D, 688D'. — Allegorice fuit figura Christi, 423D, 444D, 498D, etc., et exemplar pœnitentium, 441B', 596C. Quid tropologice, 425D, 448B. — A S. Spiritu specialiter edoctus, 389, sublimi modo spiritum prophetiæ ha-

Digitized by Google

buit, 397B. An sit omnium maximus Prophetarum, 397A', 398A'. — Ejus prophetiæ de Christo, 451D', 454C'. Quæ de Passione scripsit potius historia quam prophetia videntur, 529A', 533C. — Num omnes psalmos composuerit, 401C, 670D. Quid psalmi « ipsi David », 570D, et « intellectus David », 596C. De ipso ad litteram exponuntur Ps. III, 422B; IV, 430D; VI, 441B'; VII, 442B; X, 466D; XIV, 482C. — *Cf.* Psalmi.

DECIMÆ quotannis solvebantur in sustentationem Levitarum, 87B; tertio quoque anno duplicabantur in usum pauperum, 87B. — Decimæ Levitarum, stante necessitate, ab aliis comedi poterant, 157B'. — Jussu Nehemiæ solvuntur, 261A.

DECIUS Cæsar, prædecessorem suum Philippum occidit, 203A'.

DELECTATIO spiritualis corporali præstat, 519C'. Aufertur sæpe a justis, quare, 476A. — Delectatio in opere signum est virtutis, 280C, 519D. — In temporalibus delectari, quatenus liceat, 629A'. — *Cf.* Bonum, Consolatio.

DEMETRIUS I (Soter), filius Seleuci (Philopatoris), a regno Syriæ exclusus, 295C, illud recuperat, 295D, 373C. — Primo Judæis infensus, 295C', Jonathæ multa concedit, 303C', 304C. — Ob tyrannidem a suis relictus, 303D, interficitur, 305D', 330A'.

DEMETRIUS II (Nicator) filius præcedentis, regnum Syriæ ambit, 306C, et, auxiliante Ptolemæo Philometore, occupat, 308D. — Jonathæ benefacit, 309C, et Simoni, 316D', quare, 320A. — Primo a Judæis liberatus, 310D, a Medis comprehenditur et obtruncatur, 318B, 330B'. — Quomodo filius Seleuci vocetur, 330C'.

DESERTUM, cur pluviis irrigetur, 7C'; quomodo voce Domini concutiatur, 578C. Allegorice, gentilitatem signat, 7D'. — Desertum Sinai inhabitabile, 139B'. — Desertum Cades, quid mystice, 578D.

DESIDERIUM, quid sit, 671D'. — Ex amore procedit, 671D', 672C, et cruciat amantem, 672D'. Animam ad visionem Dei præparat, 672C. — Christus, ut homo, desiderare potuit, 672A; an hoc possint Beati, 489B, 527D, 671D'. — Deus, quantum desiderandus, 671A.

DETRACTIO, quid sit proprie, 669D'. — Gravior est furto, 483A', 670B. — Par est peccatum detrahere et detrahenti applaudere, 483D.

DEUS multiplex esse non potest, 368D', et unitate delectatur, 378A'. — Ejus essentia est sua potentia, 37B. Vita est, 626D', fons et principium totius vitæ, 676C'. — Cur Deus dicatur, 140B', Dominus, 151C', Adonai, 166D, Deus cœli, 117C, 236D, et Deus vivus, 672A'. — Se cognoscendo, omnia cognoscit, 37C, etiam futura, 395C; omnia intuetur et discutit, 685A'. Filio, eum generando, omnia dicit, 417C'. — Quomodo sit causa omnium, 61A, 602D', omnia fecerit, 334C, et vivificet, 252A. — Omnia opera ejus ex æterna providentia procedunt, 151C, 603B'; nihil agit fortuito, 603D; nunquam mutat consilium, 603A', licet mutet sententiam, 603C'. — Mensura est omnis veritatis et æquitatis, 519B', et auctor totius boni, 426C'; nihil nisi justum facere aut imperare potest, 470C; in omnibus actibus ejus contemperantur justitia et misericordia, 93B', 655C'. — Voluntas ejus causa est unica prædestinationis, 61B; in gratiarum enim largitione ad quamdam respicit congruitatem, 60C', sed in prædestinatione liberrime agit, 61A. Cur tam diversimode homines tractet, 49B'. Consilium ejus in salute hominum, inscrutabile, 653A. — Solus directe voluntatem hominis movere potest, 67D', 202A; sed bono ordini congruit ut maneat libera, 49A. Quomodo eam dirigat, 69A', 544D'. — In creatione et gubernatione mundi suam requirit gloriam, 49B, et commune bonum, 49C. — Quum ad rectam gubernationem pertineat ut malum tollatur, 48B', cur peccatis quasi cooperari videatur, 50B'; quid ei tribuendum in peccatis, 50A', persecutionibus, 52B, tribulationibus, 53A, morte, 53B, damnatione, 59B'; quatenus cooperatus sit Christi traditioni, 51D, 664A, et passioni, 51A; quo sensu de pœnis nostris gaudeat, 98B; cur sæpe preces non exaudiat, 539B', D', vel tardet audire, 686C. — Quæ ejus maxima vindicta, 57A; quæ occultissima judicia, 54B', 57C'. — Quomodo dicatur terribilis, 334D, quum sit dulcissimus, 590C', 608D'; solus justus, 334B', susceptor animæ, 676D'. Mirabilis est in naturalibus, mirabilior in supernaturalibus, 451C, mirabilis olim in Judæa, mirabilis nunc ubique terrarum, 451B'. — Quo sensu dicatur in cœlo habitare, 117D, de cœlo respicere, 480C', 604A, vel descendere, 512C; terram concutere, 5D; homines interroga-

Digitized by Google

re, 469B, probare, 492B, tentare, 560C; irasci, 96C, aut ad iracundiam provocari, 253B', 435A'; irridere, subsannare, 416D', odisse peccatores, 434D; oblivisci aut meminisse, 459D, 460A', 552C', pœnitere et converti, 603A'; induere arma, 612A, aut virtutem, 612C, etc. — Quid sint Dei facies, 565D', vultus, 429C', 491D', oculi, 236A', 434C, palpebræ, 469A, C, aures, 236A', 433A', 593B, alæ, 492D', 496D, 626B, brachium, 682B', 687A', manus, 587C', 589D', etc.; quid ejus regnum, 120C, civitas, 592A, 595B', templum, 468B, domus, 557C', 561C, 564A', thronus, 458B', sedes, 467B; etc.

Deus omnibus est per se notus, 480A; verumtamen inaccessibilis in se est, 451B, et per effectus tantum cognoscitur, 451C; imo effectus ipsi ex parte solum deprehenduntur, 457D. Philosophis innotuit ejus majestas, Hebræis æquitas, Christianis misericordia, 509D'. — Specialiter justorum Deus est, 433B', ad quos pertinet illum « suum » vocare, 448B'. — Solus animæ desideria satiare valet, 497B', et in visione ejus invenitur beatitudo, 525B, 527A, incomprehensibilis lætitia, 527B, æterna Beatorum refectio, 546B. — Varias ob causas, æque timendus est, 244A', 418C', et diligendus, 498D', 671B'; in dubiis consulendus, 38C, et fiducialiter invocandus, 427C'. Judicia ejus non nisi reverenter scrutanda sunt, 38A. — Quomodo coli debeat, 330A, 418D, et quæri, 460B, 549A', 607C', ut inveniatur, 146A'. — Quid sit Deum sustinere, 552B, C', 566D', et exspectare, 635A, 651C'. — Quomodo allocutus sit Job et amicos, 1A, et Moysen in Sinai, 1B.

DEXTERA, quid in Scripturis significet, 558B. — Quid sit dextera Christi, 525A', et Dei, 492C', 496C, 506A', 522B, 682B', etc. — Quomodo Deus a dextris Christi fuerit, 487A', vel a dextris sit animæ, 490B. — Quo sensu in dextera ejus sit delectatio, 488A', 490C'.

DIABOLUS. *Vide* Dæmones.

DIES hujus vitæ breves et mali, 647A, B'. Quomodo a diversis gentibus nominati, 547D. — Dies æternitatis, quid, 417B', 547B', 647B, et unde causetur, 528A. — Dies afflictionis, sic recte dicitur dies natalis, 512C'. — Quomodo dies diei eructet verbum, 517B, B', C', et in die mandaverit Deus misericordiam, 676D. — Dierum plenitudo, quid sit, 43A. — Liber Verborum dierum, quid, 258B.

Dies. Ita vocata est una ex filiabus Job, quare, 42B.

DILUVIUM quomodo Deus inhabitare faciat, 578C'.

DIOCLETIANUS, nomen christianum omnino delere tentavit, 668C.

DIONYSIUS (S.) Areopagita, « sacratissimus atque divinissimus » 448B', « princeps theologorum », 501A', vel simpliciter « Theologus », 502A, sagaciter legendus est, 515C'. — Ad eclipsim solis, Christo patiente, stupuit, 500C'. — Frequenter citatur, 9C', 32D, 34D, 36C, etc. (Migne *Patrol. gr.* tom. 3, 4.)

DIONYSIUS Cartusianus, cur Psalmos interpretari aggressus sit, 404A, quomodo, 404A', et quo anno, 508B. — Opera ejus, quo ordine edita, 383. — Stili ejus simplicitas excusatur, 387. — Religiosorum ruinam deflet, 25A, malam puerorum carpit educationem, 89C', balneorum quorumdam indecentiam, 176A', fidelium avaritiam, 245A'. — Quanta ejus humilitas, 671A, et pietas, 677D. — Epistola ejus ad Card. de Cusa, 45.

DISCIPLINA Dei, quid sit, 514C, A'.

DIVITIÆ hujus vitæ incertæ, 648D, nec sollicite quærendæ, 648C. — Sanctorum divitiæ, quid, 648D'. — *Cf.* Prosperitas.

DOMUS in Judæa tecta habebant plana, 249C'. — Domus Dei, sic vocatur anima fidelis, 557C', 561D, 568A', vel Ecclesia, 557D', 561C, 564A', vel cœlum empyreum, 564B', 568D'. Quomodo ab ubertate ejus anima inebrietur, 626B.

DRACO, quid sit, 194A. — Per duos dracones visionis Mardochæi, 193C', quid significetur, 194A, C'.

DULCEDO Dei, quanta, 590C', 608D'. — Quibus potissimum detur illam degustare, 590D', 591A', 608B', et quomodo, 591A, 591D', 609A. — Incipientibus sæpe communicatur, quare, 591B.

DURANDUS (a S° Portiano), Ord. Præd. theologus, allegatur, 61C', 65A', 71D.

E

ECBATANIS, metropolis Medorum, 131B, urbs munitissima, 221C, describitur, 131A'. — Non æquavit Babylonis magnitudinem, 131B'.

ECCLESIA Dei, olim quid, 260A. Ab ea Ammonitæ et Moabitæ excludebantur, 260A. —

Digitized by Google

Ecclesia triumphans. Quæ ejus portæ, 123D, muri, 123D, plateæ, 123A'. Ibi jugiter resonat Dei laudatio, 123B'. Jerusalem vocatur, 123A. — Ecclesia militans regnum est Dei, 544B, quod nunquam in toto corrumpitur, 120C, et semper in multis membris pace et justitia gaudet, 123C'. Qui ad eam pertineant, 483A. — Regina populorum, 515C, et pascua animarum, 544B, dicitur Dei tabernaculum, 482C, 501B', et domus, 557D'; Jerusalem, 122D', et filia Sion, 460C'; firmamentum, 517A. — Quid ejus venter, 540D', uterus, 541B, ubera, 540D', thesaurus, 56B, divitiæ, 629D. — In exordio et in fine vexata, 594B', tempore Antichristi nulla faciet miracula, 462C, et quasi derelicta videbitur, 465A, et minuta, 465D. — Ejus profectum fidelis quisque optare debet, 561C, et hostibus ejus mala temporalia potest imprecari, 620B. — In Scriptura varie figuratur : 1° Per terram : quomodo sit super maria fundata, 548C', super flumina præparata, 548D'. — 2° Per Saram : hereditatem consecuta est, 433A. — Per Judith : diabolum devicit, 168C, et spolia ejus Deo dicavit, 168B'. Etc. — De ipsa ad litteram exponuntur Ps. IV, 427D; V, 433A; VIII, 451B; IX, 457C; XXII, 543D; XXVIII, 575B.

ECSTASIS. Psalmus « pro ecstasi », quomodo intelligendus, 586C.

ELEAZAR Machabæus, frater Judæ, 294C, fortiter in bello occubuit, 294A. — Licite morti se objecit, 294B. — Dictus est etiam Mauron, 294D, Joseph, 360D', Saphum, 361A, et filius Saura, quare, 294C.

ELEAZARUS senex, Scriba, carnes vetitas comedere constanter recusans, 353D, martyrio coronatur, 354B.

ELECTI ab æterno electi sunt, 504D', et perire non possunt, 578D. — Licet pauci videantur respectu damnandorum, multi erunt, 653A'. — Christus, quo sensu dicatur electus, 504D. — *Cf.* Prædestinati.

ELEEMOSYNA corporalis commendatur, 99C', 101A, 667A, et spiritualis, 667C. — Frequenter de congruo meretur conversionis gratiam, 100C, et benedictionem, 667C', in tempore infirmitatis, levamen, 668A, in hora mortis indulgentiam, 667D'; peccata purgat, 118B, 667A', purgatorium minuit, 100B, vitam parit æternam, 118C. — In eleemosynis Deus magis affectum pensat quam donum, 100A.

ELEMENTA. In orbe, elemento cuique natura et fine assignatur locus, 4B', D'.

ELEPHAS, maximum animalium, 20D', 293A', sub nomine Behemoth describitur, 20D'. Animal est melancholicum, 24C, in umbrosis et humentibus degens, 24A, et sæpe cum rhinocerote conflictans, 13D'. — Quum ceciderit, resurgere nequit, 22C'. Quantum bibere possit, 24A'. — Maxime domabilis est, 21A', et multum de ratione participat, 21B', 293C. Quomodo capiatur, 25A, D, cicuretur, 25B, usurpetur in bellis, 271B, accendatur ad prælium, 293A'. — Spiritualiter, figura est diaboli, 21B', 23B. — *Cf.* Behemoth.

ELIACHIM pontifex tempore Judith, qui in Nehemia Joachim vocatur, 164C, 257C', quis fuerit, 137B, A'. — Contra Assyrios præsidium comparat, 136D', cum magno zelo, 137D'. — Magnificis verbis extollit Judith, 164C.

ELIAS propheta zelo meruit in cœlum assumi, 278C. — In fine sæculi Judæos convertet, 479B'.

ELIASIB pontifex, nepos Josue, filii Josedec, 257C', Esdræ auxiliator in restauranda Jerusalem, 239D. — Cum Samaritanis conjunctus, 260D, 262A, legem transgreditur, 260A'.

ELIPHAZ, inter amicos Job principalis, a Deo carpitur, 39D. — An ipsi Deus apparuerit, 39A'.

ELISEUS propheta absque simonia munera Naaman accipere potuisset, 117B.

ELIU, amicus Job, « vir eloquens et non mediocriter sciens, » 75B, sapientius ceteris loquitur, 75D', et sublimia de Deo profert, 75B, etsi non omnino vera, 80B; sed quia bona indiscrete protulit, 1A', et imperite, 1B', et « nimis pompose », 75D', ideo carpitur, 1A'. — Verba Job non rite intellexit, 80A'. — Cur a Deo non redarguatur, 39D'.

EPHEBI et ephebia, apud ethnicos, quid, 344C'.

EPIPHANIUS (id est Pseudo-Epiphanius, de Vita et morte Prophetarum). Quæ de arca narrat, 337C', sat difficilia intellectu videntur, 338B, et pie intelligenda sunt, 338D. (Migne *Patrol. gr.* tom. 43, col. 393.)

EPISCOPUS, quomodo interpretetur, 256C'. — Episcopus Levitarum, quid, 256B'.

EQUUS, cur sic dictus sit, 16A'. — Animal forte, 15D, « hinnitivum », 15D, velox, 15C', audax, 15C', bellicosum, 15D', pedibus pro

Digitized by Google

armis utens, 16A, ad reipublicæ tuitionem creatus est, 16D. — Buccinæ clangore animatur ad bellum, 16C. 293A'. An leonem paveat, 16A'. — Libidinosus est, 106A', et lascivorum figura, 15A'; sed, resecta juba, castior efficitur, 15B'. — Quid tropologice, 522C.

ERUBESCENTIA, quid sit et quotuplex, 551C'. — Est optima passio, 551D'.

ESDRAS, sacerdos, 333A', et propheta, 485A, quem Hebræi Malachiam fuisse putant, 224C, amicus Xerxis, 223C', quomodo in Jerusalem venerit, 225D, et quando, 223C. — Legem populo solenniter legit, 248D, et prævaricantes corripit, 227B. — Zelo Dei accensus, 207, vitam in senectute veneranda finivit, 233, et typus est boni prælati, 230B'. — Novos litterarum apices excogitavit, 223B'; libros canonicos V. T., præter Pentateuchum, reparavit, 223B', 405A; auctor est librorum Paralipomenon, 209A, et Esdræ, 209A, saltem primi, 233, nec non primi Psalmi. 405A, 654B'. Librum Psalmorum cur ita disposuerit, 401A'. — Liber Esdræ, cum secundo Paralipomenon connectitur, 209A.

Esdras alii memorantur, itidem sacerdotes, unus cum Zorobabel reversus, 257C, alius exercitum Judæ comitatus, 361A.

ESTHER, Persarum regina, quæ fuerit, 178C', et quando vixerit, 173A, 267A. — Pulchra, 179A, C', humilis, 179B', 180D, sancta, 179D', magno apparatu ab Assuero ducitur, 180A. Quo jure nupserit gentili, 180D', et cur ad solium sit evecta, 184A. — Audacter se morti offert pro gente sua, 184B, 198A. Quomodo Aman disperdiderit, 188C, et Judæos salvaverit, 190A. — Quomodo a rege sit recepta, 184C', 201B; cur Aman ad convivium vocaverit, 185D. — Ejus jussu solennitas introducitur, 192A'. — Parvo fonte in visione Mardochæi figuratur, 193C', 195B. — Quanta ejus perfectio, 200B', et quid nos doceat, 200C'.

Liber Esther, a quo conscriptus et cur sic vocatus, 191C'. — Inter canonicos recensetur, 173A; verumtamen in eo reperiuntur quædam non authentica, 193D, et translatores multa addiderunt, 203A, quæ ex Josepho desumpta videntur, 185B, 196B.

EUNUCHUS diverse accipitur, 178A'. — Eunuchi duo in regem Persarum conspirantes a Mardochæo deprehenduntur, quomodo, 180A', 195C. Pro Aman conjurasse videntur, 196A'.

EUSEBIUS, Emisenus episc., allegatur, 31C'. (Migne *Patrol. gr.* tom. 86.)

EXCOMMUNICATIO valde timenda est, quare, 565A.

EXERCITUS. In duce cor est exercitus, 165C', in peditibus, robur, 134C; ideo in exercitibus antiquis pauci equites, multi pedites erant, 134B. — Exercitus inordinatus hosti victima est, 293D'. — Deus, de humanis copiis parum curat, 153D. — Exercitus cœlorum, quid, 251D'; quo sensu Deum adoret, 252B.

EZECHIEL propheta, in pluribus fuit figura Christi, 533A.

F

FACIES Dei, quid, 565D', 566B, 672C'; in hac vita videri nequit, 566A. — Quid facies animæ, 565D', 569B'. — In abscondito faciei Domini quomodo abscondatur anima, 591B'.

FAMA, quatenus tuenda, 55A. — Eam appetere licet, 277D, 294B, 301A.

FAMES hominis duplex, 632A'; in utraque justi a Deo saturantur, 632A'. — In bello plus metuenda est quam gladius, 134C.

FATUM, an sit aliquid, 63B, 64B, 65A'; num ejus nomine uti liceat, 63B. — Multipliciter sumitur, 63D. — Quid sit proprie, 65D', 71D; unde nomen acceperit, 65D, 71D; quomodo a Providentia differat, 65C; quatenus sit causa actuum humanorum, 66B'; quæ ei subjiciantur, 66A; an sit immutabile, 65C'. — In fato luna magnum dominium habet, 64B. — Libellus quidam de Fato Thomæ adscribitur, 63D, D'. — Pulchre de eo tractaverunt Petrus de Alliaco et Ægidius de Roma, 67A'. — *Cf.* Fortuna, Stellæ.

FEL piscis contra albuginem valet, 106A. — An virtute propria Tobiæ cæcitatem depulerit, 116A, 117B. — Tropologice, compunctionem signat, 116C'.

FELICITAS, quid sit, 547B. — Hominis felicitas in visione Dei ponitur, 626D. — *Cf.* Beatitudo.

FELICITAS (Sª) cum septem filiis martyr, Machabæorum matri comparatur, 359B'. (Acta SS. die Xª Julii.)

FESTIVITATES quædam Judæorum recensentur : Primo mense (Nisan), festivitas Azymorum sive Paschæ, 223A, a mundis per

Digitized by Google

septem dies celebranda, 222 D'. — Secundo mense (Ziv) xxiii^a die, festum liberationis Sion, 317 C'. — Tertio mense (Sivan). i.^a die post Pascham, festum Septimanarum seu Pentecostes, 369 B'. — Septimo mense (Tisri), prima die, festum Tubarum, 248 C'; xv^a die, festum Scenopegiæ, 304 A, seu Tabernaculorum, 249 D; xxii^a die, festum Collectæ, 250 A, in qua solvebatur tertia pars sicli in usum sanctuarii, 250 B. — Nono mense (Casleu). xxv^a die, Cambysa dies, in memoriam liberatæ Bethuliæ, 168 C, et festum Luminum, 289 C', seu dedicationis altaris, a Juda institutum, 289 B, B'. — Duodecimo mense (Adar), xiv^a et xv^a diebus, festum Phurim vel Sortium, 192 B, a Mardochæo decretum, 191 C'.

Mos octavam festorum agendi, unde venerit, 289 A. — Dies festivos decent convivia, 89 D, et lætitia, 249 A. Quomodo sint colendi, 250 B'.

FIDES, nec in Christo locum habuit, 432 B', nec est in Beatis, 528 B, D. — Oculus est animæ, 565 D', quæ non nisi fide Deo placere potest, 601 D. — Fides christiana nunquam penitus peribit, 465 D. — Celebratur fides Abrahæ, 277 B', et trium puerorum, 278 D.

FILII, quid parentibus debeant, 99 C. — Filii sapientes sunt parentum laus, 112 D', et gaudium, 113 C'. — Filii Dei, sic dicuntur Beati et viatores, quomodo, 421 A'.

FINIS non unam significationem habet, 427 C. Quo sensu Deus vel Christus finis noster dicantur, 427 D, 646 D'. — Finis hominis, quid et quotuplex, 646 B'. Ejus meditatio commendatur, 646 C'. — Psalmi « in finem », quomodo intelligendi, 427 C, 448 B, etc.

FIRMAMENTUM litteraliter octavam sphæram designat, 517 A'; allegorice, Christum, 517 C', vel Ecclesiam, 517 A.

FLUMEN. Super flumina quomodo terra fundata dicatur, 548 D. — Mystice, flumina vitia figurant, 548 D'.

FŒDERA olim vituli occisione firmabantur, 245 C.

FORNICATIO apud gentiles non illicita reputabatur, 179 A'. — Fornicationes cordis, quid, 661 B.

FORTITUDO, quid sit, 279 B. — Bellatoribus specialiter necessaria est, 279 B; sed prudentiæ moderamen sequi debet, 279 D. An fortiter agant sibi manus inferentes, 375 B', C'. — Judæ fortitudo commendatur, 279 A', 300 D', 301 D.

FORTUNA. Quid sit fortuna, 67 C, bona fortuna, 67 B', 68 A, B. — A Deo est vel a stellis, 70 A. Quantum ab astris pendeat, 70 C'. — Quum ad bona exteriora dumtaxat respiciat, æque justis et impiis favet, 70 C'. — In Deo nulla sunt fortuita, 69 A, in homine vero quædam, 68 D', sed rara, 71 B; insuper, casus fortuiti quoad hominem, 67 B', præordinati sunt quoad Deum, 67 C', et a providentia gubernantur, 72 C. — *Cf.* Fatum.

FRAMEA, quid sit ad litteram, 459 B, et mystice, 459 B, 536 D, 542 B'. — Quid framea Dei, 493 D, 496 D', 612 A, 618 C'. Sic dici posset anima Christi, 493 A'.

FRIGUS, qualitas feminina, 8 C, causa est glaciei, 8 C, et pruinæ, 8 D.

FRUMENTUM. A fructu frumenti quomodo multiplicentur homines, 429 D', 432 C. — Frumentum electorum, quid, 430 B.

FUGA. Quandonam hostes fugere liceat, 246 A'. — Fuga superantur tentationes blasphemiæ, 640 A'.

FUMUS in ira Dei quomodo ascendat, 500 D', 512 A.

FUNES, in Scripturis quid significent, 487 B. — Quomodo homini cadant in præclaris, 487 A, 489 B'.

FUNUS. In funere fidelium, ii pauperes sunt pascendi, 101 C, qui animæ defuncti suffragari possint, 101 D. — Reprobatur mos fercula in tumulis ponendi, 101 C. — Apud Judæos unicum toti familiæ erat sepulcrum, 238 A'.

FURTUM ex se grave est peccatum, 670 C, sed minus detractione, contumelia et susurratione, 670 B.

G

GABELUS, ex filiis captivitatis, vir justus, 103 A, ubi manserit, 112 C. — Tobiæ junioris nuptiis adest, 112 C'.

GALATÆ a Judæis magna afficiuntur clade, 360 C'.

GALENUS (Claudius) medicus, allegatur, 65 A.

GALLUS, quo sensu intelligentiam habere dicatur, 10 B.

GARIZIM mons. Qua de causa templum sit ibi constructum, 351 C, et Jovi dicatum, 351 D.

GAUDIUM, quid sit et unde oriatur, 600 C. — Impiis non convenit, 600 D, qui gestiunt potius quam lætantur, 600 C'.

GAZA, vel Gazara, urbs Philistinorum, 318A, 320D, munitissima, 318B', a Jonatha expugnatur, 311B, et a Simone, 317C.

GAZOPHYLACIUM, quid fuerit, 259C.

GELU. Quæ ejus causa, 8B.

GENTILES. Eis ad salutem sufficiebat in Deum remuneratorem credere, 121A', et moralia mandata servare, 142B'. — Præter Deum, inferiores deos colebant, 284A; frustra ex lege conati sunt idololatriam suam excusare, 283D'. — Olim possessio dæmonum, facti sunt hereditas Christi, 418A, Synagogæ substituta, 508A'. — Jumenta dicuntur, 625D'.

GLACIES, quotuplicis generis, 8C. — Ejus causa, quæ, 8C; imperfecte noscitur, 8A'.

GLADIUS duplex, 631B'. — Gladius Dei, quid, 443C', 447A'. — Qui accipit gladium gladio peribit, quomodo, 631D'.

GLEBA terræ, quomodo compacta sit, 10C'.

GLORIA, quid sit, 19B', 453B', 576A'. — Deo plenarie competit, 19B', et Christo plenissime data est, 453C'. — Gloria et decor Beatorum, quid, 528B. — Gloriam et honorem, quomodo Deo offerre possimus, 576C, A'; quo sensu cœli enarrent gloriam Dei, 516D', 517D, C'. — Lumen gloriæ, quid sit, 627D, quo opus est Beatis ad videndum Deum, 627B.

GLOSSA (Walafridi Strabi) passim allegatur, 90C', 93B, 157A', etc. (Migne *Patrol. lat.* tom. 113 et 114.) — *Adde* Rabanus.

GORGIAS, dux exercitus Syriæ, peritissimus, 285A, ex improviso Judam aggrediens, 285C, fugatur, 286D, 369B', et prope interficitur, 369C'.

GORRA (Nicolaus de) Ord. Præd. theologus et commentator (XIII° sæc.), 56B.

GRANDO, unde veniat ignoratur, 7B. — Quomodo justitiæ Dei deserviat, 7B.

GRATIA, quid sit, 679C. Peccato mortali deleto, protinus infunditur animæ, 441C. — In gratiarum largitione, Deus semper ad quamdam congruitatem respicit, 60C'. Cur eam sæpe deneget, 475C'. Hæc denegatio ira Dei vocatur, 566B. — Quanta gratia Christo concessa fuerit, 592A. Sine gratia ab aliis non distulisset, 504B'. — Novem gratiæ Dei ad animam, quæ, 544B et seq. — Invidia fraternæ gratiæ, pessimum peccatum, 555D.

GRATIANUS, Ord. S. Benedicti theologus, Decretalium compilator, 57A'.

GREGORIUS (S.) Papa, fuit primus libri Job expositor, 77B'. — Igneas acies in cœlo vidit, 348D. — Passim citatur, 2D, 13C', 14A, etc. (Migne *Patrol. lat.* tom. 75-79.)

GUILLELMUS Parisiensis episcopus, 66B, 105D', 331A'.

GUILLELMUS, dux Juliacensis, quod in fide catholica subditos servaverit, laudatur, 386.

GURGUSTIUM, quid ad litteram, 28A, et mystice, 28D.

GYMNASIUM, quid sit, 270B. — Contra legem in Jerusalem gymnasium erectum est, 270A'.

H

HAGIOGRAPHA, pars Scripturæ, 83. — In his etiam computantur apocrypha, 84.

HAMMONTANUS (Gerardus Kalkbrenner ab Hammont) Coloniensis Cartusiæ prior, psalterium duci Juliacensi dedicat, 386.

HAYMO, Halberstatensis episcopus, 52B', 167C, 219B, 273D', etc. (Migne *Patrol. lat.* tom. 116, col. 185.)

HEBRÆI templum versus orabant, 96B', 283D, et ter per annum in Jerusalem conveniebant, 87A. Quomodo peccata confiterentur, 251A. — Eis licebat filios aut filias ad tempus vendere, 244C. — Decimas quotannis solvebant, nonnunquam duplices, 87B, et post captivitatem, centesimam regi Persarum, 244C'. — Ob certas causas mortem sibi inferre, licitum putabant, 375B'. — Varia eorum regimina, 207. — Ex eis, in deserto, justi itinere non fatigabantur, perversi dolebant, 253D. — Mirabiliter salvati sunt a Judith, 163D, ab Esther, 190A, a Machabæis, 280B et seq. — Cur ab hostibus sæpe lacessiti, 147D. Duplici de causa in captivitatem ducti sunt, 120C', 224A'; multi in Persidem fuerunt translati, 333B', et pauci de Babylone redierunt, 220A. — Mox post captivitatem a Deo recesserunt, 247C', usuras exercentes, 243B, et cum Chananæis fœdera jungentes, 247B, ac connubia, 227B, B', 261B', invalida, 230B'. Quantum peccaverint, 227B', 228A. — Tempore Machabæorum, multi ad gentilium cultum transierunt, 269C', 273C', 344D'; verumtamen nunquam universi defecerunt a fide, 684B'. — Eis innotescebat æquitas Dei, 509D'. — Stellis et pulveri comparantur, quo sensu, 188A'. — *Adde* Israel *et* Judæi.

Digitized by Google

HEDERA, quid, 352 A. — In sacris Bacchi adhibebatur, 352 A.

HELIODORUS, Seleuci Philopatoris amicus, ad templum spoliandum missus, 342 C', divinitus castigatur, 343 A'. — Oniæ precibus sanatur, 343 C'.

HEMOR, rex Sichem, regi Asor subjectus erat, 150 C'. — Injuste a filiis Jacob occisus est, 150 A'. — Vere pœnituisse non videtur, 151 A.

HERCULES, pugnator fortissimus, 345 D'. Oceanum peragravit, 268 D'. — In honorem ejus fiebant quinquennalia, 345 C'.

HEREDITAS. Deus est nostra hereditas, 489 D, quam peccando amisimus, 489 A'; et nos hereditas ejus sumus, 433 B, 486 B'. — Quomodo hereditas Christi fuerit, 486 D.

HERMES Trismegistus allegatur, 64 A.

HERMONIIM, quid ad litteram, 675 B, et mystice, 675 D.

HERODES Agrippa I, divinos affectans honores, a Deo percussus est, 136 A.

HERODIUS avis, quæ sit, 14 C.

HIERONYMUS (S.) « gloriosus », 77 B', a crocodilis impetitus est, 105 A. — Librum Job non exposuit, 77 B'; librum Psalmorum ter transtulit, 401 D'. — Quoddam assertum ejus corrigitur, 57 A'. — *Adde* 52 B', 299 A', 401 C, etc. (Migne *Patrol. lat.* tom. 22-30.)

HILARIUS (S.), Pictaviensis episcopus, plures autumat fuisse psalmographos, 401 C. (Migne *Patrol. lat.* tom. 9, 10.)

HIRUNDO. Stercus hirundinis an virtutem cæcandi habeat, 91 A. Hirundines, mystice quid, 92 C'.

HISTORIA Scholastica (P. Comestoris) passim allegatur, 88 C, 105 A', 136 A, 142 A, etc. (Migne *Patrol lat.* tom. 198, col. 1045.) *Cf.* Magister in historiis.

Historia Alexandri, *vide* Alexander.

Historica documenta quæ in hocce volumine elucidantur : Cyri regis decretum pro Judæis, 210 A. — Darii regis epistola ad Samaritanos, 221 C. — Artaxerxis (Cambysis) epistolæ ad Samaritanos, 218 C', et ad Esdram, 224 B. — Artaxerxis (Assueri) decretum contra Judæos, 196 B, pro Judæis, 203 D. — Antiochi Epiphanis ad Judæos, 362 C'. — Antiochi Eupatoris ad Lysiam, 366 D', et ad Judæos, 367 B. — Antiochi Sidetis ad Judæos, 321 C. — Demetrii Soteris ad eosdem, 304 C. — Demetrii Nicatoris ad eosdem, 306 A', 316 D'. — Samaritanorum epistolæ contra Judæos, 218 B, 220 D', 246 A. — Spartiatarum ad Judæos, 312 A', 313 D, 319 D. — Romanorum ad Judæos, 299 C', 367 B'. — Judæorum ad fratres in Ægypto, 329 A, 331 C', ad Spartiatas, 312 D; eorumdem decretum de Simone, 320 A.

HOLOCAUSTUM, sacrificiorum præstantissimum, 40 B, cur totaliter incensum, 167 A', 273 A'. — Spiritualiter, quid holocaustum Christi, 521 B', Ecclesiæ, 523 C, animæ, 523 A. — *Adde* Altare.

HOLOPHERNES, princeps militiæ Assyriorum, 133 D', potentissimus, 134 A, ambitiosus et crudelis, 133 D', 134 D', 135 B, superbissimus, 140 A', et stultissimus, 141 C, quomodo a Judith deceptus sit, 156 B, et occisus, 160 A. — Juste a Judith deceptus est, 155 B', et merito feminea manu occubuit, 153 B. — Caput ejus super muros Bethuliæ suspensum est, 162 B, et spolia in templo consecrata, 167 B'. — An vere Nabuchodonosor pro deo habuerit, 140 B'. — Moraliter, varia signat, 136 B', 140 D', 168 C. — *Cf.* Achior, Bethulia, Judith.

HOMO signaculum Dei dicitur, 5 B'. — Multipliciter a Deo intelligentiam accepit, 10 A; sed opera Dei non nisi ex parte cognoscit, 457 D, et scientia ejus semper est obscura, 501 C'. — Eum liberum esse oportet, 49 A; verumtamen cuncta ejus subjacent Providentiæ, 53 B'; quoad corpus stellis subjicitur, 66 D, quoad animam, angelis, 67 C', quoad voluntatem, Deo, 67 D', 202 A. Ab angelis et stellis adjuvatur in electione, 68 D, et in exsecutione, 69 C; sed aliter ab angelis, aliter stellis, 68 B'. Quomodo a Deo dirigatur, 69 A', et adjuvetur, 69 C'. Quo sensu dicatur bene natus, 68 C, bene fortunatus, 67 B', 68 A, bene gubernatus, 68 D, et in quo, 69 A, D'. — Substantia ejus, quomodo sit apud Deum, 648 D'. — Licet sit vilis, 278 C', et jure dicatur vermis, 540 D, C', aranea, 650 A, nihilum, 647 B', et vanitas, 647 D', 648 A, in supernaturalibus æquiparatur angelis, 456 C', in naturalibus omnia ei quodam modo subjecta sunt, etiam cœlestia, 455 A'; rex non immerito vocatur, 420 A. — Quantum honoratus a Deo, 455 B. Misericordia Dei totus repletus est, 602 A; per fidem et gratiam fit filius Dei, 421 A', et Ecclesiæ, 679 D, et postmodum in regnum cœlorum introducitur, 679 A', ubi tanto clarius Deum videbit quanto magis eum desideraverit, 672 C. Quo sensu dicatur incola

Digitized by Google

in Ecclesia, 650 A', et peregrinus super terram, 650 B'. — Per culpam originalem totus sauciatus est, 637 B ; causam perversitatis in se habet, 21 D', et quamdiu vivit, peccato est obnoxius, 476 D. Ex se nec bona facere potest, 480 A', nec diabolo resistere, 28 A', 34 A', 35 A, 36 C, imo nec peccata distincte cognoscere, 660 B', C'. — Ex hominibus nullus coram Deo justus est, 18 C, 678 C' ; ideo nunquam ab eo injuste percutitur, 18 B. Cur Deus eum tentari sinat, 29 B. — Dei judicia non nisi reverenter scrutari debet, 38 A, eum in dubiis consulere, 38 C, de eo cum omni humilitate loqui, 19 C, et sicut omnia ab eo recepit, sic omnia ad eum referre, 575 C', etiam seipsum, 576 B, C. — Quo pacto Dei misericordiam provocet, 661 B' ; quomodo eum circumdare possit, 446 B', et laudare omni tempore, 606 A', quod est occupatio ejus optima, 606 D'. — Ab eo servanda est in prosperis humilitas, 676 D, in adversis, patientia, 676 D. — Homines in terris humidis majores sunt, 36 A. Ex eorum multitudine clarescit potentia Dei, 473 B'. — Hominibus placere, quatenus liceat, 54 D'. — *Cf.* Anima, Corpus.

HONOR, quid sit, 453 B'. — Quomodo Christus honore coronatus sit, 453 C'. Honorem et gloriam qualiter Deo offerre possimus, 576 C.

HUGO (a S. Victore), canonicus regularis, citatur, 203 B, 319 C', 616 B. (Migne *Patrol. lat.* tom. 175-177.)

HUMILITAS hominis Deum exaltat, 582 B, et ejus auxilium meretur, 153 B', qui humiles audire semper paratus est, 459 C', et eorum non obliviscitur, 460 A', 461 B'. — Germanam habet mansuetudinem, 153 B'. — Veri humiles humilitatem non jactitant, 542 D' ; eis datur dulcedinem Dei degustare, 609 A. — Humilitatis exempla videre est in Esther, 179 B', 180 D, 200 B, Nehemia, 261 A', 262 A', Tobia seniore, 94 A, C.

HYMNUS. Sic dicuntur Psalmi, quare, 400 B.

I

IBEX, quid sit, 12 A.

IDITHUN, cantor David, 643 D, veros Israelitas figurat, 643 D'. — Psalmi « pro Idithun », quomodo intelligendi, 644 A.

IDOLUM desolationis, quid, 274 A. — Idololatria, an a lege excusationem habeat, 283 C'. Stulte Porphyrius eam solis Judæis vetitam censuit, 284 A. — Super hoc peccato omnis ingemiscit natura, 486 B. — Milites Judæ aliquid de idolothytis retinentes interficiuntur, 369 D'. — Idololatria est Deo non obedire, 661 D', et Creatori creaturas præferre, 685 D.

IDUMÆI semper Judæis infensi, 289 B', a Juda debellantur, 290 A.

IGNIS in altari holocaustorum jugiter ardebat, 262 C. Jussu Jeremiæ, 336 B, in puteo absconditus, 333 B', quomodo ex aqua crassa, Nehemia orante eruperit, 333 D', 335 B. — Ignis de cœlo super sacrificia Moysis et Salomonis descendit, 338 C'. — Quomodo a facie Dei exardescat, 501 A, 512 A. — Ignis inferni vere corporalis est, 167 B. — Ignis in Scriptura quamcumque pœnam significat, 462 A', 495 C ; figura est caritatis, 557 A', et luxuriæ, 578 B.

IMAGINATIO, quantum valeat, 64 D'. — Stellarum effectum excludere potest, 65 A.

IMAGO. In imagine quomodo pertranseat homo, 648 B.

IMPII, quomodo a Deo recedant, 434 B, in circuitu ambulent, 473 B', in judicio non sint resurrecturi, 408 A', 411 C'. — Apud Deum in odio sunt, 411 B', et oblivione, 459 C ; et dicuntur non esse, 199 A'. — Quasi corpus et squamæ sunt dæmonis, 31 C ; comparantur aspidi, 481 B, guttur eorum, sepulcro, 435 C, 478 A, os eorum, pharetræ, 466 D', 468 B', 471 A. — Justos derident, 540 A', et aspernantur, 649 B. Cur eis invideant, 622 D', et nonnunquam prævaleant, 141 D, 316 C. — Impium, ut talem, odisse licet, 200 A, eique mala temporalia imprecari, 620 B. An de ejus prosperitate sit dolendum, 54 C. — Juxta humanam justitiam, impios præesse non decet, 48 B' : cur in prosperis sæpe ad mortem usque permaneant, 62 B. — Eorum prosperitatem Sancti frequenter mirati sunt, 48 B, eaque pusilli scandalizari solent, 628 B ; sed reapse fallax est, 628 C', et brevis, 629 A, 630 C', 635 D, fumoque simillima, 632 D' ; verum gaudium non norunt, 600 C, nec pacem, 134 A, 196 C' ; vera prudentia carent, 196 D', et iter eorum peribit, 409 A, 412 A', 414 C' ; imo, eos impunitam vitam agere, maxima est Dei vindicta, 57 A. — Ex eorum temporali prosperitate resplendet sapientia Dei, 49 A'. — Eorum judicium, cur Deus differat, 469 B. — Sors illorum ultima describitur, 525 A'. — Ire in consilium impiorum, quid sit, 405 B. — *Cf.* Peccatores.

Digitized by Google

INCUBI et succubi dæmones non corpore, sed animo delectantur, 22 C.

INDULGENTIÆ, unde hauriantur, 56 C.

INFANTES, quomodo salventur, 456 B — Eorum preces Deo acceptissimæ, 137 B'. — Sic dicuntur Apostoli, 452 B', et innocentes, 452 D.

INFERNUS perpetuus est, 35 D', 167 A. Ibi nulla confessio, 440 A. — Tormenta inferni plene explicari non possunt, 470 B. Quid ejus ignis et vermes, 167 B. — « Dolores inferni», quid, 499 C', 511 C. — Infernus quandoque pro limbo sumitur, 487 D', vel purgatorio, 490 A'.

INFIDELITAS. Eam simulare non licet, 353 D'.

INIMICUS. An liceat contra inimicos orare, 619 D', vel de eorum adversitate gaudere, 622 A.

INNOCENS. Juxta humanam justitiam innocens affligi non debet, 48 B'. — De innocentium pœnis Deus non ridet, 79 A'. — Innocentium oppressio, peccatum clamans ad Deum, 359 D.

INTELLECTUS est animæ caput, 444 A', suprema vis, 527 C', et lucerna, 505 C; per ipsum homo a bestiis differt, 449 D. — Astris indirecte movetur, 66 D', et sensitivæ partis tumultu turbatur, 21 D'. — Intellectus agens principium est cognitionis, 393 A'.

INVIDIA fraternæ gratiæ peccatum est contra S. Spiritum, 555 D. — Justis cur invideant dæmones, 622 C', et impii, 622 D'; Christo quare inviderint Judæi, 558 A'.

IRA, quid sit, 185 B', et quotuplex, 428 D', 429 A; unde veniat et quomodo cesset, 178 A. — Filia superbiæ, 607 D, semper vindictam quærit, 185 D', et misericordiam non novit, 189 B. — Rationem perturbat, 177 B, 594 A, imo totam naturam, 594 B; hominem brutis similem facit, 631 B, et S. Spiritum expellit, 631 D. — Reges præcipue dedecet, 196 D; et stultorum est illam demonstrare, 185 C'. In iracundia terræ quomodo loquantur impii, 622 C'. — Ira regis, quam metuenda, 176 D'. Ira mulierum, pessima, 92 B'. — In Christo non fuit ira inordinata, 588 A'. — Ira Dei quid sit, 500 B', 566 B, 583 B, 585 C, et quam formidanda, 418 C'.

ISIDORUS (S.), Hispalensis episcopus, passim allegatur, 16 A', 25 D', 107 D', etc. (Migne *Patrol. lat.* tom. 81-84.)

ISRAEL regnum, licet idololatriæ deditum, 86 B', melius fuit regno Juda, 212 B. — Israelitæ sub Osee in captivitatem duci meruerunt, quare, 86 C'. Bis in Assyriam sunt translati, 85 A', ubi fere omnes ad idola declinaverunt, 95 C; verumtamen multi ad Juda transierant, 213 D'. — Decem tribus ultra montes Chaspios translatæ, 226 A, in Media permanent, 226 C, innumerabiles, 226 A', et in fine mundi egredientur, 226 A'. — Dominus specialiter Deus Israel dicitur, quare, 334 D'. — Nomine Israel contemplativi designantur, 537 D, 540 B.

J

JACOB patriarcha, quotennis in Mesopotamiam profectus sit, 149 A', et genuerit Joseph, 149 C'. — Quo sensu faciem Esau vultui Dei comparare potuerit, 202 A'. — Cur vocatus Israel, 537 D. — Pater est contemplativorum, 537 D.

JADDUS seu Jeddoa, pontifex tempore Alexandri Magni, 350 C', illi obviam ivit, 258 A.

JASON, prius Jesus, frater Oniæ, 270 A', Judæorum dux infidelium, 331 B, qua via pontificatum obtinuerit, 344 C'. — Impius, 344 D', et idololatra, 345 D', Jerusalem deprædatur, 348 C'. — A Menelao fratre supplantatus, 346 B', pessime obit, 348 D'.

JASON Cyrenæus, magnam Machabæorum historiam scripserat, 340 A', in Scriptura compendiose redactam, 340 B'.

JEJUNIUM, quantum orationi prosit, 118 A, 138 A, 236 B. — Quatenus uxoribus permittatur, 145 C. — Jejunio justi tribulati refocillantur, 621 B'.

JEMINI et filius Jemini, quid significet, 444 D', 445 A.

JEPHTHE, judex Israel, quodam sensu propheta dici potest, 394 D.

JEREMIAS propheta sacerdos fuit, 376 D', vir eximiæ sanctitatis et fervidæ caritatis, 377 A. — Quomodo de temporali impiorum prosperitate questus sit, 48 B, 49 C', diei nativitatis maledixerit, 49 D', Jerusalem tradi suaserit, 146 C. — Ignem altaris, instante captivitate, in valle Josaphat abscondi jussit, 336 B, et arcam transtulit, quo, 336 B', 337 D', et quomodo, 337 A', C'. — Judæ apparet, 376 C', cui dat gladium, 377 A. — Quam aperte Christum prophetaverit, 536 A, vita et verbis, 665 C. — Epistolam transmigratis miserat, 336 C. — Ejus « Descriptiones » non habentur, 336 B.

Digitized by Google

JERUSALEM, civitas Dei, 121 C', 122 B', cultui divino specialiter deputata, 257 B, 274 B', ante et post Christum fidelibus fuit venerabilis, 122 D. — Ibi erat sedes pontificis et thronus regis, 341 D, et eo conveniebant Judæi ter in anno, 87 A. — A Chaldæis destructa, ab Esdra primo reædificata est, 210 D, 218 D, et iterum a Nehemia, 235 D', 236 C, quomodo, 239 D, 242 C'. Quibus sit frequentata, 256 B, et quomodo dedicata, 258 D. — A Syris non semel obsessa, 294 C', et occupata, 271 C, expilatur, 272 C, et extraneis repletur, 272 B', 283 C; tandem a Jonatha recuperatur, 303 C'. — Allegorice, figura est Ecclesiæ militantis, 122 D', 219 C', 237 A', etc. et triumphantis, 123 A. Quid muri et portæ ejus, 237 B', 241 B. — Jerusalem cœlestis describitur, 123 D. — *Cf.* Murus *et* Porta.

JOANNES Evangelista, cur per aquilam signetur, 17 C.

JOANNES Hyrcanus, filius Simonis, 317 D', unde dictus sit Hyrcanus, 323 B'. — Fortis et prudens, 317 D', inimicos Israel debellavit, 322 C, et Ptolemæi insidias evasit, 323 A'. — Fuit dux, pontifex et propheta, 323 C'. — Liber dierum sacerdotii ejus periit, 323 C'.

JOANNES Machabæus, dolose interfectus, 302 A', quomodo a fratribus vindicetur, 302 A'.

Adde Cassianus, Chrysostomus, Damascenus.

JOB, quo sensu diei nativitatis maledixerit, 49 D', 79 B', vel de justitia Dei conquestus sit, 79 D'. Cur modo se justum dixerit, 78 D, modo peccatorem, 79 B. — Licet de Providentia recte senserit, de ea temere disseruit, 2 A, nimis audacter Deum provocavit, 2 B, incaute locutus est, 37 D', ac superbe, 18 A', 37 D, et amicos scandalizavit, 18 B'. In verbis ejus multa videntur pugnare secum, 73 C, A', irreverentiam in Deum præ se ferre, 74 C, impatientiam, 74 C', et blasphemiam, 19 B, 74 C'; sed quia præ fervore doloris, multa præter intentionem protulit, 79 C, a culpa gravi excusandus est, 2 D, etsi venialiter deliquerit, 18 C'. Cur a Deo increpatus sit, 2 A', 17 B', 19 A, 36 D'. In quo erraverit, 17 D', 18 A. — Recte pœnas suas Deo adscripsit, 54 B. Similia ac Christus passus est, 535 D. Letaliter vulneratus, mirabiliter sanatus est, 42 A'. — Dei visionem habuisse non videtur, 38 A'. — Quæ ejus merces, 41 C'. Quasi duplicem vitam habuit, 42 B'. De qua uxore filios genuerit, 42 C', et cur sobolem duplam non receperit, 41 D'. Quare tanta prosperitate donatus, 42 D', et qua ætate mortuus, 43 A.

Amici Job, an fuerint reges, 91 D. Jamdudum ei amici erant, 78 A. — Quæ illis cum Job disputandi causa, 78 B'. — Sublimia de Deo loquuntur, 75 B; immortalem fatentur animam, 77 C', 91 C', et casum angelorum, 78 A; bona temporalia non reputant dignum virtutis præmium, 78 A': quare ergo a Deo carpantur, 39 C', 80 B; quantum peccaverint, 39 B'; quæ eorum pœna, 40 A, A'.

Liber Job tribus de causis difficilis est intellectu, 73 C. Quæ ejus materia et intentio, 76 D.

JOLUS (alias Jobas), frater Cassandri, 269 B, pincerna Alexandri Magni, eum veneno sustulit, 269 A, cum uxore et filio, 269 B.

JONAS propheta. Vaticinium ejus contra Niniven, cur non impletum, 125 C.

JONATHAS Machabæus, post Judam Judæis præfuit, 302 B, et pontificem egit, 304 A. — Exaltatus a Demetrio (Sotere), 303 C', Alexandro (Bala) 303 D', Ptolemæo (Philometore) 306 B, Antiocho (Dionysio), 310 C', ut cognatus regum habitus est, 307 B'. — Ejus victoriæ, 306 C', 311 A', 314 A, et ad Spartiatas epistola, 312 D. — Alexandri (Balæ) partes sequendo, 305 B', an bene fecerit, 305 C'. — Renovato cum Romanis fœdere, 312 B, mox captus est et occisus, 312 A, quomodo, 314 B', 316 C. — A Romanis et Spartiatis defletus est, 319 C.

Jonathas alius, dux exercitus Simonis. *Vide* 315 D.

JOPPE civitas a Japhet fundata, 215 A. — A Machabæis expugnata, 306 D', 315 D, facta est portus Judææ, 318 D. — Joppitæ in Judæos crudeles, 368 B, castigantur, 368 A'.

JORDANIS fluvius. In eo magna facta sunt miracula, 675 B. — Mystice, quid Jordanis, 24 C', transitus Jordanis, 675 A; quomodo de terra Jordanis oporteat nos memores esse Dei, 675 A.

JOSEPH patriarcha, quotennis Ægyptiis præesse cœperit, 149 B'. — Vere propheta fuit, 397 A. — Mansuetudine maxime placuit Deo, 153 B', 631 C, et castitate principatum meruit, 277 B'.

JOSEPHUS, dux Judæorum, 291 C, de stirpe sacerdotali, 291 C', ex superbia hostes aggrediens, 291 C, profligatur, quare, 291 A'. — *Adde* Judæi auctores.

Digitized by Google

JOSUE, filius Josedec, pontifex, cum Zorobabel de Babylone ascendit, 257 C, et templum reædificavit, 214 B. — Uxorem alienigenam duxisse dicitur, 227 D. — Describitur ejus progenies, 257 C'.

JOSUE, filius Nun, obedientia principatum meruit, 278 A.

JUDA regnum tribus constabat tribubus, 210 D', quæ nunc in Romano imperio dispersæ sunt, 226 D. Multo pejus fuit regno Israel, 212 B.

JUDÆI suum Messiam crucifixisse convincuntur, 508 B, et errant, gloriosum Salvatorem exspectando, 535 C'. — Immerito ex factis Christi scandalizabantur, 409 D'. — Licet eum ut blasphemum occiderint, 416 C, minime excusantur, 416 D, quia ex malitia eum persecuti sunt, 51 C, et ex invidia, 447 C', 478 C, 558 A', 616 A'. — Ex eis peccatores præcipue in Christum crediderunt, 508 B', sed pauci numero, 477 C'; ceteri, obtenebrati et indurati, 448 A, omnibus facti sunt ludibrio, 612 A', et fundamento carent, 612 C'. Verumtamen usque ad finem mundi permanebunt, 374 C, et tunc convertentur, 479 A'. — Quotidie pro destructione Romani imperii orant, 589 B'. — In Scripturis dicuntur renes Christi, quare, 487 D; item, tauri, 533 C', canes, 534 D', 536 C', leo, 536 C', unicornis, 536 C'. — Stultæ Judæorum fabulæ de Behemoth, 20 D', et Leviathan, 25 C'.

JUDÆI auctores : Josephus (Flavius) historiographus, sæpe allegatus, 124 B', 138 A', etc. Diu vixit post LXX interpretes, 203 C. In libro Esther multa ex eo desumpta videntur, 185 B, 196 B, 203 A. Subinde non consona Bibliæ narrat, 310 A', et deserendus est, 308 C. Falso putat a lege prohiberi actum, non animum, 292 B'. — Abraham Hispalensis (Ben-Chija), 25 B'. — Isaac (Benimiram), auctor libri Definitionum, 25 B', 64 C. — Rabbi Moyses, vel Moyses Ægyptius (Maimonides), 3 D', 25 A'. — Rabbi Salomon (Jarchi, vulgo Rasi), « maximus Judæorum doctor modernus, » 415 C; plerumque refellitur, 173 B', 217 D, 218 C, 222 B', etc.

JUDAS Machabæus, filiorum Mathathiæ medius et strenuissimus, 274 C, imo omnium tunc viventium fortissimus, 280 B', ob fortitudinem factus est dux fratrum, 279 A', 350 D', et populi, 283 B. — Multis de causis contra gentis hostes consurgens, 280 B, eos undique debellavit : Apollonium, 281 B, Seron, 281 C, Gorgiam, 285 A, 369 B', Nicanorem, 297 C, 361 B, 376 A, Bacchidem, 361 C, Idumæos, 290 A, Ammonitas, 290 B, Joppitas, 368 B, et alios, 368 A'. — Ad humana auxilia confugiens, 297 D, et cum Romanis fœdus iniens, 299 C', quodam modo meruit a Deo derelinqui, 297 D, et a solita magnanimitate cadere, 300 B'; ideo a Bacchide impetitus, 300 C, in prælio occubuit, 301 B'. — Summus sacerdos fuit, 320 C', et prophetalem visionem habuit, 376 B'. Quomodo dicatur decimus pontifex, 350 C. — Laudantur ejus fortitudo, 279 A', magnanimitas, 300 D', 301 B, dilectio in fratres, 377 D', zelus erga fidem, 350 D', domum Dei, 287 D, et defunctorum animas, 370 B. — Historiam bellorum suorum conscribi curaverat, 339 A'. An sit auctor libri II Machabæorum, 327. Epistola ejus ad Judæos Ægypti, 331 B', quandonam scripta, 332 A. — Moraliter, nos spiritualis prælii formam docet, 513 C'.

JUDAS patriarcha. Ab eo non est ablatum sceptrum usque ad Herodem, 339 D'.

JUDAS proditor, carissimus Christo fuit, 665 A'. — Quantum peccaverit, eum tradendo, 51 C. — Figuratus est per Absalonem, 423 D, et Achitophel, 444 D. — De eo in XL° psalmo tractatur, 664 C', 665 A'.

JUDICIUM multipliciter intelligitur, 408 A', 678 C; quodnam diligat Deus, 601 B'. Justorum judicium, quomodo Deus educat, 630 A. — Deus judex omnia intuetur, 685 A', omnia discutit, 685 A'. Judicium ejus quotuplex, 438 C', 457 B, 601 D'; quomodo illud absque præsumptione anima optare possit, 559 B. — Judicia Dei, quid, 625 C'. Sunt omnino sancta, 519 B'; abysso comparantur, 625 A'; ea scrutari non expedit, 625 C'. — Judicium extremum, quam terribile, 438 D'. Statim post Antichristi dejectionem fiet, 461 D'; et eo imminente, terra comburetur, 166 C'. S. Trinitas auctoritative judicabit, 416 D', Christus, ministerialiter, 419 B', Beati, approbative, 276 D. Quomodo impii in judicio non sint resurrecturi, 408 A'.

JUDITH, quæ fuerit, 145 A; de qua tribu, 149 B; quandonam vixerit, 136 C, et quamdiu, 168 A. — Casta, 145 B, A', fervens, 145 C, prudens, 129, et sancta, 145 B', sub lege evangelicam duxit vitam, 129, et liberatrix fieri meruit urbis suæ, 145 C', 162 B, et gentis, 164 A. — Quomodo Sichimitarum cædem laudare

Digitized by Google

præsumat, 150C; quo jure optaverit se ab Holopherne diligi, 152B, vel se ornaverit ad eum seducendum, 155D; an possit a mendacio excusari, 155D, B', 156C, 157B, D, 158A, et a falso juramento, 156B'. — Licite Holophernem occidere poterat, 152A', sed eum ad peccatum inducere nequibat, 152B, nisi permissive, 152C'; ideo, licet non injuste egerit, imitanda non est, 155A'. — Quomodo Holophernem deceperit, 156B, et occiderit, 160A. — Quæ ejus laudatio, 161D, 162A, 164A', gloria, 167D', merces, 164C', 167B'. — Qualiter in diebus ejus quieverit Israel, 168B. — In vita contemplativa et activa æque perfecta, 129, fuit exemplar viduarum, 148B', et figura B. V. et Ecclesiæ, 168C; recte Virago vocaretur, 129. Quo sensu præ mulieribus benedicta dicatur, 161A'. — Exponuntur ejus oratio, 149A, et canticum, 164D.

Liber Judith, a Nicæna Synodo receptus, 83, 137C, an sit canonicus, 129. Quibusdam videtur apocryphus, 132D'. — Quæ narrat, post Tobiam, sed ante Esther et Machabæos acciderunt, 267A.

JUGE sacrificium, quid, 214C. — Nunquam omittebatur, 214B'.

JUPITER. Idolum Jovis altari holocaustorum impositum, 274A, 287A', a Juda in cloacam projicitur, 287D'. Vocatur idolum desolationis, 274A, et abominatio, 292B. — Jovi Olympio dedicatum est templum Jerusalem, 351B, et Jovi Hospitali, templum Garizim, 351B, quare, 351D.

JURAMENTUM ab idololatra an petere liceat, 153A.

JUSTITIA dupliciter sumitur, 483C. Quæ ejus fons et mensura, 470C, et partes integrales, 101D', 610A. — Custos est pacis, 635C', et pro ea pati magnum Dei donum, 563B'. — Propriam justitiam quandoque commendare licet, 559C'; sed respectu Dei, injustitia potius diceretur, 334B', 562A'. — Justitia originalis, quid, 637B. — Justitia divina, quomodo ab humana differat, 76D', vel eidem assimiletur, 77C. In omnibus Dei operibus relucet, 93B'; quoad viatores investigabilis est, 77A', et montibus comparatur, 625A'. Quomodo verum sit Deum juxta merita unicuique rependere, 77A. Respectu Dei, dupliciter aliquid dicitur justum, 54A'. — Quid justitiæ semitæ, 544B', 545A, et sacrificium, 429C.

JUSTUS. Sunt justorum varii gradus, 45A'; sed coram Deo nullus justus dici potest, 18C. Vel perfecti, Christo comparati, tenebræ sunt, 502A', et misericordiæ Dei inniti debent, 590C. — Quomodo a Deo præveniantur, 527A', ac dirigantur, 633C, et lapsi erigantur, 633A'; quam cito exaudiantur, 574A'. — Eis quodammodo competit temporalis prosperitas, 53D, maxime ante Christum, 78C; omnia eis data sunt in hereditatem, 420C, ac possessionem, 420D, et eis ad vitam æternam proficiunt, 408A. Deus specialiter eorum dicitur, 433B', cujus sunt templum, 435C', 468B, et sedes, 467A'; nihil timent, 426C'; coram Deo perpetuo lætantur, 167C'. Eorum mors vocatur somnus, 424D', et ossa conservantur, 610D'; in extremo judicio cum Christo judicabunt, 276D. — Honores et divitias suspecta habent, 54C', et peregrinos se profitentur super terram, 650B'. — Non repugnat eos affligi, 29B', 54D, 86A, vel ab impiis superari, 347D', nec de hoc mirandum est, 46A'; imo hoc eis expedit, 54C', et quasi necessarium est, 118B', quia per tribulationes purgantur, 56A', Christo conformantur, 56B', purgatorium devitant, 56C', propriam discunt infirmitatem, 56D', in spe roborantur, 57A, et in humilitate, 57B, Dei gloriam promovent, 57C, Christi passionem complent, 56B, et toti proficiunt Ecclesiæ, 56B; ex eorum laboribus resplendet sapientia Dei, 49A', et desumuntur indulgentiæ, 56C. Verumtamen in hac vita nunquam penitus impiis traduntur, 634C'; et eorum persecutores plerumque pessime obierunt, 461B. — Justis incipientibus omnia dura sunt, 495A', perfectis autem suavia, 495B'; sæpe tamen ab eis aufertur consolatio, 476A, et adversis probantur, 555A, 610B'; sed in his non dejiciuntur, 632A', imo potius gaudent, 563B', et impiorum irrisionibus lacessiti, 649B, eas patienter tolerant, 677C. Incipientes in recordatione peccatorum, proficientes in meditatione divinorum exercendi sunt, 598C. — Quo perfectius Deum noverint, eo magis se despiciunt, 38D'. Facile decipiuntur, 468C', sed in gravia subito labi non solent, 624D. Semper in hac vita debent perfici, 495C'. Quomodo in lege jugiter meditari queant, 407D, vel Christo assimilari, 411A'. — Quo sensu impiorum prosperitatem subinde mirati sint, 48B,

Digitized by Google

49 C', et contra eos oraverint, 242 B, vel se a Deo relinqui conquesti sint, 686 A, vel propriam commendaverint justitiam, 559 C', 607 D, vel de propria fama fuerint solliciti, 55 A, 294 B, 301 A. Quo animo sæpe mortem optaverint, 94 D', 96 C', et cur de terra quandoque citius tollantur, 96 D'; quomodo nonnullæ Sanctæ a voluntaria nece excusentur, 375 B'. — In Scripturis vocantur cœli et dies, 517 B, lucerna, 630 B, pars Christi, 487 B. — Justi V. L. quantopere Christi adventum exspectaverint, 474 C, 657 B', et properare sategerint, 474 A'; quantum gentis peccata defleverint, 646 A. E vita migraturi, filios adhortabantur, 99 B.

L

LABIA, quomodo dolosa dicantur, 472 D, 491 C'. — *Cf.* Lingua.

LACRIMÆ, quantum apud Deum valeant, 93 B. — Orationem fulciunt, 93 B, 118 A', 236 B, cujus vim participant, 650 C, animam purgant, 442 A, levant dolorem, 672 D', consolationem merentur in hac vita, 98 C, in futura jucunditatem, 585 D', panis sunt animæ gemebundæ et amorosæ, 673 A.

LACUS. Quid in Scripturis significent lacus, 444 A, 447 D', lacus miseriæ, 652 A, 657 B, C', descendentes in lacum, 571 B.

LAQUEUS in Scriptura varia designat, 461 C, 464 A, 587 A', 613 A, 621 A. — Quid laquei mortis, 499 D', 511 D. — Laqueos quomodo Deus super peccatores pluat, 469 C'.

LAUDES divini Officii circa auroram cantari solent, 251 D. — Laudare Deum nobilius est quam orare, 510 C'. Quomodo sic laudare possimus omni tempore, 606 A'. — Deum laudando orare, efficacissimus deprecandi modus, 93 B, 110 A', 286 D', 510 C', et remedium contra tentationes, 511 A. — Sic Deum laudare debemus ut propriæ miseriæ non obliviscamur, 673 D'.

LECTUS ut tumulus adeundus est, 440 A'. — Lectum lacrimis rigare perfecti est pœnitentis, 440 D. — Mystice, quid lectus, 440 A', B', lectus doloris, 664 B, 667 D'. — *Cf.* Stratum.

LEO, fortissima bestiarum, 17 A', quandoque ab equo impetitur, 16 A'. Ejus rugitus, quam terribilis, 280 B'. Allegorice, Christum ac diabolum significat, 194 A, 542 C', 622 A', et persecutores Christi notat, 536 C'. — Leæna, voracissima fera, 11 B.

LEVIATHAN, quomodo interpretetur, 25 D'. — Quid sit, 25 A'. — Figuram gerit diaboli, 25 B', etc. — Quid de eo fabulentur Judæi, 25 C'. — *Vide* Cetus.

LEVITÆ, qua ætate servitio templi addicti, 215 B. Ibi sacerdotibus deserviebant, 225 D'. — Eis dabantur decimæ, 157 A', et ciborum primitiæ, 255 D', et ipsi decimarum decimam solvebant pontifici, 256 A'. — De mundatione eorum, 258 A'. Quomodo a popularibus sanctificati, 259 C', ipsi sacerdotes sanctificaverint, 259 C'. — Levitarum episcopus, quid, 256 C'. — Spiritualiter, figura sunt clericorum, 486 B'.

LEX, quomodo sit implenda, 407 A. Scientia ejus ordinatur ad opus, 224 A. Ad bonum populi confert unitas legis, 273 B. — Lex Domini, quam pretiosa, dulcis, 519 C', et proficua, 520 A. Præcepta ejus dicuntur viæ, 552 D, consilia ejus, semitæ, 552 A'; jugiter est pensanda, 566 D. Quid sit in ea meditari die ac nocte, 407 C. — Lex Moysis, quomodo populo data, 252 B', et ab Esdra intimata, 248 D. Triplicia habebat præcepta, 658 D', moralia, quæ adhuc vigent, 659 A, judicialia, quæ modo vigere possent, 659 A, cærimonialia, quæ jam sunt mortifera, 399 B', 659 A, multa ex his a Christianis spiritualiter servanda sunt, 399 B'. Raro aut nunquam de futura retributione loquitur, 91 D'. An peccandi animum prohibuerit, 292 C'. — Lex Christi, cur dicatur virga ferrea, 418 B, et lex gratiæ, 509 C'.

LIBANUS mons, quomodo interpretetur, 577 D', 635 C. — Quid cedri Libani, 635 B, et quomodo a Domino confringantur, 577 C'.

LIBER. Quot sint libri Psalmorum, 401 A, et ubi finiatur primus, 666 B'. — « In capite libri », quid significet, 654 A', 659 D.

LIBERTAS. Ad perfectionem divinæ gubernationis pertinet ut homo liber maneat, 49 A. — Effectus necessarius quantum ad primam causam, liber esse potest quoad alias, 53 A'. — *Cf.* Casus, Fatum, Fortuna. Providentia.

LIGNA altaris, a quo præstita, 255 A'. — Nomine ligni in Scripturis designantur animæ, 407 C', et Beati, 414 C. — Christus est lignum fructiferum, 410 A', lignum vitæ et sapientiæ, 410 D'.

LIMBUS patrum vocatur lacus miseriæ, 657 C'. — Ibi certa erat salutis exspectatio, et quies, 94 C', sed et aliquo modo ira Dei, 358 D'. Utrum melius fuerit, in limbo an in terra

Digitized by Google

degere, 94 C'. — Patres in limbo pro viatoribus orabant, 377 A. — Ibi mansit anima Christi usque ad tertiam diem, 487 D'. — *Cf.* Infernus.

LINGUA erudita prælatos decet, 541 D'. — Linguæ custodia laudatur, 610 C; taciturnitas autem quædam mala est, 640 C'. Lingua quomodo custodienda, 644 D. — Ut quis in verbis non delinquat, 644 B', pensare debet quibus loquatur, 644 C', quando, 645 A, ubi. 645 B, quantum, 645 B, quomodo, 645 C, quare, 645 D; insuper ipsi opus est gratia Dei, 645 A'. — *Cf.* Labia, Martyr.

LOCUS, quid sit. 630 C'. — Loca sacra propter inhabitantes Deus eligit, 349 B', et ob eorum scelera respuit, 349 B'.

LOER a Stratis (D. Theodoricus), Coloniensis Cartusianus, Psalmorum Commentarium Leodiensi episcopo dedicans, 383, quomodo illud laudet, 385.

LONGÆVITAS Mardochæi, quanta, 174 A, C'. — Varia longævitatis exempla, 174 D'.

LUCIFER planeta. Sic dicuntur Venus, 9 C, et Mercurius, 9 A'. Idem est ac Vesper, 9 C, A'. *Cf.* Venus, Vesper. — Lucifer, diabolus, caput malorum, per regem Babylonis figuratus est, 400 A'. *Cf.* Dæmon.

LUCTUS. Lugentibus olim consuetum fuit vestes scindere, 183 A, 227 C', 275 C, saccis indui, 183 A, pulvere caput conspergere, 183 A, 686 A', crines evellere, 227 C', et humi jacere, 686 A'. — *Cf.* Funus.

LUCUS idololatrarum, quid, 135 C'.

LUDUS alter est malus, 97 B, alter virtuosus ad eutrapeliam spectans, 97 A.

LUMBI in viris vasa sunt seminis et fomes libidinis, 21 C'. — Diaboli fortitudo, cur in lumbis posita dicatur, 21 C'; 22 B. — Lumbos accingere, quid sit, 1 B'.

LUMEN divinum principium est prophetalium cognitionum, 393 A', et visionis beatificæ, 627 B. — Quid sit lumen vultus Dei, 429 C', lumen gloriæ, 627 D'. — Quomodo Beati in lumine Dei videant lumen, 627 A. — Festum Luminum, quid, 289 C'. — *Cf.* Lux.

LUNA minor est terra, 3 A, et sole velocior, 9 D. — Pluviis præsidet, 8 C', et in fato plurimum valet, 64 B. — Allegorice, figurat Ecclesiam, 453 B, et humanitatem Christi, 456 B'.

LUX et tenebræ, unde causentur, 6 B'. — Lux in cœlestibus corporibus sedet, 6 A'; viæ ejus ignorantur, 7 C. — « Lux Dei », sic dicitur gratia, 679 C. — *Cf.* Lumen.

LUXURIA intellectum maxime obruit, 638 D', et per eam præcipue dæmones hominibus prævalent, 22 B. — Libidinosi sunt membra diaboli, 33 D; per equos signantur, 15 A'. — Cur illicitis copulis fecunditatem tribuat Deus, 50 B'.

LYRA (Nicolaus de) Ord. Min., notissimus postillator, nimis litteraliter Psalmos exposuit, 616 A. — Passim allegatur, 8 A', 21 A, 32 B, etc. — Sæpe, tacito nomine, verbo « Quidam » designatur, scilicet, quum improbanda videtur ejus sententia, 76 D, 91 A', C'. 102 C, etc.

LYSIAS, cognatus et vicarius Antiochi Epiphanis, 282 A', nutricius Antiochi Eupatoris, 364 C, quem regem constituit, 292 D', totius Syriæ præfectus, 364 C, vir prudens, 366 D, pluries a Juda fugatus, 285 B, 286 D, 287 C, 365 D, potentiam Dei agnoscit, 366 D, et Judæis placatur, 366 B'. — Menelaum occidi curat, 371 A'.

LYSIMACHUS, frater Menelai, pontifex factus, 346 D', ob sua facinora interficitur, 347 C. Cur in pontificum serie non computetur, 350 A', B'.

M

MACHABÆI, filii Mathathiæ, quando vixerint, 267 A. — Principes erant, 339 C', et sacerdotes, 377 A, et singulari privilegio, pontificio fungi potuerunt, 320 C'. — Omnes pro patria occisi sunt, 315 B, 323 A, A'. Eorum sepulcra describuntur, 316 D. — *Cf.* Eleazar, Joannes, Jonathas, Judas, Mathathias, Simon.

Machabæorum liber primus non est canonicus, licet verus, 267 B. Quadam difficultate non caret, quare, 285 C. Quid nos doceat, 265. — Liber secundus, a quo scriptus, 327; quæ hujus materia, 340 C, scopus, 340 C', methodus, 341 A. Quibusdam videtur apocryphus, 337 B', sed temere, 338 C.

MACHABÆI septem fratres, quomodo ab Antiocho Epiphane interfecti, 354 C et seq. Martyres fuerunt et in Ecclesia honorantur, 359 A. — Eorum mater, præ mira constantia, 356 D', nullam ante Christum parem habuit, 356 C', et est venerandus bonorum parentum typus, 359 A'. — Quid mystice signent, 359 A'.

MAGISTER in historiis. Sic vocitatur Petrus Comestor, auctor Historiæ scholasticæ, 84, 124 A', 125 A, etc. (Migne *Patrol. lat.* tom. 198.)

MAGISTER Sententiarum, alias Petrus Lombardus, auctor libri Sententiarum, citatur, 13 C'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 191, 192.)

MAGNANIMI, quo sensu contemptivi dicantur, 483 B'.

MALEDICTIO. Deo maledicere, nunquam in Hebræo directe exprimitur. 368 C'. Cuipiam maledicere, quatenus liceat, 261 B'. — Psalmorum maledictiones et imprecationes, quomodo intelligendæ, 472 C', 552 C, 590 A', 595 D, etc.

MALUM, quotuplex, 50 A. Nunquam ut tale diligitur, 625 B. — Quum malum auferre sapientissimum Deum deceret, 48 B', quid ei tribuendum in malis culpæ, 41 D, 50 B, et pœnæ, 52 D, 461 D'. — Unicum hominis malum est peccatum, 58 A', et melius est non esse quam peccare, 274 B'. — Minus est malum quæcumque mala videre, quam non esse, 274 C', mori, quam gentis opprobria cernere, 275 B. — *Cf.* Pœna, Peccatum, Tribulatio.

MAMMOTRACTUS Bibliæ (Joann. Marchesini, Ord. Min. theologi), citatur, 13 D'.

MANASSES sacerdos, frater Jaddi pontificis, quomodo templum in monte Garizim erexerit, 351 C.

Manasses alius, vir Judith, 145 A.

MANE, in Scripturis varie sumitur, 433 D', 434 A, 437 B. — Quo sensu ad matutinum demoretur lætitia, 580 A', 583 C, 585 D.

MANICHÆI erroris arguuntur, 23 D, 455 B', 548 B.

MANNA, quot sensus habere possit, 399 A.

MANSUETUDO, quid sit proprie, 553 D'. — Magna est et amabilis virtus, 631 C, germana humilitati, 153 B'; quæ iræ directe adversatur, 674 D. — Ea præcipue Moyses, Joseph et David Deo placuerunt, 153 C', 631 C. — Mansueti in multitudine pacis delectantur, 631 A, S. Spiritus donis sunt capaces, 553 C', et informatione divina, 553 D'. — *Cf.* Mititas.

MANUS Dei, quid sint, 587 B', 597 C. — Inter eas fideles morientes animam commendare solent, 587 C'. — In manibus Dei quomodo sint sortes nostræ. 589 D'.

MARDOCHÆUS, quis fuerit, 178 C', quandonam in captivitatem sit ductus, 173 C', 194 C, quot annis vixerit, 174 A, C'. — Cur coram Aman genu flectere noluerit, 186 B. Licite ei honorem deferre potuisset, 186 B', sed, instigante Deo, renuit, 186 C'; ideo a peccato excusandus est, 185 D'. — Quomodo eunuchorum insidias detexerit, 180 A', 195 C, et gentem liberarit interitu, 183 C, 201 A. — Ab Assuero honoribus auctus, 187 D', et in locum Aman suffectus, 190 A, C', factus est secundus a rege, 193 C, et in regno percelebris, 191 B. — Ejus somnium explanatur, 193 C', 194 C. Licet visionem habuerit, non censendus est propheta, 193 B'. — Solennitatem Phurim instituit, 192 A, A', et librum Esther conscripsit, 191 C'. — A Josepho non memoratur, 174 B'. — *Cf.* Aman, Esther.

MARE vocatur abyssus, quare, 602 A'. — Usque ad ima nec pervadi potest, 6 A, nec congelari, 8 B'. — Primo operuit terram, 4 B; cur modo recesserit, 4 B'; quo sensu super illud terra fundata dicatur, 548 C. — Ex eo oriuntur nubes, 4 C. — Ex dispositione maris elucescunt potentia et sapientia Dei, 4 A. — Marina animalia majora sunt terrestribus, quare, 36 A. — Moraliter, quid mare, 454 A', 548 C', et pisces maris, 454 A'.

MARIA Virgo rhinocerotem, id est Verbum, cicuravit, 14 A, quod in ejus uterum libentissime venit, 518 B', ubi sibi desponsavit Ecclesiam, 518 B'. — Mirabiliter Filium edidit, 533 D. — Quanta per totam vitam perpessa sit, 55 A', et quare, 55 D. — Propheta fuit, 663 B'; vir dici potest, 406 C; merito sol vocatur, 518 A'. — Ab Esther figurata : nunquam in sua excellentia lætata est, 406 C; a Judith : diabolum devicit, 168 C, spolia ejus Deo dicavit, 168 B', gloria est Jerusalem, 168 C'.

MARTINUS Polonus, Ord. Præd. auctor Chronicæ S. Pontificum Imperatorumque, ac de septem ætatibus mundi, 174 D'.

MARTYR nullus tam acriter passus est ut Christus, 530 D. — Martyrum tormenta consolatio divina leniebat, 355 A ; adeo ut nonnulli vix ea sentire viderentur, 530 A'. — Multi, lingua abscissa, loqui non desierunt, 355 C'. — Martyribus accommodari possunt Psalmi xxx, 594 C', et xliii, 686 D.

MASPHA, urbs Benjamin. Ibi requievit tabernaculum, 283 A'; et ad Machabæos congregati sunt Judæi, 283 D.

MATHATHIAS, Machabæorum pater, quis fuerit, 274 B. — Legis zelo plenus, 274 D, adversus idololatras consurgit, 275 D, et fit populi defensor, 276 C'. — Sabbati legem Judæis explicat, 276 B'. — Novissima ejus verba, 277 B. — Uno anno Judæis præfuit, 279 D'.

Digitized by Google

MATRIMONIUM quo fine sit contrahendum, 107D, et quo modo, 97C, 106B', 107A'. — Cultus disparitas illud dirimit, 230A. — Actus conjugalis orationi officit, 106C', raro sine culpa exercetur, 97C, quandoque cum mortali, 107B'. Quomodo exercendus, 107B, 111D'. — Cur multi in matrimonio præmature moriantur, 106D. — Conjugii benedictio, quid, 107A, C. — Judæis, quatenus licuerit in alia tribu contrahere, 87D, 149B, vel cum alienigenis, 180D', 230B'. Judæi Chananæis ita consociati, 227B, B', ab Esdra corripiuntur, 227C', et a Nehemia, 261B'. Quantum peccaverint, 227B', 228A, et quam incaute egerint. 261D'.

MEDI, primo Assyriis subjecti, 88C, tempore Cyri, 131B, Persis conjuncti sunt, 268A'. — Alexandro Magno adhæserunt, 268C'. — Mediæ regnum majus erat Perside, 210B. Decem tribus ibi usque modo permanent, 226C.

MEDITATIO dupliciter intelligitur, 407A'. — Animam accendit, 646D. — Commendatur meditatio legis, 407C, passionis Christi, 536A', et finis nostri, 646C'. — Incipientes in peccatorum recordatione, proficientes in divinorum contemplatione exercitari debent, 598C. — *Cf.* Oratio.

MENDACIUM, quotuplex, 434A'. — Non est mendacium veritatem obscuris verbis celare, 156C. — Sic vocantur bona temporalia, 428D.

MENELAUS, prius Joannes, frater Oniæ, 270A', de qua tribu oriundus, 346C, et quomodo frater Simonis appelletur, 346D. — Pontificatum non semel indigne adeptus, 346B', 347C', Oniam interfici curat, 347A, et Judæos apud regem criminatur, 349B, 371D; tandem, suadente Lysia, 371A', in cinere exanimatur, 371B'.

Menelaus alius, Judæorum legatus ad Antiochum Eupatorem, 367C, A'.

MENSA propositionis, quid, 271D, et ubi posita, 288A'. Ab Antiocho Epiphane comminuta est, 271B'. — Mensa Dei, quid, 545A', 547A.

MENSIS. Qui fuerint menses hebraici : Adar, 181D', 222C', Casleu, 229C', 235A, 273D', etc., Elul, 247A, 320B, Nisan, 133C, 237D, Tebeth, 179D', Tisri, 238A ; et menses Macedonii : Dioscori, 366C', et Xanthicus, 367C. — *Cf.* Festivitas.

MERCENARIUS. Mercedem operariorum detinere, quantum peccatum, 100C'.

MERCURIUS planeta, minor est terra, 3A, parvus et raro visibilis, 9D. — Dicitur Lucifer et Vesper, quare, 9D.

MICHAEL archangelus, olim Synagogæ princeps, 612B', nunc Ecclesiæ præest, 608D.

MIRACULA. Solius Dei est cæcum natum curare, 116B, et mortuos suscitare, 120D. — Christi miracula a divinitate et humanitate æque procedebant, 516D'. — Miraculorum operatio ad prophetiam pertinet, 393C, 398A. Tempore Antichristi non amplius fient in Ecclesia, 462C. In Scripturis fulgura dicuntur, 503B.

MISERICORDIA Dei replet terram, 601D', et in omnibus operibus ejus apparet, 93B', 553D', 554B. Quomodo una dicatur, et miserationes multæ, 552D'; quo sensu Deus in die mandaverit eam, 676D. Nihil nobis salubrius est quam ejus meminisse, 583A, et ad eam confugere, 120B'. Quomodo ipsam provocare possimus, 661B'. — Misericordia quantum in Scripturis commendetur, 83, 99C'. Justorum est proprie, 633A, et ad prælatos maxime spectat, 29A'. — De congruo conversionem meretur, 100C, et purgatorii pœnas minuit, 100B. — In operibus misericordiæ, Deus magis affectum quam donum pensat, 100A. Quantum in ipsis delectetur, 601D. — Misericordiæ commendantur David, 278B, Job, 667B, et Tobias, 83, 112C'. — Per citharam significatur, 600D'. — *Cf.* Eleemosyna.

MITITAS, quid sit proprie, 553D'. — Mites, quomodo terram sint possessuri, 554B', 630B', 631A. — *Cf.* Mansuetudo.

MNA, pondus, quantum, 319C'.

MOABITÆ a cœtu Israel in perpetuum arcebantur, 162C', 260A, quare, 260B. — Holopherni contra Judæos suppetias ferunt, 143C'.

MODIN, urbs in montibus, patria Machabæorum, 274C. — Ibi erecta sunt eorum sepulcra, 316D.

MONS. Transmigrare in montem, quid significet, 466B', 467C, 470D'. — Mystice, quid sint montes, 500A' C', mons Domini, 482C', 549A, montes diaboli, 23B', montium fundamenta, 500A', C', 511D'.

MORS a quo facta sit, 53B. — An et cur appetenda, 671D; quo animo eam nonnulli justi optaverint, 94D'. — Cuicumque peccato præferenda est, 446A; imo melius est mori quam mala gentis videre, 275B. — Mors in bello justo suscepta æquipollet mar-

Digitized by Google

tyrio, 284 D'. — An liceat sibi mortem inferre, 375 B'; quomodo nonnullæ Sanctæ a voluntaria nece excusentur, 186 C', 375 B'. — In quo quis mortuus est statu, in illo permanet, 634 B. Quo sensu dicatur memoria Dei in morte non esse, 439 D'. — Quid sint mortis portæ, 6 B, dolores, 499 A', 511 B, laquei, 499 D', 511 D, umbra, 685 B. — Dicitur laqueus, 613 A. — Mortis meditatio commendatur, 646 C', 647 A'. — Dei est mortuos suscitare, 120 D. Salubre est pro illis exorare, 370 C, C'.

MOYSES, absolute loquendo, est altissimus Prophetarum, 228 B', 397 B', quare, 397 C'. — Mansuetudine præcipue placuit Deo, 153 B', 631 C. — Ubi sepultus, 338 A'. — Ejus Pentateuchus ab Esdra non fuit reparatus, 223 B', 405 A. — *Adde* Judæi auctores.

MULIER prona est ad fletum, 104 A, ad iracundiam, 92 B', impatientiam et invidiam, 228 B. — Apud Judæos, quæ mulieres extra tribum nubere possent, 149 B. Apud Persas, seorsum vescebantur, 176 D. Apud ethnicos, in sacris Veneris nudæ incedebant, 270 C. Apud Christianos quædam, ne violarentur, instinctu divino se occiderunt, 186 C'. — Mulieres in balneis cum viris lavari vel viris inservire, indecens est, 176 A'.

MUNDITIA ad Phase requisita, quæ, 222 D'. — Mundationis ritus, quoad sacerdotes, 258 A', Levitas, 258 B', plebem, 258 B'.

MUNDUS, quo mense creatus sit, 237 D'. Falsum est illum esse animal cujus anima sit Deus, 252 A. Mundi rationem humana scientia attingere nequit, 3 D. — Mundus quomodo a S. Spiritu arguendus sit, 519 A. Quo plus eum spernimus, eo magis Deum diligimus, 671 B. — Mundani in religiosis caritatem exstinguere conantur, 542 D. Per mare significantur, 548 C'.

MUNUS, quotuplex, 558 B. — Munera excæcant oculos, 558 B.

MURI Jerusalem quomodo instaurati, 239 D, 242 C', 247 A, et dedicati, 258 D, C'. Quid mystice, 237 B'. — Quid sit transgredi murum, 505 A'.

MUSICA. Melodiis se antiquitus ad prælium accendebant, 377 B'. — *Cf.* Tuba.

N

NABOTH fuit sanctus et martyr, 621 A'.

NABUCHODONOSOR, de quo in Judith, 132 C, qui in Esdra Artaxerxes et Assuerus vocatur, 132 C, quis fuerit, 132 C, 133 C, et quibus præfuerit, 132 B'. — Superbus, 132 A', 133 A', et tyrannus, 141 D, divinos honores affectavit, 135 C', ideo juste regno privatus est, 136 A, et pessime obiit, 168 C'. — Quo sensu Deus terræ dicatur, 140 B'. — Quid mystice, 133 A', 136 B'.

NABUCHODONOSOR, rex Babylonis, quomodo vasa templi asportaverit, 211 C, et diis suis consecraverit, 211 D. — Gentes debellando, Deo servivit, 52 C.

NABUTHÆI, qui, 290 A', et unde sic vocati, 302 D. — Jonathæ opem ferunt, 302 D.

NAHUM. Ejus prophetia in Niniven prædestinationis fuit, 125 C. — *Cf.* Jonas.

NATHINÆI, qui, 213 B. — Habitabant in Ophel, 240 D'; ligna sacerdotibus parabant, 255 A', et aquas portabant, 213 B.

NATIVITAS. Natalis dies, dies afflictionis recte dicitur, 512 C'.

NATURA ad nutum Dei cursum perficit, 16 D'.

NAZARÆI, alii in perpetuum erant, alii ad tempus, 284 C.

NECESSITAS, quandonam excuset a peccato, 351 C'. — Effectus necessarius quoad primam causam, liber esse potest quoad secundas, 53 A'. — *Cf.* Fatum, Fortuna, Libertas.

NECROMANTICI, quantum a dæmone fallantur, 28 C.

NECTENABUS, rex Ægypti, adulterio Alexandrum Magnum genuit, 267 A'.

NEHEMIAS sacerdos, 255 A, 333 A', alias Athersata, 213 B', regis Persarum pincerna, 233, 238 A, et amicus, 238 C', quomodo licentiam reædificandi Jerusalem obtinuerit, 237 D. — Urbe restaurata, 239 D, usurarios corripit, 243 B, templum a profanorum incursu mundat, 260 A, decimarum solutionem urget, 261 A, sabbatum curat observandum, 261 D, illicita abrumpit matrimonia, 261 B', antiqua Scripturæ volumina colligit, 339 D, et fœdus cum Deo renovat, 254 B', 255 A. — Altaris ignem absconditum, 333 B', quomodo repererit, 333 D', et ex aqua erumpere fecerit, 334 A, 335 B. — Caritate in gentem conspicuus, 236 B, liberalitate, 244 B', et humilitate, 261 A', 262 A', duodecim annis præfuit populo, 244 D', bonorum prælatorum typum gerens, 245 A', et in senectute bona quievit, 233, 262 B'. — Quid mystice, 237 A', 241 A.

Digitized by Google

Nehemiæ liber, Esdræ historiam prosequitur, 233. — Ejus Descriptiones et Commentaria non supersunt, 339 C.

NEOMENIA unoquoque mense solenniter agebatur, 145 C.

NEPHTHALI, virum, tribum et civitatem designat, 85 A.

NESTORIUS hæresiarcha, in quo erraverit, 471 A'.

NICANOR, dux exercitus Syriæ, 360 A, superbus, 376 B, impius, 296 C', et dolosus, 376 A. — Primo Judæis benevolus, 374 D, et amicus Judæ, 296 D', 374 A', sed eapropter apud regem accusatus, 374 C', Judæos aggreditur, 360 B, 376 A, Judam comprehendere molitus, 296 D, 394 D', et templo ruinam minitans, 375 A ; sed a Juda devictus, 361 B, occiditur, 297 C, 377 B'. — Manus ejus abscissa, 297 A', 377 D', ad templum suspenditur, 378 A.

NINIVE, Assyriorum metropolis, quanta, 87 C'. — Ibi sepultus est Tobias, 124 D', regnavit Cambyses, 132 C. — Eam evertendam non semel vaticinati sunt Prophetæ Israel, 125 C. — *Cf.* Jonas, Nahum.

NISAN mensis, quis, 133 C, 237 D. — Cur primus mensis evaserit, 238 A. — *Cf.* Mensis.

NOMEN in Scripturis sæpissime pro re nominata accipitur, 96 C.

NOX, quid in Scriptura significet, 440 A', B', 490 A. — Nox, quomodo nocti indicet scientiam, 517 C, B', D'. — Quomodo in nocte Deus visitet hominem, 492 B, 495 C, et canticum mandaverit, 676 D.

NUBES e mari oritur, 4 C, et caliginem parit, 4 D. — Nube olim protecti sunt Hebræi, 151 A'. — Allegorice, varia significat, 501 C', 502 A', 625 C.

NUMERUS septenarius perfectionem notat, 40 B, et universitatem, 119 A, 473 B.

O

OBEDIENTIA fulcimentum est reipublicæ, 299 D. — Commendatur, 437 D', 661 D', et inauri comparatur, 41 B'. — Obedientia Josue principatum meruit, 278 A. — Prælatis, contra Dei præceptum, non est obediendum, 277 A.

OCEANUS vocatur abyssus, quare, 602 A'. — Terram cingit, 548 C, 602 D ; et maria sunt brachia ejus, 548 C.

OCTAVA. Mos octavam festorum agendi, unde venerit, 289 A. — Psalmi « pro octava », quomodo intelligendi, 438 B, 471 D.

OCULUS certius docet quam auris, 38 D. — Cordis intima prodit, 201 B', 238 C. — Oculos ad Deum convertere, quid sit, 96 A'. — Oculi Dei, quid, 236 A', 434 C, 604 C', 610 C. — Figurate, oculus intellectum signat, 588 A'.

ODIUM, quantum peccatum, 611 A. — Pessimum odium, invidia fraternæ gratiæ, 555 D. — Quo sensu odium Deo tribuatur, 434 D.

OFFICIUM divinum, cur in octo partes distributum, 251 C. — Quomodo decantandum, 403 B, 482 A'. — *Cf.* Laudes, Psalmodia.

OLEUM. A fructu olei quomodo multiplicentur homines, 429 D', 432 C. — Qualiter oleo impinguet Deus caput nostrum, 545 A', 547 C.

ONAGER ejusdem est speciei cum asino, 12 D'; verumtamen non cicuratur, 12 C'. — Mores ejus describuntur, 13 A.

ONIAS I, filius Jaddi, pontifex tempore Seleuci regis, 350 D.

ONIAS III pontifex, sanctus, 376 B', et gloriosus, 342 A', optime rexit Israel, 341 D'. — Duorum fratrum dolo occubuit : a Jasone vinctus, 346 B', a Menelao occisus, 347 B. — Heliodorum curavit, 343 C', et Judæ apparuit, 376 B'.

OPERATIO fructui comparatur, 408 C. — Opera sunt velut filii agentis, 494 A, et internæ dispositionis indicia, 506 D'. — Omne opus bonum oratio est, 494 C. — Opera bona per peccatum mortificata, per pœnitentiam reviviscunt, 634 B'. — Dicuntur pedes animæ, 641 C, et viæ, 644 B, quare, 406 D.

ORATIO, quid sit, 118 A, 522 C', 531 C, 629 B', et quibus alis ad Deum volet, 118 A. — Per ipsam impetratur gratia, 445 D; ideo cunctis necessaria est, 565 B'. — Animæ est hostia et sacrificium, 565 A', et præclarissima tuba, 290 C'. — Infirmatur peccato, 449 B; fulcitur fraterna caritate, 40 C', 236 B', lacrimis, 93 B, 118 A', 236 B, jejunio, 118 A, 138 A, solitudine, 565 A. Expedit eam laudibus Dei intexere, 110 A', 287 D', 510 C', et frequenter repetere, 433 C. Præcipue valet oratio justorum, 520 A', 574 A', humilium, 630 C, infantium, 137 B', et communitatum, 110 D, 142 D', 564 D', 660 C. — Oratio attentionem requirit, 437 C'. Attenta oratio, quantus labor, 440 C. — Quatenus liceat orare contra hostes boni publici, 142 C, et Ecclesiæ, 620 B, et inimicos proprios, 619 D'; petere bona temporalia, 629 B', 641 A, ten-

Digitized by Google

tationum aut tribulationum remotionem, 649 D'. Quid sit in nomine Jesu orare, 641 A. — Multo melius est pro peccatoribus quam pro defunctis orare, 651 A'. Oratio pro reprobis saltem oranti prodest, 621 D'. — Cur orationes quandoque non audiantur, 539 B', D', vel tarde sortiantur effectum, 686 C. — Efficax oratio, opus bonum, 494 C, efficacissima, vita sancta, 494 C'. — Exponuntur orationes Tobiæ senioris, 93 B, Saræ, 96 B, Tobiæ junioris, 110 A', Judith, 149 A, Mardochæi, 197 B, Esther, 198 A, Esdræ, 227 D', 251 B', Nehemiæ, 236 D, 242 A, 334 C, et Judæ, 286 D'. — *Cf.* Psalmodia.

ORIGENES allegatur, 502 B', 624 D. (Migne *Patrol. gr.* tom. 11-18.)

OS justi, quomodo sapientiam meditetur, 634 D. — Quid sit laudem Dei in ore semper habere, 606 B'.

OS. Animæ ossa, quid, 541 B', 542 C, 610 C', 613 A'. — Ossa justorum, quomodo conserventur, 610 D'.

OSEE, ultimus rex Israel, causa fuit cur populus in captivitatem duceretur, 86 C', quomodo, 86 B'.

OZIAS, Simeonites, de primoribus Bethuliæ, 142 A, et princeps Juda, 148 A', urbem tradere cogitans, 144 C', a Judith increpatur, 145 C'. — Graviter peccasse videtur, 146 B. — Judithæ benedicit, 161 A'.

P

PALPEBRÆ Dei, quid, 469 A, C. — Quomodo interrogent hominem, 469 B.

PANIS quemcumque cibum designat, 41 C, 101 A, 229 A'. — Panis animæ est multiplex, 593 C, et quotidie quærendus, 661 D.

PAPA, quanta cura Ecclesiam regere debeat, 299 B. — *Cf.* Concilium.

PAPIAS lexicographus allegatur, 319 C'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 141, col. 1437.)

PARALIPOMENON liber ab Esdra editus, 209 A, æque liber Verborum dierum dicitur, 258 B.

PARENTES in posteris quasi reviviscunt, 113 D'. — Sobolem a primis annis informare debent, 87 B'; cui plurimum prosunt eorum merita, 126 B'. — Propter filios sunt laudandi, 113 A.

PASSER transmigrans in montem, quid, 466 B', 467 C, 468 D, 470 D'.

PASSIO Christi, quam clare in Scripturis prænuntiata, 529 A', 533 C, 535 A'. — Omnibus martyrum tormentis fuit amarior, quare, 530 D. — Quomodo sit complenda, 56 C, et recolenda, 536 A'. — *Cf.* Christus patiens.

PASSIONES sensitivæ cor immutant, 534 A', naturam debilitant, 161 D', breviant vitam, 594 C; rationem turbant, 440 D'; virtutum labefactant habitus, 439 A', impediunt actus, 594 D. — In Christo rationem nunquam prævenerunt, 556 C.

PASTOPHORIA, quid, 287 A'.

PATIENTIA tristitiæ adversatur, 674 D. Quot gradus habeat, 449 B'; quatenus Deo competat, 146 D, 447 C. — Bellatoribus maxime necessaria est, 298 C, et tribulatis commendatur, 53 D', 57 B', 116 D', 147 B', D', etc. Impatientes quietem non norunt, 450 C'. — Laudatur Tobiæ patientia, 91 C, 99 A'.

PAULUS (Rabbi), Judæus conversus, episcopus Burgensis, Lyræ plerumque contradicit, 174 B, 186 B, 187 B', sed sæpe immerito, 174 C, 187 B', etc.

PAUPER, quid in Scripturis designet, 459 B', 469 A, 473 C, etc. — Pauperum non obliviscitur Deus, 460 A', 461 B', eisque patrocinatur, 472 D'. Quomodo orare debeant, 460 B'. — Christi paupertate ditati sumus, 479 B.

PAX. Quid sit pax, 430 C, 631 B, pax Christi, 617 C', pax mundi, 617 D'. — Fructus est caritatis, 635 C', et mansuetis inhabitat, 631 B. — Quantopere commendetur, 609 C'. Eam expetunt omnia, 196 B', sed non norunt impii, 196 C'. — Via pacis, quid, 478 D, 481 C. — Pacifici digni sunt Deum laudare, 617 B'; in æquitate et innocentia vivunt, 635 C', magna mercede donabuntur, 635 B'.

PECCATORES, quomodo a Deo recedant, 405 A', vel elongentur, 598 A', aut ejus obliviscantur, 685 C; quo sensu in consilio justorum non sint resurrecturi, 408 C'. — Sunt dæmonis filii, 497 C, et mancipia, 446 D, cui tanto plus subjiciuntur, quanto magis peccant, 563 D'; servi peccati, 660 A', quacumque bestia pejores, 599 C. — Sibi sunt graves, 444 A, et primo nocent, 444 B, 631 D'. — Quo sensu Deus eos oderit, 434 D; quomodo super eos pluat laqueos, 469 C'. — Quatenus oporteat eos odisse, 557 C, honorare aut contemnere, 483 A'. Ratione officii, quandoque dicuntur sancti, 227 C. — Plurimum præstat eos in hac vita castigari, 352 C', 514 C, 597 D, 620 C', ubi ad misericordiam fit castigatio, 438 D. — Quomodo renovari possint, 678 B.

Digitized by Google

PECCATUM, quid sit, 600 D, et quomodo dividatur. 406 C', 553 B, 624 A. — Causa propria peccati est liberum arbitrium, 52 A, et voluntas, 59 A, 62 A; causa motiva, diabolus, 62 A'; causa permissiva, Deus, 50 B. In peccato, quid sit Deo tribuendum, 50 A', 52 A. Reproborum peccata reprobationi non sunt imputanda, 62 D. — In quolibet peccato invenitur superbia, 627 B', et contemptus Dei, 624 D. Recte dicitur vanitas et error, 236 C', mors, 475 A, et nox, 490 A. — Quid sit peccatum originale, 511 D, peccatum in Spiritum Sanctum, 553 D. — Culpæ obnoxius est omnis viator, 476 D, et a peccato nemo mundus est, 678 C', imo singula peccata quotidiana nullus nosse valet, 520 B, 660 B', C'; verumtamen justi in gravia repente labi non solent, 624 D, et quo quis magis illuminatus est, eo plus malum odit, 639 A'. — Peccatum alius provocare non licet, 152 C, sed illo ad bonum possumus uti, 152 D'.

De effectibus peccati : Qui sint effectus peccati originalis, 511 A', 637 B, et actualis, 637 C. — Peccatum proprie est unicum hujus vitæ malum, 58 A', cui, vel minimo, mors præferenda est, 274 B', 446 A; verumtamen, non licet timore peccati se occidere, 375 D'. — Primum auctori nocet, 444 B, cujus animam vulnerat, 118 C, 439 D, aggravat mentem, 638 A, virtutes mortificat, 597 A, impedit pacem, 674 D'; quem separat a Deo, 539 C, a communione sanctorum segregat, 565 A, ad infernum deducit, 460 C'. — Peccata iterata, quantum noceant, 638 B.

De remediis peccati : Per dolorem interiorem et exteriorem expiandum est, 39 C, 440 B, per opera pœnitentiæ, 39 B, per humilem confessionem, 597 B'. — Peccatorum confessio extra sacramentum veniam meretur, 598 A, quandonam, 598 A; quanta bona conferat, 599 A. — Confessa peccata a Deo teguntur, 597 C'. Quomodo sint confitenda, 597 D'; quomodo sub lege a Judæis confessa, 251 A. — Peccatum ex infirmitate facile emendatur, 624 B; ex habitu, quasi incorrigibile est, 624 C, C'. — Culpa mortalis non remittitur quin infundatur gratia, 441 C; culpæ veniales, licet summopere vitandæ, 87 A', a Deo graviter puniri non solent, 79 A, et alia sine alia remittitur, 554 D. — An hic et posthac in inferno peccatum puniri possit, 57 C. — In ultione peccatorum innotescit majestas Dei, 121 C. — *Cf.* Confessio, Pœnitentia.

PELAGIANI hæretici confutantur, 688 A'.

PEREGRINUS. Quo sensu homo dicatur peregrinus super terram, 650 B', D'.

PERSIS, regio opulentissima, 282 A'. Cur ibi Cyrus regni sedem constituerit, 210 B. Multi Judæi eo translati sunt, 333 A'. — Persarum reges consiliatores septem secum habebant, 224 D, quorum consilio omnia agebant, 238 B'; ad illos nullus intrabat, nisi vocatus, 183 B', et optime vestitus, 183 B. Quomodo uxores ducerent, 179 B. Variæ horum series, 173 B, 268 B, 332 C. — *Cf.* Convivium, Mulier.

PETRA in Scripturis varia significat, 565 B, 569 B, 652 B.

PETRUS de Alliaco, Cameracensis archiepiscopus, perpulchre de Fato tractavit, 66 D, 67 A'.

PETRUS Alfonsi (Moses Sephardi), Judæus conversus, 45. (Migne *Patrol. lat.* tom. 157, col. 535.)

PETRUS Comestor. *Vide* Historia scholastica.

PETRUS Lombardus. *Vide* Magister Sententiarum.

PETRUS de Tarentasia B. (Innocentius V), Ord. Præd. theologus, 72 D'.

PHARISÆI præceptum sabbati non recte intelligebant, 276 C. — Pharisæus, propriam laudando justitiam, quomodo peccaverit, 559 D'.

PHILIPPUS, collactaneus Antiochi Epiphanis, 363 B', ab eo præfectus Judææ constitutus, 359 C', et regni regens, 292 A', adversus Antiochum Eupatorem rebellis, 372 D', ab eo enecatur, 295 D.

PHILIPPUS Macedo, falsus Alexandri pater, 267 A', illum Aristoteli educandum tradit, 267 B'.

PHINEES zelo pontificatum meruit, 277 D'.

PHURIM dies, qui et cur sic dicti, 192 B. — *Cf.* Festivitas.

PIETAS varie sumitur, 341 D'.

PISCIS. Fel piscium contra albuginem valet, 106 A. Pisces maris, quomodo Christo subjiciantur, 454 C, A'. — Piscis Tobiæ, 104 D'. Ejus jecur, qua virtute dæmonem fugaverit, 105 D, 106 D', 110 A. Quid significet, 107 D'.

PLATO philosophus stellas moveri credebat, 9 A. — *Adde* 59 C.

PLATONICI auctores : Apuleius, 105 B'. — Porphyrius, qui stulte idololatriam solis Judæis vetitam censuit, 284 A. — Platonici er-

Digitized by Google

raverunt circa dæmonum naturam, 105 B', et cognitionis certitudinem, 429 B'.
PLEIADES, stellæ splendentes, 8 D', pluviis præsident, 8 C'.
PLINIUS physicus allegatur, 25 D', 35 D.
PLUVIA, quomodo eveniat, 8 C; cur in desertis decidat, 7 C'. — Deus pater pluviæ dicitur, quare, 8 A. — Tropologice, prædicationem signat, 7 D'.
POENA quotuplex, 53 A, et quatenus Deo adscribi possit, 52 D et seq. — Pœnæ hujus vitæ minimo peccato impares sunt, 79 A. Ad utilitatem hominis deserviunt, 53 C', et æquanimiter sunt ferendæ, 53 D', 637 B'. — Plurimum præstat hic castigari, 352 C', ubi pœna fit ad misericordiam, 438 D, 597 D, et glorificationem parit, 514 C. Magna spei causa est in præsenti puniri, 545 C; magna iræ divinæ nota, vindictam effugere, 57 A. — An contingat quempiam hic et in inferno puniri, 57 A'. — Judæi olim a Deo patrie castigabantur, 353 B, nunc vero Christiani, 353 B. — De pœnis justorum quatenus Deus gaudeat, 79 A'. — *Cf.* Adversa, Tribulatio.
POENITENTIA, quomodo agenda, 441 D', quando, 363 C', et quantum, 638 B', 639 B. Ex timore servili orta, non valet, 362 A', D', 598 B. — Quo sensu Deus pœnitere dicatur, 603 B'. — Pœnitentes humilitati animum intendere debent, 638 C'. Quæ eorum arma, 39 B. — Pœnitentibus aptantur Psalmi : vi, 438 C; xxiv, 551 C; xxxi, 596 D; xxxvii, 637 A. Psalmi pœnitentiales enixe commendantur, 441 C' : quomodo decantandi, 599 D'.
POETA anonymus (Seneca, ad Lucilium n. 107) allegatur, 63 C'.
PONTIFEX in rebus arduis agenda dictabat, 213 B'. Post captivitatem, populum rexit, 207, 305 C. — Ex tribu Levi dumtaxat eligebatur, 346 D; verumtamen Machabæi, ex singulari privilegio, pontificatu functi sunt, 320 C'. — De ejus institutione, 320 B'. — Pontificum series ab Alexandro Magno, 350 C.
PORTÆ Jerusalem describuntur : Porta Gregis, 239 D'; Piscium, 240 C; Vetus, 240 D; Vallis et Sterquilinii, 240 B'; Fontis seu Aquarum, 248 D; Equorum, 240 D'; Ephraim et Custodiæ, 259 B. — Mystice, quid, 237 B', Recte per eas intelligi possunt dona S. Spiritus, 241 B.
PRÆDESTINATIO, quid sit, 688 C, et quomodo differat a præscientia, 396 B', et electione, 60 A'. — Unica prædestinationis causa est voluntas Dei, 61 A, 688 D quæ in hoc liberrime agit, 60 C', 61 B, nec injuste, 61 A'. Christus, quo sensu causa et exemplar prædestinationis dicatur, 688 B. — Proprie est causa totius gratiæ et virtutis electorum, 62 D, quamvis liberum arbitrium non tollat, 63 A; et in ea continentur gratia finalis, 60 D', atque media ad salutem pertinentia, 654 C'. — Dei consilia in prædestinatione inscrutabilia sunt, 59 B'; ideo de his caute loquendum est, 61 B'. — Prædestinati hereditas Christi sunt, 486 C'. An quis prædestinatus damnari possit, 62 B', C', vel non prædestinatus se prædestinatum facere, 504 D'. — Omnia opera Dei ab æterno præordinata sunt, 603 B'.
PRÆDICATORES negotiatoribus comparantur, 27 C', et sagittariis, 34 C'. — Eos caritate fervere necesse est, 646 A'. — Prædicator male vivens graviter peccat, 404 B, 543 A. — Varia prædicantium genera, 543 A.
PRÆLATI muri sunt Ecclesiæ, 237 B'. — Ex eorum conversatione pendet sanitas gregis, 147 C, 342 A. — Eis opus est continuo fervore, 646 A', timore Domini, 420 B', lingua erudita, 541 D', et misericordia, 29 A'. — Quo zelo quærere debeant Ecclesiæ profectum, 299 C, et gregis bonum, 318 C; quomodo delinquentes subditos debeant tractare, 230 B', ac reformare, 239 B', et gregis peccata deflere, 646 A. — Eorum est subditos in virga ferrea regere, 420 A', sapientiores ad officia promovere, 318 A', bonos laudare, arguere malos, 458 D, mœstos consolari, 622 B, oves visitare, 323 B, plebem instruere exemplis, 322 C', et sermone, 659 D'. — Malis etiam prælatis bonitas quædam tribuitur, 157 A; negligentes diabolo escam parant, 23 B'; superbi a Deo confringuntur, 577 C'. — *Cf.* Subditi.
PRIAPUS turpiter a paganis colebatur, 270 D.
PRIMOGENITI in lege naturæ sacerdotio fungebantur, 223 C. — Dei erant omnia primogenita terræ, hominum, 255 B', et pecorum, 255 C'.
PROPHETIA, quid sit, 393 A, et quotuplex, 395 C', 396 D. — Ad gratias gratis datas pertinet, 393 B, et malis concedi potest, 397 D. — Ad omnia se extendit, 393 B', divina, 393 C', moralia, 394 A, præterita vel futura, 397 C; sed proprie circa supernaturales veritates versatur, 394 B', 395 C, et

Digitized by Google

futuros eventus, 394B. — In somniis communicatur vel in vigilia, 394C', et hoc modo perfectius, 394C'; per verba vel signa, 397C, et priori modo dignius, 394D'; per corporalem visionem vel non, 395A; in persona creaturæ vel Dei, 395B. — Multi ejus gradus, 394D; quis supremus, 395A', 397A. — Principium propheticæ cognitionis est lumen divinum, 393A'. Ad eam pertinent propositæ veritatis perceptio, 397A, et miraculorum operatio, 393C. — Semper aliquid obscuritatis habet, 395B'. An semper impleatur, 395C'. — In prophetiis sæpe præteritum pro futuro usurpatur, 425A'. — Tobiæ prophetia explanatur, 125B.

Propheta, quid sit, 393A, et cur sic vocetur, 393B. — Prophetæ ministerio angelorum accipiebant revelationes, 501D', et præ timore coram eis procidebant, 119B. — In rebus arduis agenda dictabant, 288A, 320C'. Sunt orbis fundamenta, 503C. — Quomodo prophetiam acceperint XII Prophetæ, 397A, David, 397B, Moyses, 397C'. Quis omnium Prophetarum maximus, 397A'. — Prophetarum sensus potius quam verba in Evangelio sæpe allegatur, 653D', 662B'.

PROPRIETAS. Liber de Proprietatibus rerum (fr. Bartholomæi de Glanvilla) citatur, 105D'.

PROSPERITAS temporalis ex se indifferens est, 58A', nec multum curanda, 58B'; verumtamen, quodam modo justis competit, 53D, et ante Christum, eis communiter obveniebat, 78C. — Fallax est, 189B', et a summo bono avertit, 429D'; ideo Sancti suspectam eam habuerunt, 54C'. — Prosperitas impiorum vana, 628C', et brevis, 628D', 630C', nec de ea scandalizari oportet, 628B. — In temporalibus, quatenus lætari liceat, 629B'.

PROVIDENTIA ad prudentiam pertinet, 71D, et ad scientiam, 72B', et cognitionem finis præsupponit, 72A. — Omnia prospicit, 604C, ad omnia extenditur, 72B, non modo cœlestia, 140B', sed infima, 67B, fortuita, 72D, mala, 72B', contingentia, 72C'; ad cuncta hominis, 53B', et ad bruta, 11C', 455C'; omnibus munia partiens et auxilia, 72A. — Non aufert a rebus naturales proprietates, 67C. — Omnia Dei opera ex æterna providentia procedunt, 151D. — *Cf.* Fatum, Fortuna, Prædestinatio.

PRUDENTIA plus valet quam fortitudo, 279D. — Tam in prosperis quam in adversis necessaria est, 595D'. — Impiis non inest, 196D'. — Prudentia Romani sibi subjecerunt orbem, 298C.

PSALMODIA. Quid sit psallere, 457D', 475B', « in vociferatione », 601B. — Strenue psallendum est, 403B, cum debita præparatione, 403D, cum pura intentione, 403B', cum devota attentione, 403C'. — *Cf.* Officium.

PSALMUS. Metrice psalmi scripti sunt, 400C. Cur dicantur hymni, 400B, et soliloquia, 400C. — Quot eorum auctores, 401C, 670D, et libri, 401A; quæ materia, 400B', intentio, 402A', virtus, 402C'. — Cur sic ab Esdra sint dispositi, 401B'; quoties ab Hieronymo translati fuerint, 401D'. — Liber Psalmorum magna est domus, cujus ostium est primus psalmus, 415A, et claves, tituli, 415A. — Tempore sacrificiorum olim cantabantur, 213B. Cuilibet generi hominum aptantur, 402D, et commendandi sunt, 606C'. Quomodo sint decantandi, 402B, B', 403B, 470B', 498A, 605C. — Psalmorum imprecationes et maledictiones, quomodo intelligendæ, 472C', 552C, 590D, 595D, 613C. — *Cf.* Tituli.

Omnes psalmi pro posse ad Christum referendi sunt, 436B, quia ex Scriptura constat multos de ipso tractare, 616B, 656C', et quoniam Christianum decet libenter audire et loqui de Christo, 662B'. De ipso ad litteram exponuntur Ps. II, 415B'; XV, 485A; XVI, 491C; XVII, 498C'; XVIII, 516D; XIX, 521B; XX, 524A; XXI, 529A; XXIII, 548A; XXV, 556A; XXVII, 570D; XXIX, 579C; XXX, 586D; XXXIV, 611D; XXXIX, 651C; XL, 662C. — De Ecclesia : Ps. IV, 427D; V, 433A; VIII, 451B; IX, 457C; XXII, 543D; XXVIII, 575B. — De Synagoga : Ps. X, 466D; XII, 474B; XIII, 477A; XLIII, 681D'. — De David : Ps. III, 422B; IV, 430D; VI, 441B'; VII, 442B; X, 466D; XIV, 482C. — De anima fideli : Ps. I, 405B; IV, 427D; VI, 438D; VIII, 451B; IX, 457C; XI, 471D'; XXVI, 562D; XXXII, 600C; XXXIII, 606A'; XXXV, 624A; XXXVI, 628B; XXXVIII, 644B; XLI, 670D'; XLII, 678C. — De pœnitente : Ps. VI, 438B; XXIV, 551C; XXXI, 596C; XXXVII, 637A.

Psalmi vel psalmorum versiculi præcipue notandi : Psalmus I, velut janua Psalterii habendus, 415A, ab Esdra conscriptus est, 405A, et a David præcognitus, 654B'. Cur careat titulo, 405A; — XVIII commendatur Christianis, 520D'; — XXI, a Christo cru-

Digitized by Google

cifixo recitatus, cum sequentibus, 529B, historia videtur potius quam prophetia Passionis, 529A'; mira virtute est repletus, 529B'; — xxvi vespere potissimum decantandus est, 570B'; — xxvii quotidie, 575A; — xxx vespere, 596A; — xxxvii pœnitentibus congruit, 643A'; — xxxix miram orandi formam docet, 661B'; — xli sacerdotibus aptatur, 677A'; — xlii similiter, 680A'.

PSALTERIUM romanum et gallicanum, quid, 401D'. — Psalterium, instrumentum musicum, quid sit, 601A, et significet, 600D'.

PTOLEMÆUS I (Soter) primus post Alexandrum in Ægypto rex, 329A, multos Judæos captivos duxit, 329B. — Ex eo « Ptolemæi » vocati sunt reges Ægypti, 271B.

PTOLEMÆUS II (Philadelphus), qui V. T. libros transferri curavit, 271B', mensam pretiosissimam templo donavit, 271C', et plurimos Judæos a servitute liberavit, 329B. — In Daniele vocatur rex Austri, 271A.

PTOLEMÆUS V (Epiphanes). Quid ei cum Antiocho Magno, 270C'.

PTOLEMÆUS VI (Philometor), ambitiosissimus, 307D, Syriam dolose occupat, 308A, expulso Alexandro (Bala), 308D, cui filiam locaverat, 306A. — Justo Dei judicio occumbit, 308D'. — Ab Hebræo instructus fuerat, 332B'. — *Cf.* Aristobulus.

PTOLEMÆUS, filius Abobi, Simonis gener, 323A, ambitiosus, 323B, dolose socerum interficit, 323C. — Quomodo ultionem evaserit, 323C'.

PTOLEMÆUS Macer, præfectus Jerusalem, Judæis favens, 364D, apud Antiochum Eupatorem accusatus, 364A', veneno perit, 364B'.

Ptolemæus alius, iniquus Antiochi Epiphanis amicus. *Vide* 347A'.

PTOLEMÆUS (Claudius) astrologus, stellas moveri docet, 9A. — Quid de fato censeat, 64B, 65B.

PULCHRITUDO corporalis per condecentiam morum perficitur, 42D. Ex creaturarum pulchritudine elucescit pulchritudo Dei, 179C'. — Pulchritudo moralis, quid sit, 179D'. Non parum ad corporalem confert, 179D'.

PURGATORIUM. Animæ in purgatorio detentæ sciunt se liberandas, 584D', sed seipsas juvare nequeunt, 585A. — Quæ earum maxima pœna, 585A. — Pro his orare, sancta est cogitatio, 370C, C'.

PYRAMIS, quid, 316D. — Antiquitus super magnatum sepulcra erigebantur pyramides, 316A'.

PYTHAGORAS philosophus cœlestia concentum edere somniavit, 10A'. — Contra Pythagoricos asseritur non esse peccatum bruta occidere, 455C'.

Q

QUINTUS METELLUS. Prodigiosa ejus fortuna describitur, 71A'.

R

RABANUS (Maurus), Moguntinus episcopus, non semel citatus, 273A, D', 316D', 332C, ab impugnatione Lyræ vindicatur, 350A'. — Glossa ejus, 330C', e Josepho desumpta videtur, 350A'.

RABBI, RABBINI. *Vide* Judæi auctores *et* Paulus.

RAGES. Sic apud Medos dictæ sunt duæ civitates, 88C, 112C.

RAGUEL, de captivis Judæorum, 95B', propinquus Tobiæ, 106B, 108B, hospitalitatis sectator, 108B, quomodo filiam Tobiæ tradiderit, 108C'.

RAPHAEL angelus, quis sit, 118D', et cur sic vocetur, 98A', 118C'. — Quanta Tobiæ juniori contulerit, 103D', 105B, 106B, 109A, 112B', Tobiæ seniori, 115D, 116A', et aliis, 113A'. — Quanta ejus humilitas, 115C. — Quomodo se de filiis Israel dicere potuerit, 102B', et Azariam, filium Ananiæ, 103B'; quo sensu jecur piscis commendet, 105D; quomodo dæmonem relegaverit, 110A; cur per subjectas creaturas Tobiam sanare voluerit, 115C'. — Absque simonia mercedem accipere potuisset, 117B. — Nos docet nuptiarum formam, 106D, jejunii et eleemosynæ vim, 118A. — *Cf.* Angelus.

RAZIAS, senex integerrimus, 375B, sibi mortem consciscit, 375A'. An licite, 375B'.

REGIMEN. Quænam politici regiminis optima forma, 299D.

REGNUM. Obedientia regna fulciuntur, 299D, discordia pereunt, 299B'. — Quid sit regnum Dei, 120B, 544B; regnum cœlorum, 545D'.

RELIGIOSI. Cur religionem ingredi potissimum debeant, 254C'. Quam gratos de vocatione illos esse oporteat, 582B'. — Bonorum religiosorum quanta remuneratio, 565B. —

Digitized by Google

Religiosi mali notantur, 31 B'; sunt sæcularibus malis pejores, 31 C'. — De quorumdam monachorum nece, 57 D'.
RENES, quid significent, 490 A, et quomodo sint urendi, 560 A'. — Quid renes Christi, 487 D, 536 A'.
REPROBATIO non est propria causa culparum reproborum, 62 D. — Reprobi aliquo modo ad Christi corpus pertinent, 399 A'. Vasa perdita vocantur, 589 B'. — Quæ de his in Scriptura dicta sunt, sæpe de diabolo sunt intelligenda, 400 A. — *Cf.* Damnatio.
REPUDIUM. Libellus repudii nunquam licitus, sed permissus fuit, 230 A.
RESURRECTIO Christi necessaria fuit, 581 B, et ab eo concupita, 445 A'. — Resurrectionem Beati appetunt, 585 B', quare, 370 B'. — Resurrectio electorum immutatio vocatur, 355 D. Quæ sint resurgentium corporum dotes, 355 D'. — Damnatorum resurrectio mors secunda dicitur, 356 B.
REUM BEELTEEM, quis fuerit, 217 D', et cur sic nuncupetur, 217 B'. — Judæos apud Cambysem criminatur, 217 B'.
REX. Insignia regum, quæ, 306 B. — Regi consilia maxime necessaria sunt, 177 A; qui ad hæc sint vocandi, 177 B. — Reges decet clementia, 178 B, 196 D, 363 D, dedecet ira, 196 D, avaritia, 180 B, nimia credulitas, 182 A'. Ad fidem tuendam tenentur, 280 A. — Rex impius nihil est nisi magnus latro, 271 D'. Reges ethnici post mortem deificabantur, 366 D'. — « Reges » merito vocantur Christiani, 516 A, et Beati, 527 A.
RHINOCEROS, animal superbissimum, 13 C', et « indomesticabile », 13 C, cum elephante sæpe conflictatur, 13 D'. — A puella facile domatur, 13 D', sed in captivitate cito moritur, 13 C'. — Cornu ejus describitur, 13 C'. — Allegorice, Verbum signat, 14 A.
RHODOCUS Judæus Bethsuram Antiocho Eupatori tradit, 372 A'.
RICHARDUS de Mediavilla (de Middletown), Ord. Min. theologus, allegatur, 61 C', 65 A', 72 D'.
ROMANI fuerunt pietate conspicui, 298 A, et prudentia, 299 A, reique bellicæ peritissimi, 298 B. — Describuntur eorum gesta, 298 A, et virtutes, 299 A. — Post varia regimina, 298 C', optimo adhæserunt, 298 D', 299 D. — Eorum imperium majus fuit regno Alexandri et adhuc pro parte permanet, 269 C'. Cur tantum primo profecerint, postea defecerint, 299 A'. — Fœdus inierunt cum Juda, 299 C'. Jonatha, 312 B, Simone, 319 C', 321 D. Priores videntur Judæos quæsisse. 367 B', D'.
ROMBERG (Joannes), Ord. Præd. theologus, Dionysianum in Psalmos commentarium edendum curavit, 385.
ROS unde veniat, 8 C. — Cur Deus pater roris dicatur, 8 B.

S

SABBATUM. In sabbato ab omni mercatu abstinebant Judæi, 255 B, et claudebant portas civitatis, 261 D; certamen detrectabant, 276 B, ideo ab hostibus sabbato potissime invadebantur, 275 D', 302 C. — Illa die necessaria agere licet, 276 C, proinde pugnare aut fugere, 276 B'. — Septimo quoque anno sabbatizabat terra, 255 B, 294 A', et anno sexto peculiaris benedictio repromissa erat, 294 B'. An post captivitatem viguerit hæc promissio, 294 B'. — Quid prima sabbati, 547 D, psalmi « in prima sabbati », 548 A, « in rememoratione sabbati », 636 D. — Spiritualiter, sabbatum requiem æternitatis significat, 636 D.
SACCUS, olim vestitus lugentium, 183 A, et pœnitentium, 250 C, in quo regis oculis apparere non licebat, 183 B. — Sic dicitur corpus, 586 A.
SACERDOS. Sub lege naturæ sacerdotium primogenitis competebat, 223 C. — Sacerdotes sub lege Moysis, Levitis superiores erant, 225 D'; inter eos XXIV eminebant, 257 B'. Quo ritu mundarentur, 258 A', et mundarent populum, 258 B'. Ante prælium copias adhortabantur, 286 C, 361 A. — Sacerdotem oportet castimonia fulgere, 354 B', et a minimis culpis cavere, 561 C'. — Sacerdos celebraturus, cur extrema digitorum lavet, 561 B'; quo animo celebrare debeat, 677 D'. — Sacerdotibus commendantur Ps. XIX, 523 C'; XXV, 561 A'; XLI, 677 A'; XLII, 680 A'.
SACRAMENTA. Unde eorum virtus, 55 C.
SACRIFICIA Legis. Quæ eorum virtus, 653 B', et causa, 654 C. Ad cærimonialia pertinebant, 659 A. Ad tempus dumtaxat bona erant, 653 B', et jam sunt abolita, 432 A, ac mortifera, 659 A. — Sacrificium justitiæ, quid, 429 C. — Perfectissimum sacrificium, Dei voluntatem in omnibus facere, 659 A'.
SADDUCÆI spirituum existentiam negabant, 77 D'.

Digitized by Google

SAGITTA dicitur vas mortis, cur, 447 B'. — Quid sagittæ Dei, 443 D', 637 A, Christi, 503 A, peccatorum, 466 D', 467 D', 468 B', 471 A.

SALLUSTIUS (Crispus), historiographus, allegatur, 299 B'.

SALMANASAR Judæos et Tobiam in Assyriam transtulit, 85 A'. — Ob pietatem Tobiæ exhibitam, vita ejus producta est, 88 A'.

SALOMON, quo sensu propheta dici queat, 394 D. — Ex dispensatione Dei licite Pharaonis filiam duxit, 181 A.

SALUS pietate Dei donatur, 522 B. Quanti æstimanda, 516 B, quibus modis comparanda, 482 C et seq. Ad salutem non opus est nunquam graviter peccasse, 484 B.

SALUTARE Dei, quid sit, 461 A, 473 D, 475 A', 521 D', 655 C.

SAMARITANI, id est gentiles a Salmanasar et Asarhaddon in Samariam translati, 216 A', ad Judaismum utcumque conversi fuerant, quomodo, 216 B, et quando, 216 C. Deum verum colebant, 221 A, sed cum idolis, 222 C, 351 D. — Judæis infensi, 137 C, 214 C, eos criminantur apud Cambysem, 217 A', et Darium, 220 D', et pro posse obsistunt restaurationi urbis, 218 B, 241 D, et templi, 216 D'. — Inter ipsos Judæi multi remanserant, 137 A'. — Quid mystice, 219 C', 243 A. — *Cf.* Reum, Samsai, Sanaballat.

SAMSAI scriba, quis fuerit, 217 D'. — Judæos apud regem accusat, 218 B.

SAMSON lato sensu propheta dici potest, 394 D. — Ex dispensatione divina licite duxit Philistæam, 181 A. — Quomodo a voluntaria nece excusetur, 186 C', 375 B'.

SANABALLAT, dux Samaritanorum, variis modis conatur Nehemiam decipere, 245 C, 246 D, C', et urbis restaurationem impedire, 241 D.

SANCTUS. Sic vel peccator vocari potest, ratione officii, 227 C. — Sanctum quandoque pro firmo sumitur, 240 A, et sanctificare, pro aptare, 259 C'. — Sanctificatio in Scripturis designat templum, 271 C, 272 B', 292 B; sancta, vel templum, 287 D, vel partem ejus exteriorem, 288 C. — Quomodo Deus in sancto habitet, 531 D', 540 A. — *Adde* Beati *et* Justi.

SANITAS sanctitati magis favet quam morbus, 111 A. — Labefactatur tristitia, 292 C.

SAPIENTIA Dei probatur mira dispositione terræ, 2 A', maris, 4 A, et cœli, 6 A'; moribus corvorum, 11 C, cervorum, 12 A, onagri, 12 C', rhinocerotis, 13 C, struthionis, 14 B, equi, 15 D, aquilæ, 16 D', elephantis, 20 D', ceti, 25 B'; temporali impiorum prosperitate, 49 A'. Quomodo tot mala permittat, 48 B'. — Quæ sapientia in Christo fuerit, 567 D, et quomodo in ea profecerit, 567 D'. — Sapientia humana, respectu divinæ, insipientia est, 38 D'. Variis modis a Deo homini communicatur, 10 A. — Sapientiam veram impii non norunt, 196 C'. — Per donum sapientiæ de divinis judicamus, 553 C'.

SARA, filia Raguelis, puella bona, 95 B, justa et fervida, 95 D, prudens, 95 D', pudica, 96 D', et humilis, 97 D, quomodo Tobiæ juniori nupserit, 109 A'. — Ejus oratio, 96 B.

Sara, uxor Abrahæ, figura Ecclesiæ, 433 A.

SARRACENI unum Deum colunt, sed fidem non habent, 222 D.

SASSABASAR, princeps Juda. Hoc nomine designari videtur Zorobabel, 211 A'.

SATISFACTIO ad remissionem peccatorum requiritur, 39 C.

SATURNUS planeta, tardior sole, 9 C, causa est gelicidii, 8 B. — Illum Hebræis præesse quidam stulte crediderunt, 66 B.

SCANDALUM, quantum peccatum, 406 A'. — De prosperitate impiorum scandalizari non oportet, 628 B.

SCENOPEGIA festivitas, quæ, 304 A, 331 D, cur sic dicta et quando celebrata, 331 A'.

SCIENTIA sacra non est abscondenda, 659 C', 660 A. — Per donum scientiæ de creatis recte judicatur, 553 C'.

SCOTUS (Duns), celeberrimus Ord. Min. theologus, citatur, 480 A.

SCRIBA. Qui sic olim vocati, 182 A', 217 D', 353 D. — Esdras dicitur scriba velox, quo sensu, 223 B'. — Scribæ legem sabbati male intelligebant, 276 C.

SCRIPTURA sacra est Dei mensa, 545 A', vox, 502 D', veritas, 679 C; dicitur vox cataractarum, 675 C'; recte argento assimilatur, 473 B. Consolatio est viatricis animæ, 313 A, magistra virtutum, 624 D'. Quo animo eam legere oporteat, 625 A. — In tres partes dividitur, 83. Cur sub figuris quasi veletur, 398 B. — Quadrupliciter exponi potest, 398 B'. Quis sit sensus ejus litteralis, 398 B', allegoricus, 398 C', tropologicus, 398 D', anagogicus, 399 A. Ex Scriptura probatio non valet nisi in sensu litterali, 415 B', 453 B', 615 D'. Eam exponentibus debetur aureola, 404 C.

Digitized by Google

— De septem interpretationis regulis, 399 C et seq. Mos est Scripturæ, de genere transire ad speciem, 399 B', de toto ad partem, 399 C', 585 C', multa per anticipationem vel recapitulationem loqui, 399 D', eadem diversis verbis repetere, 416 C', verba replicare, 622 C, 682 A. Scripturæ imprecationes vel maledictiones, quomodo intelligendæ, 472 C', 552 C, 590 D, 595 D, 613 C. — De Scripturæ translationibus : LXX translatio olim publice legebatur, 202 D'. Quæ translatio Vulgata dicatur, 202 D.

SCYPHI, vasa templi. Qui eorum usus, 211 C'.

SECHENIAS, de primoribus Juda, vetiti connubii reus, 229 B, et Samaritanis consociatus, 247 B, ceteris pœnitendi viam aperuit, 229 B.

SECRETA Dei et regum caute manifestanda sunt, 117 B'.

SELEUCUS I (Nicator) primus post Alexandrum Syriæ præfuit, 350 B'.

SELEUCUS IV (Philopator), sacrificiorum impensam præstabat, 342 C, et templo vasa pretiosa dedit, 349 D. — Heliodorum misit Jerusalem, 342 C'. *Cf.* Heliodorus.

SEMEI, an peccaverit David maledicendo, 51 B', D'. — Quo jure interfectus sit, 51 C'.

SEMEIAS pseudopropheta, accepta pecunia a Sanaballat, 246 C', Nehemiam decipere nititur, 246 D.

SEMEN humanum, quid sit, 22 B', et quomodo exprimatur, 22 A'.

SENECA (Annæus) philosophus, allegatur, 177 B. — *Cf.* Poeta.

SENNACHERIB in Judæos infensus, 88 A', Tobiam interfici jubet, 88 B'. — A filiis occiditur, quare, 88 C'.

SERON, dux exercitus Syriæ, 281 C, ambitiosus et præsumptuosus, 281 D, a Juda occiditur, 282 B.

SICHEM, filius Hemor injuste a filiis Jacob peremptus est, 150 B'. Vere pœnituisse non videtur, 151 A. — Sichimitarum cædes non potest excusari, 150 A'.

SIGNA cœlestia prænuntiaverunt eversionem Jerusalem, 348 C, et Italiæ, 348 D. — Signa in passione Christi, cur Deus fecerit, 500 C, B'. Quantum turbaverint Judæos, 500 D, et gentiles, 500 C'. — *Cf.* Miracula.

SIMEON patriarcha. Ejus crudelitas a Jacob damnata, 150 C, quomodo a Judith laudetur, 150 D. — Nullo modo excusari potest, 150 A'.

SIMON Benjamita, vitiosus et induratus, 344 B', invidens Oniæ, 342 D, eum apud regem accusat, 344 B. — Quid mystice, 344 C.

SIMON Machabæus, prudens, 315 C, et perspicax, 315 C', fratrum consiliator constitutus est, 279 C. — Capto Jonatha, factus est princeps populi, 315 C, et summus sacerdos, 316 D', 320 B'. — Ejus optima administratio, 318 C, potestas, 318 D, gloria, 316 D', 319 A. — Eo procurante, Judæi Syrorum jugo liberati, 317 B, maxima prosperitate fruiti sunt, 318 C'. — An licite Jonathæ filios Tryphoni tradiderit, 315 D'. — Renovato cum Romanis fœdere, 319 C', mox a suis interfectus est, 323 A.

SIMPLICITAS, quotuplex, 276 B Discretione temperanda est, 203 D', 468 D'. — Simplicitas Danielis laudatur, 278 A'. — Simplices de aliis benigne opinantur, 203 C'.

SIMULATORES « singulariter et enormiter provocant iram Dei », 197 B.

SINAI desertum, quam horrendum, 139 B'.

SION arx templo eminebat, 293 A. Diu a Syris occupata, 272 D, a Simone recuperata est, 317 B'. — Spiritualiter, per Sion significatur cœlum empyreum, 421 C, 521 D, vel Ecclesia, 417 D, 522 D', vel quicumque fidelis, 420 A, 481 C'. Quid filia Sion, 460 C'.

SOCIETAS bonorum vel malorum plurimum prodest vel obest, 513 B. — Societas Jesu commendatur, 387, 388.

SODOMITÆ a Deo percussi, an sint damnati, 57 A'.

SOL est velut vas luminis, 6 D'. Proprio motu ab occidente ad orientem tendit, 9 C ; verumtamen vias ejus scire non valemus, 6 D'. — Illum Christianis præesse quidam stulte crediderunt, 66 C. — In sole quomodo Christus posuerit tabernaculum, 518 C, A'. — Mystice, quid sol, 518 A', et solis radii, 35 C. — *Cf.* Signa.

SOMNIUM. In somniis communicata prophetia, 394 C', 397 C, minus perfecta est quam in vigilia, 394 C'. — Mardochæi somnium exponitur, 193 B', 194 C.

SOMNUS remedium est tristitiæ, 423 B. Tropologice, peccatum significat, 426 A'. — Sic dicitur mors justorum, 424 D'.

SPARTIATÆ, quomodo cum Abraham dicantur familiaritatem habuisse, 312 B', 313 A'. Ex eo prodiisse videntur, 313 D, C'. — Judæis confœderati, 313 D', scribunt ad Oniam, 312 A', Jonathan, 313 D, et Simonem, 319 D. *Cf.* Arius.

Digitized by Google

SPES, quid sit, 636 C; qualis esse debeat, 629 B; qui ejus fructus, 599 A'. — Salubris est medicina, 640 D', tristitiam expellens, 674 C'. — Spes nostra, cuinam fundamento innitatur, 652 A'; quatenus certitudinem admittat, 636 A'. — Spes a comprehensoribus abest, 528 D. Quatenus Christo affuerit, 432 B', 445 B, 533 A'. — Spes in Deum commendatur, 278 B', 427 C', 567 B, 605 B; justorum singulariter est, 430 B'; exaudiri meretur, 442 D, 448 C. — Sperare quandoque pro timere usurpatur, 161 A.

SPIRITUS Sanctus in omni actu meritorio auctor principalis est, 34 B'. Sine illo nullus diabolo resistere valet, 34 A', 35 A. Quomodo dirigat animas, 503 A'. — Quomodo cœlis virtutem dederit, 602 B, et mundum sit arguturus, 519 A. — Dona ejus per portas Jerusalem signantur, 241 B; mansuetis potissimum conceduntur, 553 C'. Peccatum in S. Spiritum, quid, 555 D. — Quid spiritus bonus Domini Hebræis datus, 253 C.

STELLÆ ab angelis inferioribus diriguntur, 3 D', quomodo, 6 A', C'. An moveantur in cœlo, 8 D'. In se non sunt malæ, 66 A', et hominibus deserviunt, 455 A'. — Quomodo in inferiora influant, 64 B, 65 B, et quatenus, 63 B', 64 D. — Inanimatis corporibus vires infundunt, 69 D, hominibus qualitates, 69 A'. Ad corporis formationem conferunt, 355 B'; in anima passiones excitant, 68 B'; indirecte voluntatem agunt, 66 D, et intellectum, 66 D'. — Quomodo sint causa fortunæ, 70 C', 71 A. Non universaliter bonam fortunam conferre possunt, 70 C. — Stellarum effectus ad universa non extenditur, 68 D; insuper imaginatione impediri potest, 64 D', ideo non semper sequitur, 64 C', 68 D. An possit esse fortuitus, 70 B. — Falsum est legum diversitates a stellis procedere, 66 B. — Mystice, quid significent, 453 B, 456 B'. — *Cf.* Astra, Exercitus, Pleiades.

STERILITAS olim grande fuit opprobrium, 95 A'.

STERNUTATIO, quid sit et quomodo fiat, 31 D'. — Sternutatio ceti, quanta, 32 A. — Quid sternutatio diaboli, 32 B.

STIBIUM, quid sit, 42 B. — *Cf.* Cornustibii.

STRATUM Christi et animæ quomodo versaverit Deus, 664 C, 667 D'.

STRUTHIO, velocissimum animal, 15 B, sed obliviosum, 14 C', crudele, 14 D', et stultum, 15 A, describitur, 14 B. — Cur volare non possit, 14 D. — Ovis non incubat, 14 A', sed soli fovenda commendat, 14 B'. — Spiritualiter, varia signat, 15 B.

SUBDITI. Eos prælatis obedire decet, 45, saltem in licitis, 277 A, pro his orare, 296 C', correctiones patienter sustinere, 54 A, 230 C'. — *Cf.* Prælati.

SUBSTANTIA nostra quomodo sit apud Deum, 648 D'.

SUPERBIA, vitiorum regina, 100 B', mater iræ, 607 D, et origo totius perditionis, 20 C, 100 B', Deo potissime displicet, 153 A', et creaturam dedecet, 20 C. Quantopere fugienda, 36 D', 465 D'. In omni peccato includitur, 627 B'. Pes superbiæ, quid, 627 A'. — Superbi corripientes non sustinent, 95 B', C'; suas injurias nunquam satis vindicasse sibi videntur, 181 D'; regem habent diabolum, 36 B'. Variis modis confringuntur a Deo, 577 A', qui dejiciendo eos sapientiam præcipue ostendit, 20 B. Comparantur passeri, 468 A', et cedro, 577 A', C'.

SUSA, Persarum metropolis, 175 A, urbs fortissima, 235 A. — Ibi mansit Esther, 178 C'.

SUSURRO, seu bilinguis, 670 A, quid sit, et quomodo differat a detractore, 669 D', et contumelioso, 670 A. — Susurratio, quantum peccatum, 670 A'; gravior est contumelia et detractione, 670 B.

SYNAGOGA per Agar figurata est, 433 A. Ad ipsam referri possunt Ps. x, 466 D; xii, 474 B; xiii, 477 A; xliii, 681 D'. — In cunctis urbibus erant synagogæ, 142 D'.

SYRIA. Chronologica Syriæ regum series, qui in hocce volumine memorantur : Antiochus III (Magnus), annis 222-186; Seleucus IV (Philopator), 186-174; Antiochus IV (Epiphanes), 174-164; Antiochus V (Eupator), 164-162; Demetrius I (Soter), 162-149; Alexander I (Balas), 150-144; Demetrius II (Nicator), 149-139; Antiochus VI (Dionysios), 143-140; Tryphon (Diodotes), 140-138; Antiochus VII (Sidetes), 139-130. — ***Amplius require unoquoque verbo.***

T

TABERNACULUM Moysis a Jeremia absconditum est, 336 B'. — Quid sint tabernaculum Dei, 482 C, 501 B', 564 C', 569 A, B, Christi, 518 C, A', tabernacula æterna, 679 D. — Festum Tabernaculorum, quando et cur celebratum, 214 A', 249 D, et quot diebus, 250 C.

Digitized by Google

Solenniter ab Esdra agitur, 249B'. Quid mystice, 250B.

TEMPLUM Jerusalem de consensu Cyri inceptum, 210D, et sumptibus ejus, 215A, sed a Cambyse impeditum, 137A, quando restauratum fuerit, 137D, 335A', et quomodo, 214A. Quæ ejus dimensiones, 221C'. — Licet priore minus, 215C', 222A, gloriosius fuit, 215D', et a Deo magnifice honoratum, 122B, 437A'; insuper et a regibus, 342B, qui victimas et vasa pretiosa dabant, 349D. — A Syris pollutum, 271C, 349D, 351A', et Jovi Olympio dedicatum, 351B, a Juda mundatum est et renovatum, 287D, 364A. — Triplex fuit apud Judæos Dedicationis festum, 289B'. — Illud versus Judæi orabant, 96B', 283D. — Allegorice, figurat Ecclesiam, 219C'. — Quid sit templum Dei, 435C', 468B, 500A, 564A', B', 568C', 571A', et Christi, 471C. — *Cf.* Garizim.

TEMPUS quo sensu bonum vel malum dicatur, 277B, 330D. — Ipsi adscribi solent quæ fiunt in tempore, 312A, 345C'.

TENEBRÆ quomodo vocentur latibulum Dei, 501D, et Christi, 501B'. — Quid tenebræ animæ, 505D, aqua tenebrosa, 501C'. — *Cf.* Caligo.

TENTATIO. Quomodo Deus tentet hominem, 560C, et quare, 29B. — Tentatio animum turbat, 35B', sed nunquam hominis vires excedit, 649B', saltem gratia roboratas, 649C'. Justis necessaria est, 118B', quorum virtutem probat, 520D, et merita multiplicat, 29C, 41A. Quatenus liceat eam appetere, 560A', vel econtra pro ejus remotione orare, 649D'. — Præcipua contra tentationes remedia sunt : oratio, 649B', maxime quæ laudibus Dei intermisceatur, 511A, Christi patientis contemplatio, 536A', fuga et confessio, 640A'; attamen non sunt cuilibet manifestandæ, 640B'. — Quæ in Psalmis aptentur tentatis, 426A, 458B, 564A.

TERRA, ut elementum, decies densior est aqua, centies aere, 2D'; fundamentum est aliorum elementorum, 2C'. — Ut sidus, centrum est mundi, 548C, licet minor sit omnibus cœlestibus, præter lunam et Mercurium, 3A. In vacuo mirabiliter sustentatur, 3B. Quomodo super maria fundata dicatur, 548C, et super flumina præparata, 548D. Quæ ejus basis et fundamenta, 3A, lapis angularis, 3B, latitudo et longitudo, 6C. — Primo per modum pulveris fuit, 10C', et, imminente judicio, comburetur, 166C. Quomodo moveatur, 5D. — Terra in Scripturis multipliciter sumitur, 548B', 629C, 630B'. Quid sit terra Dei, 485A', 489A, terra viventium, 566C'.

TESTICULI. Quodnam eorum officium, 22B'.

TESTIMONIUM. Sic vocatur lex Dei, 519B.

THALLI, quid, 373B'.

THATHANAI, dux Samaritanorum, templi restaurationi obsistit, 220A', et Judæos apud regem accusat, 220D'.

THECUA, patria Amos prophetæ, 240D. — Thecueni arguuntur, 240D, 241B'.

THEODORUS (S.) abbas, quid de tribulatione doceat, 58B. (Acta SS. die XIV^a Maii.)

THEOLOGIA, « omnium scientiarum architecta et capitanea », 70D', philosophiam corrigere debet, 71A. — Theologiæ scriptoribus debetur aureola, 404C.

THOMAS (S.) « gloriosus et sanctus doctor », 659C, primus librum Job quoad litteram exposuit eleganter, 77B, et subtiliter, 79D'. — Ab impugnatione Lyræ vindicatur, 398A; sed ipse in uno videtur deserendus, 77B', 91C'.

THRONI, angeli, qui et cur sic dicti, 458B'. — Quid thronus Dei, 117C, et Christi, 459A'.

TICHONIUS (Afer), quas interpretationis regulas posuerit, 399C. (Migne *Patrol. lat.* tom. 18, col. 13.)

TIGRIS, fluvius paradisi, 104D', quid significet, 107C'.

TIMOR mentem obtenebrat, 163D', cor contrahit, 201A', corpus debilitat, 201C', et corruere facit, 119B, 161D'; voluntatem tamen non omnino aufert, 136B. Quatenus eum Christus admiserit, 568A. — Timor humanus abjiciendus est, 278C'; a justorum mente abest, 563A'. — Timor Dei, quotuplex, 590D'. Omnibus necessarius est, 121A, 244A', 418D, 602C', maxime prælatis, 420B', et justis, 428A, si velint peccata vitare, 624D, assequi consolationem, 590D', et sanctitatem, 145B'. In patria aliquo modo manet, 519A'. — Timentibus Deum nihil deest, quo sensu, 543D', 609C.

TIMOTHEUS, dux Ammonitarum, pluries a Juda fugatur, 290B, C', D', 365C.

Timotheus alius, Syrus, ab eodem debellatur, 368A, 369B.

TITAN et filii Titan, quid, 165D'.

TITULI sunt velut Psalmorum claves, 415A. Quot psalmi titulo careant, 600B. — Quid

Digitized by Google

significent tituli : In finem, 427 C, 433 B, 436 B, etc.; In prima sabbati, 547 D; Intellectus David, 596 C; Intellectus filiis Core, 662 B; Ipsi David, 570 D, 611 D, 628 B; Pro cerva matutina, 529 A; Pro ecstasi, 586 C; Pro Idithun, 643 D; Pro occultis filii, 457 B; Pro octava, 438 B, 471 D; Pro rememoratione sabbati, 636 D; Pro torcularibus, 451 A; Psalmus cantici, 427 C, 579 B, 584 C; Servo Domini, 623 D. — Titulus crucis Esdræ revelatus est, 485 A.

TOBIAS Ammonites restaurationi Jerusalem obsistit, 241 D', et Nehemiæ adversatur, 245 C. — Cum primariis Judæorum conjunctus erat, 247 B, 260 D et seq.

TOBIAS senior, unde ortus sit, 85 A, et cur in Assyriam translatus, 85 C'. — Misericors, 83, 86 C, 88 B', 90 C, B', maturus, 86 D, fidelis, 86 B, A', 87 D', prudens, 114 B, patiens, 92 A, 99 A', humilis, 94 A, C, gratiosus fuit apud omnes, 88 C', 108 B', 112 C', etiam reges, 88 A, 89 A. et inter gentiles famosus, 124 D'. — Quomodo cæcus factus sit, 90 D', et quare, 91 B, 116 C; qua virtute sanatus, 116 A, 117 B. Quot annis cæcus fuerit, 125 A, et vixerit, 124 D'. — Ejus monita, 99 A, et canticum, 120 B. — Propheta fuit, 124 B', 125 B, et prophetice nuntiavit eversionem Jerusalem, 121 D', 124 A, et Ninive, 125 B, templi restaurationem, 121 D', 125 B', et gentilium conversionem, 125 C'. — Multipliciter fuit figura Christi, 89 B, 92 C', misericordiæ et patientiæ exemplar, 89 B', 92 D'.

Liber Tobiæ, an sit canonicus, 83. — Inter hagiographa numeratur, 83; cur non inter prophetica, 124 B'. — Quæ narrat, quando evenerint, 267 A.

TOBIAS junior, inepte a quibusdam Tobi vocatus, 87 A', quomodo piscem devorantem evaserit, 105 B, uxorem Saram acceperit, 108 B', patrem sanaverit, 116 A. — Quando obierit, 124 A', et ubi, 126 B. — Fuit in animalia lenis, 104 D, in matrimonio castus, 110 B, conjugatorum exemplar, 111 D', figura Christi, 107 C'.

TORCULARIA. Psalmi « pro torcularibus », quomodo intelligendi, 451 A.

TRIBULATIO variis e fontibus oritur, 46 A; per angelos bonos vel malos infligi solet, 46 B; sed originaliter Deum auctorem habet, 52 D, 53 C', 649 C, qui per eam corda probat, 492 B, et electos visitat, 495 C; ideo signum divinæ electionis est, 58 C'. — In Scripturis ignis vocatur, 495 C, et summopere animæ prodest, 53 D', 560 B, quæ ita purgatur, 56 A', probatur et Christo conformatur, 56 B', propriam discit infirmitatem, 56 D', in spe roboratur, 57 A, humilitate, 57 B, ac pœnitentia, 645 D', gloriam Dei promovet, 57 B, Christi passionem complet, 56 B, auget merita, 56 A, purgatorium evadit, 56 C', ad coronam ducitur, 97 C'. — Omnes justi tribulationibus probantur, 147 A', 610 B'; sed in his gaudent, 563 B', et gloriantur, 621 C'. — Anima tribulata servet constantiam, 116 D', 420 C', patientiam, 147 B', D', 514 D, 649 C, æquanimitatem, 53 D', 57 B', 97 D', et ad Deum confugiat, 431 C, qui semper paratus est tribulatorum misereri, 610 D, et eos « dilatare », 427 D', 431 B'. — Animæ patienti aptantur Ps. III, 426 A, 427 B; XXX, 592 D; et nonnulli versus Ps. XLI, 677 B. — *Cf.* Adversa, Pœna.

TRIBUS. Ex tribubus Israel, decem ultra montes Chaspios translatæ, 226 A, in Media reclusæ sunt, 226 C, et in fine mundi egredientur, 226 A'; tres in Romano imperio sunt constitutæ, 226 D. — *Cf.* Matrimonium.

TRIBUTUM, quid sit, et quomodo a vectigali differat, 218 B'. — Centesimam regi Persarum in tributum solvebant Judæi, 244 C'.

TRINITAS. Mysterium SS. Trinitatis insinuatur, 390, 605 B'.

TRISTITIA. Est tristitia mala, 674 C, contra quam ordinatur patientia, 674 D, et spes, 674 C'; et tristitia bona, 674 D, dummodo moderetur, 674 B'. — Tristitia cor constringit, 427 D', et valetudini nocet, 292 C. Somno et balneo levatur, 423 B. — De pœnis proximi tristari, quantum Deo placeat, 646 A.

TROPOLOGIA. Quid sit tropologia, 398 B', et sensus tropologicus, 398 D', 412 B. — Hic utilissimus est, 412 C.

TRYPHON (Diodotes), amicus Alexandri (Balæ), 310 A, ambitiosissimus, 314 B', occiso Antiocho (Dionysio), regnum occupat, 316 C', sed ab Antiocho (Sidete) fugatur, 322 A'. — Jonathan dolose captum, 314 B', cum filiis, 315 B', occidit, 316 C.

TUBÆ apud Judæos variis in usibus erant, 215 D, 287 B', 290 B'. — Tubarum solennitas, quando et cur celebrata, 248 C'.

TUBIANÆI. Qui sic nuncupati fuerint, 369 B.

TULLIUS (Cicero) allegatur, 299 B'.

TYMPANUM, quid sit ad litteram et mystice, 165 A.

Digitized by Google

TYRANNUS, quid significet, 187 C'. — Tyrannus est qui potestate abutitur, 196 C. — Tyranni a Deo damnantur, 5 C'.

U

UMBILICUS in feminis sedes est delectationis, 22 A, et luxuriæ, 22 B. — Virtus diaboli, cur in umbilico posita dicatur, 22 C.

UMBRA mortis, quid, 685 B.

UNCTIO. Quot unctiones Christi, 567 C, David, 562 D, et Christiani, 562 D'. — Quamlibet sequitur tribulatio, 563 A.

UNICORNIS, seu rhinoceros, animal superbissimum, 537 A, et fortissimum, 578 A, præsumptuosos signat, 536 C', 542 C'. — *Vide* Rhinoceros.

UR Chaldæorum, unde exivit Abraham, quæ sit, 252 C.

URBS, quo sensu gaudere dicatur, 122 C'. — Urbes sunt filiæ regni, 213 A.

URSA major, seu Arcturus, 9 A, principium est frigoris, 9 B.

USURA ab ethnicis ipsis condemnatur, 483 D'; Judæis erga fratres vetita erat, 243 B, 244 A, erga extraneos permissa, 483 D'; apud Christianos fœda est, 245 A'. — Quomodo a Christo commendari videatur, 483 D'. — An ab usurariis mutuari liceat, 152 C'.

UXOR bona magnum Dei donum, 109 A. — Virum timere debet, 114 C', et ei subjici, quatenus, 177 B'. — Ejus est domum regere, 114 C', et bonum exemplum dare, 114 D'. — Uxores regum Persarum, quomodo deligerentur, 178 A', 179 B. — Uxor Pilati, instigante diabolo, Christum salvare voluit, 579 C'.

V

VALENTINUS hæresiarcha confutatur, 548 B.

VALERIUS MAXIMUS, historiographus, citatur, 71 A'.

VANITAS. Sic dici possunt quodlibet peccatum, 236 C', omnia transitoria, 236 D', 428 D, 652 B', et creata, 647 D'; sed præcipue homo, quare, 648 A. — Quid sit animam in vanum accipere, 549 C.

VAS in Hebræo extense sumitur, 271 D, 318 D'. — Vasa templi a Cyro reddita, 211 C, enumerantur, 211 B'. Ab Antiocho Epiphane ablata, 271 D, a Machabæis renovata sunt, 288 D. — Quid sint vasa cantici, 258 D', vasa mortis, 443 D', 447 B'.

VASTHI, regina Persarum, cur regi obtemperare noluerit, 176 C'. — Ultra condignum passa est, 177 A', 178 B.

VECTIGAL, quid sit et quomodo a tributo differat, 218 B'.

VEGETIUS (Renatus), de Re militari, sæpius citatur, 134 C, 140 D, 165 C', 293 D', etc.

VENTER. Quid sit venter Ecclesiæ, 540 D', animæ, 594 B, peccatoris, 497 C.

VENUS sidus, et Lucifer et Vesper vocatur, 9 C, A'. Modo mane, modo sero oritur, quare, 9 D. Sarracenis illam præesse quidam commenti sunt, 66 C. — In sacris Veneris, feminæ incedebant nudæ, 270 D.

VERBUM, in Scripturis, quid significet, 118 D, 223 B. — Liber Verborum dierum, quid, 258 B. — Deus Pater Verbo, cum generando, omnia dicit, 417 C'. Quomodo in ipso cœlos firmaverit, 602 A, C. — Verbi persona in Christo velut in templo fuit, 471 C, sed quasi infirmata, 589 A. — In Verbo Beati omnia vident, 627 A. — *Cf.* Christus.

VERITAS ab intellectu divino procedit, 470 B. Quomodo ab homine attingatur, 429 C'. Multipliciter minui potest, 472 A. — Veritas Dei, quid sit, 679 C, et quomodo usque ad nubes extendatur, 625 C. Homini aperte proponi nequit, 398 B.

VERMIS inferni, quid, 167 B. — Vermi comparatur Christus, 532 D, et homo, 540 D, C'.

VESPER stella. Sic dicitur Venus, 9 C, vel Mercurius, 9 A'. Idem est ac Lucifer, 9 C, A'. — Quo sensu ad vesperum demoretur fletus, 580 A', 583 C, 585 D.

VESTIS. Ornatus nimius prohibetur, 155 D, in feminis, 201 C, et viduis, 154 C. — Vestes scindere, olim lugentibus usitatum, 183 A, 227 C', 275 C, 283 B'.

VIA. A via redeuntes oportet cum gratiarum actione ingredi, 115 D, et cum gratiarum actione suscipi, 115 D'. — Quid sint viæ Domini, 552 D, viæ vitæ, 488 B, et pacis, 478 D, 481 C, viæ duræ, 495 A', C'; quid in via peccatorum stare, 406 D, 413 B, 414 B.

VIDUA. Commendatur viduis castitas, 148 B', et humilis vestitus, 154 C.

VINDICTA prohibetur, 449 A'. — Vindictæ studium orationem impedit, 449 B.

VINUM. A vino gentilium abstinebant pii Israelitæ, 213 C'. — A fructu vini quomodo multiplicentur homines, 429 D', 432 C. — Quid sit vinum germinans virgines, 430 B.

Digitized by Google

VIR, quis sic vocetur, 406 B. — Muliere perfectior est, 177 C'. — In festis Priapi viri incedebant nudi, 270 C. — Viri est uxorem instruere, 104 B', et dirigere, 177 B'.
VIRAGO, nomen proprium Evæ, non immerito mulieribus fortibus tribuitur, 129.
VIRGA. Quid virga Dei, 545 C, 546 A', virga ferrea, 418 B. — In virga ferrea angeli regunt homines, 421 C', prælati regere debent subditos, 420 A'.
VIRTUS est unicum hujus vitæ bonum, 58 C, et quasi ossa animæ, 541 B', 610 C'. Per eam fit homo ceteris gratus, 126 B'. — Exercitium virtutum est incipientibus via dura, 495 A', quia passionibus impeditur, 594 D; sed perfectis jugum suave, 495 B', nam signum virtutis delectatio est operantis, 280 C, 519 D, 600 D. — Virtutes peccatis non confessis mortificantur, 597 A. — Christus nunquam ab actuali virtutum exercitio cessavit, 506 D'. — Quomodo Deus virtutem induere aut ponere dicatur, 612 A. Quid vox Domini in virtute, 577 C. — Quid virtus cœlorum, 602 C.
VISIO Dei per essentiam, aliquo modo ad prophetiam pertinet, 398 A; est Beatorum felicitas, 525 B, 527 A, ac refectio, 546 B, 547 A, caritati debita, 672 C, et tanto clarior, quanto major fuerit dilectio, 672 C. — Prophetia in visione communicata, 394 B', 396 D', dicitur symbolica, 396 D, et minus perfecta est quam anagogica, 395 A'.
VISUS pro quocumque sensu frequenter sumitur, 104 A', 616 C'.
VITA et fons vitæ Deus est, 626 D'. — Vita præsens, quam brevis, 647 A, B', 648 B. Recte via dicitur, 553 A'. — Viæ vitæ quid, 488 B. — Vitæ Patrum allegantur, 631 D. (Migne *Patrol. lat.* tom. 73, 74.)
VITULUS. Occiso vitulo olim pangebantur fœdera, 245 C. — Vituli et tauri in passione Christi, quid, 533 C', 541 A'.
VOCIFERATIO. Quid sit hostia vociferationis, 565 A', 569 D; psallere in vociferatione, 601 C.
VOLUNTAS Dei est prima omnium causa, 61 A, unica prædestinationis, 61 B; idem est ac divina sapientia et justitia, 61 B'. Sic dicitur lex Dei, 568 C'. — Voluntas hominis est meritoria causa pœnæ, 53 D, propria damnationis, 59 A. — Ex se labilis est, 59 B, et cæca, 407 B; insuper carne labefactatur, 59 C, originali culpa sauciatur, 59 C, tentationibus opprimitur, 59 A'. — Dei est in eam immediate agere, 202 A; sed indirecte movetur ab angelis, 67 D', et stellis, 66 D, D'. — Eam plene Deo resignare decet, 146 C', et hoc est optimum animæ sacrificium, 659 D.
VOX. Quid sit vox Domini super aquas, 576 D', 577 A, in virtute et magnificentia, 577 C, confringens cedros, 577 A', intercidens flammam ignis, 578 B, concutiens desertum, 578 C, præparans cervos, 578 A'.
VULGATA translatio Scripturæ, quid sit, 202 D. — Ejus auctor ignoratur, 196 B. — Quædam in ea aliunde desumpta sunt, 203 B, maxime ex Josepho, 185 B, 196 B, 203 A.
VULTUS cordis intima prodit, 238 C. — Quid sit vultus Dei, 470 B', 495 B, 610 C, lumen vultus Dei, 429 C', illuminatio vultus Dei, 682 B', 687 B'. — In contemplatione vultus Dei est beatitudo, 525 B, 527 A, et incomprehensibilis lætitia, 527 B.

X

XERXES I, Darii I filius, rex Persarum, in Esdra Artaxerxes vocatur, 222 B', 223 C, et alibi Assuerus, 268 B.

Z

ZACHARIAS propheta, in Babylone natus, 220 A, captivorum reditum et templi restaurationem promovit, 220 B.
ZELUS, quid sit et quotuplex, 628 B'. — Laudatur zelus Phinees, 277 D', et Eliæ, 278 C.
ZONA torrida impertransibilis est, 6 C.
ZOROBABEL, qui et Sassabasar, 211 A', 221 A', familiaris Darii, 220 C, templum reædificat, 214 B.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX GENERALIS

ENARRATIO IN LIBRUM JOB.

Articulus LXVI. Elucidatio capituli tricesimi octavi : Respondens autem Dominus Job 1
Articulus LXVII. Expositio capituli tricesimi noni : Numquid nosti tempus partus ibicum ? 12
Articulus LXVIII. Elucidatio litteralis capituli quadragesimi : Respondens autem Dominus Job de turbine, dixit. . 19
Articulus LXIX. Elucidatio capituli quadragesimi primi : Non quasi, etc. . . 29
Articulus LXX. Expositio capituli quadragesimi secundi et ultimi : Respondens autem Job. 37

EPILOGATIO IN LIBRUM JOB.

Articulus I. De expositione primæ clausulæ quæstionis inductæ. 45
Articulus II. De expositione secundæ clausulæ. 46
Articulus III. De sensibus particulæ tertiæ. 47
Articulus IV. De intellectu clausulæ quartæ. 47
Articulus V. Quod de temporali prosperitate pravorum, et multiplici tribulatione justorum, Sancti in Scripturis canonicis frequenter per modum vehementer mirantium sunt locuti 48
Articulus VI. Cur Deus justos in hac vita tam multipliciter tribulet et flagellet . 50
Articulus VII. Quod Deus est causa malorum pœnalium et tormentorum quæ accidunt justis 52
Articulus VIII. De variis causis tribulationum hominum in hac vita; de multiplici quoque utilitate adversitatum et tribulationum 55
Articulus IX. Confirmatio prædictorum ex dictis Sanctorum 57
Articulus X. Responsio, cur qui bene egerunt, finaliter deficiunt 59
Articulus XI. Solutio particulæ tertiæ, scilicet, unde proveniat quod malos videmus sæpe optime mori 62
Articulus XII. An fatalis influentia causa sit actuum humanorum ac diversæ terminationis eorum 63
Articulus XIII. De fortuna : Quid sit, et an ab astris dependeat, et qualiter causa sit actuum humanorum et diversitatis eorum 67
Articulus XIV. Confirmatio prædictorum, ex dictis doctorum. 71
Articulus XV. De causis difficultatis intelligendi librum beati Job. 73
Articulus XVI. De secunda causa difficultatis ejusdem. 74
Articulus XVII. De tertia causa difficultatis intelligendi librum beati Job . . . 75
Articulus XVIII. De quibusdam verbis expositorum, conferentibus ad intelligentiam libri Job 76
Articulus XIX. Elucidatio atque solutio difficultatum intelligendi librum Job, ex qua datur via intelligendi multa, quæ in libro illo videntur difficilia et obscura. 78

ENARRATIO IN LIBRUM TOBIÆ.

Prooemium 83
Articulus I. Expositio capituli primi : Tobias ex tribu et civitate Nephthali . . 85
Articulus II. Elucidatio capituli secundi : Post hæc vero quum esset dies festus Domini. 89
Articulus III. Declaratio capituli tertii : Tunc Tobias ingemuit, et cœpit orare cum lacrimis. 93
Articulus IV. Elucidatio capituli quarti :

Digitized by Google

Igitur quum Tobias putaret orationem suam exaudiri, ut mori potuisset. . . 99
Articulus V. Elucidatio capituli quinti : Tunc respondit Tobias patri suo, et dixit. 102
Articulus VI. Elucidatio capituli sexti : Profectus est autem Tobias, et canis secutus est eum. 104
Articulus VII. Declaratio capituli septimi : Ingressi sunt autem ad Raguelem . . 108
Articulus VIII. Expositio capituli octavi : Postquam vero cœnaverunt, introduxerunt juvenem ad eam. 109
Articulus IX. Elucidatio capituli noni : Tunc vocavit Tobias angelum ad se . . 112
Articulus X. Expositio capituli decimi : Quum vero moras faceret Tobias. . . 113
Articulus XI. Declaratio capituli undecimi : Quumque reverterentur, pervenerunt ad Charan. 115
Articulus XII. Elucidatio capituli duodecimi : Tunc vocavit ad se Tobias filium suum seorsum 117
Articulus XIII. Elucidatio capituli tertiidecimi : Aperiens autem Tobias senior os suum, benedixit Dominum. . . . 120
Articulus XIV. Expositio capituli quartidecimi : Et consummati sunt sermones Tobiæ 124

ENARRATIO IN LIBRUM JUDITH.

Prooemium 129
Articulus I. Expositio capituli primi : Arphaxad itaque rex Medorum subjugaverat gentes multas 131
Articulus II. Declaratio capituli secundi : Anno tertiodecimo regni Nabuchodonosor regis 133
Articulus III. Enarratio capituli tertii : Tunc miserunt legatos suos. 135
Articulus IV. Elucidatio capituli quarti : Tunc audientes hæc filii Israel. . . . 136
Articulus V. Expositio capituli quinti : Nuntiatumque est Holoferni, quod filii Israel præparassent se ad resistendum. 138
Articulus VI. Declaratio capituli sexti : Factum est autem quum cessassent loqui. 141
Articulus VII. Explanatio capituli septimi : Holofernes autem altera die, etc. 143
Articulus VIII. Declaratio capituli octavi : Et factum est. 145
Articulus IX. Expositio capituli noni : Quibus abscedentibus, etc. 149
Articulus X. Expositio capituli decimi : Factum est autem quum cessasset clamare ad Dominum 154
Articulus XI. Explanatio capituli undecimi : Tunc Holofernes dixit ei : Æquo animo esto 156
Articulus XII. Expositio capituli duodecimi : Tunc jussit eam introire ubi repositi erant thesauri ejus 158
Articulus XIII. Declaratio capituli tertiidecimi : Ut autem sero factum est . . 160
Articulus XIV. Expositio capituli quartidecimi : Dixit autem Judith ad omnem populum 162
Articulus XV. Declaratio capituli quintidecimi : Quumque omnis exercitus decollatum Holofernem audisset. . . . 163
Articulus XVI. Elucidatio capituli sextidecimi : Tunc cantavit canticum hoc Domino Judith 164

ENARRATIO IN LIBRUM ESTHER.

Prooemium 171
Articulus I. Expositio capituli primi : In diebus Assueri regis 173
Articulus II. Expositio capituli secundi : His itaque gestis, postquam regis Assueri indignatio deferbuerat 178
Articulus III. Elucidatio capituli tertii : Post hæc rex Assuerus exaltavit Aman. 181
Articulus IV. Expositio capituli quarti : Quæ quum audisset Mardochæus, scidit vestimenta sua 183
Articulus V. Explanatio capituli quinti : Die autem tertio induta est Esther regalibus vestimentis. 184
Articulus VI. Declaratio capituli sexti : Noctem illam rex duxit insomnem . . 186
Articulus VII. Explanatio capituli septimi : Intravit itaque rex et Aman, ut biberent cum regina 188
Articulus VIII. Expositio capituli octavi : Die illo dedit rex Assuerus Esther reginæ. 190
Articulus IX. Declaratio capituli noni : Igitur duodecimi mensis, quem adar vocari ante jam diximus, tertiadecima die. 191
Articulus X. Expositio capituli decimi : Rex vero Assuerus. 193

Digitized by Google

Articulus XI. Declaratio capituli undecimi : Anno quarto, regnantibus Ptolemæo et Cleopatra 194
Articulus XII. Elucidatio capituli duodecimi : Morabatur autem eo tempore in aula regis. 195
Articulus XIII. Elucidatio capituli tertiidecimi : Rex maximus Artaxerxes . . 196
Articulus XIV. Expositio capituli quartidecimi : Esther quoque regina confugit ad Dominum. 198
Articulus XV. Expositio capituli quintidecimi : Et mandavit ei Mardochæus. 201
Articulus XVI. Declaratio capituli sextidecimi : Rex maximus Artaxerxes . . 202

ENARRATIO IN LIBRUM PRIMUM ESDRÆ.

Procemium 207
Articulus I. Expositio capituli primi : In anno primo Cyri regis Persarum. . . 209
Articulus II. Expositio capituli secundi : Hi sunt autem provinciæ filii, qui ascenderunt de captivitate. 212
Articulus III. Expositio capituli tertii : Jamque venerat mensis septimus. . . 214
Articulus IV. Elucidatio capituli quarti : Audierunt autem hostes Judæ et Benjamin. 216
Articulus V. Explanatio capituli quinti : Prophetaverunt autem Aggæus propheta et Zacharias filius Addo 220
Articulus VI. Explanatio capituli sexti : Tunc Darius rex præcepit, et recensuerunt in bibliotheca. 221
Articulus VII. Elucidatio capituli septimi : Post hæc autem verba 223
Articulus VIII. Expositio capituli octavi : Hi sunt ergo principes familiarum . . 225
Articulus IX. Expositio capituli noni : Postquam autem hæc completa sunt. 227
Articulus X. Explanatio capituli decimi : Sic ergo orante Esdra, et implorante Deum 229

ENARRATIO IN LIBRUM SECUNDUM ESDRÆ.

Procemium 233
Articulus I. Elucidatio capituli primi : Verba Nehemiæ filii Helchiæ 235
Articulus II. Expositio capituli secundi : Factum est autem in mense Nisan . . 237
Articulus III. Expositio capituli tertii : Et surrexit Eliasib sacerdos magnus. . . 239
Articulus IV. Expositio capituli quarti : Factum est autem quum audisset Sanaballat 241
Articulus V. Expositio capituli quinti : Et factus est clamor populi. 243
Articulus VI. Explanatio capituli sexti : Factum est autem quum audisset Sanaballat 245
Articulus VII. Expositio capituli septimi : Postquam autem ædificatus est murus. 247
Articulus VIII. Explanatio capituli octavi : Et venerat mensis septimus Scenopegiæ. 248
Articulus IX. Expositio capituli noni : In die autem vicesimo quarto mensis hujus 250
Articulus X. Declaratio capituli decimi : Signatores autem fuerunt Nehemias Athersatha filius Hachelai, etc. . . . 255
Articulus XI. Expositio capituli undecimi : Habitaverunt autem principes populi in Jerusalem 256
Articulus XII. Expositio capituli duodecimi : Hi sunt sacerdotes et Levitæ qui ascenderunt 257
Articulus XIII. Elucidatio capituli tertiidecimi : In die autem illo lectum est in volumine Moysis. 260

ENARRATIO IN LIBRUM PRIMUM MACHABÆORUM.

Prologus 265
Articulus I. Expositio capituli primi : Et factum est postquam percussit Alexander Philippi, Macedo 267
Articulus II. Expositio capituli secundi : In diebus illis surrexit Mathathias filius Joannis 274
Articulus III. Elucidatio capituli tertii : Et surrexit Judas qui vocabatur Machabæus. 280
Articulus IV. Explanatio capituli quarti : Et assumpsit Gorgias quinque millia virorum 285
Articulus V. Declaratio capituli quinti : Et factum est, ut audierunt gentes in circuitu 289
Articulus VI. Explanatio capituli sexti : Et rex Antiochus perambulavit superiores regiones 292
Articulus VII. Declaratio capituli septimi : Anno centesimo quinquagesimo primo. 295

Digitized by Google

Articulus VIII. Elucidatio capituli octavi : Et audivit Judas nomen Romanorum, quia sunt potentes viribus 297
Articulus IX. Explanatio capituli noni : Interea, ut audivit Demetrius quia cecidit Nicanor 300
Articulus X. Expositio capituli decimi : Et anno centesimo sexagesimo ascendit Alexander. 303
Articulus XI. Expositio capituli undecimi : Et rex Ægypti congregavit exercitum . 307
Articulus XII. Expositio capituli duodecimi : Et vidit Jonathas quia tempus eum juvat 312
Articulus XIII. Expositio capituli tertiidecimi : Et audivit Simon quod congregavit Tryphon exercitum 315
Articulus XIV. Declaratio capituli quartidecimi : Anno centesimo septuagesimo secundo 318
Articulus XV. Expositio capituli quintidecimi : Et misit rex Antiochus filius Demetrii epistolas. 321
Articulus XVI. Elucidatio capituli sextidecimi : Et ascendit Joannes de Gazaris. 322

ENARRATIO IN SECUNDUM LIBRUM MACHABÆORUM.

Proœmium 327
Articulus I. Elucidatio capituli primi : Fratribus qui sunt per Ægyptum Judæis, etc. 329
Articulus II. Elucidatio capituli secundi : Invenitur autem in descriptionibus Jeremiæ 336
Articulus III. Expositio capituli tertii : Igitur quum sancta civitas habitaretur in omni pace 341
Articulus IV. Expositio capituli quarti : Simon autem prædictus, pecuniarum et patriæ delator 344
Articulus V. Declaratio capituli quinti : Eodem tempore Antiochus secundam profectionem paravit in Ægyptum . . 348
Articulus VI. Expositio capituli sexti : Sed non post multum temporis misit rex senem quemdam 351
Articulus VII. Expositio capituli septimi : Contigit autem septem fratres una cum matre sua apprehensos, compelli a rege. 354
Articulus VIII. Elucidatio capituli octavi : Judas vero Machabæus, et qui cum illo erant, introibant latenter in castella. . 359
Articulus IX. Explanatio capituli noni : Eodem tempore Antiochus inhoneste revertebatur de Perside. 361
Articulus X. Declaratio capituli decimi : Machabæus autem, et qui cum illo erant 364
Articulus XI. Declaratio capituli undecimi : Sed parvo post tempore, Lysias procurator regis 365
Articulus XII. Expositio capituli duodecimi : His factis pactionibus 368
Articulus XIII. Expositio capituli tertiidecimi : Anno centesimo quadragesimo nono 371
Articulus XIV. Explanatio capituli quartidecimi : Sed post triennii tempus . . 373
Articulus XV. Expositio capituli quintidecimi : Nicanor autem ut comperit Judam esse in locis Samariæ 376

COMMENTARIA IN PSALMOS.

Præfatio 389
Articulus I. Quid sit prophetia, et de gradibus ejus, et qualis prophetia sit dignior 393
Articulus II. De speciebus prophetiæ, et quomodo prophetia infallibiliter impleatur. 395
Articulus III. An David fuit excellentissimus Prophetarum 396
Articulus IV. De quadruplici expositione sacræ Scripturæ, et septem regulis ad intelligentiam Scripturarum sanctarum valde utilibus 398
Articulus V. De titulo et auctore, ac varia translatione libri Psalmorum 400
Articulus VI. De virtute psalmorum, et de modo orandi atque psallendi 402
Articulus VII. De intentione et forma procedendi præsentis editionis. 404
Articulus VIII. De prima (videlicet litterali) expositione psalmi primi : Beatus vir qui non abiit 405
Articulus IX. Expositio ejusdem primi psalmi secundum allegoricum intellectum, videlicet de Christo 409
Articulus X. Explanatio ejusdem primi psalmi juxta sensum tropologicum . . 412
Articulus XI. Expositio ejusdem primi

Digitized by Google


psalmi secundum anagogicum intellectum 413
Articulus XII. Expositio litteralis psalmi secundi : Quare fremuerunt gentes, etc. 415
Articulus XIII. Expositio ejusdem secundi psalmi tropologica. 419
Articulus XIV. Quod psalmus iste non sit allegorice exponendus, quamvis anagogice possit exponi 421
Articulus XV. Explanatio litteralis psalmi tertii : Domine, quid multiplicati sunt, etc. 422
Articulus XVI. Expositio ejusdem psalmi tertii allegorica. 423
Articulus XVII. Tropologica ejusdem psalmi tertii explanatio 425
Articulus XVIII. Expositio quarti psalmi : Quum invocarem, etc. 427
Articulus XIX. Quomodo psalmus iste quartus multipliciter possit exponi ; et specialiter de expositione ejus in persona Christi 430
Articulus XX. Explanatio psalmi quinti : Verba mea auribus percipe, etc. 433
Articulus XXI. Quomodo psalmus iste quintus specialiter et congruenter exponi possit de Christo. 436
Articulus XXII. Explanatio sexti psalmi : Domine, ne in furore, etc. 438
Articulus XXIII. Explanatio litteralis septimi psalmi : Domine Deus meus, in te speravi. 442
Articulus XXIV. Expositio allegorica psalmi istius septimi 444
Articulus XXV. Explanatio tropologica psalmi istius septimi. 448
Articulus XXVI. Expositio psalmi octavi : Domine, Dominus noster, quam admirabile, etc. 451
Articulus XXVII. Expositio anagogica psalmi ejusdem octavi. 455
Articulus XXVIII. Expositio noni psalmi : Confitebor tibi, Domine 457
Articulus XXIX. Expositio litteralis psalmi decimi : In Domino confido . . . 466
Articulus XXX. Expositio tropologica psalmi ejusdem decimi in persona Ecclesiæ et uniuscujusque fidelis, qui est verum ac vivum membrum Ecclesiæ 467
Articulus XXXI. Expositio allegorica ejusdem psalmi decimi de Christo. . . . 470
Articulus XXXII. Expositio litteralis psalmi undecimi : Salvum me fac, Domine, quoniam, etc. 471
Articulus XXXIII. Elucidatio psalmi duodecimi : Usquequo, Domine, oblivisceris, etc. 474
Articulus XXXIV. Expositio tropologica ejusdem psalmi duodecimi. 475
Articulus XXXV. Expositio litteralis psalmi tertiidecimi : Dixit insipiens in corde suo. 477
Articulus XXXVI. Expositio moralis ejusdem psalmi tertiidecimi. 479
Articulus XXXVII. Expositio psalmi quartidecimi : Domine, quis habitabit, etc. 482
Articulus XXXVIII. Expositio litteralis psalmi quintidecimi : Conserva me, Domine 485
Articulus XXXIX. Expositio tropologica seu moralis ejusdem psalmi quintidecimi. 488
Articulus XL. Expositio psalmi sextidecimi : Exaudi, Domine, justitiam meam. 491
Articulus XLI. Explanatio ejusdem psalmi sextidecimi de Ecclesia et quolibet viro perfecto ac fideli. 494
Articulus XLII. Expositio psalmi septimidecimi : Diligam te, Domine, etc. . . 498
Articulus XLIII. Prosecutio expositionis ejusdem psalmi septimidecimi de Christo 504
Articulus XLIV. Expositio allegorica ejusdem psalmi septimidecimi 510
Articulus XLV. Expositio psalmi octavidecimi : Cœli enarrant gloriam Dei. . . 516
Articulus XLVI. Expositio psalmi nonidecimi : Exaudiat te Dominus, etc. . . 521
Articulus XLVII. Expositio ejusdem psalmi nonidecimi de Ecclesia ac unoquoque fideli. 522
Articulus XLVIII. Expositio litteralis psalmi vicesimi : Domine, in virtute tua, etc. 524
Articulus XLIX. Expositio anagogica ejusdem psalmi vicesimi 526
Articulus L. Expositio litteralis psalmi vicesimi primi : Deus, Deus meus, respice, etc. 529
Articulus LI. Prosecutio expositionis hujus psalmi vicesimi primi 536
Articulus LII. Expositio moralis ejusdem psalmi vicesimi primi. 539
Articulus LIII. Expositio psalmi vicesimi secundi : Dominus regit me, etc. . . 543
Articulus LIV. Expositio anagogica ejusdem psalmi vicesimi secundi, de Christo et de Beatis seu comprehensoribus. 546

Digitized by Google

Articulus LV. Expositio psalmi vicesimi tertii : Domini est terra, etc. 547
Articulus LVI. Expositio psalmi vicesimi quarti : Ad te, Domine, levavi, etc. . . 551
Articulus LVII. Expositio de Christo, psalmi vicesimi quinti : Judica me, Domine, etc. 556
Articulus LVIII. Expositio ejusdem psalmi vicesimi quinti tropologica, de unoquoque viro perfecto 559
Articulus LIX. Expositio psalmi vicesimi sexti : Dominus illuminatio mea. . . 562
Articulus LX. Expositio ejusdem psalmi vicesimi sexti de Christo. 567
Articulus LXI. Expositio litteralis psalmi vicesimi septimi : Ad te, Domine, clamabo 570
Articulus LXII. Expositio tropologica seu moralis ejusdem psalmi vicesimi septimi. 573
Articulus LXIII. Expositio psalmi vicesimi octavi : Afferte Domino, filii Dei . . . 575
Articulus LXIV. Expositio litteralis psalmi vicesimi noni : Exaltabo te, Domine. . 579
Articulus LXV. Expositio tropologica ejusdem psalmi vicesimi noni 582
Articulus LXVI. Expositio ejusdem psalmi vicesimi noni anagogica. 584
Articulus LXVII. Expositio de Christo psalmi tricesimi : In te, Domine, speravi. 586
Articulus LXVIII. Expositio ejusdem psalmi tricesimi de Ecclesia, et quocumque fideli in tribulationibus constituto . . 592
Articulus LXIX. Expositio psalmi tricesimi primi : Beati quorum remissæ sunt iniquitates. 596
Articulus LXX. Expositio psalmi tricesimi secundi : Exsultate, justi, in Domino . 600
Articulus LXXI. Expositio psalmi tricesimi tertii : Benedicam Dominum in omni tempore 605
Articulus LXXII. Expositio psalmi tricesimi quarti : Judica, Domine, nocentes me 611
Articulus LXXIII. Expositio moralis ejusdem psalmi tricesimi quarti, de quocumque justo atque Ecclesia 618
Articulus LXXIV. Expositio psalmi tricesimi quinti : Dixit injustus ut delinquat 623
Articulus LXXV. Expositio psalmi tricesimi sexti : Noli æmulari in malignantibus 628
Articulus LXXVI. Expositio psalmi tricesimi septimi : Domine, ne in furore . . 636
Articulus LXXVII. Expositio psalmi tricesimi octavi : Dixi, custodiam vias meas. 643
Articulus LXXVIII. Expositio de Christo psalmi tricesimi noni : Exspectans exspectavi, etc. 651
Articulus LXXIX. Expositio ejusdem psalmi tricesimi noni de Ecclesia seu unoquoque fideli 657
Articulus LXXX. Expositio litteralis psalmi quadragesimi : Beatus qui intelligit. 662
Articulus LXXXI. Expositio ejusdem psalmi quadragesimi tropologica 666
Articulus LXXXII. Expositio psalmi quadragesimi primi : Quemadmodum desiderat cervus 670
Articulus LXXXIII. Expositio psalmi quadragesimi secundi : Judica me, Deus, et discerne 678
Articulus LXXXIV. Expositio allegorica ejusdem psalmi quadragesimi secundi de Christo. 680
Articulus LXXXV. Expositio litteralis psalmi quadragesimi tertii : Deus, auribus nostris audivimus. 681
Articulus LXXXVI. Elucidatio moralis ejusdem psalmi quadragesimi tertii . . . 686
Index locorum S. Scripturæ. 693
Index analyticus 705

Digitized by Google

Digitized by Google



Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis. Monstrolii.
J. Arnauné typographus.

Digitized by Google

Digitized by Google



Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis. Monstrolii.
J. Arnauné typographus.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine of five cents a day is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.

Digitized by Google

Widener Library
3 2044 105 205 975